
V
B J
C
394172 III
Mag. St. Dr.

RERUM GERMANICARUM SCRIPTORES

varii,

Qui, præmissis quibusdam superioris sæculi, sub CAROLO V. Imp. memorabiliter acta potissimum complectuntur.

TOMUS TERTIUS.

Ex Bibliotheca & recensione

MARQUARDI FREHERI,

Consiliarii Palatini,

Primum Editus,

NUNC DENUO RECOGNITUS.

Curante

BURCARDO GOTTHELFFIO STRUVIO,

CONSILIARIO ET HISTORICO SAXONICO.



ARGENTORATI,

Sumptibus JOHANNIS REINHOLDI DULSSECKERI,

ANNO MDCCXVII.



MAGNIFICIS AMPLISSIMIS VIRIS NOBILITATE ORDINIS EQVESTRIS, DIGNITATE ET PRVDENTIA PRÆSTANTISSIMIS,

PRÆTORIBVS, CONSVLIBVS ET SENATORIBVS

INCLYTÆ REIPUBLICÆ ARGENTORATENSIS.

S. P. D.



QVo primùm tempore, Amplissimi Patres, cœpi digerendis edendisque talibus patriæ Historiæ monumentis, maiore fortuna an diligentia à me conquisitis, vix dixero, operam impendere, hoc votum & propositum simul fuit, singulos eius Tomos, singulorum annorum laborem, Germaniæ nostræ ocellis, id est, Ciuitatibus Imperii præcipuis, apud quas saltem aliqua in notitia essem, honoris ergò inscribere. Quod meum institutum iam in duobus prioribus Tomis, non sine successu seruatum apparet. Et quidem hic animus & sententia ferè erat, in illis tranquillè subsistere, neque ad nostra hæc plus satis exulcerata tempora propiùs accedere: sed quæ istuc pertinentia in parato haberem, digesta tantum & ad prælum adornata posteris meis edenda relinquere. Quod tamen consilium meum partim cogitatio vicissitudinis rerum humanarum, & quam facile tanti momenti tantoque opere à me congestæ opes non tam mihi meis ve quam ipsi Reipublicæ perire possent; partim amicorum auctoritas, penè cum conuicio ista iam ab aliquot annis efflagitantium, addo & Typographorum instantia, ista cum prioribus coagmentare studentium, mutare me impulit atque adeo coegit. Cessi igitur, & publico hunc quoque Tomum (de sequentibus adhuc incertus) quod faustum sit, addixi.

addixi. Cui dum de more Patronum, prioribus minimè absimilem, ex eodem Ordine circumspicio; vestra Vrbs statim occurrit, vt oculis antehac non semel mihi neque sine voluptate vsurpata, ita animo nunquam excludenda: cùm admiratione omnium in ea rerum, quibus nobiles ciuitates decus suum debent, vetustatis (inquam) & originis Romanæ, pulchritudinis & magnificentiæ, præsertim verò Politiæ rationis & Eunomiæ nunquam satis laudabilis, addo & florentis Academiæ quæ hoc ciuitati elogium conciliat:

Amian. lib. 15.

Barbaricis olim quæ cladibus inclyta, nunc est
Barbariæ ipsius nobilis excidio.

Tum etiam recordatione multæ magnæque comitatis & beneuolentiæ, quam in ea seu publico seu meo nomine transiens nunquam non & priuatim & publicitus sum expertus. Neque defuit spes aliqua, posse & consilium istud meum, vos quo licet cultu prosequendi, vobis aliquatenus approbari: & ipsa hoc genus litteraria monumenta eo loci, qui eruditis & intelligentibus viris quà in Republica quà Academia abundat, precium æstimiumque suum obtinere: quæ præsertim vestræ vrbi proprio quodam & præcipuo jure quasi deberi videbantur. Continet enim eam temporis difficillimi Historiam, quæ apud vos vestrisque auspiciis à magno viro summo studio & judicio elegantissimè elucubrata, & illi memoriam immortalem, & vobis perenne decus comparauit. Me quidem non magis aut amplitudo pomœrii, aut aedificiorum elegantia, aut Martia illa propugnacula, aut caput condens inter nubila sine exemplo Turris aerea aut aliud vllum pulchrum & spectabile ornamentum magis capit & rapit in stuporem, præ perfectissimo illo Annalium Sleidanicorum opere, quod intra muros (vt dixi) vestros felici sidere natum, totiesque deinceps diuersis & prælis & linguis renatum, extra omnem Fortunæ aleam positum

Canescet sæclis innumerabilibus.

Cui quod tamen aliquid hinc inde lucis ab hisce etiam nostris (ita enim voco, quæ lucis vsuram nobis debent, forte aliàs planissimè peritura) accedere posse ausim affirmare: ideo vobis quasi proprium præ aliis omnibus deberi existimaui; eoque confidentius nunc libens meritò ad vos affero: summo opere rogans & obtestans, vt istud quidem ceu recentissimæ (vt ita dicam) antiquitatis pignus & monimentum non vsque adeò aspernabile, lubenti animo accipere, grauissimo iudicio vestro approbare, fidaque custodia recondere & posteritati conseruare; Editorem verò, ceu vicini vobis celsique principatus veterem ministrum, vestri splendoris & honoris studiosissimum, fauore & beneuolentia solita complecti & prosequi dignemini. Valete, Patres Amplissimi, bono publico & florete, è Plinianis, Calendar. Septembr. MDCXI.

MARQVARDVS FREHERVS,
Consiliarius Palatinus.

Ad



Ad

NOBILISSIMVM ET AMPLISSIMVM

VIRVM

MARQVARDVM FREHERVM,

CONSILIARVM PALATINVM.

GErmanæ Gentis VARRONEM, magne FREHERE,
  Vno te doctus quilibet ore vocat.
Peruigilè densis tenebris monumenta vetusta,
  Eruis, ac gratâ luce renâta locas.
Tu leges Regum priscas, & fortia facta,
  Teutonicas promis sedulus historias.
Nunc quoque diuulgas raros casusque vicesque,
  Bibliothecarum de locuplete penu,
Quas sensit dubiis iactatus Teuto periclis,
  Cum CAROLVS Quintus nomine, Cæsar erat.
Perge, nec à'scœpto victus desiste labore:
  Perge, Palatini gloria magna soli,
Et quæ præterea Rhenus monumenta Nicerque,
  Atque Palatini principis ora legit.
Quæque tui plutei, multo limata labore,
  Fac possint aurâ liberiore frui.
Ausoniique, tuâ curâ, illustrata MOSELLA
  Prodeat, & cursu prosperiore fluat.
Scaliger id dudum petiit: rogat ipsa MOSELLA,
  Communis proprio Patria iure rogat.

QVIRINVS REVTERVS, D.
Professor in Acad. Heidelb.
Id. Sept. M DC XI.

ΜΑΡΚΟΥΑΡΔΩ ΤΩ ΦΡΕΗΡΩ

ἀνδρὶ σοφωτάτῳ καὶ εὐγενεστάτῳ.

Εἴσε, Φρεῆρε, χρόνοις προτέροις τέκε δῖα θάλεια,
  στήθεσιν ἐνπεμένη ἄνθεα ἱστορίης.
Τεύτονος ἀρχαίου πλεῖον στίλβεσκεν ἄρουρα.
  Οἷος γὰρ σύ πέλεις, οὔ λάχε ξυγγραφέων.

Ῥίχαρδος ὁ Ἐμέλιος.

AVCTORES HISTORIARVM QVI HOC TOMO TERTIO CONTINENTVR.

EORGII SABINI, Brandeburgensis, *de Cæsaribus Germanicis*, Libri Duo, carmine Elegiaco singulorum vitas succincte complectentes.

ANTONII PANORMITÆ ab Alfonso Rege Arragoniæ Legati, *in Coronatione Friderici III. Imp. Romæ habita Oratio* A. 1452. fol. 1. Ex editione veteri Veneta.

IANNOTII MANETI Florentinorum Legati, in eadem Coronatione sub Nicolao V. Pontifice facta, ad vtrumque *Oratio Gratulatoria*, Fol. 9. Ex MSCto Palatinæ Bibliothecæ.

De FRIDERICI *Imp. in Italiam profectione votiua* Anno 1468. suscepta, narratio è Libro Ceremoniali desumpta, fol. 19. Editionis vetustæ Romanæ.

DESCRIPTIO *accurata Electionis Maximiliani I. Regis Romanorum* apud Francofurtum A. 1486. legitime factæ: itemque coronationis eiusdem continuo subsecutæ apud Aquisgranum, fol. 21. E vetusta eius æui editione, incerto auctore.

HENRICI VII. *Angliæ Regis ad Maximilianum Regem & Principes in Comitiis, habitis Confluentiæ Annó* 1492. *legatio*, cum eorundem Responsoria, fol. 42. Ex Archiuis Palatinis descripta per M. F.

BILIBALDI PIRCKHEIMERI Noribergensis, & Cæsarei postea Consiliarii *Bellum Suitense* siue *Helueticum* Maximiliani I. Cæs. Anno 1498. gestum fol. 47. Ex eiusdem Bibliothecæ reliquiis à N. V. Iohanne Imhofio, Patricio Noribergensi Frehero amicæ communicatum.

IO. IACOBI GHILINI eiusdem *Cæsaris Expeditio Italica* Anno 1497. suscepta, fol. 91. cui accedit Telinæ Vallis, ac Larii Lacus particularis descriptio, eodem auctore. A Melchiore Haiminsfeldio Goldasto V. C. subministrata.

IO. TRITHEMII *Bauarici Belli* Anno 1504. Philippo Palatino Electori & Ruperto Filio à Maximiliano Imp. indicti, *Historia*, fol. 111. Ex Annalibus amplissimis desumta, qui in Bibliotheca Palatina asseruantur.

HVLDERICI ZWINGLII *De Gestis inter Gallos & Heluetios ad Rauennam*, Papiam & alia loca, deque Conuentu apud Thermas Helueticas Anno 1512. ad Ioachimum Vadianum Relatio, fol. 137. ab eodem D. Goldasto amice suppeditata.

ALOYSII MARLIANI *in Comitiis Ordinis Aurei Velleris* Serenissimi Caroli Regis Catholici A. 1517. *habita Oratio*, fol. 146. Ex editione eius temporis.

IACOBI ZIEGLERI *Attentata Christierni II. Daniæ Regis in Sueciæ Regnum*, & crudelitas perpetrata in Holmam Anno 1517. fol. 149. Ex editione eius temporis.

ACTA *Electionis Caroli V.* fol. 157.

LEONIS X. Pontificis *Epistolæ* Tres, super obitu Maximiliani I. Imp. & noui Cæsaris Electione facienda, ad Ludouicum Electorem Palatinum Anno 1519. missæ, fol. 161. E tabulariis Palatinis.

FRANCISCI REGIS Francorum *Legatio ad Principes Electores Francofurdium missa*, pro Suffragiis ad Imperium conciliandis Non. Iulii Anno 1519. fol. 167. Ex editione ipsius temporis.

HERMANNI COMITIS NVENARII in eisdem Comitiis *ad Senatum Electorum pro Carolo electo Rege Romanorum Oratio* perelegans: itemque ad ipsum Regem electum Gratulatio, nomine studiosorum Germaniæ, fol. 173. Ex eadem Editione.

IACOBI SOBII Legum Doctoris ad eundem Cæsarem exhortatoria nobilibus apud Francofurdiam iubentibus, fol. 183. Ex eadem.

PRINCIPVM ELECTORVM *Legatio ad Carolum Regem Hispaniarum*, decretum Electoris ad Romanum Imperium ei insinuans; qua functus est Fridericus Comes Palatinus in Molendino Regio Anno 1519. dicente Bernhardo Wurmsero I. C.

Cum



GEORGII SABINI BRANDENBVRGENSIS,

DE CÆSARIBVS GERMANICIS LIBRI DVO.

JOACHIMI CAMERARII EPIGRAMMA.

Οὐ μόνον ἀρεὰ θεοῖς ὕμνησεν πρόσθεν ὁμοίως
  Ἄνδρας ἀφ' ἱμερτῆς χῖος ἀοιδὸς ὀπός.
Οὐ μόνον ἀνδραγάθημα τ' ἐνὶ Θηβαΐδος ἔργοις,
  Οὐ δέγε ναυτιλίη νηὸς ἰησονίης.
Ἀλλὰ καὶ ἡγεμόνων ἀρετὰς ἄεισε σαβῖνος,
  Γερμανῶν ῥώμης δὶς παρέγεντο κράτος.
Οὔνοματ' ἔν παρέγεντο, τὸ δ' αὖ ἱερεῦσιν ἀληθὲς
  Δούλευσεν σειραῖς δέσμι ἀεικελίης.
Καὶ τόγε δὴ βασιλήων, ἄλλατε πολλὰ σαβῖνος
  Ἤεισεν γλυκερῷ καλλιόπης στόματι.

Idem latine interprete S. Stenio.

Non olim Heroum solus Mauortia facta
  Cantauit dulci carmine Mæonides.
Nec solum ad Thebas res gestæ fortiter olim
  Notæ, nec solum nauis Iasonia.
Nam quoque Germanos ornauit Musa Sabini,
  Quîs subiecta fuit Mattia Roma, duces.
Induperatores qui nomine, sæpe (vti notum)
  Turpia senserunt vincula Pontificum.
Nec tamen his solis laudandis fessa Sabini:
  Sed multis aliis, Calliopea fuit.

CAROLVS MAGNVS.

CAROLUS *antiquis Francorum regibus ortus,*
  Imperii meruit vindice sceptra manu,
Cum Desiderii fera contudit arma tyranni,
  Finibus Ausoniis qui metuendus erat:
Cumque rebellantes per multos Saxonas annos
  Traiecto domuit flumine, Mæne, tuo,
Excisis Auarum compescuit vrbibus Humos,
  Gens quibus asperior cognita nulla fuit.
Condidit & septem deductis Castra colonis,
  Pannoniæ celsis aspicienda iugis.
Atque Saracenos ab Iberi depulit vndis,
  Irrigat Hesperios huc vbi Batis agros.
Astrorum cursus, & fata regentia mundum,
  Scrutari solitus tempore pacis erat.
Addictusque fuit concessa per ocia Musis,
  Doctus in alternos cogere verba pedes.
Carmina, morte quibus Rolandum fleuit ademptum,
  Quatuor hæc eius nomine vulgus habet:
Tu patriam repetis, tristi nos orbe relinquis,
  Te tenet aula nitens, nos lachrymosa dies.
Sed qui lustra geris binos octo super annos,
  Ereptus terris, justus ad astra redis.

Teutones Arctois etiam quibus vtimur oris,
  Nomina bissenis mensibus ipse dedit.
Cum quater a decimo tria lustra peregerat anno,
  Vltima longæuum fata tulere senem.

LVDOVICVS PIVS.

Filius Imperii cepit Ludouicus habenas,
  Nomen ab insigni qui pietate tulit.
Hic studium pacis cum bella perosus amaret,
  Marte tamen clarus militiaque fuit,
Cymbrica sedato pacauit regna tumultu,
  Exitium fratri fratre mouente suo.
Compulit & sumptis absistere Britonas armis,
  Stricta iubens sæua ponere tela manu.
Expulit Ausonios & Tybridis vrbe Quirites,
  Qui caput exorta seditionis erant,
Felix, si sterili sobolem natura negasset,
  Nullus & vxoris cognitus esset amor,
Quos genuit natos, crudeles repperit hostes,
  A quibus heu captus vincula sæua tulit,
Mox tamen ereptus fatali carceris antro,
  Cepit honorata reddita sceptra manu.
Emeritam clausit supremo fine senectam,
  Mogus vbi Rheni cornua miscet aquis.

LOTHA-

LOTHARIVS I.

Laude nihil dignum famaque Lotharius egit,
Intulit iniustus fratribus arma suis.
A quibus aduerso belli certamine victus,
Tristia cum turpi damna pudore tulit.
Dignus hic iniustis solet exitus esse tyrannis,
Impius in tantum quos scelus error agit:
Nominis vt fama, regnique cupidine ducti,
Horrida cum proprio sanguine bella gerant.

LVDOVICVS II.

Regia defuncti Ludouicus sceptra parentis,
Imperii summo dignus honore tulit,
Vandalicæ fregit, superato principe gentis,
Instabiles animos, instabilemque fidem.
Huius vt in duro virtus est cognita bello,
Sic etiam miti cognita pace fuit,
Ingenuas coluit studiis ac sumptibus artes,
Quæ multis odio Regibus esse solent.
Tempore Cæsareas à quo suscepit habenas,
Bis geminis lustris additus annus erat,
Ausoniis placida cum morte quieuit in oris:
Insubrum celebri conditus vrbe iacet.

CAROLVS CALVVS.

Carolus Imperii fraudauit honore nepotes,
Qui licet iniustus, vir tamen acer erat.
Deuicit Ligurum populantes æquora Mauros,
In celerem vertens barbara terga fugam,
Et procul occiduo submotos orbe Britannos,
Compulit optatæ pacis amore frui.
Mincius Andinos vbi flumine proluit agros,
Mixta bibit medici fraude venena sui.

CAROLVS CRASSVS.

Crassus ab infesto semouit Pannonas Istro,
Cimbrica victrici fudit & arma manu.
Sed quam fortis erat primis & strenuus annis,
Tam senio factus mollis inersque fuit.
Regis ob ignauam priuatus nomine vitam,
Turpiter Imperio decidit ipse suo.

ARNOLPHVS.

Aspera cum Cimbris Arnolphus prælia fecit,
Quos patria domitos victor abegit humo:
Gallica qui longo vastantes oppida bello,
Non leuis Imperio causa timoris erant.
Cepit & Ausoniam depulsis ciuibus vrbem,
Templaque militibus diripienda dedit:
Quas meruit, iustas soluit pro crimine pœnas:
Syllanis moriens vermibus esca fuit.

LVDOVICVS III.

Tertius indomitis Ludouicus victus ab Hunnis,
Multa tulit forti non patienda viro.
Perdere vindicibus quos vltor debuit armis,
Turpiter his empta pace tributa dedit.
Ingressus modico Veronæ milite portas,
Venit in hostiles, captus ab vrbe, manus.
Supplicioque graui membris genitalibus orbus,
Est datus, Insubrum rege iubente, neci.

CONRADVS I.

Marte ferox Scythicis Conradus restitit Hunnis,
Atque neci victor millia multa dedit.
Ænus ab Alpina præceps vbi rupe volutus
Humectat gelidis Norica rura vadis,
Francorum veteri postremus origine Cæsar,
Stirpe fuit gentis deficiente suæ.

HENRICVS AVCEPS.

Cum sine legitimis defuncto Cæsare natis,
Regia progenies nulla superstes erat,
Albis ad Arctoas Henricus transtulit vndas
Sceptra, Luitholdo Saxone natus auo.
Fallere quod volucres laqueis viscoque solebat,
Aucupis aucupii nomen ab arte tulit.
Hic domitis cogens mitescere cornibus Istrum,
Norica vastatis oppida cepit agris,
Misniacis celebri fama notissima terris.
Vrbs vetus, à Martis nomine dicta iacet,
Ad quam Pannonici contundens agmina regis,
Barbare te patria depulit Hunne sua.
Effera quid posset virtute Bohemia, sensit,
Inque fugam celeri Dalmata versus equo.
Marchiacæ pariter sensit ferus incola terræ,
Structa super ripas vrbs & Hauele tuas,
A duce quam Brenno fundatam Teutones olim,
Vandalici sed tunc incoluere duces,
Vt foret insignis victoria nota triumphi,
Laudibus hic statuit digna trophæa suis.
Conditor erexit celsi fastigia templi,
Quod de Christipara Virgine nomen habet.
Mortuus est senos vbi quinque bis egerat annos,
Non habuit longo tempore Roma parem.

OTHO MAGNVS.

Saxonicis domitos Otho finibus expulit Hunnos,
Quos pater Augusta vicerat ante manu:
Hosque reuertentes ingenti clade peremit,
Hic vbi Suevorum perfluit arua Lycus.
Centum vulneribus ceciderunt millia, septem
Vix sibi difficili consuluere fuga.
Bella lacessitus cum fratre domestica gessit:
Ad Rheni victor quem superauit aquas.
Hostilique truces inuadens Marte Bohemos,
Subdidit imperio regia sceptra suo,
Ausus & inuito Romam censere Senatu,
Prisce dedit populo iura Quirine tuo.
Pastoremque Dei lacero præfecit ouili,
Qui pius ac tanto munere dignus erat.
Cepit & Insubrum deuicto mœnia Rege,
Ticini ferro depopulatus agros.
Argiuum Calabris eiecit montibus hostem,
Et Beneuentanum depulit orbe ducem.
Marte rebellantes Heduos Gallosque subegit,
Ingressus fines Sequana terra tuos.
Vicit & Hectorea natos ab origine Francos,
Imperii nobis qui peperere decus.
Mogus vbi inuicto miscet sua flumina Rheno,
Et generi, & nati contudit arma sui.
Inuida quæ longo tellus absconderat æuo,
Eruit Hercinitis prima metalla iugis.
Albiacis vrbem vicinam condidit vndis,
Quæ de Virginibus nomen adepta tenet.
Clara sub hoc meruit Germania principe, laudis
Quidquid habet Latium, Græcia quidquid habet.

OTHO SECVNDVS.

Nec fuit inferior primo virtute secundus,
Multa domi gessit prælia, multa foris.
Danubius rapidis vbi Norica perfluit vndis
Iugera conseruit cum patruele manus,
Ipsius ambibat qui seditiosus honores,
Factus & iniusto Marte rebellis erat.
Sole coloratos Mauros, Numidasque feroces,
Finibus eiecit Daunia terra tuis.
Victa triumphalem dedit illi Græcia palmam,
Infectasque sua Gallia cæde manus.
At nauale gerens externo milite bellum,
Incidit in Siculas proditione rates
Captus vbi docto prædones ore fefellit,
Quod potuit Graio reddere verba sono.
Æqua solo posuit Beneuenti mœnia flammis,
Hac quod ab infida proditus vrbe fuit.
Passa sub hoc longum Germania Cæsare frigus,
Pene fuit sæuo tota perusta gelu.
Tempore quo calcat maturas vinitor vuas,
Bruma repentinas sparsit oborta niues.
Et concreta suum tenuerunt flumina cursum,
Donec hyems tepido vere soluta fuit.
Cæruleus leni quam perfluit agmine Tybris,
Mortuus extremum clausit in vrbe diem.

OTHO III.

Venit ad Imperium teneris Otho tertius annis,
Imperio nondum cum satis aptus erat.
Sed matura virum quo tempore fecerat ætas,
Nec patre, nec forti degenerauit auo.
Germano Latias ingressus milite terras
Romulea cepit mœnia facta manu.
Crescentemque illic hostilibus obruit armis.
Cæsaris Æneadæ quem coluere loco.
Victor & eripuit, belli certamine capto
Pontifici fossis lumen vtrumque genis.
Nil veritus summi quod ianitor esset Olympi,
Cælestes posset qui reserare fores.
Vt penes immensi nos tota potentia mundi,
Semper & Imperii gloria summa foret.
Regia constituit quibus est electio curæ,
Præcipua septem nobilitate Duces.
Teutonicaque genus qui non ab origine ducunt,
Hæredes vetuit nominis esse sui.
Legibus acceptum Germania debet Othonis
Ferre, quod Imperii laudibus aucta manet,
Et quod adhuc nostri viget integra gloria regni.
Gloria, Francorum quam peperere manus.

HENRICVS CLAVDVS.

Cum priuatus adhuc princeps Henricus agebat,
A patruele suo victus Othone fuit.
Sed postquam summos est Cæsar adeptus honores,
Auspiciis gessit prospera bella suis.
Conjugis edomuit fratrem, semperque rebellis
Ipsius est facti milite capta Metis.
Cinxit & infestis Gandaui mœnia signis,
Tempore quo subiit Flandria victa iugum.
Oenotriis hostes Argiuos expulit oris,
Contudit & Phrisios Marte fauente duces.
Sarmatica iunctos fudit cum gente Bohemos,
Omnes Vandalici fregit & hostis opes.
Rege sub hoc, veterum cultus exosa Deorum,
Pannonis est Christi terra professa fidem.
Magnus & insolitis arsit feruoribus æstus,
Ortus vbi verno tempore Maius erat.
Sole laborantes vssit sitis arida campos,
Ac periit culmis languida facta seges.
Vnde per Europam victus annona negauit,
Pestis & est longam dira sequuta famem.
Additus Henricus cum cœlite conjuge Diuis,
Annua promeruit numine festa suo.

CONRADVS II.

Signa pharetratos mouit Conradus in Hunnos,
A quibus infesto Marte petitus erat.
Versaque pugnaces Heduos dare terga coegit,
Quos Burgundiones tempora nostra vocant.
Sarmaticum regem dum fortibus adiuuat armis,
Qui patriis exul sedibus actus erat:
Sæpe triumphatos affecit clade Polonos,
Sæpe Bohemorum cæde repleuit humum.
Vda paludosis habitatur terra Sicambris,
Martia vulgatum Geldria nomen habet:
Æger in hac obiit supremo funere mortem,
Imperium nato suscipiente suo.
Rhenus vbi Nemetum veterem præterfluit vrbem,
Conditus in diuæ Virginis æde iacet.

HENRICVS NIGER.

Pannonio geminos Henricus ab hoste triumphos
Contusis retulit viribus, Hunne, tuis.
Non negat algenti Sauus id conterminus Istro,
Purpureum cuius sanguine flumen erat.
Compulit & fortes celeri virtute Bohemos,
In sua submissas tendere iura manus,
Hic vbi flauentes exæstuat Albis arenas,
Et celer vndoso gurgite Mulda fluit.
Vicit & extremos Morinos, Belgasq́; potentes,
Dedita tunc studiis gens ea Martis erat.
Nunc agit imbellem discincta per ocia vitam,
Mutandisque suas mercibus auget opes.
Tres quoque Pontifices Romana sede potitos,
Arbiter Ausonia cedere iussit humo.
Quaque graues olim belli motura tumultus
Causa fuit, nato perniciosa suo:
Sedis Apostolicæ proceres iurare coegit,
In patriam fecit cum rediturus iter:
Vt quicunque sacri munus pastoris obiret,
Cæsaris electus voce probante foret.
Qua situs est genitor, requiescit in Vrbe sepultus,
Ad liquidas Rheni prætereuntis aquas.

HENRICVS IV.

Gregorium sacræ priuauit honore cathedræ,
Quod magicæ studio deditus artis erat.
Et contra mandata sui legesque parentis,
Pauit Apostolico munere functus oues,
Cumque rebellarent antistitis arma secuti,
Qui ripas habitant Saxones Albi tuas.
Vastatos incendit agros, pœnamque coegit
Oppida vindictæ capta subire suæ.
Vltus & est digna mulctatum cæde Rodolphum,
Carmine cum tali qui diadema tulit;
Petra dedit Petro, Petrus diadema Rodolpho:
Munus enim falsi Præsulis istud erat,

Hunc

Hunc vbi proſtratus violenta morte iacebat,
Delicti puduit pœnituitque ſui.
Tam quod ob indignam deſerto Principe cauſam
Impia pontificis iuſſa ſecutus erat.
Scilicet aſpiciens mutilatam vulnere dextram,
Talia mœrenti pectore verba dedit.
Ergo quod iniuſtus cum Cæſare prælia feci,
Bellaque ſuſcepi Marte nephanda meo,
Iuratamque fidem manus hæc ſcelerata feſellit,
Perfidiam pœnâ conueniente luo.
Poſt ducis interitum ſupremaq; fata Rodolphi,
Cæſar vbi facta pace quietus erat;
Imperio nati crudelibus excidit armis.
Res ea Pontificis fraude peracta fuit.
Exul apud Belgas lumen vitale reliquit,
Defuncti Nemetum corpus in vrbe iacet.
Teutones hoc Solymam viuente recepimus vrbem
Cæſare, quæ longo tempore capta fuit:
Quam ferus Ægypti regnator ademerat armis,
Imperio Memphis ſubdita cuius erat.

HENRICVS V.

Iuſta tulit natus ſcelerati præmia facti,
Proque ſua pœnas impietate dedit.
Quem prius adjutum ſociis defenderat armis,
Deteſtanda gerens cum patre bella ſuo.
Terribiles huius diras & fulmina ſenſit.
Hæc ſolet Auſonii præſulis eſſe fides,
Cæſar at æquali fraudem mercede rependens,
Fecit in Italiam cæde cruentus iter,
Omnia concutiens vbi triſtibus oppida bellis,
Hoſtili Latios igne cremabat agros.
Martia quæ iactat ſe nomine Roma Quirini,
Plena cadaueribus, ſanguine plena fuit.
Diſcedenſque ſui crudelia ſigna furoris
In patriam victor cum referebat humum,
Vincula pontificem captiui more gerentem,
Ante triumphales ire coegit equos.
Quatuor hoc vno ſignantur marmora verſu,
Quo ſitus in Nemetum conditur vrbe loco:
Filius hic, pater hic, auus hic, proauus jacet iſtic,
Marmora viſuris inſpicienda patent.
Surgit vbi diuæ templum venerabile Matris,
Quæ ſacra virgineo pondera ventre tulit.

LOTHARIVS SAXO.

Saxo rebellantes virtute Lotharius vrbes
Compulit imperii fœdus inire ſui.
Hoſtilem domuit Capuam, domuitque Cremonam,
Multaque diuerſis oppida capta locis.
Addua quà gelidis, quà perfluit Aufidus vndis,
Ac taurina gerens cornua fronte Padus,
Noricus vltori Pegneſidos accola ripæ,
Obſeſſa domitam tradidit vrbe manum,
Captaque de Nemetum victorem plebe triumphos
Spira coronatis ducere vidit equis,
Formidanda ſui ſpernentem fulmina Martis,
Te quoque Cæſareo ſubdidit Vlma jugo.
Nec minus vrbanas ad pacis idoneus artes,
Fortia quam belli promptus ad arma fuit.
Reſtituit veterum neglecta volumina legum,
Inque ſcholis juſſit publica jura legi,
Quæ prius obſcura ſub nocte ſepulta jacebant,
Plenaque ſqualebant puluere plena ſitu.

Ipſe ſuo dictam de nomine condidit vrbem,
Mortuus in patria qua requieſcit humo.

CONRADVS SVEVVS.

Magnanimos Conradus agens in prælia Sueuos,
Ad Solymas longum per mare fecit iter.
Aduentuſque ſui formidine terruit hoſtem,
Victor Idumæam qui populatus erat,
Vindice quem dextra Iordanis ab amne fugauit,
Humectat Pharios hic vbi Nilus agros.
At celebri partum ducturus laude triumphum,
Cum reduci patriam claſſe petebat humum,
Nomen vbi ponto Nepheleias induit Helle,
Vaſtus & Euxinas Boſphorus arctat aquas;
Perdidit inuictas amiſſo milite vires,
Hoſpitis indigna proditione ſui.
Ergo nec immeritas, expendit Thracia pœnas,
Nunc ab inhumanis capta Boryſthenidis.
Suſtinet Imperium Getici crudele tyranni,
Quod fuit in juſtos fraude maligna duces.

FRIDERICVS BARBAROSSA.

Inclyta Germanæ Fridericus gloria gentis,
Ingenio duri Martis amante fuit.
Sedibus ac regno Guelphos ejecit auito,
Pingue Cheruſcorum qui tenuere ſolum.
Saxonici pulſis quibus Electoris honores
Abſtulit, Aſcaniæ principibuſque dedit.
Quos tribus Auguſtis natos ab Othonibus, aiunt
Nobile Cæſarei ſanguinis eſſe genus,
Eruit Inſubrium disiectam funditus vrbem,
Tempore quo ſummi præſulis hoſtis erat.
Remque breui geſtam ſignari carmine juſſit:
Hic ſtetit Inſubrium nobile gentis opus.
Mos antiquus erat, qui publica commoda pacis
Cæſare turbaſſet bella gerente foris,
Totius imperii reus inſpectante ſenatu
Vt canis impoſitum corpore ferret onus.
Ergo quod Italicis dum concita geſſit in oris
Bella, Palatinus mouerat arma domi:
Hunc licet inuitum detrectantemque coegit
Inclyta per Nemetum mœnia ferre canem.
Impoſuitque duci nomen regale Bohemo,
Qui ſua militiæ ſigna ſecutus erat.
Cuius in ambiguo ſæui diſcrimine Martis
Sæpe fuit virtus, ſæpe probata fides.
Cum Veneto geſſit quo tempore bella ſenatu,
Procubuit ſummi Præſulis ante pedes:
Supplice delicti veniam quibus ore precatus
Oſcula cum turpi fixa rubore dedit.
Terrarum dominum quid inani ludere faſtu
Iuuit Pontificem, Roma ſuperba, tuum?
Armeniæ vitam ſubmerſus in amne reliquit,
Fortia cum ſæuis intulit arma Getis.
At niſi crudeli præuentus morte fuiſſet,
Imperii fines vltima Bactra forent,
Hoſtis &, Europæ qui nunc affectat habenas,
Vix Aſiæ minima parte teneret humum.
Hoc ſtetit, hoc cecidit Reſpublica Cæſare Chriſti,
Quæ ſine nunc vllo vindice lapſa iacet.

HENRICVS VI.

Triſtia ſubmerſi natus poſt fata parentis,
Regia concordi ſceptra fauore tulit.

Obsidione premens Vbiorum mœnia cinxit,
Vltus & est capta præsulis vrbe fidem.
Qui Burgundiacæ confisus robore gentis,
Imperii lapsas despiciebat opes.
Edomuit victor Calabras & Japygis oras,
Pulsaque Sicanio Trinacra regna mari.
Sunt vbi Cyclopum fumantibus antra caminis,
Vrget & Encelati molibus Ætna caput.
Cujus anhelanti prorumpunt ore fauillæ
Brachia cum sæuo fulmine tacta mouet.
Funeris ante diem nato commisit habenas,
Imperium certo ne sine Rege foret.

PHILIPPVS.

Cæsarea pepulit de sede Philippus Othonem,
Proque suo regni frena nepote tulit.
Donec is vtilibus crescens adolesceret annis,
Qui patris electus tempore Cæsar erat.
At Romana pium damnauit curia Regem:
Curia quæ nunquam Regibus æqua fuit.
Cæsaream stygiis animam deuouit & vndis:
Præsul enim pulsi fautor Othonis erat.
Motus ob id sæuos tulit arma Philippus in hostes.
Consilio quorum res ea gesta fuit.
Diripuit captas Vbiorum præsulis vrbes,
Qui totius erat fons & origo mali.
Tyrigetasque acres domuit, quos nostra Doringos
Barbara corrupto nomine lingua vocat.
Post varios belli casus, actosque labores.
Dum secura trahens ocia solus agit,
Ac jubet incidi turgentem sanguine venam,
Traditus occubuit militis ense neci.

OTHO IV.

Summus ad imperium Præsul reuocauit Othonem,
Mox vbi sublatus cæde Philippus erat.
At Deus exegit pœnam iustissimus vltor,
Cæsareas paruo tempore rexit opes.
Excidit imperio Romani fulminis ictu,
Læsus vbi spreto numine Præsul erat.
Hic quibus incessit dominandi praua cupido,
Exitus iniustis Regibus esse solet.

DE CÆSARIBVS GERMANICIS LIBER II.

FRIDERICVS II.

Imperium pulso Fridericus Othone secundus
Cepit, vbi natus bis duo lustra fuit.
Quem prius exosum Romanus præsul habebat.
Cum regale puer nomen adeptus erat.
Legitimusque patri succedere debuit heres
Præripiente fero munus Othone suum.
Sueuus hic Argolicis potuit depromere verbis,
Omnia quæ voluit scribere siue loqui.
Eque Saraceno versos sermone libellos
Transtulit in linguam Roma diserta tuam.
Marte Brabantiacas vrbes populosque rebelles,
Atque Lotharingos contudit; acre genus.
Adductoque procul ferientes Pannonas arcu,
Quos Sauus & gelidis asperat Ister aquis.
At dum vindicibus repetitas asserit armis,
Quas sacer imperii præsul habebat opes;
Ianitor intumuit cœlestis Honorius aulæ,
Formidata mouens numinis arma sui.
Offensi metuens Fridericus Præsulis iram,
Posset ab hostili tutus vt esse dolo;
Imperii natum consortem in sede locauit,
Falsa sed heu quantum pectora fraudis habent.
Natus ad infestum desciuit perfidus hostem,
Quo patris adiutor tempore factus erat.
Captus ob id facinus, vinclisque coercitus arctis
Supplicio pœnas conueniente dedit.
Expulerat Solymum Nili ferus accola regem;
Cæsaris implorans ille petebat opem,
Cæsar Idumeas cum classe profectus ad vrbes,
Auxilium regi Marte fauente tulit.
Sed procul externis dum belligeratur in oris,
Ausoniam Præsul fraude subegit humum.
Atque per insidias ab Hetruscis capta recepit
Oppida, Cæsareæ quæ ditionis erant,
Idcirco Solima Fridericus ab vrbe retractus,
Mouit in infidum Præsulis arma caput,
Effera tunc Italas turbauit factio gentes,
Factio perpetui noxia causa mali.
Partibus Augusti fautor Gibelinus adhæsit,
Pontificique tulit transfuga Guelphus opem.
Ipse suis Præsul sed cum diffideret armis,
Auxilio tutus posset vt esse Dei:
Regis in exitium templis decreta fuerunt
Mille sacerdotum murmura, mille preces.
At Deus iniustis obstruxit vocibus aures,
Irrita præcipites verba tulere Noti.
Qui pugnacis erant fera Præsulis arma secuti,
Cæsarea victi succubuere manu;
Euganei Phrygia Veneti de stirpe creati,
A quibus Adriacum nunc mare nomen habet.
Interea Solymas hostis Mahometicus arces
Occupat: hæc illa commoda lite tulit.
Ergo quod à Scythico Iudæa subacta tyranno
Oppida synceram destituere fidem,
Quodque prophanatus locus est, vbi rector Olympi
Sanguine deleuit crimina nostra suo;
Hoc Romana tua debetur curia fraudi:
Præsulis hæc bellum culpa gerentis erat,
Qui nisi victoris remoratus cœpta fuisset,
Acta sub imperium Caspia regna forent:
Impia sensisset Sueuorum Turcia vires,
Ac dominus Nili Rhene futurus eras.
Pulsus ab infestis sed cum Ptolomaide Turcis,
Teutonicæ miles nobilitatis erat:
Adversus Scythiæ populos Asiæque relictus
Cæsare qui Solymis digrediente fuit,
Vicit adorantes Idola vetusta Borussos,
Æquor vbi canis succina gignit aquis,
Ipse sed æthereas qua morte reliquerit auras.
Non perhibet certam cognita fama fidem.
Si quid habent priscis annalibus edita veri,
Creditur extremam non obiisse diem.
Arx vetus est, primus fundasse Lotharius illam
Fertur, ab authoris nomine nomen habet.
Istic rumor ait somno dormire solutum,
Ante nec effœto corpore posse mori.
Quam Geticus Solyma pellatur ab vrbe tyrannus;
Cæsareumque ferat Turcia capta iugum.

Huius enim viua sub Regis imagine spectrum,
Conspicitur tepido membra fouere toro,
Frigida cum medio voluuntur sidera lapsu,
Et subuecta rotis nox tenet atra polum.

CONRADVS IV.

Mortuus in tristi cum carcere filius esset
Regis, ab offenso qui patre captus erat:
Frater adoptatus fratris Conradus honores
Auspicio regni prosperiore tulit.
Hic cum Tyrigetis ad Mœnum prælia fecit,
Dura gerens forti pro patre bella manu.
Sed fuit à summo deuotus Præsule diris,
Dum negat illius iussa superba sequi.
Vrbs vbi Parthenope sublimibus ardua muris
Surgit, & æquoreis pulsa feritur aquis,
Reddidit expirans animam, natoque reliquit
Frena parum fausta suscipienda manu.
Deficiente suæ qui stirpe propaginis hæres,
Vltimus ex tota gente superstes erat.
Hunc Papa crudeli violenter cæde necauit:
Sueuia principibus sic fuit orba suis.
O faciles animos & mitia pectora Regum,
Hæc à Præsulibus quod potuere pati.
Iustitiæ ficto quoties te nomine iactas,
Hoc agnosce tuum crimine Roma scelus.

GVILIELMVS.

Dum gerit incautis bellum temerarius armis,
Nec satis instructo prælia Marte facit:
Occidit à Phrisio Guilhelmus milite cæsus,
Per geminos annos vix vbi sceptra tulit.
Huius ab interitu sedes sine Rege vacauit,
Dum tria sunt annis addita lustra tribus.
Interea magna fremuit Germania motu,
Factaque sunt multis prælia multa locis,
Cum duce dux bellum, princeps cum principe gessit:
Vlla nec vrbs solida pace quieta fuit.
Scilicet vt certo naues rectore carentes,
Obruit insani fluctus & unda maris:
Sic labefactatur belli ciuilibus vndis
Imperii sedes, cum sine Rege vacat.

RODOLPHVS.

Composuit mitis ciuilia bella Rodolphus,
Temporibus pacem restituitque suis.
Marte Doringiacas latronum subruit arces,
Aduena frugiferos qua Sala findit agros,
Vltus & est iustis Othocarem fortiter armis.
Regna sub arbitrio Vandala cuius erant.
Boiorumque ducem domuit, Sueuumque ferocem.
Qui duo cum gemino cornua pisce gerit.
Norica finitimis iacet vrbs contermina Francis:
Diuitiis vsquam vix habet illa parem.
Huius honorificum titulum nomenque Rodolphus
Principibus dono, cum regione dedit.
Qui piscosa tua dominantur Marchia terra,
Ac titulos hodie Noridos vrbis habent.

ADOLPHVS.

Austriaco bellum cum principe gessit Adolphus,
Sceptra trucidatus quo capiente fuit.
Hic vbi Vangionum sedes vrbemque vetustam
Alluis instabili Rhene bicornis aqua.
Quæ fuit antiquis habitata Gigantibus olim,
Corpora cum tellus prodigiosa tulit.
Vt testantur, ibi grauibus quæ nexa cathenis
In medio pendent ossa stupenda foro.
Qualia Trinacrio memorant subiecta Peloro
Grandia congestis molibus ossa premi.
Quin & Misniacæ Fridericus Marchio terræ,
Qui profugæ morsus dente parentis erat:
Hunc fera miscentem superauit prælia victor,
Mœnibus angustis vrbs ubi parua iacet,
Tyrigetis fortes qua limite separat Hessos,
A crucis & nomen monte vocata tenet.

ALBERTVS PRIMVS.

Intulit Albertus violentis arma Bohemis,
Attribuens nato regna tenenda suo.
Et Moguntiaco gessit cum principe bellum,
Cum duce quod Bauaro fœdere iunctus erat:
Qui cupidus regni summos ambibat honores,
Contudit hostili victor vtrunque manu,
At misere periit iugulatus fraude nepotis,
Qua iacet Austriaci fertilis ora soli.
Vtque parum iustis armis oppressit Adolphum,
Sic obiit cæsus vindicis ense necem.

HENRICVS VII.

Quæ florente statu rerum Florentia nomen
Vrbs tenet, ac ripis adiacet Arne tuis,
Cæsaris Henrici parere negabat habenis,
Freta suis opibus, robore freta suo,
Hanc vbi vindicibus cinctam legionibus vrbem
Ipse subacturus fulmine Martis erat:
Thuscia conduxit sceleris mercede ministrum,
Dominici tonso de grege frater erat:
Toxica qui præbens illi sub corpore Christi,
Manducanda sacro pane venena daret.
Allatura piis mortalibus esca salutem,
Causa necis Regi perniciosa fuit.

LVDOVICVS BAVARVS ET FRIDERICVS AVSTRIACVS.

Regibus incessit discordia magna duobus.
Summa quibus rerum tradita cura fuit.
Aspera collatis inierunt prælia signis,
Qua celer humectat Neccarus arua vadis.
Attulit optatam Bauaro victoria palmam:
Austriaci vires succubuere ducis.

CAROLVS IV. ET GVNTHERVS.

Hos quoque sæua duos elegit factio Reges:
Sed lis alterius morte dirempta fuit.
Inclyta qua Mœni lapidosis adiacet vndis
Vrbs à Francorum nomen adepta vado,
Acria ciuili moturum bella tumultu
Funere Guntherum mors properata tulit.
Qui ramosa gerit velocis cornua cerui,
Indomiti fregit Carolus arma ducis.
Gymnasiumque recens ad flauum condidit Albim,
Hic vbi turrito culmine Praga iacet.

VENCESLAVS IGNAVVS.

Pigra quod ignauo traduxerit ocia luxu,
Nactus id à vita deside nomen habet.
Gloria non illi, sed turpis inertia curæ,
Atque saginato corpore venter erat.

Militiam fugit, pacis virtute nec vnquam
Egregio dignum principe fecit opus,
At piger ingluuiem dapibus vinoque replebat,
Et graue distenti ventris alebat onus.
Omnibus inuisus, ceu detestabile monstrum,
A proprio captus vincula fratre tulit.
Hoc inuenta fuit sub Cæsare machina belli,
Cuius ab impulsu mœnia quassa ruunt,
Concipiens rapidum qua fomite sulfuris ignem,
Acta procul nitri puluere saxa iacit:
Atque coruscantis flammas imitatur Olympi,
Æthera terribili concutiente sono:
Ceu vibrata cadunt trifidis vbi fulgura telis,
Hoc sibi Germanus vendicat autor opus.

ROBERTVS.

Insuber infregit Galeatius arma Roberti,
Cum tulit auxilium gentibus Arne tuis,
Pro quibus aduersi discrimina Martis adibat,
Victor vbi Tuscos est populatus agros.
Inclyta qua doctis iacet Heydelberga Camœnis,
In patria leni morte quieuit humo.

SIGISMVNDVS.

Terra iacet gelido sub sidere Mænalis vrsæ,
Terra paludosis inuia fluminibus:
Marchia nunc, quondam sed dicta Nomarchia Græcis
Est, & ab Imperii præside nomen habet. *
Summus enim præses Romani Cæsaris olim
Argolica dictus voce Nomarcha fuit,
Vnde quidem prisci vestigia nominis extant,
Vna sed est primo littera dempta loco,
Tempore quo pugnax rapuit Germania Drusum,
Indigenas Sueuos hic habitasse ferunt.
Hoc Sprea testatur gelidis vberrimis vndus,
Qui veteri dictus nomine Sueuus erat.
Cæruleum cuius perlabitur agmen aquarum,
Hanc & arenoso flumine radit humum.
Post, vt ab Augusto deducti Cæsare Sueui
Mutauere, prius quos tenuere, lares;
Teutonibus pulsis, multos habitata per annos
Vandalicis regio gentibus ista fuit.
Donec ab aucupio nomen qui dictus habebat,
Cæsarea meruit sceptra tenere manu,
Expulit externos hoc vindice Marchia reges,
Vrbis vbi fractas debilitasset opes,
Quam bibulæ dirimit sulcator Hauelus arena,
Humida qui patriæ perfluit arua meæ,
Hæc nisi clara suis Heroibus ante fuisset
Terra, Sigismundo principe clara foret,
Natus enim veteri magnorum sanguine Regum,
Is prius Arctoæ Marchio gentis erat:
Quam vel Pannonia fuit accersitus in oras,
Aut regni tenuit frena Boheme tui.
Mitis vt optata concordia pace coiret,
Cum sacra plena diu curia litis erat:
Concilium solenne Patrum Regumque vocauit,
Qua fuit Hus duram passus in vrbe necem.
Tres ibi Romano solio priuauit iniquos
Pontifices, inter quos graue schisma fuit.
Signa Borysthenidas vltricia mouit in hostes,
Marte sed aduerso tristia damna tulit.
Ingenuas habuit summis in honoribus artes,
Atque viris doctis munera multa dedit:
Cum qiubus interdum conuiuia latus agebat,
Ex humili quamuis ordine plebis erant.
Sicque suos proceres hortari sæpe solebat,
Artibus vt vellent incubuisse bonis:
Fama per ingenuas & gloria quæritur artes,
His fauor ac regum conciliatur amor.
Ipse sed incertis patrias hæredibus vrbes
Morte relicturus cum sine prole foret:
Marchiacas dono Friderico tradidit oras,
Inclytus is præses Noridos vrbis erat:
Bellaque vindicibus pro Cæsare gesserat armis,
Tunc vbi Pannonio captus ab hoste fuit,
Teutonici genitor fuit hic Fridericus Achillis:
Cuius & hic paucis versibus acta canam.

ALBERTVS MARCHIO BRANDENBVRGENSIS, GERMANICVS ACHILLES APPELLATVS.

Qualis erat, quantusque fuit bellator Achilles,
Hectora qui circum Pergama traxit equis.
Talis erat, tantusque fuit victricibus armis,
Qui ducis Æacidæ Marchio nomen habet.
Militiæ teneris hic castra sequutus ab annis,
Conseruit fuso sæpius hoste manus,
Quam plerique duces belli sub imagine ficto
Ludicra viderunt prælia Marte geri.
Nec fugiens vnquam tergo, sed pectore semper
Fortis in aduerso cognitus hoste fuit.
Ora manusque gerens, concissaque brachia ferro
Mille cicatrices, vulnera mille tulit.
Inuictos domuit popolos, gentesque feroces,
Frigida quas rigidis educat Vrsa plagis:
Quas niue duratas & Rheticus asperat Ister:
Non tulit in molles strenuus arma viros,
Quæ preciosa legit canis electra sub vndis
Prussia, Sarmatico limite iuncta solo.
Ipsius audito tremuit clangore tubarum,
Victaque pugnaci milite terga dedit.
Ipsius attoniti fugerunt arma Poloni,
Territa montanum ceu fugit agna lupum,
Norica qua duris viget artibus inclyta belli,
Istius vrbs nouies Marte cruenta fuit,
Adde quod Hussias compescuit: adde quod agmen
Silesii pepulit victor equestre ducis.
Qui parere ferox, illique subesse negabas,
Contudit ac forti te Pomerane manu,
Bella sed assiduo licet irrequietus agebat,
Si qua fuit, nunquam pax odiosa fuit,
Huius adhuc viuunt gemini de stirpe nepotes
De quibus hoc addam pauca, sed apta, loco.

* In Editione Poematum Sabini Argentoratensi A. 1538. in 8uo facta, hi versus ita concepti:
Nomen ab antiquis tenet inclyta Marchia Marsis
Quos ibi cum Sueuis tunc habitasse ferunt.
subsequentes uero quatuor omissi sunt.

IOACHIMVS PRIMVS ELECTOR MARCHIO BRANDENBVRGENSIS.

Quæ Ioachime tuis præconia laudibus addam.
Qui trahis à magno natus Achille genus?
Nam tua promeruit tantam facundia laudem,
Magnanimi quantam dextera fortis aui,
Os quoties cœleste moues linguamque disertam,
Exuperas dulci Nestora voce senem,
Suavior hyblæo tibi copia melle redundat,
Verbaque ceu densis imbribus acta fluunt.
Te mirata frequens fuit vrbs Augusta loquentem,
Rhetoris imposuit cum tibi Cæsar onus.
Ipse nec es patrio tantum sermone disertus,
Cuncta potes Latio, quæ cupis, ore loqui.
Edita testatur cultis oratio verbis,
Omnibus ingenii nomine grata tui.
Nec varias piguit rerum te discere causas,
Quæ sacra cœlestis semina mentis habent,
Quas honor antiquis Ægypti regibus olim,
Summaque principibus gloria nosse fuit.
Cognita siderei tibi sunt animalia cœli:
Præscius & longe fata futura vides.
Cumque bonis faveas studiis, ac rebus honestis,
Ingenuas artes qui coluere, colis.
Quos vt ab Hetruscis Mecænas regibus ortus,
Sic tua profusis sumptibus aula fouet.
Atria struxisti doctisque palatia Musis.
Auspiciisque recens est schola cœpta tuis:
Hic vbi Marchiacos disterminat Odera fines,
Ac tua Sarmatico iungitur ora solo.
Nec diuina tui clementia pectoris vnquam
Bellica ciuili prætulit arma togæ.
Publica tranquillæ conseruas ocia pacis:
Nullaque funesti prælia Martis amas,
Hæc te semideis virtus Heroibus æquat:
Non habet hoc similem tempore Roma tui.

ALBERTVS CARDINALIS ELECTOR, ARCHIEPISCOPVS MOGVNTINVS, ET MARCHIO BRANDENBVRGENSIS.

Nec te carminibus nostris Alberte tacebo,
Nobile Præsul aui nomen adepte tui.
Ipsa gubernatrix caput & Germania mundi,
Quo nihil, excepto Cæsare, maius habet.
Omnis cura tibi magnarum tradita rerum,
Inque tuis humeris grande recumbit onus.
Te medium pacis te conditionibus offers,
Teutonis armorum dum pauet ora metu.
Dumq; ducum tacitæ fraudes, & operta tumescunt,
Bella domi, nobis, bella timenda foris;
Et sacra turbatur variis Ecclesia sectis,
Omnia mixta quibus fanda nephanda iacent.
Ergo quod exultant securis publica terris
Ocia, suppresso bellaque Marte silent:
Quodq; gravi nondum Germania mota tumultu,
In sua conuertit viscera cæde manus:
Sed debere tuis meritis Alberte fatentur,
Compositæ quotquot commoda pacis amant.
Ne qua sed existat metuendi causa furoris,
Afflictis fidei rebus & affer opem.
Induat vt verum pietas renouata nitorem,
Quæ modo dissidiis tot labefacta ruit,
Quod si composito per te sublata tumultu
Schismata turbatæ relligionis erunt:
Donec adorabit nomen Germania Christi,
Laudis erit nunquam fama caduca tuæ.

ALBERTVS II. CÆSAR.

Contulit Alberto regale Bohemia sceptrum,
Ac subiecit opes Pannona terra suas:
Nupta quod illius thalamo, lectoque iugali
Nata Sigismundi regis Elissa fuit.
Quæ velut exemplum Lucretia casta pudoris,
Aequabat morum nobilitate genus.
Teutonici ductu Thaboritas fudit Achillis:
Colluuies quædam gens ea plebis erat.
Templa Bohemiacis quæ disiiciebat in oris,
Atque sacerdotum diripiebat opes.
Illaturus erat Turcarum bella tyranno
Morte sed extinctus præueniente fuit.

FRIDERICVS TERTIVS.

Tertius vtilior Fridericus ad ocia pacis,
Aspera quam duri Martis ad arma fuit.
Quo Burgundiones Vbiorum depulit oris,
Teutonici bellum gessit Achillis ope.
Quæ dedit ars nobis impressos ære libellos,
Facta sub hoc primum Cæsare nota fuit.
Hæc, si temporibus priscis inventa fuisset,
Qua nihil vtilius totus hic orbis habet:
Nostra libris hodie frueretur pluribus ætas,
Defraudatæ quibus secula nostra carent.
Hanc operosa novam Moguntia protulit artem
Quæ celebris Magi nomen ab amne tenet.

MAXIMILIANVS.

Maximus occiduis fuit Aemilianus in oris
Captus ab indigenis, perfida Bruga, tuis.
Ipse sed ereptus celeri virtute parentis,
Vincula qua tulerat, mox tulit arma manu.
Depulit Hunniaden à sedibus vltor auitis,
Qui fuit Austriacis Marte potitus agris,
Signaq; regalem victricia mouit ad Albam,
Horruit inuicti Cæsaris arma Sauus.
Pannones euersis & submisere pharetris
Spicula, quæ ferro tinctile virus habent,
In Mahomethigenas deduxit & agmina Turcas,
A quibus affectus clade Liburnus erat.
Ante sed aggressus quam prælia miscuit hostem,
Densa metu pauidi terga dedere Getæ.
Contudit indomitum debellauitque Sicambrum,
Victa prius nunquam dextera cuius erat.
Norica vastantes occidit & arua Bohemos,
Marte Palatinas cum sequerentur opes.
Nec semel est vltus rumpentem fœdera Gallum,
Instabilem summi Pontificisque fidem.
Conscendens Tyrii ductoris & æmulus Alpes
Fudit in aeriis montibus Heluetium.
Quid loquar Enganeæ Venetum cum plebe senatum.
Quos domitos terra, quos superauit aqua?
Adriaci vasto trepidabant æquore nautæ,
Mercibus ac plenas destituere rates,
Vrbis vbi victor Patauinæ mœnia cepit,
Tantus erat terror, tantus ubique metus.

Vltima post duros ærumnosósque labores
Fata pium terris eripuere senem.

CAROLVS V.

Diue quibus cælo te Carole laudibus æquem?
Carole non ipso, quem regis, orbe minor.
Cæsare quo maior, validisque potentior armis
Nullus ab Augusti tempore sceptra tulit.
Imperium terris, animos æquabit Olympo
Auspiciis fœlix Teutona terra tuis.
Qui prius ibat ouans Gallus plaudentibus alis,
Præda tuis Aquilis sanguinolenta fuit.
Signaque Ticini captus submisit ad vndam,
Militis inuicti robore fracta tui.
Clauigerique Petri sub nomine regna tenentem,
Arcta coegisti vincula ferre Papam:
Sæua cohortatus Venetum quod ad arma senatum,
Et noua cum Gallo fœdera pactus erat.
Tendere te Latias Florentia sensit in oras,
Sanguineo Martis fulmine capta tui.
Quæ confisa suis opibus, rebusque secundis,
Irridere tuum non metuebat auum:
Illum retrogradi cum tergo incidere cancri
Pinxerat, hoc titulo: Tendimus in Latium.
Turca, triumphato qui formidabilis Istro,
Barbara Germanis tela minatus erat:
Et cessura suo sperabat cuncta furori,
Iuratus patrios, numina vana, Deos:
Quod foret Euxinas nunquam rediturus ad vndas,
Ni prius ad Rheni castra locasset aquas:
Ante tubam fugit, nec bellica degener hostis
Militis est ausus signa videre tui.
Marchio vertentem Ioachimus terga secutus,
Auspice te magna funera strage dedit.
Millia prædonum bis quattuor intulit Orco,
Austriacam quorum cæde piauit humum.
At procul ad septem fugiat licet Ostia Nili,
Aspera vindictæ sentiet arma tuæ.
Edita nam priscis oracula versibus extant,
Qualia Cumeæ carmina vatis erant,
Quæ tibi de Solyma promittunt vrbe triumphum,
Illa quod imperium sit subitura tuum.
Ergo nisi veterum sunt irrita carmina vatum,
Quæ reor euentus mox habitura suos:
Tempus erit, cum te spoliis Orientis onustum
Quadriiugis referet currus eburnus equis:
Liuentique gerens immania vincula collo,
Ante tuas ibit Turcia capta rotas.
Plaudentesque tuis resonabunt laudibus vrbes
Austriacæ, per quas victor iturus eris.
Læticiaque fremet, conceptaque gaudia ducet
Pannonis hostili terra soluta metu,
Tunc ego non paruis elegis humilique Camena,
Sed tua Mæonio carmine facta canam:
Si modo quæ vitæ dispensant fata sorores,
Temporibus dederint stamina longa meis.

FERDINANDVS.

Hoc opus exegi florentibus integer annis,
Bis duo cum natus lustra Sabinus eram;
Tempore quo Geticos rex Ferdinandus in hostes
Arma, suo bellum fratre gerente, tulit.
Vnanimis cum quo regni moderatur habenas,
Et graue terrarum sustinet orbis onus.
Viuite Semidei, concordes viuite fratres,
Omnia sub vobis, Vesper & Ortus, erunt.
Vos metuat primus, vos vltimus horreat orbis:
Vos & si qua parum terra veretur, amet.

ΙΑΝΟΥ ΛΑΣΚΑΡΕΩΣ.

εἰς τὸν αὐτοκράτορα Κάρολον.

Πείθουσίν με λέγοντες ἐπ' ἀντολίην ἀπὸ δυσμῶν
Ἔμπαλιν ἠέλιον λάμψαι ἀνερχόμενον.
καὶ γὰρ ἀφ' ἑσπερίων ἡμῖν περάτων ἀνέτειλεν
ἅτερος ἠέλιος κάρλος, ἄναξ μερόπων.
Ἀλλ' ὑπεριονίδη μέγα μέμφεται ἔθνος ἐρέμβων,
κάρλον κόσμος ἅπας εὔχετ' ἄνακτα λαβεῖν.

SIMONE STENIO INTERPRETE.

Solis ab occasu ferri iubar aureum ad ortum
Qui perhibent, prorsus non adimenda fides.
Scilicet Hesperiis alter Sol ortus ab oris
Rex hominum fulget Carolus eximius.
Vt gens Æthiopum faciat conuicia Phœbo,
Carlum orbis dominum totus habere cupit.

ANDREAS ALCIATVS IC.
EMBLEMATE XLII.

Oceanus quamuis fluctus pater excitet omnes,
Danubiumque omnem barbare Turca bibas:
Non tamen irrumpas perfracto limite, Cæsar
Dum Carolus populis bellica signa dabit.
Sic sacræ quercus firmis radicibus adstant,
Sicca licet venti concutiant folia.

AD

ANTONINI PANORMITANI ET IANNOTII MANETTI ORATIONES IN CORONATIONE FRIDERICI III HABITAE.

LECTORI SALVTEM! BURCARD GOTTHELF STRUVE.



Olennis erat Friderici III Imp. vna cum coniuge ſua Eleonora Luſitanica coronatio, magnifico cum adparatu, a Nicolao V Romæ facta, quam etiam aliæ gentes, aliique Reges votiua adclamatione celebrarunt. Inter hos Alfonſus Rex Siciliæ & Neapolis, auunculus Eleonoræ, quæ Eduardi, Luſitaniæ Regis erat filia, Alphonſi V. qui hinc imperabat, ſoror, Antonium hunc Panormitanum Romam mittebat, qui de coronatione gratularetur. Hic Panormi natus, genus ſuum ab vltimis Britannis Becadellaque familia, Bononiæ celebri, repetebat. * *Moribus ac litteris præſtantibus erat exornatus, cum Philippo Mediolanenſium Principi fertilis ingenii induſtriam obtuliſſet, tanta liberalitate ſuſceptus eſt, vt Principem noſcendæ hiſtoriæ cupidum, familiariter doceret, & publice octingentis annuis aureis elegantiores litteras profiteretur. Verum, eo grauiſſimis bellis occupato, Panormita Alfonſo adhæſit, ſecretioris ſcrinii Magiſter, & ſtudiorum expeditionumque omnium terra marique perpetuus comes fuit.*** *Hinc etiam ad Venetos legatus miſſus, vt ex tumulo T. Liuii Patauini brachium peteret, quod etiam impetrauit,* *** *aliisque negotiis publicis fuit adhibitus,* **** *vt mirum eſſe non debeat, quod hoc etiam ipſi negotium*

* P. Iouius *elog. n. XII p. 29.* Hier. Raguza *elog. Sicul. p. 33.* Quare etiam Nicolaus Toppius *Bibl. Neapolitana p. 24.* ipſum vocat *Antonio Bologna.*

** verba ſunt Iouii *c. l.*

*** hæc ex Angeli Portinari *libro de felicitate Patauina* exponit Nic. Toppius *c. l.*

**** hoc Bayle *Dict. Hiſtor. & Critique* cum aliis, quæ Panormitanum concernunt, plenius expoſuit.

um fuerit demandatum. In hac autem Oratione Imp. potiſſimum laudat a Religione & Temperantia: Commune tamen Italorum repetit commentum de corona Paleari, ferrea, argentea, aurea.

Sequitur IANNOTII MANETTI, *legati Florentini* Oratio *eadem in cauſſa Romæ habita. Erat hic diſcipulus Emanuelis Chryſoloræ, trium linguarum peritus, Senator Florentinus, atque a Nicolao V Papa equeſtri dignitate ornatus. Legationes varias ad Reges principesque atque etiam Pontificem M. obiit. Varia ſcripſit, quæ * tamen plerumque adhuc latent in MStis. Vtrasque orationes Politicis ſuis Imperialibus inſeruit Goldaſtus. ** Panormitani vero Orationem ſolam Theatro ſuo Comitiorum ſub Friderico III inſeruit Mullerus. ****

Adiecta eſt Narratio de profectione Imp. in Italiam votiua, *quæ ex Cæremoniali Romano libro I ſect. XIII eſt deſumta. Cauſam eiusdem profectionis exponit Gerhardus a Roo, **** dicens:* ſub initium Nouembr. Cæſar res in Auſtria ſatis iam quietas, & Mathiæ ob foedus fidendum ratus, ſuſcepto in Italiam itinere, in ante diem natalis domini noſtri Romam venit, vbi ea nocte,, ſacra faciente pontifice, euangelium de edicto Cæſaris Auguſti decantaſſe dicitur, exemplo Imperatoris Sigismundi. Sedecim dies illic commoratus, domum rediit. Itineris huius cauſa votum eſſe vulgo ferebatur. Erant qui confirmationem ſucceſſionis in Hungariæ & Boemiæ regna petiiſſe dicerent; nec abſimile vero

 ro


* Voſſius *de Hiſtor. latinis lib. III p. 581*, qui etiam ſcripta ipſius recenſet.
** *p. V p. 344.*
*** *p. II c. I §. 10.*
**** *lib. VIII p. 270.*

ro eſt, prudentiſſimum Imperatorem, conſilia ſua, ex authoritate Pontificis inſtituere voluiſſe. De expeditione in Turcam & bello Boemico actum eſſe nonnulli meminere. *Qua ratione a Paulo II. Papa fuerit exceptus, docet Cardinalis Papenſis* * *ſcribens:* cum Calendis Decembribus, qui fuit annus ſedentis Pauli, quintus, Fredericum Imperatorem eius nominis tertium in Italiam deſcendiſſe voti ſoluendi cauſſa, quod ad ædem Apoſtolorum ex Germania vouerat, idque Venetorun litteris certiſſimum haberetur, conuerſus ad eius ſuſcipiendi curam, vnum ex Secretariorum ordine, quam longiſſime ire obuiam iuſſit negotio iniuncto, vt crebris nuntiis de ratione viæ, & cæteris, quæ cognouiſſet, ſine mora ſignificaret. Inde vocatis in Conſilium patribus, quatuor ex diuerſis nationibus Epiſcopos deſignauit. Iudicesque Rotæ duos & conſiſtoriales Aduocatos totidem, qui ſecretario ſuccedentes ſecunda ſalutationis officia exhiberent. Delegit quoque Cardinalem Hoſtienſem ac ſancti Euſtachii, qui præſtarent tertia, non tamen vltra bidui viam progrederentur. *Inde quoque Papienſis, qua ratione Imp. in vrbe fuerit receptus, exponit, quæ relatio iamdum in Tomo ſecundo Freheri reperitur, quem ſequitur Mullerus.***

---

* *Comment. lib. VII p. 438.*
** *p. IV c. XLIII.*

AD FRI-



AD
FRIDERICVM III. IMP.
ANTONII PANORMITAE AB ALFONSO NEAPOLITANO REGE LEGATI,
IN CORONATIONE ILLIVS ROMAE HABITA ORATIO.



LLVXIT iam tandem felix illa & expectatiſſima dies, Friderice Cæſar, quæ bonis omnibus pacem & tranquillitatem, tibi vero laudem & gloriam ſit ſempiternam allatura. Ecce enim aduenisti, exoptatiſſime Auguſte, tuamque ſacroſanctam Maieſtatem hodierno die coram intueri licet, aut rectius quaſi Dei cuiuspiam immortalis effigiem venerari. Nam tecum vna, quaſi diuinum ſidus comitantes, aduenisse creduntur Salus, atque Libertas, Italiæ, bonorum ac conſtantiſſimorum hominum exaltatio, prauorum perfidorumque depreſſio. Exultent igitur gaudio, Ieſu optimo maximo laudes ac gratias habeant, quicunque puri ſunt, fideleſque perſtiterunt: iniqui vero ac perpetuo contumaces erubeſcant, formident, profugiant: huius enim digniſſimi Romanorum Regis artes ſunt Romanæ illæ quidem, *parcere ſubiectis, & debellare ſuperbos.* Verum antequam Alfonſi magnanimi atque inuicti Regis noſtri mandata explicemus, a quo quidem ad eminentiſſimam Maieſtatem tuam legati ſumus, pauca admodum quæ partim ad laudem, partim ad dignitatem ſuam pertinent, enarrare nos pro ſingulari tua humanitate concedas. Ego vero a clariſſimis ac illuſtribus collegis iuſſus dicere obtemperabo, verum ita obtemperabo, vt rationem tuarum occupationum, vel inprimis ipſo breuiloquio videar habuiſſe. Quod igitur a plerisque oratoribus dictum eſt, neſcire ſe vnde principium ſumant, id in præſentia mihi euenire non verbis, quemadmodum fortaſſe illis, ſed re ipſa nimirum intelligo. Non ſolum enim quia multæ ſunt tuæ virtutes, & varie inter ſe connexæ, verum etiam quia ita præclaræ omnes & ita egregiæ ſunt, vt inter ſe ipſas de excellentia concertare videantur: nec facilis ſit deliberatio, quænam in dicendo ſit anteponenda. Siue enim animi magnitudinem conſidero, nihil magis dignum videri poteſt, de quo quam primum enarretur: Siue religionem, aut ceremoniarum cultum, illud omnino cenſebis præferendum. At ſi iuſtitiam & æquitatem contempleris, nihil tum videri debet vt illi anteponatur. Cum vero liberalitatem, humanitatem, moderationem tecum penſites, quam illarum præponere, aut quam non præponere debeas, ignorabis. Ego tamen vnde aptiſſimum & congruentiſſimum putabo, inde initium dicendi faciam: a religione videlicet & cultu diuino. Qua in re vel maxime tuam, Friderice, ſapientiam declaraſti: ſiquidem vera hominis ſapientia eſt pietas, id eſt, Dei cultus: Etenim ante omnia verum creatorem, vnicum & ſummum Deum, Chriſtum Ieſum penitus colendum, adorandum, verendum animo propoſuiſti, vt erga eum ipſum Chriſtum, quo terrarum imperium, aſſumpſiſti, pro tanto munere accepto & gratus exiſteres, & hominibus quibus diuina prouidentia præeſſes, vitæ beatæ viam tui luminis exemplo monſtrare. Maxime quidem decet Reges ac Principes, quique ab omnibus timeantur, eos ipſos vereri, ac metuere Deum immortalem. Quod qui fecerint, ſentient præclarum illud & memorabile Camilli dictum, *Omnia proſpere eueniſſe ſequentibus Deos, aduerſa ſpernentibus.* His tu itaque rationibus

nibus adductus, in primo ipso iuuentutis flore, non maris, non viarum discrimina, non Barbarorum & eorum, apud quos Christi nomen inuisum est, latrocinia atque insidias veritus, sepulchrum Domini * ex vltimis vsque Germaniæ partibus adiisti, laborum & velut gloriæ primitias Deo reddens atque sacrificans. Quid nunc ego Psalmos, & orationes? quid Missarum sacra mysteria? Quid ieiunia, adque indictas Christiano ritu abstinentias referam? Nihil vtique omittis, quod boni, & puri Christiani officium esse intelligas, quo Deum tibi perpetuo places, ac propitium & fauentem reddas: quo ciues tibi diuinitus commissos ad veram dirigas felicitatem p. 2.
& sapientiam. Cumque animo magno & excellenti præditus sis, in hoc vno, ne Dei scilicet voluntatem offendas, miro quodam modo timidus atque anxius prædicaris. Denique cum natura natus ad virtutem videaris, & bonitatem naturæ Dei quoque voluntate confirmes; ob illud etiam a peccatis atque flagitiis caues, ne tuos ciues vitiorum imitatores efficias. Satis enim nosti, exemplo magis quam peccato Principes nocere. Inter hæc tam præclara tui animi ornamenta, gloriosissime Cæsar, illud in primis admirari licet, atque veneratione complecti omni, quod cum tam infinita & innumerabilis multitudo tum domesticarum, tum externarum gentium sub te degat, nullus tamen adhuc inuentus sit, qui non dico a te (qui inter mortales iustitiæ & æquitatis gloria excelles) sed ne a proceribus quidem tuis fuerit iniuriam passus, aut de violentia conquestus. Illa quidem lex apud te prima & est, & obseruatur, ne cui quis noceat, suum cuique permittatur in pace & securitate possidere. Quæ vero Cæsaris sunt, omnibus propemodum vti frui fas esse. Illudque diui Adriani præclare dictum frequenter vsurpas, *Ita te rempublicam gesturum, vt sciat senatus populi rem esse, non propriam.* Iam vero dicendi, & loquendi libertas non minus infimis quam summis est viris, aditus semper patens, audiendi patientia & lenitas inaudita. O sæcula aurea! O Cæsarem vere Augustum, vere Patrem Patriæ! O hominem diuinum! O nos etiam perbeatos, quibus virum talem intueri, eiusque suauissimis atque humanissimis moribus frui datum atque concessum est. Beneficentiam vero ac liberalitatem tuam, Cæsar, admirari magis possumus, quam oratione percurrere. Quæ cum incredibilis sit, & tanquam e fonte quodam benignitatis perpetuo emanans; nunquam tamen eripere visus es, quod aliis largirere: nunquam aliis nocere, vt in alios liberalis viderere. Vacat enim iniuria liberalitas tua. Quodque tuum est (est enim grande, & vt terrarum domini patrimonium) id tamen omne in communem hominum vtilitatem erogare solitus es: vt vere, quæ tua sunt, sint iuxta prouerbium, communia omnia. Et sane e toto prorsus imperio (quod quam amplum & copiosum sit, omnes intelligunt) nihil tibi retentum videmus, præter dispensandi potestatem. Interea intelligis tamen, quid vnicuique conueniat, proque dignitate distribuis, tibi solummodo hoc reseruans atque seponens, quod Cæsareæ rationi ac maiestati necessarium fore arbitraris: nihil omnino custodiens ad voluptatem, nihil ad delitias. Et es quidem natura liberalis atque beneficus, non vt plerique quadam vanitate ducti multa largientes, vt videantur benefici, cum non sint. Vir vtique purus, simplex, atque sincerus, nihil ad ostentationem, omnia ad conscientiam referens. Gaudes, cum bene benigneque facis, non cum fecisse laudaris. Neque gratias agi tibi aut rependi admodum curas, præterquam a conscientia benefactorum. Nihil denique tibi arrogans, sed immortali Deo omnia tribuens, a quo & beneficia, & bona omnia proficisci satis pro singulari tua sapientia cognoscis. Prætereo hoc loco singularia ac prope innumerabilia tuæ liberalitatis exempla. Quis enim hac temporis angustia recensere satis queat, quot Regum filios, quot

---

* Factum hoc a. 1437. Cuspinianus Friderico III p. 405 *Fridericus ab adolescentia bene educatus, in religione Christiana vsque adeo creuit, vt & terram sanctam cum adoleuisset, nullis territus minis, ac maris tempestatibus inuiseret.* De eodem testatur Nauclerus *vol. II Gen. XLIX p. 1065.* Aen. Syluius *in Orat. sua ad Nicolaum V Papam* quæ extat in Historia Friderici p. 87. Fugger *lib. IV. c. VIII p. 458.*

quot proceres, quot viros tum literis, tum armis illustres quotidie suscipias, susceptos exornes, honestes, amplifices? Mihi quidem videtur, tuam hanc non Curiam modo, sed Academiam quandam bonarum artium & disciplinarum appellari posse, vbi de re militari, vbi de literatura, vbi de virtute, ac moribus, quoquo te verteris, disputantes acriter simul & erudite circumspicias. Quo fit, vt omnes qui aut virtute, aut eruditione sibiipsi confidunt, huc ad te vndequaque diuertant, ac velut olim in Olympium montem exercendæ atque ostentandæ virtutis gratia conueniant. Tu vero, benignissime Cæsar, perhumaniter omnes excipis, exerces, acuis, foues, instruis: denique indonatum neminem a te abire sinis. His præclaris artibus, Cæsar, mortalium gratiam & beneuolentiam consecutus, his perardua, & excelsa semper animo meditaris, his domum relinquens (quamquam domus tua Mundus est) non asperrimos labores, non infinitos sumptus, non pericula æstimans, per mediam Italiam, vbi nonnullos scires Imperio rebelles, incedis fiducia animi lætus, strenuus, inuictus. Imo vero tantum & virtutis & dignitatis tuæ auctoritas valuit, vt non solum ab amicis, sed etiam ab his ipsis, qui iam pridem imperio male precari, honori-
p. 3. ficentissime fueris susceptus; nihil aliud (vt mea fert opinio) applausu & gratulatione confitentibus, quam te vere dominum & imperatorem eorum esse. At tu quæ omnia animo iam dudum magnifice conceperas, tandem adipiscaris, hoc est, sacram vnctionem, & consuetas Imperatoribus coronas. Sed quoniam in corona- *Corona.* rum mentionem incidimus, consideremus, si per te licet, humanissime Cæsar, quibus ex caussis maiores nostri huiuscemodi coronas excogitasse credantur. Hoc enim viso cognitoque, liquido apparebit, an tu quoque dignus iudicandus sis huiusmodi coronario (vt ita dixerim) triumpho. Primum vero peruulgatum est, palearem illos decreuisse coronam, *Palearis.* quod aliquando receptum, nunc vero, vt pleraque mansuetudinis officia, obsoleuit. Cæterum maiores illi recte sane, siquidem mansuetudine, & humilitate non superbia & inhumanitate ad imperiale fastigium se ascensuros esse existimarunt, quod palea denotatum iri visum est. Palea quidem res admodum abiecta atque contempta est. Et Imperatorem decet se hominem esse existimare, hoc est, ex humo factum, in humum tandem rediturum. Huic inuento perpulchre comprobare videtur Romanorum institutum, qui triumphanti Consuli vel abiectissimæ conditionis seruum associauere in eodem curru, & coronam sustinentem, & æqua fortuna triumphantem. Præterea vt qui mansuete & humaniter atque benigne cum hominibus agit, is vehementer ab omnibus amatur, & in omnium animos tanquam influere videtur: ex diuerso, qui insolenter & crudeliter sese habet, odium sibi omnium generat, & metum, malum (vt ait Cicero) diuturnitatis custodem. Secundo loco coronam ferream excogitauere, *Ferrea.* ea ratione (vt arbitror) vt fortitudinem animi imperaturus assumeret. Nam comparata sibi prius (quemadmodo dictum est) ciuium & subditorum gratia, intrepidum, constantem, inuictum sese præstare Imperatorem oportet, contra pericula, ac varios Fortunæ casus, præsertim pro gloria tuenda, ac subditorum salute, & conseruatione societatis humanæ diuinitus sibi commissæ. Imperio quidem indignus habebitur, qui vim, atque iniurias aut sibi, aut prouincialibus illatas non magno ac præsenti animo propulsauerit. Tertio loco argenteam coronam assignauerunt, *Argentea.* vt animaduertatis qui demum Imperator sit constituendus, argenti nitorem atque candorem præ se ferre oportere, hoc est, sine labe atque spurcitia animum purum & tersum exhibere necesse esse. Postremo autem loco auream statuerunt. Hæc antiquitus (vt ait Gellius) ex lauro erat, postea ex auro fieri cœpta, *Aurea.* vt intelligatis, qui demum coronandus est, se perfectam esse ac splendidissimam laudem assecutum. Nam qui mansuetudine & humilitate primo mortalium beneuolentiam, deinde beneuolentia imperium adipiscitur, quod post animi magnitudine, puritate, atque iustitia conseruet, is omnium iudicio splendidissimum ac perfectissimum vitæ exemplum ad posteros relicturus est, ita immortalitate ac luce perpetua dignus existimabitur. Num tu igitur his coronis perdignus censeberis, Cæsar inuicte, qui mansuetudine, vel animi magnitudine, vel iustitia nemini cesseris? imo ve-

ro quod summi Imperatoris ornamenta in te lucent omnia; vt non Cæsar modo, sed Cæsarum decus iure ac merito possis appellari? Quid enim a te abest Imperatoriarum (vt ita dixerim) virtutum? aut quid non est potius insigniter? Quæris clementiam? At tua animi placabilitas ipsam illam C. Cæsaris, quæ singularis exempli & admirabilis memoriæ extat apud homines, ipsam, inquam, illam prouocare potest & vincere. Cupis fidem? At tuis dictis conuentisque nihil firmius, nihil verius, nihil religiosius, inueniri potest, non ipsum quidem olim apud gentiles, aut Sibyllæ folium, aut Apollinis oraculum. Laudas prudentiam? At quid tua prospicientia non videt, quid tua solertia non agnoscit, quid tua denique industria non assequitur, quod vlli vspiam cognitum aut perspectum erit? Non est autem vllo pacto prætermittenda temperantia tua Cæsar. Est enim non modo inter virtutes pulcherrima, sed virtutum omnium singulare decus & ornamentum: ita vt si hæc vna desit, cæteræ virtutes imperfectæ existimentur. Nam prudentia & fortitudo, atque harum similes, interdum etiam eorum sit qui non satis probantur. Temperantia vero proborum & clarorum hominum est solum. Illæ sæpenumero impetus animi concitant, nec sinunt obedire rationi: Hæc concitatos sedat, compescitque, & ratione moderatur. Quæ quidem virtus tanta in te vno est, quanta in iis Imperatoribus, de quibus legimus aut accepimus, non fuit. Quem enim tibi continentia comparabimus? cepisti vxorem genere nobilissimam, moribus excellentissimam, forma vero præstantissimam, cumque ea Senas ad te nuper venisset e paterno regno, quoniam dies sacri & obseruandi erant, eam non vt vxorem, sed vt sororem suscepisti: religionem matrimonio, castitatem voluptati anteponens. * Alii ab alienis vxoribus vix sese continere possunt. Tu a tua, tibi concessa, & ea quidem formosissima te continuisti. Docuisti hoc exemplo inferiores, qualiter sese habere & continere circa coniugia debeant: & diuini potius cultus, quam humani iuris habendam esse rationem. Nec illud est silentio prætereundum, quam sis vini parcissimus, quamque in cibo moderatissimus. Neque enim ea parua laus est, Regis præsertim, & imperatoris. Legimus Alexandrum (ne plures memorem) propter vini intemperantiam non parum gloriam eius obscurasse: quandoquidem per temulentiam Clytum sibi charissimum in conuiuio occiderit. Namque vt sobrietas Principem ad crudelitatem prouocat, nullumque scelus aut flagitium est, ad quod temulentia Principem non impellat aut rapiat. In sermone vero quam modestus sis, quam rarus, quam grauis, quamque in iis suscipiendis qui ad te adeunt, communis & humanus, facile omni Italiæ perspectum est. Siquidem tanta circa omnes mansuetudine vteris, vt te interdum tuæ dignitatis atque auctoritatis obliuio cepisse videatur. Quam vero adulatores, scurras, & huiusmodi leuitatem spernas, atque oderis, ipsi perspeximus. O dignum summo Imperio Principem! Hoc enim est Imperatorem esse: superbiam, fastidium, arrogantiam effugere: erga omnes sese mansuetum facilemque præstare, assentationem procul amouere, grauem esse. Adde quod nec tibi quoque deest in conciliis suscipiendis constantia, virtutum haud mediocre condimentum, sine qua nihil in homine potest esse laudabile. Hæ te profecto virtutes, Cæsar inuicte, Augusto illi omnium Principum fœlicissimo, hæ te Tito omnium grauissimo, hæ te Antonino Pio omnium humanissimo, parem effecerunt. Per has maxime virtutes ab omnibus laudaris, extolleris, diligeris, prædicaris. Maxime enim commouetur amor multitudinis ipsa fama & opinione mansuetudinis, atque constantiæ. Quæ si in priuato vel mediocri viro laudabiles plurimum atque admirabiles sunt, quanto magis in eo Principe, qui inter Principes dignitatis principatum obtinet? Sed iam plura consulto prætereo, ne modum mea excedat oratio: simul ne inclyti Regis nostri mandata vlterius differamus. Quæ, si tuæ quoque prudentiæ visum fuerit, melius ac cautius seorsum, quam palam, enarrabuntur. Vale, & triumpha. DIXI.

Temperantia. (margin)

p. 4. (margin)

A FLO-

* Castitatem Friderici, etiam post copulationem a Nicolao V Romæ factam, describit Aeneas Syluius in vita p. 84 dum ait: *Leonoram autem sponsam suam nondum cognouerat, quod id operis in Alemanniam referre volebat, siue ne sanguis Italicus sibi nasceretur, siue aliud religionis in mente gerens.* Consummauit tamen instinctu Alfonsi, Neapolitani Regis matrimonium per copulam carnalem in vrbe Neapoli.

FLORENTINORVM LEGATORVM ORATIO IN FAVSTA AC FELICI FRIDERICI III. IMPERATORIS CORONATIONE, TEMPORIBVS NICOLAI V. SVMMI PONTIFICIS, PER IANNOTVM MANETTI HABITA ROMAE.

P. 5.



I optata fierent, Beatissime Pater, ac serenissime Princeps, tantum facultatis & eloquentiæ nobis coram Sanctitate & Maiestate vestra in præsentiarum oraturis diuinitus dari & exhiberi profecto totis mentis affectibus cuperemus, vt huic tantæ & tam admirabili imperatoriæ coronationis solemnitati saltem aliqua ex parte satisfacere valeremus. Sed quoniam, si excellentes & admirabiles Demosthenis & Ciceronis dicendi & eloquendi vires, quos cunctorum tam Græcorum quam Latinorum oratorum Principes extitisse legimus, in vnum coniungerentur, nimirum tanto & tam arduo explicandæ huius coronationis muneri longe impares fore censeremus; Idcirco in hac nostra oratione nullo exordio, nulla præfatione, nullo denique consueto & vsitato prooemio iure ac merito vtendum esse existimamus. Nos enim de imperatoris dignitate, & de eius potestate, simul ac de ista tam fausta & tam felici coronatione deinceps tractaturi; nec beniuolentiæ, nec attentationis, nec docilitatis, (in quibus cunctæ Rhetorum artes plerumque consumuntur) captatione ab his præstantissimis cum Ecclesiasticis tum secularibus auditoribus, coram summo Pontifice atque Imperatore, duobus magnis totius orbis luminaribus constitutis, vllatenus indigere posse videremur. Quippe nullus est, qui in hoc sacrosancto consistorio, in hoc tam admirabili & tam splendido cunctarum rerum spectaculo, in hoc quasi terrestri & seculari paradiso, velut in iocundissimo quodam diuersorio, ac tranquillissimo & tutissimo portu, non sponte sua totis (vt dicitur) mentis affectibus diutius persistere & commorari vel maxime vellet, præsertim si ea auditurus esset, de quibus nos dicturos esse profitemur. Quocirca cunctis exordiorum ac præfationum generibus veluti friuolis & inanibus prætermissis, antequam ea dicere incipiamus, quæ ad nostrorum propositum præcipue pertinere existimabimus, pro tritis vulgaribusque prooemiis ad humilem quandam & deuotam diuini fauoris impetrationem parumper conuertemur, sine quo quasi infantes vel potius muti & elingues, in hac præsertim tanta ac tam maxima diuinarum & humanarum rerum copia & abundantia, euaderemus. Itaque ad omnipotentem Deum, & Iesum Christum humani generis redemptorem; & Spiritum sanctum tota mente & summa deuotione conuersi, humiles & supplices in hunc modum exorare & deprecari confidimus, sicque deprecati ex infinita quadam trium diuinarum personarum gratia exauditum iri speramus & credimus. Tantum ergo facultatis & eloquentiæ nobis Christianis & fidelibus famulis tuis præsta, quæsumus, diuina & ineffabilis Trinitas, vt de hac Imperatoria coronatione pauca quædam, non indigna hoc tanto & tam splendido auditorio, dicere ac tractare valeamus. Nos igitur nunc cœlestibus & spiritualibus telis armati, in hoc tam profundum & tam immensum pelagus læti & alacres ingredi & intrare audebimus. Sed vt ordine quodam & recta via nostra procedat oratio, ab Imperatoria dignitate faustis ominibus initium sumemus: De eius deinde potestate breuiter prosequemur: Postremo de hac Coronatione nonnulla memoratu digna in medium adducemus. Quibus rite peractis, de generali quodam ac pene incredibili cunctarum Christianarum gentium gaudio, ac de præcipua & admirabili, Beatissime Pater, ac serenissime Princeps, vtriusque vestrum lætitia aliqua memorabilia breuiter tractare & explicare conabimur. Atque cum hæc eo ordine quo proposita sunt, diuina tandem fauente gratia pro modulo nostro absoluerimus, finem dicendi faciemus. Magnum opus & arduum non coacti & inuiti, sed potius alacres volentesque ideo aggredimur, quoniam Omnipotentem Deum, quando boni gratia id agimus, hoc est,

Inuocatio numinis.

vt hæc ipsa, quæ astantibus & aspicientibus mirabilia videntur, hac nostra oratione splendidiora quodammodo, & viuis absentibus, & posteris etiam, nonnulli tantarum & tam excellentissimarum rerum gustus præbeantur, in primis fautorem & adiutorem fore non dubitamus. In infinita ergo omnipotentis Dei benignitate, & in singulari quoque & præcipua sanctitatis & Maiestatis vestræ humanitate, o duo beata & felicia totius orbis luminaria, & infirma denique ac peremni cunctorum auditorum attentione confisi, secundum præmissum diuisionis nostræ ordinem, promti & audaces dicere ac differere aggrediemur. p. 6.

Imperatoriæ maiestatis dignitas, secundum veras omnium & profanorum & sacrorum scriptorum sententias, tanta profecto ac tam admirabilis iure existimatur & creditur, vt facultatem humani excedat eloquii. Nam vt a Poetis incipiamus, Homerus in suo illo præclaro Iliados poemate Agamemnonem Græcorum Principem cum Troianis potius de imperio totius Græciæ, quam de sola Helenæ a Paride Priami filio raptæ repetitione, diuturno & decennali bello contendentem inducit. Quod Virgilius noster præclare post plura secula imitatus, Æneam patria, quæ iam ab hostibus in seruitutem redacta fuerat, profugum nouas in Italia sedes quærentem fingit, atque Rutulis postea & Latinis sibi resistere ac repugnare cupientibus, bello tandem victis & superatis imperantem scribit. Et in assumptione quoque Octauiani Cæsaris Romanorum Imperatoris, cuius temporibus floruisse traditur; *Ecce,* inquit, *Dionei processit Cæsaris astrum, & reliqua.* Imperatorem tunc orbis terrarum Principem ob admirabilem quandam dignitatis suæ excellentiam, nimirum astris & fulgidis stellis, diuinis & non humanis rebus, æquiparare & comparare volens. Ad Historicos accedamus, quorum varia ac diuersa multorum generum scripta, cum Assyrios, tum Medos, Parthos insuper & Persas, Ægyptios atque Macedonas, Græcos præterea Troianosque, Romanos denique ac Carthaginenses, vna cum omnibus aliis gentibus pluribus & diuturnis inter se bellis de imperio ad vltimam & desperatam internecionem dimicasse & contendisse declarant. Philosophi sequuntur quorum Princeps (pace cunctorum dixerim) Aristoteles, Monarchiam (quod Græce nihil aliud quam imperium, hoc est, vnius solius dominatum, si Latine ad verbum interpretari volumus, significare videtur) ad veram & rectam totius orbis terrarum gubernationem, non modo vtilem, sed necessariam etiam pluribus argumentis multisque rationibus probare & confirmare conatur. Ac per hunc modum gubernaculum vnius, quod *Monarchia* Græce, imperium Latine appellatur, plane aperteque defendit. Et Cicero quamuis multa vt orator in laude Cæsaris dixisse & scripsisse comperiatur, in libris tamen de officiis vbi se Philosophum fore profitetur, verba hæc ponit: *Cæsar omnia iura diuina & humana peruertit, propter eum, quem sibi ipsi opinionis errore finxerat, principatum.* Tanti enim imperium ab eo factum fuisse scribit, vt cuncta quæque diuina & humana iura peruertere & violare non formidauerit. Quid insuper de iure naturali, gentium & ciuili dicemus? nonne ex singulo quoque huiusmodi iuris genere maximam quandam esse imperiis dignitatem manifestum est? quando singulæ quæque gentes paulo validiores, quasi naturali instinctu inductæ adactæque, talem sibi dignitatem antiquitus, totis animi & corporis (quemadmodum dicitur) viribus arrogare & vendicare nitebantur. Vnde variæ bellorum lites contentionesque oriebantur, & pluribus quoque Digestorum & Pandectarum locis partim Deum imperium de cælo constituisse, partim etiam vniuersum Mundum eum ipsum Imperatorem, tanquam certam quandam & animatam in terris legem, obseruasse & coluisse legimus. Quid præterea de sacris literis arbitrabimur? an eas de hac tanta & tam singulari imperii dignitate omnino siluisse mutasque fuisse censebimus? quandoquidem profanos cum Græcos tum Latinos auctores, veluti diuino quodam Spiritu afflatos, de hac ipsa materia certa quædam ac vera sensisse, & quasi e sacro veritatis fonte hausisse accepimus. *Vero enim*, iuxta celebratam illam & decantatam Philosophi sententiam, *omnia consonant.* Latissimus profecto nobis ad peruagandum campus ostenderetur, si singula quæque commemorare & explicare velle-

vellemus, quæ ingentem quandam Imperatoriæ maiestatis dignitatem, ex sacro vtriusque Veteris & Noui Testamenti pelago hinc inde collecta, vel maxime declararent. Sed ne modum excedat oratio, duo vel tria, præsertim seria & grauia & magnum
p. 7. pondus habentia, ostendisse sat erit. Ac primum veniat in medium Prophetica illa & diuina ac tantopere per cunctas Theologorum scholas celebrata Geneseos authoritas, quæ pro duobus magnis orbis luminaribus duos duntaxat totius mundi status, spiritualem scilicet & secularem, quibuscunque paulo doctioribus viris, & mentem suam a sensibilibus rebus reuocantibus, & ad cælestia vel paululum conuertentibus, plane & aperte fuisse declarant, ceu ab omnibus catholicis & eruditioribus expositoribus non literali, sed potius anagogico & tropologico sensu, vere ac diuinitus interpretari & explanari posse videtur. Quod ita esse non dubitabat, quicunque sacris literis vel mediocriter eruditus, admirabilem quendam diuinorum verborum ordinem paulo diligentius & accuratius considerauerit. Postquam enim Deus in primo illo rudi & indigesto mundi principio cælum & terram creauit, lucem fieri & a tenebris distingui voluit: quod prima die factum fuisse scribitur, quibus ab inuicem separatis firmamentum postridie factum esse narratur. Ac tertia deinceps die terram ab aquis distinctam, herbas & fructus sponte sua produxisse, legitur. Quarta autem die Deum fecisse duo magna luminaria; alterum, vt diei; alterum vero vt nocti præsideret ac dominaretur, a Moyse Prophetarum maximo his verbis & in hunc modum scriptum esse meminimus: sic enim inquit: *Fecit Deus duo magna luminaria: luminare maius vt præesset diei; & luminare minus, vt præesset nocti, & reliqua huiusmodi.* Quæ quidem verba etsi ad literam, iuxta sensum literalem pro Sole & Luna recte exponi & explanari posse videantur: anagogice ac tropologice tamen (vt Theologicis & tritis verbis in hac nostra explanatione, maioris declarationis gratia vtamur) ad vtrumque mundi statum, spiritualem scilicet & secularem, secundum omnium excellentium Doctorum explanationes rectius diriguntur, ac sapientius & accommodatius conuertuntur: vt luminare maius, quod nimirum pro Sole ad literam exponitur, Summus Pontifex plane & aperte intelligatur. Quippe sicut Sol obscuratis cæteris sideribus solus apparet; vnde Cicero nomen sumsisse & vsurpasse testatur: Ita Pontifex cunctas Ecclesiasticas & seculares potestates, diuino quodam personæ suæ splendore occultare & obscurare videtur. Et ceu quoque Sol diem sua & propria luce illuminat, eique præesse deprehenditur: ita Pontifex diem, id est, spiritualem statum, qui seculari comparatus, dies, quasi in comparatione noctis, non immerito appellatur, eique præsidere cognoscitur, Pontificalibus constitutionibus & vicissitudinariis promotionibus illustrat ac gubernat. Et velut Sol nocturnis temporibus radiis suis ad aliud hemisphærium illustrandi gratia descendit: ita pontifex censuris & anathematibus, benedictionibus pariter & indulgentiis, & ad perpetuam & æternam vitam transcendere & penetrare dignoscitur. Petro enim Apostolorum principi, primo Summo Pontifici, & cunctis eius successoribus, a Christo redemtore nostro viuæ vocis oraculo omnem soluendi & ligandi potestatem datam fuisse constat. Ad hæc duo magna totius mundi luminaria, per quæ quidem duo duntaxat vniuersi orbis status (quemadmodum diximus) plane & aperte designantur, duo illi Euangelici, & per cunctas Theologorum scholas celebrati gladii pariter ac iure accedere videntur; quorum alter pecuniariis mulctis, capitalibusque sententiis, & vltimis suppliciis secularia tantummodo & temporalia delicta coercet ac castigat: alter vero grauibus censuris, asperisque anathematibus, Ecclesiastica sola & spiritualia peccata punit ac coarguit. Vnde magnam quandam Imperatoriæ maiestatis dignitatem simul atque ingentem potestatem esse, iure negare & inficiari non possumus: Quandoquidem ab initio orbis duo magna luminaria pro duobus mundi statibus ordinata, & post multa quoque temporum curricula prædictos duos Euangelicos gladios ad idem confirmandum repetitos fuisse nouimus. Paulus insuper ad M. Agrippam tunc temporis imperantem, de falsa quadam Iudæorum aduersus ipsum accusatione, apud Festum pro eodem Agrippa Hierosolymis

Luminaria duo.

præſidentem appellaſſe legimus: atque eum ex Actibus Apoſtolorum tanti feciſſe intelleximus, vt in principio orationis ſuæ ipſum huiuſmodi pene verbis vſum fuiſſe non ignoremus. *De omnibus, enim,* inquit, *de quibus a Iudæis accuſari & ſimulari videor, beatum profecto & felicem me fore exiſtimo, cum apud te Marce Agrippa cauſam meam agere & perorare conceditur, & quæ ſequuntur.* Ex his igitur omnibus & cæteris huiuſmodi, quæ, ne longiores eſſemus, breuitatis cauſa, de induſtria prætermiſimus, maximam quandam Imperatoriæ maieſtatis dignitatem eſſe, manifeſtum eſt, quod ab initio probatum iri propoſueramus. Nunc vero de eius admirabili poteſtate ſecundum prætaxatum ordinem proſequemur. p. 8

Ad hanc tantam & tam diuinam ac cæleſtem potius, quam humanam Imperatoriæ maieſtatis dignitatem, magna quædam & æqualis cunctarum rerum ſecularium iuriſdictio ac poteſtas non immerito competere & conſequi videtur. Nam, vt more noſtro a leuioribus incipiamus, Virgilius Cæſari Auguſto duobus tam decantatis & tam celebratis carminibus tantam eius, vtpote Romani Imperatoris, poteſtatem eſſe teſtatur, vt cum Ioue diuiſum cœleſtium ac terreſtrium rerum imperium contenderet: ſic enim inquit: *Nocte pluit tota, redeunt ſpectacula mane: Diuiſum imperium cum Ioue Cæſar habet.* Hiſtorici & Oratores ſequuntur, qui quidem Imperium ab eo, quod late ampleque imperaretur, nuncupatum & appellatum eſſe voluerunt: quod ita fuiſſe veteres tam Græcæ quam Latinæ hiſtoriæ plane & aperte declarant. Nam antequam principatuum fines hinc inde extenderentur, ac large longeque propagarentur, Regium nomen in terris primum fuiſſe conſtat; quippe Reges & non Imperatores dicebantur. Sic Belus primus Aſſyriorum rex. Sic Cambyſes Medorum, Sic Pharao Ægypti, ſic Cyrus Perſarum, ſic Philippus & eius filius Alexander Macedonum, ſic Romulus, ſic Numa Pompilius, ſic Tarquinius Priſcus, ſic cæteri Romanorum reges, ne de ſingulis particularem quandam mentionem faciamus, Reges & non Imperatores appellabantur. Sed poſtquam diuerſa terrarum regna hinc inde late ampleque humanis viribus & magnis potentibus protendi ac propagari, & plura quoque ab vno ſolo gubernari, & in vnius ditionem venire cœperunt; vt potentiæ augeri & amplificari videbantur, ita & earum potentiarum nomen pariter creſcere iuſtum eſſe putabatur. Et quoniam Imperatores proprie exercitus ductores olim priſco & idoneo vocabulo nuncupabantur, ad quos ſolos cunctorum exercituum cura & gubernatio pertinebat; idcirco propagatis & amplificatis (vt diximus) regnis, nomen Imperatorium decentius & auguſtius, quam regnum videri cœpit, quaſi ſolus vel ſoli eſſent Imperatores illi, ad quos duntaxat cura & gubernatio totius orbis, quaſi totius exercitus pertineret. Sic Iulius Cæſar, ſic Auguſtus, ſic Tiberius, ſic deinceps cæteri Imperatores vocabantur, etiam antequam Catholica fides hinc inde pullularet. Sed poſtquam Chriſtiana & orthodoxa religio ita inualuit, vt quaſi per vniuerſum terrarum orbem intonaret, ac per hunc modum ſummi Pontifices a cunctis Chriſtianis principibus, Regibus & Imperatoribus maxima humilitate & ſingulari quadam deuotione adorabantur; factum eſt, vt communi omnium Chriſtianorum populorum conſenſu ex duobus duntaxat mundi ſtatibus, alter a Pontifice, alter vero ab Imperatore ſeparatim gubernaretur: ita tamen vt Imperatores dignitatem imperatoriam ſimul atque poteſtatem a ſummis Pontificibus, tanquam a veris mediatoribus & interceſſoribus recognoſcerent, quibus abſque vllis alienis interceſſionibus ambo diuinitus collata fuiſſe non dubitamus. Accedit ius ciuile, quod quidem pluribus auctoritatibus ſuis, Imperatoriam maieſtatem humanis legibus ſubiectam eſſe, nec ſinit, nec patitur: quin imo eam ipſam cunctis iuribus & humanis legibus dominari ac præſidere, plane & aperte ſignificat. Quippe diuina humanis, cæleſtia terreſtribus obnoxia & ſubdita eſſe, abſurdum quiddam ac monſtri ſimile videatur. Atqui imperium Deum de cœlo conſtituiſſe ſupra diximus, vt quandoquidem cælitus in terras deſcenderat; humanis & ſecularibus rebus merito præſideret ac dominaretur, & vniuerſo quoque terrarum orbi præeſſet. Genus inſuper humanum triplici iure, naturali ſcilicet, gentium & ciuili, regi & gubernari plane

Imperium.

Impp.

aperteque

aperteque cognoſcimus, quemadmodum ſuperius commemoraſſe meminimus. Quod ſi Imperatoria Maieſtas profecto talis & tanta eſt, vt prædictarum virium humanarum frena moderetur; quis ſanæ mentis vllo vnquam tempore reperiri poterit, qui admirabilem quandam ac pene incredibilem Romani Imperii ditionem negare inficiarive auderet. Verum enim vero Imperatoria maieſtas omnibus prædictis iuribus determinatum modum certamque regulam imponere & iniungere videtur, ceu pluribus Digeſtorum & Pandectarum locis meridiana (vt dicitur) luce clarius oſtenditur. Sed ea quæcunque ſunt, conſulto prætermittimus, quoniam ad alia maiora & digniora feſtinat oratio. Suetonius Tranquillus duodecim Cæſarum vitas & geſta deſcribens, & alter Marcellinus neſcio quis, ac plures alii doctiſſimi ſimul atque eruditiſſimi viri, egregia multorum Imperatorum facinora factaque narrantes, magnam vel potius maximam quandam eorum poteſtatem commemorationibus ſuis fuiſſe teſtantur. Seneca Stoicorum acerrimus Neronis Magiſter, ita eum, vtpote Imperatorem veneratus eſt, vt libros *De clementia* ſuo nomini dedicaret. Plutarchus ſimiliter Traianum Auguſtum plurib. ſcriptorum ſuorum locis plurimum coluiſſe & honoraſſe videtur. Lactantius præterea vir elegantiſſimus, Conſtantinum & eius filios, & Beatus Ambroſius Theodoſium & Gratianum (ad quos multa pro Catholica fide & de Spiritu ſancto conſcripſit) Hieronymus inſuper & Auguſtinus plures ſuorum temporum Imperatores, multis propriorum librorum conſcriptionibus ingentibus & maximis honoribus proſecuti & venerati ſunt. Quid plura? nam ſexcenta huiuſmodi reſtant, quæ ſi ſigillatim enarrare vellemus, dies profecto nos talia proſequentes deficeret. Tanta nimirum, vt duo prima orationis noſtræ membra in vnum concludamus, Imperatoriæ maieſtatis dignitatem, ſimul atque poteſtatem fuiſſe conſtat, vt partim huiuſmodi auctoritatem de cælis ad homines deſcendentem, partim toti terrarum orbi imperantem, partim a nullo alio, quam ab omnipotenti Deo dependentem, priſcis temporibus opinarentur. Sed poſtea rebus humanis iam dudum meliori quadam & grauiori ordinatione diſpoſitis, hoc eſt, duobus vniuerſi mundi ſtatibus ab inuicem ſeparatis inter ſeque diſtinctis, quemadmodum pluribus ante ſeculis vſitatum & conſuetum fuiſſe accepimus Imperatoriæ Maieſtatis dignitatem poteſtatemque prædictas pariter a Summis pontificibus non iniuria ſuſcipi, ac recognoſci oportere, conſueuit. *Recognitio Imperii a Pontifice.* Quod quidem quosdam optimos religioſos & pios prædeceſſores tuos hactenus feciſſe legimus, quorum tu, inuictiſſime Cæſar, præclara & glorioſa veſtigia ſequi & imitari vel maxime cupiens, e media Germania in intimam Italiam hiemali tempeſtate, per longiſſimas atque aſperrimas & periculoſiſſimas vias partim niuibus, partim glaciebus obſeſſas, partim vero cœnis opertas, non famem, non ſitim, non frigus, non ſomnos non iuges pluuias extimeſcens, accedere & venire non dubitaſti, vt ab hoc Nicolao quinto diuina prouidentia Summo pontifice, Pontificiali ſolio de more pro tribunali (quemadmodum e regione apparet) ſedente, opportunum & conueniens Romani Imperii diadema ſuſciperes, humiliterque ſuſcipiens Imperatoriam dignitatem poteſtatemque ab Apoſtolica ſede recognoſceres. Proinde ea, quam tu paulo ante fidelitatis & ſucceſſionis iuramenta præſtitiſti, inſtituta & ordinata fuiſſe creduntur. Atque hæc omnia ex dexteræ manus & frontis, & renum inunctione, & enſis poſtea incinctione, & aureæ pilæ in ſiniſtra manu largitione, ac regalis ſceptri in dextra poſitione, non abſurde, ſed potius plane & aperte declarari poſſe videntur. De hac tua tam humili, tam pia, & tam deuota ab hoc Nicolao Domino noſtro Summo Pontifice Romani Imperii recognitione, dici non poteſt, quantas & quam magnas & præcipuas laudes & commendationes apud Deum & homines reportabis. Cum igitur de egregia quadam & ſingulari Imperatoriæ Maieſtatis dignitate poteſtateque, duobus prædictæ diuiſionis membris pro facultate noſtra pauca quædam hactenus abſoluerimus; quid nunc de hac tam fauſta & tam felici coronatione dicemus, in qua quidem vna & ſola ambo dignitatis & poteſtatis præſtantiſſima &

excellentissima dona, a nobis superius commemorata, simul exhiberi conferrique intelligimus. De ea igitur ipsa deinceps secundum præmissum ordinem prosequemur,

Sed vt res tota paulo clarius & euidentius innotescat, a primæua coronandi origine ordiri initiumque sumere satius esse duximus. Primas itaque, ac vetustissimas coronas a militibus sese in re militari exercentibus militiamque profitentibus, ex antiquis historiis certam quandam originem habuisse legimus. Vnde propterea, quod militibus in signum honoris & præmii bene & prospere actæ rei exhiberentur, coronæ militares * appellabantur, quæ quidem octo erant, & cæteris huiusmodi nobiliores habebantur. Quod ita esse, varia & diuersa eorum nomina plane & aperte declarant. Nam prima *Obsidionalis* dicebatur, ea a gramine fiebat. Hanc qui obsidione liberabantur, idcirco liberatoribus Ducibus donabant, quod ibi gramen plerumque generaretur, vbi illi prius obsessi tenebantur. Huiusmodi coronam Senatus Populusque Romanus Q. Fabio Maximo, secundo bello Punico dederat, quoniam vrbem Romam ab obsidione hostili liberauerat. Secunda *Ciuica* appellabatur, quam ciuis ciui, a quo in prælio seruatus fuerat, testem vitæ salutisque perceptæ concedebat: ea e fronde quernea vel ilignea ob id efficiebatur, quod victus antiquissimus ex quercubus atque ilicibus capiebatur. Hac corona L. Gellius vir Censorius in Senatu Ciceronem consulem donari a rep. censuit, quod eius opera & intercessione atrocissima illa Catilinæ coniuratio detecta vindicataque fuisset. Tertia *Muralis* nuncupabatur: hac nimirum illi donabantur, qui primi mœnia per vim in quocunque hostile oppidum ascendissent. Quarta *Castrensis* perhibebatur, quam quidem Imperatores eis impertiebantur, qui primi pugnantes in hostium castra ingrederentur, ea profecto insigne valli habebat. Quinta *Naualis* cognominabatur: hac maritimo prælio ii donari solebant, qui hostium naues armati transiliuissent; ea quasi nauium rostris insigniebatur. Atque hæ tres vltimæ ex auro fiebant, inauratæque apparebant. Sexta *Oualis* erat, & myrtea habebatur, ea Imperatores vtebantur quandoque ouandi gratia in vrbem inuehebantur. Ouare autem dicebantur, si quando vel ex indignis bellis, vel non cum iustis hostibus gestis victores in Patriam remearent; aut quando hostile nomen humile & non idoneum, vt seruorum, piratarumque fuisset, aut deditione repente facta, sine puluere (vt dici solet) incruentaque victoria obuenisset: cui facilitati myrtum, Veneris frondem, aptam & accommodatam esse non iniuria putauerunt: quod non Martius sed quasi Venereus quidam triumphus foret: ac per hunc modum Octauianus Augustus post Philippense & rursus post Siculum bellum bis ouans vrbem ingressus est. Septima quasi *Triumphalis* putabatur, & oleagina videbatur: ea coronabantur non qui prælio interfuissent, sed qui dignum aliquem pro absentibus imperatoribus triumphum procurassent. Octaua *Triumphalis* prædicabatur, ex lauro fiebat, & quia cæteris omnibus præferebatur, solis duntaxat triumphaturis Impertoribus seruabatur, qui cum ex ancipiti prælio cruentaq; victoria, victis superatisq; hostibus in patriam reuerterentur, triumphalibus curribus cunctis ornamentorum generibus præditis, ipsi tamen vndique purpurei ac laurea coronati per Vrbem vehebantur. Sic C. Iulius Cæsar, qui primus exactis Regibus Romæ imperauit, quinquies triumphauit. Nam & Gallicum, & Alexandrinum, & Ponticum, & Africanum, & Hispanensem triumphos laurea (quemadmodum diximus) coronatus absoluit. Sic Octauianus Augustus tres Curules triumphos, Dalmaticum, Actiacum, Alexandrinum, continuo triduo mirandum spectaculum, de more laurea coronatus, egisse & accepisse legitur. At Tiberius Cæsar, cum ei toto Illyrico perdomito & in ditionem Populi Romani redacto, triumphus decerneretur, ac ipse ob Q. Vari cladem qui sub idem fere tempus in Germania vna cum tribus legionibus perierat, decretum sibi triumphum differre, quam triumphare maluisset: Vrbem nihilominus prætexta-

p. 10.

* de his P. Merula *de præmiis, quæ militiam sequebantur Romanorum p. 3*

textatus & laurea coronatus intrauit. Sic Nero e Græcia per Neapolim per Antium & Albanum Romam reuersus, eo curru quo Augustus antea triumphauerat, veste purpurea chlamydeque stellis aureis distincta, ac Olympiaca & laurea corona capite redimito, Vrbem ingreditur: cum prius etiam triumphantis habitu ac laurea coronatus in Capitolium ascendisset, postquam Mithridatem Armeniæ regem, Romam venientem quasi triumphaturus recepisset. Sic denique multos alios Imperatores, quos sigillatim recensere nimis longum esset, laurea coronatos triumphasse legimus. Sed quorsum hæc tam multa de veteribus coronis? fortasse vestrum dicet quispiam. Vt scilicet intelligatis, quo & quali coronationis genere prisci vterentur, & in quanto quoque precio laurea antiquitus haberetur, quandoquidem omnes Imperatores ea coronati triumphare consueuerant. Siquidem eam tanti faciebant, vt commemoratus Iulius Cæsar ex omnibus decretis sibi a senatu populoque Romano honoribus, nullum libentius, quam ius laureæ perpetuo gestandæ, recepisse scribatur. At hæc & cætera huiusmodi nimia vetustate obsoleta iamdiu euanuisse comperimus, nisi quod laurea Poetis duntaxat, & aurea corona Regibus & Imperatoribus, aliter tamen quam priscis temporibus, reseruatæ fuisse videntur. De C. quippe Cæsare a Suetonio in eius vita scriptum esse legimus, quemadmodum quidam e turba statuæ suæ coronam lauream candida fascia præligatam imposuerit, & Lupercalibus quoque pro rostris a M. Antonio consule admotum capiti eius diadema ipse repulerit; quod & Plutarchus probare & confirmare videtur. Hoc diadema fascia quædam erat in modum cuiusdam coronæ facta, absque illis ornamentis, quæ temporibus nostris Regiis & Imperatoriis ac Pontificalibus diadematibus imponi inserique conspicimus; quod ita esse Græca origo, vnde deriuari manifestum est, plane aperteque demonstrat. Nam id nomen propria sui interpretatione ligamen quoddam circumdatum significare nouimus. Ac de Alexandro insuper Magno ab idoneis auctoribus scribitur, vt cuidam eius militi grauiter vulnerato sanguinolentum vulnus suo diademate, quod e capite amouerat, celeriter circumligari iusserit; quando ob magnam quandam fluentis & emanantis sanguinis abundantiam tunc pro salute saucii militis aliter fieri non poterat. Nos vero, qui Christiani & sumus & haberi volumus & in cruce & in patibulo Iesu Christi Domini nostri vel maxime gloriamur, his friuolis & inanibus gentilium & Ethnicorum hominum inuentionibus omnino abolitis penitusque reiectis, nonnulla vetusta coronandi & inungendi genera ex sacris literis hinc inde collecta in medium adducemus. Saul, vt a primo Iudæorum Rege incipiamus, a Samuele Propheta his verbis in primo Regum, vnctum fuisse legimus. *Tulit Samuel lenticulam olei, & effudit super caput eius, & deosculatus est eum: & ait: Ecce vnxit te Dominus super hereditatem suam in principem; & tu liberabis populum eius de manibus inimicorum suorum, qui in circuitu sunt.* Et in eodem loco paulo post ab eodem Samuele Dauid prædicti Saul successorem in hunc modum inunctum extitisse accepimus: *Et ait Samuel ad Isai patrem Dauid: Mitte & adduc eum; nec enim discumbemus prius, quam ille huc venerit. Misit ergo & adduxit eum; erat autem rufus & pulcher aspectu, decoraque facie. Et ait Dominus: Surge & vnge eum, ipse est enim. Tulit ergo Samuel cornu olei, & vnxit eum in medio fratrum eius; & directus est spiritus Domini a die illa in Dauid & deinceps, & quæ sequuntur.* Et in tertio eiusdem voluminis Salomonem commemorati Dauid filium per Sadoch sacerdotem quendam sacro oleo delibutum fuisse cognouimus. Sic enim scribitur: *Sumsitque Sadoch Sacerdos cornu olei de tabernaculo, & vnxit Salomonem, & cecinerunt buccina, & dixit omnis populus: Viuat Rex Salomon. Et ascendit vniuersa multitudo post eum, & populus canentium tibiis, & lætantium gaudio magno; & insonuit terra clamore eorum;* Et reliqua huiusmodi gaudiis & iubilationibus & exultationibus plena & referta comperimus. Atque hæc tria præcipua & singularia talium ac tantorum Regum exempla, ad regiam & sacram vnctionem, quæ quidem ex egregia quadam humilitate pro hodierna regalium & imperatoriarum personarum coronatione non immerito

Laurea.

Diadema.

Vnctio regalis.

p. 11

merito putabantur, ex veteri Testamento protulisse sufficiat. Id etiam ipsum de Sacerdotibus, quod de Regibus in sacris literis legisse meminimus; vt scilicet sacro oleo pariter vngerentur; nam vtrumque vsque ad hæc nostra tempora hactenus seruatum esse deprehendimus. Quod in persona Christi humani generis redemptoris, non humano sed potius diuino quodam exultationis oleo, ideo factum fuisse credimus, quoniam Dauid Prophetarum maximum de eo ipso in libro Psalmorum loquentem, carmina hæc ponere comperimus: *Propterea vnxit te Deus, Deus tuus oleo exultationis, præ participibus tuis: & reliqua.* Proinde & Sacerdotes & Reges *Christos*, quod Græce vnctos significat, in sacris literis per hunc modum legimus appellatos: *Nolite tangere Christos meos, & in Prophetis meis nolite malignari:* & plura huiusmodi dicendi genera ex lato & amplo sacrarum scripturarum campo sponte sua nobis in præsentiarum occurrerent, quæ, ne longiores simus, de industria prætermittimus. Nos igitur, qui (vt diximus) Christiani sumus, & præclara maiorum nostrorum vestigia sequi & imitari vel maxime cupimus, non solum te, Diue Friderice Romanorum Rex semper Auguste, sacro solo vnctionis oleo vna cum Leonora beata & felici consorte tua, secundum veterem quandam & vsitatam regiæ vnctionis antiquorum Patrum consuetudinem, per hanc humilem & deuotam Nicolai V. Summi Pontificis administrationem feliciter vngimus; sed & ensem aureum cingimus, & regale insuper sceptrum & similem pilam ambabus manibus exhibemus, ac denique sacro sancto capiti tuo imperiale diadema, ex puro & solido auro confectum, & pluribus quoque margaritarum & vnionum ac cæteris preciosorum lapillorum generibus redimitum, solenniter imponimus, cum te prius duo alia diademata, ferreum videlicet & argenteum, veteri quadam consuetudine iam suscepisse non ignoremus. Quippe corona ferrea, quam in ordine primam esse constat, fortitudinem ac potestatem significare videtur. Nam quemadmodum ferrum cæteris omnibus metallis fortius ac potentius habetur & creditur; ita Imperatoria maiestas cunctis aliis principibus fortior ac potentior esse debet. Secunda quoque argentea non fortuito, sed singulari quodam mysterio assumitur. Sicut enim argentum aliis metallis albius, purius & nitidius conspicitur, ita maximi ac Summi Principis mentem claram, mundam, & serenam esse decet. Tertia aurea egregia & solemni significatione capitur. Etenim ceu aurum cætera metalla sua dignitate longe superat & excellit; ita pariter Imperator cæteris omnibus secularibus Principibus proprio virtutum suarum splendore præstare & excellere existimatur; & vt etiam hoc, qualecunque est, nostrorum temporum Imperium, illius veteris Romani vestigia sibi reseruasse ac retinuisse videatur. Priscis namque Romanis vniuerso pene terrarum orbi, cum maxime florebant, imperantibus, a cunctis subditis gentibus aureum tributum pro diuersis exhibentium subiectorum facultatibus varie tradebatur. Ex hac itaque prædictarum trium coronarum mystica susceptione, tria præcipua & singularia a nobis paulo ante commemorata, plane aperteque designantur: in quibus duo illa nostra dignitas & imperatoria Maiestas vel maxime continentur, quemadmodum a principio huius orationis proposuisse meminimus: quod a pluribus Summis Pontificibus ad politiorem quandam & solenniorem imperatoriæ coronationis celebritatem iam dudum præcipuo & singulari mysterio factum fuisse accepimus. A Carolo enim Francorum Rege, cui ob rerum a se gestarum magnitudinem Magno non secus quam Alexandro Philippi Regis filio cognomen fuit, vetus quædam coronandi consuetudo initium sumsit, quæ a prioribus & maioribus quibusdam Imperatoribus aliquotiens obseruata, ad nostram vsque ætatem in augustam huius Friderici tertii personam in præsentiarum tanta cum gloria prouenisse videtur, vt etiam eisdem prædicti Caroli insignibus coronari mereretur. Nam cum tota Italia per aduentum Longobardorum sub Desiderio eorum Rege magnis vndique calamitatibus premeretur, factum est, vt in necessarium quoddam obsessæ vrbis subsidium a Stephano secundo ea tempestate Romanæ Ecclesiæ præsidente, e Gallia in Italiam euocaretur: qui quidem ita se

Marginal notes: *Ferrea corona.* *Argentea.* *Aurea.* p. 12.

se gessit, vt commemoratum desiderium eorum Regem generosissime ac gloriosissime superaret, hostesque pariter similiterque subigeret. Vnde honoris & gloriæ suæ causa Imperator appellatus atque a Leone postea Tertio Summo Pontifice magno cum honore coronatus est, quem quidem morem priscis illis ritibus gentilibusque abolitis a nonnullis prædecessoribus tuis diutius seruatum fuisse non ignoramus Quapropter quantum non solum præsentes, verum etiam absentes homines, hæc ipsa religiosa maiorum nostrorum instituta sequentes, & hæc quoque tam admirabilia & tam incredibilia propriis (vt dicitur) oculis conspicientes, ex hac tanta & tam inaudita cunctorum Christianorum populorum vnione, conuentioneque lætari & gaudere debent; nedum verbis scriptisue explicari, sed ne mente quidem cogitari comprehendique posset. Tantum enim & tam concordem in hanc ipsam coronationem omnium Christianorum gentium Consensum, sine expresso quodam nutu diuino euenire non posse credendum est. Ideo vnusquisque sanæ mentis in singulari & præcipua quadam vtriusque Sanctitatis & Maiestatis sapientia,, sanctimonia & integritate vitæ condita, summopere confidere & sperare debet, vt cuncta quæque bellica & tumultuosa a recta tam spirituali quam seculari via aliquatenus abhorrentia, ad pacem & tranquillitatem, concordiam & quietem Dei gratia tandem aliquando reducantur. Præsertim cum generalis quidam & hactenus inusitatus omnium fidelium populorum principumque consensus, & vniuersalis quædam prædictorum cœtuum (vt ita dixerim) conspiratio, manifestum quoddam & expressum diuinæ voluntatis signum esse videatur. Vnde
p. 13. non iniuria in præsentiarum ad vos assistentes, & ad absentes etiam, in hac tanta & tam insitata lætitia parumper conuersus, cum Psalmo psallere his verbis & in hunc modum cantare non formidabimus: *Omnes gentes plaudite manibus, iubilate Deo in voce exultationis, & reliqua.* Quod si cuncti Christiani principes & populi ex hac tanta ac tam admirabili & tam solemni Imperatoriæ Maiestatis coronatione apprime lætari, atque plurimum gaudere debent: quanto vos, Beatissime Pater ac Serenissime Imperator, vehementius atque efficacius & ardentius gaudebitis, cum præsentem & futuram huius tantæ solennitatis & celebritatis gloriam, solidosque fructus, ad vos solos pertinere & spectare vel maxime existimaueritis? Quod enim ex Summis Pontificibus, vel quot etiam ex veris Imperatoribus, vtrisque maioribus & prædecessoribus vestris, fuisse nouimus, qui huiusmodi Diadema vel legitime largirentur, legitimeue susciperent? Nam ita pauci ex vtroque ordine reperientur, vt si numerarentur, facile paruulum quendam numerum constituere viderentur. Duobus enim Carolis, duobusue Othonibus, & vno Henrico, Constantino, Radulpho, Conrado, Alberto, & altero Sigismundo, & si qui alii fuerunt, duntaxat exceptis, quos legitime ab Apostolica Sede coronatos fuisse accepimus, neminem alium in vtroque Pontificum Imperatorumque Catalogo, reperiri potuimus, quem Imperatorium diadema iure suscepisse diceremus; cæteris omnibus siue Honoriis, siue Valentinianis, siue Theodoricis, siue aliis Federicis, vna cum reliqua Cæsarum turba, vel per incuriam negligentibus vel per vultum aspernantibus, vel potius vi & armis sacrosanctum Romanum Imperium sibi ipsis nefarie nimis arrogantibus. Et eos etiam quos honoris causa nominauimus, non tanto populorum omnium principumque consensu, cunctarumque gentium applausu, Diue Federice, instar tui, coronatos fuisse constat: quem quidem nullis discrepantibus, quinimo cunctis vel maxime approbantibus, ex intima Germania huius coronationis gratia huc vsque venisse conspeximus. Præterea si Samuel & Saul in illa inunctione veteri adprime gauisi sunt; quanto vos Nicolae ac Friderice vehementius illis lætari & ardentius gaudere debetis? Quemadmodum enim tu Summe Pontifex, cum Christi humani generis redemptoris vicarius reperiaris, Samuele licet Propheta melior & præstantior esse diceris: ita tu, Friderice, Saulum in regno ipso longe excellere & superare videris. Ille namq; Iudæorum duntaxat, tu autem Romanorum Rex, ac totius saltem Occidentalis imperii solus moderator & princeps apellaris. Quod quidem imperium cæteris priscis & Assyriorum, & Ægyptiorum, & Sicyoniorum, & cunctarum aliarum gentium no-

Carolus M. Imp.

Legitima coronatio.

bilius & excellentius ac potentius fuiſſe ſcribitur. Aſſyriorum enim imperium aliis omnibus, Romano tantummodo excepto, potentius fuiſſe traditur. Nam Ninus qui Belo patri primo Aſſyriorum regi ſucceſſit, vniuerſam Aſiam, quæ totius orbis ad numerum partium tertia dicitur, ad magnitudinem vero dimidia reperitur, vsque ad Libyæ fines ſubegiſſe & in ditionem ſuam redegiſſe fertur. Solis quippe Indis in partib. Orientis non dominabatur, nec amplius quam per mille trecentos circiter annos duraſſe creditur. Ad Romanorum Imperium ſi a condita Vrbe vsque ad irruptionem Gothorum (qua quidem tempeſtate degenerare & declinare vel maxime cœpit) diligenter & accurate recenſebimus, multo diutius perduraſſe comperiemus, ac longius latiusque diffuſum extitiſſe nequaquam dubitabimus. Romani enim totam Europam, totamque Africam, partemque Aſiæ in ditionem ſuam redegerunt. Et ceu tu, Nicolae, eodem Samuele, ob eas quas ſupra diximus cauſas, melior eſſe cenſeris: ita tu, Friderice, ipſo Dauid quoniam Chriſtianus, & Chriſti gratia refulgens, excellentior ac præſtantior reperieris. Ac veluti tu ſacerdotii princeps, Sadoch ſacerdote longe præſtantior es; ita tu, Friderice, Salomone ipſo propterea non immerito excellentior iudicaberis. Quod ſi prædicti Prophetæ & Sacerdotes vngentes, & vncti quoque Reges vna cum populis ſuis, in ipſa vnctionis die ita ſupra humanum modum lætabantur, vt variis omnium cantuum cunctorumque ſonorum ac ſymphoniarum generibus, diuerſa iubilationis & exultationis genera demonſtrarent; quanto vos ſtudioſius id ipſum facere & operari debetis, qui in cæteris & veteribus & nouis cum Regum tum Imperatorum coronationibus reliquis omnibus coronantibus & coronatis longe præſtare atque excellere videmini. Verum enim vero in mentibus veſtris tantum & tam excellens gaudium propterea non iniuria fore exiſtimamus & credimus, vt penitus & omnino exprimi explicariue non poſſit. p. 13. Attamen Epilogo partium huius orationis noſtræ hinc inde longe lateque diſperſarum prætermiſſo, ne forte prolixiores ſimus, ad modicam & paruulam quandam tanti gaudii, tantæque lætitiæ expresſionem, pro vtroque veſtrum quibusdam Eccleſiaſticis cantibus breuisſime vtemur. Itaque audite hæc, omnes gentes, auribus percipite omnes qui habitatis terram: audite, audite, inquam, cœli, quæ loquimur. Audiat terra verba oris noſtri. Cantemus igitur cunctis audientibus Domino, cantemus inquam canticum nouum Domino, quia mirabilia fecit quæ quidem præterita ſecula hactenus nec videre nec audire potuerunt. Itaque pie deuoteque in præſentiarum iubilemus, cantemus, exultemus ac pſallamus, vt in futuro ſeculo coram omnipotenti Deo conſtituti, vna cum reliquis beatis ſpiritibus diuina Trinitate fruentes, id ipſum in perpetuum facere & operari valeamus.

Cum igitur cuncta eo ordine, quo ab initio orationis noſtræ propoſuiſſe meminimus, omnibus oratorum epilogis breuitatis cauſa prætermiſsis, pro modulo noſtro abſoluiſſe videamur: reliquum eſt, vt finem dicendi faciamus, ſi prius pro te, Beatisſime Pater, ad omnipotentem Deum iam tota mente conuerſo, & pro hoc Federico III. nouello Imperatore a Sanctitate tua nuper conſtituto, in hunc modum humiliter exorauerimus, proque Maieſtate tua tandem, glorioſisſime Cæſar, breuiter reſponderimus. Omnipotens & Sempiterne Deus, qui ad prædicandum æterni regni Euangelium Romanum Imperium præparaſti, præſta quæſo huic Federico tertio nouello Imperatori, fideli famulo tuo, arma cæleſtia, vt ſuperatis barbaris & inhumanis gentibus, pacis ac Catholicæ fidei inimicis, ſecuta & intrepida tibi ſeruiat Chriſtiana libertas. Nunc ad hanc pontificialem tam piam & tam humilem orationem pro te, Religioſisſime Imperator, deuoti & ſupplices in hunc modum reſpondebimus. Exaudi, quæſumus, omnipotens & ſempiterne Deus pias & deuotas preces Nicolai tui Summi Pontificis, vt cuncti eccleſiaſtici & ſeculares populi, Prælati, Reſpublicæ & principes, omnibus Chriſtianæ fidei hoſtibus penitus abolitis, atque ad vltimam internetionem vsque deletis, liberius ſeruire & efficacius famulari valeant: quatenus per hunc certum & ſecurum omnium fidelium noſtrarum gentium famulatum, cuncti Chriſtiani homines digna vtriusque præſentis & futuræ vitæ præmia conſequi mereantur.

Atque

Atque hæc habuimus, quæ in hac tam admirabili, tam fausta & tam felici imperatoriæ coronationis celebritate primo ad æternam omnipotentis Dei gloriam, ad perpetuam deinde beatitudinis tuæ, Beatissime Pater ac etiam Maiestatis tuæ, gloriosissime Imperator, laudem & commendationem, ad consolationem insuper vestram, præstantissimi Auditores, præterea ad generalem quandam & immensam totius Christiani generis lætitiam atque hilaritatem, & sempiternam denique tantarum & tam magnarum rerum memoriam in præsentiarum diceremus.

p. 15. DE FRIDERICI III. IMP. IN ITALIAM PROFECTIONE VOTIVA, ET HONORIFICO AD VRBEM ADVENTV, NARRATIO, E LIBRO I. SACRARVM CEREMONIARVM. SECT. XIII. CAP. I. DESVMTA.

FRIDERICVS tertius Anno salutis sexagesimo octauo supra Millesimum quadringentesimum, Romam venit religiosæ peregrinationis gratia: cumque Paulus secundus Pontifex Maximus summis honoribus excepit. Quæ igitur in suo aduentu mature & prudenter ordinata sunt atque seruata, quoniam omnibus interfui, ex officio hic annotabo, & vt posteri his vti si voluerint facile possint, adnectam. Vt primum igitur Pontifici nunciatum est, Cæsarem in Italiam aduentasse, Romamque via Flaminia petiturum, iussit prouinciarum Ecclesiæ Romanæ præfectos, per quas iter facturus erat Cæsar, vt venienti honoris causa obuiam irent Pontificis nomine ad fines prouinciæ, illumque cum omni suo comitatu publicis sumptibus magnifice exciperent, & honores ei omnes impenderent, iuberentque per ciuitates omnes qua esset transiturus, clerum in porta obuiam exire cum crucibus, & deducere ad ecclesiam cum Antiphonis, versiculis & orationibus, vt in Pontificali habetur. Deinde vt Ecclesiæ agrum Cæsarem intrasse cognouit, Nobiles quosdam ex ordine equestri præmisit, qui Cæsari obuiam eant, gratulantes Pontificis nomine prosperum eius aduentum, & omnia Pontificis officia pollicentes. Post hoc sunt missi duo sacri Palatii causarum auditores, qui Spoleti; & duo deinde Archiepiscopi cum duobus Episcopis ex assistentibus Papæ, qui Marini Cæsari se exhibuerunt: designauit præterea Pontifex duos Apostolicæ Sedis legatos, Guilielmum Episcopum Hostiensem Rothomagensem, & Franciscum S. Eustachii Diaconum Senensem, S. Rom. Ecclesiæ Cardinales, datis mandatis vt duorum dierum itinere Cæsari obuiam irent. Sed legati cum primum obuiam fiunt Imperatori descendunt ex equis, cum ex propinquo eum manifeste videant, & suæ Maiestati reuerentiam faciunt, siue descenderet, siue in equo manserit: consueuit tamen & ipse descendentib. legatis descendere. Die autem quo vrbem intrauit, hoc ordine exceptus est. Primi obuiam iere ad tertium lapidem Vicecamerarius, Præfectus, Senator, conseruatores & cancellarii vrbis, omnes cum habitu suæ dignitatis, & cum his capita Regionum & alii magistratus vrbani, cum ciuibus nobilioribus; quos non multo interuallo ordines curiæ & cancellariæ officiales, Duce Episcopo Vrbinate Correctore & abbreuiatore literarum Apostolicarum, secuti sunt, tertio loco Prælati domestici Pontificis, cum aulicis proceribus & nobilibus multis, ad secundum lapidem processere. Sacer deinde Cardinalium senatus extra portam ad quingentos passus Cæsarem expectauit: cui aduenienti suo & Pontificis nomine felicem aduentum gratulatus est, verba faciente priore Episcoporum Cardinalium. Clerus Vrbis in ipsa porta cum crucibus & reliquiis, vt Cæsarem exciperet, iussus erat. Hoc igitur ordine, quamuis propter serum introitum omnino seruari non potuerit, Vrbem ingressus est. Primo procedebant mixtæ Cardinalium familiæ, cum militibus Cæsaris: tum familiares Pontificis laici, cum familiaribus Imperatoris. Inde nobiles & Barones: tum conseruatores cum officialibus Vrbis. Deinde oratores Principum & Regum non prælati. Postremo Senator & Præfectus Vrbis cum suis ornamentis. Armiger Cæsaris cum ense nudo inter illos & Cæsarem solus equitabat. Sequebatur Cæsar sub baldachino, medius inter duos seniores Episcopos Cardinales. Cui in porta Vicarius Papæ, qui clero vrbis præest, paratus in Pontificialibus crucem exosculandam porrigere debet. Et clerus cantat: *Ecce mitto Angelum meum.* Et clerus supplicabundus procedit immediate ante præfectum & Senatorem. Imperatorem sequuntur Cardinales per ordinem, Episcopi,

presbyteri, & Diaconi officiales: & nobiliores ciues ducunt equum Cæſaris freno, & baldachinum portant. Poſt Cardinales ſequebantur Prælati Cæſaris, cum prælatis oratoribus: & demum alii Archiepiſcopi, Epiſcopi, Protonotarii, Abbates,& alii curiales togati. Ex itinere duo presbyteri & duo diaconiCardinales diuertentes,ad Pontificem præuenerunt: qui cum illis & nonnullis aliis prælatis atque aulicis ſuis cum pluuiali & mitra deſcendit ad Eccleſiam S.Petri; vbi in capella maiori in ſede ſua eminenti ſedens Cæſarem expectabat. Cæſar ordine quo diximus, ad gradus Baſilicæ peruenit: vbi equo deſcendens a Cardinalibus & aliis ad confeſſionem beati Petri deductus eſt: vbi paratum erat faldiſterium, ſuper quod procumbens aliquantulum orauit. Interim p. 16.
Cardinales omnes ad Pontificem aſcendentes in locis ſuis ſederunt,& illi duo presbyteri & Diaconi, qui præuenerant,Cæſarem apud faldiſterium orantem expectantes, illum finita oratione ad Pontificem deduxerunt. Qui vt Pontificem vidit, genu terram tangens illum veneratus eſt:& accedens propius idem fecit: aſcendens deinde ad ſolium in terram pronus Pontificis pedes oſculatus eſt. Deinde manu Pontifex benigne illum ſuſcipiens, atque a terra eleuans, ad oſculum oris recepit, & aſſurgens eum modeſte amplexatus eſt: moxque iuſſit eum ſedere in ſede pro eo honorifice præparata,inter ſolium Pontificis & ſedilia EpiſcoporumCardinalium. Tum excepit Prælatos & proceres Cæſaris ad pedis oſculum. Deinde a duobus Diaconis Cardinalibus deductus Cæſar ad altare maius: ibi ſuper paratum ſibi faldiſterium diutius genuflexus orauit. Interim chorus cantauit Antiphonam: *Elegit eum Dominus, & excelſum fecit illum præ Regibus terræ.* Verſ. *Glorificauit illum in conſpectu Regum& non confundetur.* Surgens deindePontifex,ſine mitra dixit:*Pater noſter Et ne nos inducas in tentationem,ſed libera nos a malo.* Verſ. *Deus iudicium tuum Regi da,& iuſtitiam tuam filio Regis* Verſ. *Saluum fac Domine ſeruum tuumFridericum Imperatorem noſtrum,Deus meus ſperantem in te.* Verſ. *Mitte ei Domine auxilium de ſancto,& de Syon, tuere eum.* Verſ. *Nihil proficiat inimicus in eo,& filius iniquitatis non apponat nocere ei.* Verſ *Fiat pax in virtute tua & abundantia in turrib.tuis.* Verſ. *Domine exaudi orationem meam,& clamor meus ad te veniat.* Verſ. *Dominus vobiſcum:& cum ſpiritu tuo. Oremus. Deus qui beato Petro Apoſtolo tuo collatis clauib. regni cæleſtis,animas ligandi atq; ſoluendi Pontificium tradidiſti, Interceſſionis eius auxilio famulus hic tuus Fridericus Imperator noſter a nexib.pecatorum ſuorum liberetur. Protende quæſumus famulo tuo N. Imperatori noſtro dextram ſalutis auxilii,vt te toto corde perquirat, & quod digne & humiliter poſtulat aſſequi mereatur. Omnipotens ſempiterne Deus, Chriſtiani Imperii protector & conſeruator,da ſeruo tuo N. Imperatori noſtro virtutis inuictæ triumphum, ut ad noſtram & Eccleſiæ tuæ Sanctæ atq; fidelium omnium vnitatem & pacem ſubditas illi facias vniuerſas barbaras nationes per Chriſtum Dominum noſtrum, Amen.* Poſt hæc Pontifex de ſolio deſcendit, & Cæſarem iterum amplexatur, manu ſiniſtra illum tenens, pariter palatium Apoſtolicum aſcenderunt : qui in ſacellum S.Nicolai ingreſſi aliquantulum conſederunt, & familiariter confabulati ſunt. Deinde Pontifex Cæſarem ad cubiculum illi paratum dimiſit, iuſſitque Cardinales complures illum deducere: ipſe vero cum ſuis per aliam ſacelli portam ad cameram ſuam profectus eſt. Dum Cæſar Romæ fuit,ſæpe noctu vno vel altero famulo ſociatus, clam & indicto tempore ad Pontificis cubiculum acceſſit: cui Pontifex obuiam exiuit,cum primum id potuit reſcire, & diſcedentem ipſe deduxit vsque ad ſecundam & tertiam aulam: & aliquando ipſe Pontifex inexpectatus adCæſaris cubiculum cum paucis venit, illumque quantum potuit honorauit cum ſumma grauitate & maieſtate, & in eccleſia, & in via In Eccleſia orante Pontifice ſuper faldiſterio ſibi parato ante altare (ut fit)Imperator ſuper aliud faldiſterium orabat a ſiniſtris poſitum, coopertum purpureo ornamento, cum puluinari etiam purpureo,& paruo ſcabello viridi etiam purpureo. Sedes Cæſaris cum ſuo reclinatorio ſiue poſtergali ſita erat inter ſedem Pontificis & ſedilia Cardinalium, in formam ſedis Pontificialis. Sed non tantæ altitudinis neque latitudinis:cooperta erat panno ſericeo viridis coloris, & ſcabellum paruum habebat viride ſuper quod pedes tenebatImperator,altitudo ipſiusSedis ita erat inſtituta inCapel.Apoſtol.vt non altior eſſet locus vbi ſederet Imp. quam vbi Pontifex teneret pedes:& item ſcabellum Cæſaris æquale erat Sedibus Cardinalium.Cum incenſabatur Pontifex per Cardinalem aſſiſtentem,mox incenſabatur Imperator per primum ex Prælatis aſſiſtentibus Pontifici. Cum Pontifex pacem accipiebat ab aſſiſtente Cardinali,primo dabat pacem Imperatori, poſtea Diaconis aſſiſtentibus: Inter eundum ſemper manu ſiniſtra illius dextram tenebat, volebatque vt æquali ſemper gradu incederet:quamuis modeſte ſemper Cæſar reluctaretur. In diſceſſu mandauit Pontifex,quod itidem vt in introitu honoraretur. Sed ille ſummo mane cum paucis è ſuis conſcenſo equo ante receſſit,quam Cardinales comperiſſent,pauci admodum eius feſtinationem ſunt aſſecuti. Donauit Pontifex Cæſarem plurib. muneribus, primum veſte aurea,& equo albo phalerato,cum aliquibus Iocalibus,cum Reliquiis Sanctorum admodum precioſis,quorum precium ſupra duum millium aureorum ferebatur.

HISTO-

HISTORIA ELECTIONIS ET CORONATIONIS MAXIMILIANI I

LEGATIO HENRICI VII ANG. REGIS AD COMITIA CONFLUENTINA M CCC XCII.

LECTORI SALVTEM!
BURCARD GOTTHELF STRUVE.



Olennis Maximiliani I Electio atque Coronatio in hac Historia describuntur. Primum quidem recensentur Principes, Status atque Oratores, qui in Comitiis Francofurtensibus 1486, in quibus Electio facta, comparuetint. Horum Catalogum pleniorem paullo ex antiquo MSto exhibuit Mullerus. * *Hunc ipsum autem, quem exhibemus, Politicis etiam Imperialibus inseruit Goldastus,* ** *cui adiecta est ipsa electionis Historia. Discrepant equidem Scriptores de electionis die. Sic enim Gerbardus a Roo:* *** itaque ab omnibus simul Electoribus, Maximilianus consors Imperii declaratus, & in æde summa D. Bartholomæi, recepto titulo, Romanorum rex proclamatus est, ad decimum tertium Calendas Martii, *qui incidit in diem XVII Februarii. Tritbemius:* **** eodem anno vicesima die mensis Februarii, quæ fuit secunda feria post Dominicam Reminiscere in quadragesima, Franckenfurt oppido Regali in Ecclesia S. Bartholomæi Apostoli Maximilianus Archidux Austriæ, ad instantiam Friderici Imperatoris tertii, genitoris sui præsentis, in Regem Germanorum electus est, annum agens ætatis tricesimum primum, cuius Electores isti fuerunt Bertholdus ex Comitibus de Henneberg Archiepiscopus Moguntinus, Ioannes ex Marchionibus de Baden Archiepiscopus Treuirorum, Hermannus ex Landgrauiis Hassiæ Archiepiscopus Coloniensis; Philippus Comes Palatinus Rheni, Ernestus Dux Saxoniæ, & Albertus Marchio Brandenburgensis. *Verum, hæc ipsa Historia certum electionis diem indicat XVI Februarii, quem etiam confirmat Protocollum electionis ipsius,* ***** *& plerique Scriptores.* ****** *Sequitur inde Historia coronationis IX Aprilis Aquisgrani facta. Licet Gerbardus a Roo* ******* *iterum diem anticipet, dicens:* his ita constitutis, Aquisgranum ad suscipiendam coronam, iter ingressi sunt. Erant in eorum comitatu, Moguntinensis, Treuirensis, & Coloniensis Archiepiscopi: Ernestus Saxoniæ Princeps Elector, cum Alberto agnato, multique alii præsules, reguli, nobiles, & ciuitatum legati. In Vbiis adfuere præter hos, Guilielmus Iuliacensis, Carolus Geldrensis: Episcopi item, Salisburgensis, Augustanus, Spirensis, Misnensis, Vltraiectinus, Leodicensis, Osnabrugensis, Monasteriensis, ac alii nonnulli, quibus præsentibus, coronatus & solemni ritu in Regem consecratus est Maximilianus, tertio Idus Aprilis. *Hic autem decimus est mensis Aprilis. Ast, nonum Aprilis confirmant plerique Scriptores.* ********

Adiecta est Legatio Henrici VII Anglorum Regis ad Maximilianum, *tunc adhuc Regem Romanorum, & Imperii Ordines in Comitiis Confluentinis 1492. Postquam enim Carolus VIII Gallorum Rex Maximiliano Annam Britannicam præripuisset, Maximilianus non solum Henricum VII Anglorum Regem contra Gallos incitabat, sed etiam Imperii Ordines primo Metim, deinde Confluentiam a. 1492 vocat, vt illorum auxilia imploraret.* ********* *Dum igitur in Parlamento Anglicano bellum contra Gallos esset decretum, mittebatur Henrici VII nomine Franciscus de Puys, qui Gallorum astum fallaciasque magis exponeret, hoc ipso Germaniæ Ordinum animos magis concitaret, Regemque suum iam bellum contra Gallos fuisse adgressum, nuntiaret. Cui subiuncta est responsio, legato in Comitiis facta. Licet hoc ipso, quod Maximilianus omnibus esset destitutus, & auxilia promissa non præstaret, omnia essent frustranea.* ********** ELE-

* *im Reichs-Tags Theatro p. VI c. I.* ** *p. I p. 86.* *** *lib. X p. 502.* **** *ad a. 1486.*

***** apud Goldastum *Polit. Reichshandel p. I n. 4* & *Reichssatzungen p. II p. 173.* Kulpisium *inter Documenta ad Historiam Friderici III p. 218.* ****** Nauclerus *vol. II Gen. L p. 1108.* P. Heuterus *rer. Austr. lib. II c. IX.* Cuspinianus *p. 487.* Fugger *lib. V c. XXXIII n 2.* ******* *lib. X p. 502.*

******** Nauclerus *p. 1108.* Heuterus *Rer. Austr. lib, II c. IX.* Fugger *lib. V c XXXIII n 4.*

********* Trithemius Chr. Hirsaug. ad a. 1492. *anno quoque supra notato, in mense Septembris, Fridericus Imperator mundi tertius, & Maximilianus Rex Germanorum filius eius semper inuictus, Conuentum Regni Principibus apud Confluentiam oppidum Archiepiscopi Treuirorum consensu indixerunt vnanimi, quorum multis in præsentia constitutis Raptus desponsatæ Maximiliano Annæ Ducis Brittanniæ per Carolum Regem Galliæ præsumptus in medium proponitur & quid fieri decernant Principes, consultatio communis habetur. Erant tum qui bellum Gallo indicendum consulerent, vtpote qui non solum leges temerasset Germanas inferior, sed ius etiam violasset Imperii simul & Christianæ veritatis. In id tandem conuenit pars sanior, tempori concedendum, cum Brittanniæ Ducatus, neque Germaniæ Regno neque Brabantiæ Principatui ea tempestate conduceret. Maximilianus itaque Rex consilio Principum leuigatus animum remisit iratum.*

********** Baco de Verulamio Hist. Henrici VII p. 180 *Legati Angliæ, cum ad Maximilianum*



ELECTIO

p. 17. SERENISSIMI ET ILLVSTRISSIMI PRINCIPIS, D. MAXIMILIANI ARCHIDVCIS AVSTRIAE, DVCISQVE BVRGVNDIAE, ETC. IN REGEM ROMANORVM, FACTA PER PRINCIPES ELECTORES IN OPPIDO FRANCKENFORD, ANNO M CCCC LXXXVI. *

CODICILLVS PRAESENS INDICAT NOMINA PRINCIPVM, COMITVM, ET BARONVM, QVI AD ILLVSTRISSIMI PRINCIPIS ET DOMINI, D. MAXIMILIANI ARCHIDVCIS AVSTRIAE, DVCISQVE BVRGVNDIAE, ELECTIONEM IN ROMANORVM REGEM IN OPPIDO FRANCKFORDENSI CONVENERE.



ANNO a natiuitate Saluatoris M CCCC LXXXVI. die Veneris, XX. mensis Ianuarii, Gloriosissimus ac inuictissimus Princeps & Dominus, Dominus Fridericus tertius Romanorum Imperator, suæque Maiestatis vnicus filius Maximilianus Archidux Austriæ, Burgundiæ Dux, Francofordiam ingressi sunt.

Affluxerant alii Principes, quorum nunc recenseo nomina.

Archiepiscopus Moguntinensis.
Archiepiscopus Treuirensis.
Archiepiscopus Coloniensis.
Philippus Dux Bauariæ, Comes Palatinus Rheni.
Ernestus Dux Saxoniæ.
Albertus Marchio in Brandenburg.
Albertus Dux Saxoniæ.
Fridericus Dux Saxoniæ.
Ioannes Dux Saxoniæ.
Henricus Dux Brunsvvigensis.
Iohannes Dux Bauariæ, Comes in Spanheim.
Rupertus Dux Bauariæ.
Caspar Dux Bauariæ, Comes in Feldentz.
Carolus Dux Gelriæ.
Wilhelmus Landgrauius Hassiæ, Comes in Katzenelnbogen & Dietz, & Comes in Zigenhayn.
Christophorus Marchio de Baden.

Alber-

aduentassent, longo interuallo inter se disiunctas repererunt: cum omnino ei deessent Pecunia, Milites, Arma, quæ tantæ Expeditioni sufficerent. Maximilianus enim, cum neutram Alarum suarum integram haberet, (quoniam Patrimonium suum Austria ad eum nondum deuenerat, patre siquidem adhuc viuo; atque ex altera parte, Territoria sua Matrimonialia, partim Ducissæ Viduæ in Dotem cesserant, partim recentibus Rebellionibus exhausta erant) Copiis ad Bellum necessariis, plane destitutus erat.

* Hanc Maximiliani I. electionem breuiter describit Gerardus a Roo Ann. Austr. lib. X p. 502 & Fugger lib. V c. XXXIII p. 951. Facta est autem electio die XVI Februarii. Catalogum Principum, qui hisce Comitiis interfuerint, ex Relationibus Mstis æque exhibet Mullerus im Reichs-Tags-Theatro p. VI c. I

Albertus Marchio de Baden.
Fridericus Marchio de Baden.
Abbas de Fulda Princeps.
Episcopus Bambergensis.
Episcopus Augustensis.
Episcopus Cameracensis.
Episcopus Sibinicensis.
Episcopus Wormatiensis.
Episcopus Spirensis.
Episcopus Eystetensis.
Episcopus Tergestinus.
Episcopus Missenensis.

Nunc quot & quos Princeps quilibet Comites Baronesque Franckfordiæ secum habuerit, ex ordine referemus, ordiamurque a Cæsarea Maiestate, quæ infra descriptos habuit.

Albertum Marchionem de Baden. p. 18.
Hugonem Comitem de Werdenberg.
Abbatem de Milck.
Abbatem de Admunde.
Sigismundum Broschenck.
Sigismundum de Bappenheim.
Bertolinum de Starenberg.
Fridericum de Stubenberg.
Casparem de Rogendorff.
Martinum de Eytzingen.
Iohannem de Wolffstein.
Domicellum de Wolkenstein.
Dominum de Vtzendorff.
Iohannem de Zeltingen.
Christophorum de Hohenfeldt.
Sigismundum Midderthorer.
Dominum de Berneck.
Dominum de Mersperg.

Incliti Maximiliani Romanorum Regis, Archiducis Austriæ, Ducis Burgundiæ, curiales Principes, Comites & Barones enumeremus.

Christophorus Marchio de Baden.
Episcopus Cameracensis.
Episcopus Sibinicensis.
Carolus Dux Gelriæ.
Adolphus Comes de Nassavv, Marschalcus.
Fridericus Comes de Hohenzollern.
Fridericus Comes de Bitsche.
Walrab Comes de Bitsche.
Comes de Bentheim.
Carolus Comes in Croy & Schymay.
Ludouicus de Emerey.
Martinus de Polheim.
Wolffgangus de Polheim.
Bernardus de Polheim.
Vitus de Wolckenstein.
Cornelius de Bergen.
Fridericus de Egkmunder Iselstein.
Hugo de Melo, Dominus in Anthon.

Domi-

Dominus de Lanney.
Carolus de Lalayn.
Iohannes de Leuan.
Philippus baſtardus de Burgundia.
Gerhardus de Buſy.
Gerlacus de Iſenberg.
Dominus de Barbenzon.
Arnoldus de Trazenis, Dominus in Army.
Dominus de Geth.
Dominus de Battenburg.
Walrab de Breyderade.
Ludouicus de Baenſt.
Ditherus de Foſſe.
Florentius de Iſelſtein.
Don Ladron de Portigal.
Dominus de Erckentiel.
Dominus de Trap.
p. 19. Dominus de Lichtenſtein.
Philippus de Areſſes, dominus curiæ.
Daniel de Herzele.

Progrediamur ad illuſtriſſimos ſacri Romani Imperii Electores.

Reuerendiſſimus in Chriſto pater & dominus, dominus Bertoldus Archiepiſcopus Moguntinenſis ſacri Romani Imperii per Germaniam Archicancellarius ac Princeps elector, hos ſecum habuit Comites atque Barones.

Iohannem Abbatem Fuldenſem, ex familia Comitum de Henneberg natum.

Georgium commendatorem ordinis ſancti Iohannis, ex familia Comitum de Henneberg natum.

Ottonem Comitem in Henneberg.
Iohannem Comitem in Wertheim.
Eraſmum Comitem in Wertheim.
Sigiſmundum Comitem in Glichen.
Philippum Comitem in Naſſavv.
Ludvvicum Comitem de Iſenberg, dominum in Budingen eiusque duo filii,
Iohannem Comitem de Iſenberg, dominum in Budingen.
Philippum Comitem in Ryneck.
Reinhardum Comitem in Ryneck.
Philippum alium Comitem in Ryneck.

Ad Reuerendiſſimum in Chriſto patrem & dominum, dominum Iohannem Archiepiſcopum Treuerenſ. ſacri Romani Imperii per Galliam & regnum Arelatenſe Archicancellarium ac Principem Electorem ſe calamus dirigat: Principesque, Comites, Barones, qui ſuæ reuerendiſſimæ paternitati aderant, deſcribat. Fridericus Marchio in Baden.

Bernhardus Comes in Solms, dominus in Mintzenberg in Appermont: cum duobus filiis.

Emich Comes in Liningen & Dagſpurg.
Dominus Iohannes Comes in Naſſavv, & in Dietz.
Simon Wecker Comes in Zvveinbrucken, Dn. in Bitſch, & in Lichtenberg,
Iohannes de Seyne, Comes in Witgeſtein, & Dominus in Homburg.
Ditherus Comes in Manderſcheyt, dominus in Sleiden.
Fridericus Comes in Wiede, dominus in Iſenburg.
Iohannes Comes in Manderſcheyt & Blanchenheim.
Bernhardus Comes in Lining.

Iacobus Comes in Dune & Kirpurg, dominus in Salm.
Philippus Dominus in Bernstein & Falckenstein.
Winrich de Dune, dominus in Falckenstein & Oberstein.
Wilhelmus dominus in Runckel & Isenburg.
Iohannes Comes in Wiede, dominus in Isenburg.
Ditherus Burggrauius in Ryneck, dominus in Bruch & Tonnenberg.
Cuno dominus in Winnenberg & Bilstein.

Reuerendissimus in Christo pater & dominus, dominus Hermannus Archiepiscopus Coloniensis, sacri Romani Imperii per Italiam Archicancellarius & Elector infra nominatos secum habuit Comites, & Barones. Wilhelmum Lantgrauium Hassiæ, Comitem in Katzenelenbogen, Dietz & Ziegenhain.
Gerhardum Comitem Rheni.
VVilhelmum & Hupertum Comites in Nuvvenar.
Henricum Comitem in Nassavv, & dominum in Bilstein.
Philippum Comitem in Firnberg.
Philippum Comitem in Solms.
Henricum Comitem in VValdeck.
Comitem in Salm, dominum in Rifferschit.
Vincentium Comitem in Morsse.
Fridericum dominum in Zomeruff.
VVilhelmum Dominum in Rennenberg. p. 20.

Pergamus ad illustrissimum Principem & Dominum, Dominum Philippum Bauariæ Ducem, Comitem Palatinum Rheni, sacri Romani Imperii Archidapiferum, suæque curiæ Comites atque Barones, quos secum habuerat, designemus.
Caspar Dux Bauariæ Comes in Feldentz.
Episcopus Spirensis.
Episcopus VVormaciensis.
Magister ordinis Teutonicorum.
Ludvvicus de Bauaria.
Iohannes Rheni Comes.
Otto Comes in Solms. Bernhardusque eius filius.
Michael Comes in VVertheym.
Henricus Comes iu Bitsch.
Philippus Comes in Hanavv.
Gerhardus Comes in Seyne.
Hammo Comes in Liningen.
VVicker Comes in Liningen.
Hugo Comes in Montfort.
Iohannes Comes in Montfort.
Crafto Comes in Hoenloch.
Conradus Comes in Thübingen.
Comes de Nassavv, Dominus in Bilstein.
VVolfgangus Comes in Furstenberg.
Cuno Comes in VVesterburg.
Bernhardus Comes in VVesterburg.
Bernardus Comes in Eberstein.
Bernhardus alius Comes in Eberstein.
Henricus Comes in Lupff.
Dominus Iohannes Ruvvegraue.
Melchior de Oberstein.
Emich de Oberstein.
Iohannes de Hohenfels, Dominus in Reipelskirchen.

Schenck Christophorus de Limpurg.
Schenck Fridericus de Limpurg.
Schenck Erasmus de Erpach.
Dominus Iohannes de Schvvarzenberg.
Dominus de Sonnenberg.
Illustrissimus Princeps & Dominus, Dominus Ernestus Dux Saxoniæ, Lantgrauius Thuringiæ, Marchio Missenæ, Sacri Romani Imperii Archimarschalcus, subscriptos curiales habuit Principes, Comites atque Barones.
Fridericum Ducem Saxoniæ.
Iohannem Ducem Saxoniæ.
Karulum Comitem in Glichen.
Iohannem Comitem in Hohenstein.
Iohannem Comitem in Werdenberg.
Comitem de Warnburg.
Brononem Dominum in Querfort.
Duos Barones dictos Russen de Plavven, Dominos in Gretz & Cranchfelt.
Procedant demum illustrissimi Principis & Domini, Domini Alberti Marchionis in Brandenburg sacri Romani Imperii Archicamerarii curiales Comites atque Barones.
Iodocus Comes in Hohenzollern.
Fridericus Comes in Zorn. *
Ytelfricz Comes in Zorn.
Fridericus Comes in Castel.
Georgius Comes de Castel.
p. 21. Michael dominus in Schvvartzburg.
Sigismundus de Schvvarzburg.
Philippus de Winsperg sacri Romani Imperii camerarius.
Christophorus de Limperg, sacri Romani Imperii pincerna. Nunc ad cæterorum Principum curiales Comites atque Barones nostra procedat descriptio.
Reuerendissimus in Christo pater & dominus, Dominus Ioannes Archiepiscop. Strigoniensis, administrator Archiepiscopatus Saltzburgensis, hos secum habuit Comites & dominos.
Iacobum de Hauvvesperg.
Wolgangum Ahaym.
Marcum de Hohenfelt.
Ernestum de Braben.
Georgium de Ram.
Theoboldum de Steming.
Abbatem de Agram.
Reuerendus Princeps & dominus, dominus Episcopus Bambergensis secum habuit, Bertoldum Comitem de Hennenberg, & Ernestum de Hohenstein.
Illustris Princeps & dominus, dominus Albertus Dux Saxoniæ, Lantgrauius Turingiæ, Marchio Missenæ, secum habuit Episcopum Missenensem.
Henricum Comitem de Stalburg.
Adam Comitem in Bichlingen.
Brunonem Dominum in Querfort.
Illustris Princeps dominus Henricus Dux Brunsvvicensis secum habuit Philippum Comitem in Waldeg.
Comitem in Gonstorff.
Oratores aliorum Principum & Comitum.

* legendum *Zollern*.

Episcopus Verdunensis, Orator Regis Franciæ.

Oratores Sigismundi Ducis Austriæ.

Episcopus Augustensis, qui Franckfordiæ obiit, dominus Vlricus Frenberg, dominus Georgius Abesberg.

Oratores Ducis Lotharingiæ, Philippus Comes in Liningen, itemque Nicolaus Comes in Sarvverden.

Oratores Georgii Ducis Bauariæ, videlicet dominus Sigismundus Leyminger, & quidam Doctor.

Oratores Alberti Ducis Bauariæ, videlicet Doctor Birckheymer, & Sifridus Pauelsdorfer.

Oratores Ducis Mediolani; sc. Doct. Andreas Schenck cum aliis sibi adiunctis.

Oratores Comitis de Wirtenberg, Præpositus Stockhardensis vtriusque iuris Doctor, dominus Hermannus de Saffenheim miles: Doctor Iohannes Reuchlin.

Præterea & Senatus ciuitatum & Oppidorum infra nominatorum suos ad tam celebrem conuentum misere consiliarios siue nuncios, Noriberga, Colonia, Argentina, Vlma, Hal in Svvenia, Nurlingen, Metis, Hagenavv, Aquisgranum, Magdeburg, Mechlin, Andorpia, Confluentia, Lucenburg.

Die Martis quartadecima mensis Februarii diuus Fridericus Romanorum Imperator sedens in maiestate in alto cunctisque patenti ædificio, omnium Principum, Comitum atque Baronum, præterea innumerabili procerum stipatus caterua, magna interueniente solennitate, feuda regalia gratiose concessit, primum Archiepiscopo Moguntino; deinde Philippo Duci Bauariæ, Comiti Palatino Rheni: tum Henrico Duci Brunsvvicensi: Et postremum Episcopo Wormaciensi.

Ordo incedendi inter eundum ad Ecclesiam Sanct. Bartholomæi, inter Principes, Comites, Barones, milites quoque & militares seruatus.

Inter eundum ad Ecclesiam S. Bartholomæi hunc ordinem seruatum vidimus. Primum ingens nobilium, militum, oratorumque Principum ibat caterua. Subsequebantur statim magno numero Barones & Comites. Tum complures Heraldi, Deinde Principes non Electores, nonnulli Ecclesiastici, Seculares quoque scil. Marchiones Badensis, Brunsvvicensis, Gellerensis, itemque Saxoniæ & Bauariæ Duces, Continuo Imperator & Principes Electores hoc successerunt ordine, Primum ibat Philippus Bauariæ Dux Comes Palatinus Rheni, a dexteraque sociatum habuit Maximilianum Austriæ Archiducem & Burgundiæ. Comitatur Episcopus Treuerensis, insequitur Ernestus Saxoniæ Dux nudatum extensumque gladium ante imperialem Maiestatem suis gestans manibus. Euestigio diuus Imperator incedit; a dextraque per Moguntinum, a læua vero per Coloniensem Archiepiscopos conducitur. Nouissimo loco Episcoporum, Comitum, atque Baronum multus sequebatur numerus. Marchio vero Brandenburgensis Princeps grandæuus, pressuram veritus, ante alios in Ecclesiam sese recepit.

Vestium, collariorum, & quorumcunque monilium, quibus pene omnes amicti ornatique erant, miram preciositatem si verbis enarrare velim, dies vix sufficeret.

Sub officio Missæ solemnis in Ecclesia Sanct. Bartholomæi, pro inuocatione gratiæ Spiritus Sancti, Imp. Friderico III. in maiestate sedente, quo quisque Principum, Comitum & Baronum steterit sederitue loco.

Missam de Spiritu sancto solemnem in summo altari celebrauit Episcopus Pataudensis, vicarius in pontificalibus Archiepiscopi Moguntinensis.

Ad altaris latus meridionale, quo epistola legi solet, sedilia pro imperiali Maiestate Principibusque Electoribus erant constructa. Verum reliquis eminentior Cæsarea sedes, in qua Imperator regali diademate ac aliis imperialibus decoratus insigniis in Maiestate sedebat. A cuius dextera primum Archiepiscopus Moguntinensis, deinde Philippus Bauariæ Dux, Comes Palatinus Rheni: Postremum Maximilianus Archidux Austriæ Burgundiæque Dux. A læua vero Archiepiscopus Coloniensis

sis primum. Deinde Ernestus Dux Saxoniæ, postremumque Albertus Marchio in Brandenburg sessiones suas habuere. Archiepiscopus vero Treuerensis nec ad dexteram nec ad leuam imperatoris declinans, ante altare recta contra faciem Imperialem propria sede locatus erat. Principesque Electores quilibet veste patricia indutus sederat.

Item ad idem latus chori steterant hoc ordine, Bambergensis, Wormaciensis, Eistatensis, Spirensis, & Missenensis Episcopi: item magister ordinis Teutonicorum, Abbas Fuldensis.

Latere vero chori septentrionali, contra faciem Episcopi Bambergensis stabat Episcopus Verdunensis. Deinde Episcopus Cameracensis. Ad idem Altaris latus, Albertus Saxoniæ, Caspar Bauariæ, Henricus in Brunsvvigk & Fridericus Saxoniæ Duces, Deinde Albertus & Christophorus Marchiones Badenses. Et item Iohannes Bauariæ, Iohannes Saxoniæ Duces. Et sequenter VVilhelmi Hassiæ Landgrauii, postremum Principum oratores. Item Dux Gelriæ ad Maximiliani, itemque Fridericus Marchio de Baden ad Archiepiscopi Treuerensis dorsa steterant. In transitu ad offerendum primum ibat Archiepiscopus Treuerensis, a vestigio incedit Imperator a Moguntino & Coloniensi Archiepiscopis conductus, deinde Philippus Bauariæ Dux Comes Palat.. Rheni. Tum Ernestus Saxoniæ Dux. Postea Albertus Marchio de Brandenburg, demumque Maximilianus Austriæ Archidux, vsque ad altare successerant. Verum Imperator primum, deinde Archiepiscopus Treuerensis, posteaque reliqui Principes Electores quisque suo ordine Deo munus obtulit.

Item dum inciperetur canticum, *Sanctus, Sanctus, Sanctus*, Schenck Christoferus de Limpurg Cæsareo capiti imperiale diadema excepit. Item pomum Philippus de Selmick imperii dapifer, Gladium vero & quidem versus terram defixum Sigismundus de Pappenheim marschalcus, Sceptrum vero Schenck Philippus de Winspurg camerarius tenuit. *

Item sumpto per celebrantem sacrificio, Cæsareo capiti imperialis reddebatur corona: e vestigioque Ernestus Dux Saxoniæ gladium extensum, Philippus Dux Bauariæ Comes Palatinus Rheni pomum, itemque Albertus Marchio in Brandenburg sceptrum Cæsarea insignia, in suas recepere manus.

p. 23. *Quo splendore, qua denique festiuitate, inclytus Rex electus in summo altari promoueri meruit atque axaltari.*

Exacto Missæ officio Principes Electores secundum tenorem aureæ bullæ iuraturi altare accesserant: quo facto Imperator Principesque Electores conclaue ad eligendum Romanorum Regem ingrediuntur. Deinde facta omnium vnanimi consensu electione, eius rei testes vocantur quamplures Principes Comitesque: eo peracto ex conclaui ad Maximilianum electum mittuntur Archiepiscopus Coloniensis, Philippus Dux Bauariæ Comes Palatinus Rheni & Ernestus Saxoniæ Dux: qui mutuo habito sermone, demum præcedente Archiepiscopo Coloniensi, Maximilianus medius inter Comitem Palatinum & Saxoniæ Ducem in conclaue introducitur, factaque aliqua in conclaui mora, demum per Moguntinum & Coloniensem Archiepiscopos educitur aliis comitantibus Principibus, in altari exaltatur, canticum, *Te Deum laudamus*, in organis a canonicis vicissim magno decantatur tripudio, circa altare ad exaltati Regis latera Moguntinensis & Coloniensis contraque eius faciem Treuerensis Archiepiscopi stabant.

Imperialis maiestas circa altare in sede, iuxtaque eandem seculares Principes Electores locum tenuerant, finito cantico Georgius de Hell, alias Peffer legum Doctor, Archiepiscopi Moguntinensis Cancellarius, ex Imperatoris Principumque Electorum speciali commissione, electionem factam coram omnibus publicauit, mandans & præcipiens Regi electo ab omnibus obediendum esse. *Electionis publicatio.*

*Hi tempore Maximiliani I subofficiales. Videmus ex eo, pincernas olim Cæsareum capiti diadema quoque excepisse.

Postremum quoque dum rediretur ab Ecclesia, quo ordine Principes, Comites, Barones, milites & militares incesserint.

His omnibus rite peractis, itur ab Ecclesia eo fere ordine quo ingressum factum supra recensuimus: solum quod Imperator, Maximilianus Rex electus, Principesque Electores partim mutato incesserant ordine. Nam post transitum ingentis catervæ procerum, militum, oratorum, Baronum, Comitum atque Principum successerat Archiepiscopus Treuerensis. Insequuntur tres Principes Electores sæculares, insignia quisque suum deferentes imperialia. Eueſtigio Imperator in Maiestate, Maximilianusque Rex electus a Moguntinensi & Coloniensi Archiepiscopis conducti incesserant, demum succedentibus pluribus Episcopis, Comitibus & Baronibus.

Facta fuit hæc electio die Iouis, XVI. Mensis Februarii.

Die Sabbati XI. Mensis Martii, Illustrissimus olim Princeps & dominus, dominus Albertus Marchio Brandenburgensis Princeps Elector, in Franckfordia ex humanis decessit. In ecclesia fratrum Prædicatorum, quo corpus defuncti erat delatum, Imperatore & Rege Romanorum, Principibus, Comitibus, Baronibus nobilibusque præsentibus, exequiæ solemnes celebrabantur. Quibus peractis effertur per Comites & milites funus extra Francofordiam. Procedunt fratres religiosi Ordinum mendicantium plures numero. Sequuntur funus Imperator, Romanor. Rex, Principes, Comites, Barones, & alii proceres. Committitur naui volante flumine Mogoni transuehendum in Marchionatus territorium. Cuius anima feliciter quiescat in Domino.

CORONATIO ILLVSTRISSIMI ET SERENISSIMI PRINCIPIS MAXIMILIANI, ARCHIDVCIS AVSTRIAE, DVCISQVE BVRGVNDIAE, ETC. IN REGEM ROMANORVM, CELEBRATA PER PRINCIPES ELECTORES S. ROMANI IMPERII. IN AQVISGRANO. p. 24.

ANNO Domini Millesimo CCCCLXXXVI. XXVIII. die Martii Inuictissimus & gloriosissimus Fridericus tertius Imperator Romanorum semper Augustus, Maximilianus eiusdem Friderici filius Rex Romanorum electus, ac Principes Electores, cum insigni Principum, Comitum, Baronum, multorumque nobilium comitiua post memorati Romanor. Regis electionem adhuc in Franckfordia perdurantium, nauigio Coloniam & Aquisgranum versus pro electi Regis coronatione iter arripientes, eo die Pinguiam * attigerunt: vbi Romanorum Regi a dominis maioris Ecclesiæ Moguntinæ notabilis in vino & havena propina est oblata.

Vicesima nona die Martii de mane Imperialis Maiestas vna cum Romanorum Rege, Duce Alberto Saxoniæ comitante, visitauerunt Ecclesiam collegiatam Pinguensem, audientes ibidem missam: qua finita intrauerunt naues ad descendendum: nautarum tamen consilio ob venti mirabilem impetum ac multum periculosum in loco persistentes eodem die prandium in nauibus celebrarunt. Dominus vero Archiepiscopus Moguntinensis recessit in naui sua cum suis. Et prandio facto Albertus Dux Saxoniæ etiam iter arripuit: sed parum longe processit propter ventum: cæteris in Pinguia tota die relinquentibus.

XXX. Die Martii de mane missa finita in Ecclesia Pinguensi, Imperialis Maiestas cum filio suo Rom. Rege Maximiliano intrauerunt naues, descendentes aquam. Ipsis venientibus in ciuitatem Remis, * erat ibi dominus Archiepiscopus Moguntinus & Albertus Dux Saxoniæ eum duxerunt supra cathedram lapideam eleuatam, quæ vocatur sedes Regis * situata in campis extra muros ciuitatis Remensis prope Rhenum, supra quam sedebat Rex Romano Imperio præstans iuramentum. Quendam de domo Ducis Sigismundi creauit militem: facta quoque per Archiepiscopum Moguntinum relatione iterum se in naues receperunt, venientes illo sero Andernacum.

* Reinse

* Königstul

XXXI.

* *Bingen.* ditionis Moguntinæ oppidum, ad Rhenum situm.

XXXI. Die & vltima Martii Rex Romanor. accessit Imperialem M. & simul visitauerunt ibi Ecclesiam fratrum minorum, audientes ibidem missam: qua finita iterum intrauerunt naues, & venerunt Coloniam circa horam quartam. Ipsis venientibus ad litus aderat dominus Archiepiscopus Coloniensis Princeps Elector in superpellicio, cum omnibus Ecclesiis collegiatis & monasteriis processionaliter, Dominus Archiepiscopus Treuerensis Princeps Elector, & Ernestus Dux Saxoniæ Princeps Elector, recipientes Imperialem M. & Rom. Regem filium suum Maximilianum cum maximo honore & reuerentia, qua decuit, habentes duos pannos sericos eleuatos in aere ad cooperiendum Imperialem Maiestatem, & Regem Romanorum, ducentes eos processionaliter, ad maiorem Ecclesiam ante tres Reges, oratione ac deuotione eorum ibidem facta & habita, intrauerunt chorum ad summum altare. Quibusdam ceremoniis ibidem peractis, duxerunt Imperialem maiestatem ad locum palatii & hospitii sui. Et Rege transeunte ad hospitium suum associauerunt excellentiæ suæ cæteri Principes.

Post hoc venit Dominus Archiepiscopus Moguntinus in nauigio suo.

Prima die Aprilis de mane Imperialis Maiestas, Romanorum Rex cum cæteris principibus visitauerunt maiorem Ecclesiam Coloniensem, audientes missam in summo altari. Qua finita duxerunt Imperialem maiestatem domum: & mox vnusquisque principum ad suum se transtulit hospitium. Et tunc venit Dominus Philippus Comes Palatinus Princeps elector in nauigio suo: quem prandio facto Romanorum Rex visitauit

p. 25. Item Ciuitas Coloniensis fecit Romanorum Regi propinam de vino & hauena & bobus, etiam clinodio argenteo cum certis aureis florenis.

Secunda die Aprilis Dominus Coloniensis & Treuerensis venerunt ad Regem Romanorum: & post recessum Domini Coloniensis Romanorum Rex vna cum Archiepiscopo Treuerensi intrauerunt Ecclesiam; audientes ibidem missam per cantores suos cantatam. Venit etiam ibidem Episcopus Verdunensis orator Regis Franciæ, finita missa redierunt cum eorum nobilibus ad hospitia. Et Dominus Archiepiscopus Treuerensis mansit cum Rege in prandio: quo completo post recessum Domini Treuerensis, venerunt Consules Electorum Principum ad Regem, habentes consilium inuicem.

Tertia die Aprilis de mane Rex visitauit Imperialem Maiestatem, & ipsa recedente ascendit Imperator currum suum, & cæteri PRINCIPES Electores cum eo in optimo ordine versus oppidum Duren & Aquisgranum.

De post facto prandio Rex Romanorum cum aliquibus de suis secutus est.

Item ante introitum Imperialis Maiestatis in Duren, venit Dux Guliacensis in optimo ordine in armis, cum ducentis equis in nigro vestitis recipiens Imperialem Maiestatem cum Principibus Electoribus, introducendo eos faciens ei propinas debitas. Aliqui tamen PRINCIPES Electores transiuerunt vltra, ad euacuandum hospitia propter multitudinem aduenientium.

De post Dux Guliacensis exiuit iterato obuiam Regi Romanorum, recipiens eundem cum honore & reuerentia introducendo suam celsitudinem, faciendo ibi propinas,

Quarta die missa finita ascenderunt currum & equos eorum, veneruntque Aquisgranum: ibi applicuerunt circa horam quartam de sero. Ipsis venientibus circa ciuitatem erant ibi domini Ciuitatis recipientes Imperialem Maiestatem & Romanorum Regem filium suum cum cæteris Principibus Electoribus multum gaudenter.

Item erat etiam ibi Dux Cleuensis in optimo ordine eos Principes recipiens. Imperialis Maiestas cum appropinquaret ciuitatem; exiuit currum, & ascendit equum suum. Et Rege veniente cum aliis Principibus ad portam, erat ibi totus Clerus ciuitatis Aquensis cum quatuor Ordinibus processionaliter, cum crucibus, & capite sancti Caroli Regis, quod per Canonicos seniores ferebatur, in quo erat corona sua quam habuit in vita. Illis sic visis descendit Rex de equo, faciens reuerentiam sancto Carolo,

lo, dando osculum cruci. Credentia facta per vicedecanum Aquensem, qui eandem portauit. Item Rege de equo descendente, erant ibi custodes ante portarium ciuitatis, pro eorum iure equum Regis recipientes. *

Item erat talis ordinatio per Regem & alios Principes de introitu ciuitatis, & per Albertum Saxoniæ Ducem disposita, quatenus equites communes & nobiles præcederent. De post venit Clerus cum reliquiis sancti Caroli Regis.

Deinde Duces & Principes Electores. Primo Dux Cliuensis in veste aurea, penes eum Dux Guliacensis cum Christophoro Marchione de Baden. Secundo Albertus Dux Saxoniæ cum Episcopo Strigoniensi, administratore Saltzburgensi. Tertio Ernestus Dux Saxoniæ Princeps Elector & Archimarschalcus Imperii, deferens in manu sua ensem nudum seu euaginatum ante Imperialem Maiestatem. Penes eum Archiepiscopus Treuerensis, & Philippus Comes Palatinus Rheni Princeps Elector.

Item Imperialis Maiestas sola in ordine. Quarto Rex Romanorum in veste aurea, & equo albo. Penes eum Archiepiscopus Coloniensis in latere dextro, Dominus ARCHIEPISCOPVS Moguntinensis in latere sinistro: transeuntes isto modo vsque ad Ecclesiam beatæ Mariæ Virginis.

Item post Romanorum Regem venit exercitus suus in rubeo vestitus, in quo p. 26.
erat Episcopus Cameracensis, Episcopus Sibinicensis, Dux Gellerensis. Post illos exercitus Archiepiscopi Coloniensis similiter in rubeo vestitus cum lanceis & balistis bene armatis, in quo erat Wilhelmus Landgrauius Hassiæ. Post hoc ambasiatores Ducis Sigismundi & aliorum Principum, cum multis nobilibus magno numero qui missi fuerant, &c. Atque in illo introitu iuerunt trini, hoc est, tres & tres simul, & durauerat iste introitus bene ad horam cum dimidia.

Item ab introitu ciuitatis vsque ad Ecclesiam Beatæ Mariæ virginis, & per totam ciuitatem tres viri in equis proiecerunt pecunias cum manibus ad populum.

Item in porta Ecclesiæ descendit Rex Romanorum de equo suo & Marschalcus GVLIACENSIS accepit de iure equum suum, tanquam præfectus regni.

Item Vicedecanus cum seniori Canonico fecerunt suæ Excellentiæ interpretationem illorum duorum signorum stantium ante ostium Ecclesiæ super duo pilaria lapidea, quorum vnum est lupa, aliud linguæ multæ. Ad interpretationem siue significationem, quatenus Rex debet esse defensor regni, quemadmodum lupa defendit suos iuuenes præ aliis animalibus. Etiam Rex debet præesse omnibus linguis. Qua finita intrauerunt Ecclesiam: ibi erat vnum paruum scamnum in medio, supra quod erat tensus vnus pannus de veluto cum similibus cussinis, in quibus Rex posuit se ad genua, Imperator cum cæteris Electoribus & Principibus steterunt fundentes orationes eorum ante imaginem beatæ Virginis & Regis sancti KAROLI. Tempore medio cantabatur *Te Deum laudamus*, in organis. Quo finito Rex obtulit ad altare Beatæ VIRGINIS MARIAE certas species auri.

Quibus ceremoniis completis associauerunt Imperialem Maiestatem ad hospitium. De post veniunt omnes PRINCIPES Electores cum Rege ad suam curiam: & ibi primum portabatur gladius nudus ante Regem per ERNESTVM Ducem Saxoniæ PRINCIPEM Electorem & ARCHIMARSCHALCVM Imperii. Deinde vnusquisque ad suum se transtulit hospitium.

Quinta die Aprilis Romanorum Rex & cæteri Electores principes visitauerunt Imperialem Maiestatem. Et prandio facto venit Rex ad domum Ciuitatis, ibi erant omnes Electores congregati habentes consilium. Quo peracto fuerunt missi ARCHIEPISCOPVS Moguntinensis, & Archiepiscopus Coloniensis ad Ecclesiam, ad ordinandum

* Clarius hæc explicat in historia coronationis Caroli V. Hartmannus Maurus apud Schardium Tom. II. p. 21. *Mos est antiquitus introductus, quod vbi Regia Maiestas peruenerit ad portam exteriorem, quæ hoc tempore fuit Diui Iacobi, quod equo descendat, atque sanctam crucem, a Canonicis Regem expectantibus illuc delatam reuerendissime exosculetur, factaque reuerentia Diui Caroli capiti, dimisso equo priore, in alium subinde transiliat, ciuitatemque ingrediatur.*

dum & disponendum requisita pro coronatione Regis Romanorum, quæ nondum erant parata. Quare prolongata fuerat pro tunc coronatio vsque ad diem nonam Aprilis, tunc sexta hora omnia erant parata pro coronatione Regis.

Item de domo ciuitatis Rex visitauit Imperialem Maiestatem. Ipso ibidem existente venit Magister curiæ Domini Coloniensis significans Imperatori & Romanorum Regi prolongationem coronationis propter nullam dispositionem factam. Et de post Rex rediit significando suis eandem prolongationem.

Item ciuitas Aquensis propinauit Regi sex boues, sex plaustra vini, & totidem Imperatori,

Sexta die Aprilis de mane venit Dux Guliacensis ad REGEM, & de post simul visitauerunt Ecclesiam Beatæ MARIAE Virginis, in qua erat Imperator cum cæteris electoribus, ibidem missam audientes. Qua finita redierunt cum Imperiali MAIESTATE ad suum hospitium, & vnusquisque ad suum locum.

Post prandium Rex iuit ad domum Ciuitatis: ibi erant omnes Electores habentes consilium in simul cum Rege Romanorum: & de post ad sua se transtulerunt.

p. 27. Septima die Aprilis de mane Rex accessit iterum ad domum ciuitatis: ibi iterum venerunt cæteri Electores habentes simul consilia.

Item finita missa per cantores Regis in Ecclesia cantata, accessit & Imperialis M. ad domum ciuitatis consilium eorundem ineundo. Quo peracto Electores iuerunt pransum. Cum Domino Coloniensi pransus est Dominus Moguntinus, Comes PALATINVS Rheni & Albertus Dux Saxoniæ.

Item post prandium Philippus Comes Palatinus visitauit Regem: cæteri Electores iterato inierunt consilium in domo ciuitatis.

Et Dominus Palatinus post recessum a Rege similiter accessit eos. Item Rex Romanorum habuit publicum consistorium in sua Curia cum Consulibus Electorum & aliorum Principum. Ibi iudicialiter agebatur quædam causa ardua.

Octauo die Aprilis venerunt certi Electores ad Ecclesiam audientes missam ante Beat. Virginem: qua finita iuerunt in sacristiam habentes consilium. Venit similiter Imperator etiam audiens missam cantatam de Domina nostra. Qua finita exiuerunt Electores Principes simul ad Imperialem Maiestatem & de post simul cum Cæsarea Maiestate habuerunt consilium. Rex interim mansit in sua Curia.

Nona die Aprilis de mane hora tertia ponebatur vnus integer bos in valore septem florenorum Rhenensium ad assandum, ante hospitium domini Regis, in quo erat vnus porcus, in porco vna auca & gallina simul assati, vt in coronatione Romanor. Regis moris & consuetudinis est. Postea hora debita & determinata venit vnus nomine Regis scindens vnam peciam & partem illius bouis assati pro Rege. Quo facto omnes vtriusque sexus homines accesserunt, & dilacerabant illum bouem assatum cum gladiis & fustibus, tantum quantum possibile fuit sumente vnoquoque. Tempore medio applicuit Dominus Iohannes de Horn, Episcopus Leodiensis, cum ducentis equis & vltra in ordine bene armatis, & omnes in habitu curialium Regis.

Item ante palatium Regis Romanorum erat vnus fons in aere factus, in quo erat vna Aquila nigra habens arma Regis Romani, ex cuius pectore exiuit vinum Rhenense. In latere aquilæ dextro erat factus Leo aureus tenens banerium cum armis Brabantiæ, ex quo Leone similiter exiuit vinum Rhenense. In latere vero sinistro Aquilæ erat Leo niger cum armis Flandriæ, simili modo emittentes vinum Rhenense. Ibi erat maxima pressura pauperum & aliorum hominum.

Item circa horam sextam de mane venerunt Imperialis Maiestas, Comes Palatinus Rheni Princeps Elector, Ernestus Dux Saxoniæ Princeps Elector, Dux Cleuensis, Albertus Dux Saxoniæ, Dux Guliacensis ad Romano. Regem. Ipsis ibidem existentibus induebant se illi duo Electores, quemadmodum ipsis tanquam Electoribus conuenit & eos decuit, transeuntes ad Ecclesiam isto ordine. Nobiles præcesserunt, de post Episcopi, post ipsos Albertus Dux Saxoniæ, Dux Guliacensis, Dominus Cleuensis,

qui habuit vnam manicam cum perulis preciosissimam, in pileo suo vnum clinodium etiam cum perulis gemmis preciosis ornatum. Demum Imperialis Maiestas in veste aurea, cum torque preciosissima, habente eleuationes vndique cum vna Cruce preciosissima. Penes Imperatorem in latere dextro Rex Romanorum filius suus Maximilianus, cum mantello aureo foderato cum hermelinis pendens, super humeros suæ celsitudinis vsque ad medium brachiorum suorum, cuius clausura ante erat de perulis & gemmis preciosis. In capite eius habuit biretum aureum simili foderatura foderatum, versum more Italico. Apud Imperialem Maiestatem in latere sinistro Ernestus Dux Saxoniæ Princeps Elector in simili cappa & veste de veluto rubeo, & magno birreto alto de scarlaca rubea subducta simili foderatura de hermelinis, Philippus Co- p. 28
mes PALATINVS Princeps Elector in latere dextro Regis simili modo vestitus cum birreto de veluto rubeo: sic simul intrantes Ecclesiam. In ambitu Ecclesiæ venerunt eis obuiam Principes Electores spirituales, scilicet Archiepiscopus Coloniensis, Archiepiscopus Moguntinensis & Treuerensis in pontificalibus, cum mitris, & croceis seu Episcopalibus baculis eorum. Etiam clerus cum crucibus, thuribulo, & textu Euangelii. Etiam quam plures alii Prælati, Episcopi, & Abbates in Pontificalibus eorum recipientes eosdem Principes. In quorum receptione Archiepiscopus Coloniensis tanquam celebraturus officium dixit: *Adiutorium nostrum in nomine Domini &c. Sit nomen Domini benedictum,* cum sequenti collecta: *Omnipotens sempiterne Deus, qui famulum tuum MAXIMILIANVM regni fastigio dignatus es sublimare, tribue ei quæsumus, vt ita in præsentis seculi cursu cunctorum communem salutem disponat, quatenus a tua veritatis tramite non recedat. Per Dominum.* Qua collecta dicta Archiepiscopus Moguntinensis & Treuerensis susceperunt Regem Romanorum, vnus ex vno latere, alter eorum ex altero latere ducentes eum ad Ecclesiam. Et ARCHIEPISCOPVS Coloniensis præcessit, & cum eo prædicta processio cantantes vnam Antiphonam, scilicet: *Ecce mitto Angelum meũ, qui præcedat te & custodiat semper. Obserua & audi vocẽ meã & inimicus ero inimicis tuis, & affligentes te affligam, Et præcedat te Angelus meus versus Israhel, si me audieris. Non erit in te Deus recens, neque adorabis Deum alienum, Ego enim Dominus. Obserua & audi vocem meam.*

Qua finita Rex prostrauit se super tapetum ad gradus altaris totus in longum, & Archiepiscopus Coloniensis super ipsum sic prostratum legit *Domine saluum fac Regem,* Assistentes respondebant: *Exaudi nos in die in qua inuocauerimus te,* cum sequenti collecta: *Deus qui scis genus humanum nulla virtute posse propria subsistere, concede propitius vt famulus tuus Maximilianus, quem populo tuo voluisti præferri, ita tuo fulciatur adiutorio, quatenus quibus potuerit præesse, valeat & prodesse. Per Dominum nostrum.*

Alia Collecta.

Omnipotens sempiterne Deus, cœlestium terrestriumque moderator, qui famulum tuum Maximilianum ad regni fastigium dignatus es prouehere, concede quæsumus vt aduersitatibus liberatus, & Ecclesiasticæ pacis dono muniatur & ad æternæ pacis gaudia peruenire te donante mereatur. Per Dominum.

Post hoc Rex Romanorum posuit se in vna regia sede ante altare Mariæ Virginis bene ornata. Et modicum retro in vno paruo scamno. In latere dextro Regis sedebat Archiepiscopus Moguntinensis, in sinistro latere ARCHIEPISCOPVS Treuerensis. Et retro illos stabant Episcopus Strigoniensis, Dux Guliacensis, Albertus Dux Saxoniæ, Dux Cleuensis, & Casparus Dux Bauariæ Comes in Feldentz.

Item in latere dextro altaris erat Imperialis Maiestas in vna sede alta trium graduum honorifice ornata. Penes eum in latere sinistro erat Philippus Comes Palatinus Rheni Princeps Elector, & Ernestus Dux Saxoniæ Princeps Elector. Et incontinenti incipiebatur missa solennis de die Epiphaniæ Domini, scilicet: *Ecce aduenit Dominator, Dominus, & regnum in manu eius, & potestas & imperium:* quæ cantabatur in cantu Gregoriano.

Item

Item ſequentia cantata, ſurrexerunt Moguntinenſis & Treuerenſis, & ſuperiorem veſtem Regi depoſuerunt: & ab infra in veſtitu deaurato inceſſit in medio illorum, & ante altare poſtratus in modum crucis. Et cantabatur letania a duobus Clericis. Depoſt Dominus Archiepiſcopus Colonienſis erexit ſe tenens baculum ſuum in manu ſua dixit: *Vt hunc famulum tuum Maximilianum in Regem eligere digneris.* Reſponderunt Clerici: *Te rogamus audi nos.*

Item dominus Colonienſis dixit; *vt eum benedicere, ſublimare, & conſecrare di-*
p. 29 *gneris.* Reſponderunt Clerici: *Te rogamus, audi nos.* Item Archiepiſcopus Colonienſis dixit: *Vt eum ad regni & imperii faſtigium feliciter producere digneris.* Reſponderunt Clerici: *Te rogamus, audi nos.* Deinde duo Clerici compleuerunt letaniam: *Vt Pontificem noſtrum.* Item letania finita erexit ſe Rex, & Dominus Archiepiſcopus Colonienſis ſtans ante altare, habens baculum paſtoralem in manu ſua, interrogauit a Rege ſex puncta ſequentia: *Vis ſanctam fidem Catholicis viris traditam tenere, & opibus iuſtis ſeruare?* Reſpondit Rex: *Volo.* Colonienſis: *Vis ſanctis Eccleſiis Eccleſiarumque miniſtris fidelis eſſe tutor & defenſor?* Reſpondit Rex, *Volo.* Dominus Colonienſis: *Vis regnum tibi a Deo conceſſum ſecundum iuſtitiam prædeceſſorum tuorum regere & efficaciter defendere?* Reſpondet Rex: Volo. Epiſcop. Colonienſis: *Vis iura regni & imperii conſeruare, bonaq; eiusdem iniuſte diſperſa recuperare, & fideliter in uſus regni & imperii diſpenſare?* Reſpondet Rex: *Volo.* Epiſcopus Colonienſis: *Vis pauperum & diuitum, viduarum & orphanorum æquus eſſe iudex, & pius defenſor?* Reſpondet Rex: *Volo.* Epiſcop. Colonienſis: *Vis ſanctiſſimo in Chriſto patri & domino Romano Pontifici, & ſanctæ Romanæ Eccleſiæ ſubiectionem debitam & fidem reuerenter exhibere?* Quibus dictis Rex per Archiepiſcopos Moguntinenſem & Treuerenſem ductus eſt ad altare, & poſitis duobus digitis manus ſuæ dextræ ſuper altare dixit: *Volo. Et in quantum diuino fultus fuero adiutorio, & precibus fidelium Chriſtianorum adiutus valuero, omnia præmiſſa fideliter adimplebo. Sic me Deus adiuuet & omnes ſancti eius.* Hoc facto per Archiepiſcopos prædictos reducebatur iterum ante altare, & Dominus Archiepiſcopus Colonienſis ſtans ante altare cum baculo paſtorali, quæſiuit a principibus Alemaniæ, & Clero & populo circumſtantibus: *Vultis tali Principi ac rectori vos ſubiicere, ipſiusque regnum firmare, fide ſtabilire, atque iuſſionibus illius obtemperare? iuxta Apoſtolum, Omnis anima poteſtatibus ſublimioribus ſubdita ſit, ſiue Regi tanquam præcellenti, &c.* Ad quam quæſtionem Dominus Moguntinenſis & Treuerenſis, Principes Almaniæ, clerus & populus aſſiſtentes reſponderunt, dicentes: *Fiat, fiat. fiat.*

Deinde adducunt Regem ad altare, qui proſtrauit ſe ad terram in longum, & dominus Archiepiſcopus Colonienſis dixit ſuper eum benedictionem iſtam. *Benedic Domine hunc Regem noſtrum Maximilianum, qui regna omnia moderaris a ſeculo: & tali eum benedictione clarifica, vt Dauidicæ teneat ſublimitatis ſceptrum, & glorificatus vt in eius protinus reperiatur merito. Da ei tuo inſpiramine cum manſuetudine ita regere populum, ſicut Salomonem feciſti regnum obtinere pacificum, Tibi ſemper ſit cum honore ſubditus, tibique militet cum quiete, ſit tuo clypeo protectus cum proceribus, & vbique tua gratia victor exiſtat: honorifica eum præ cunctis Regibus gentium: felix populis dominetur, & feliciter eum nationes adorent, viuat inter gentium cateruas magnanimus, ſit in iudiciis æquitatis ſingularis, locupletet eũ tua prædiues dextra: frugiferã obtineat patriã, & eius liberis tribuas profutura, & præſta ei prolixitatẽ vitæ per tẽpora, & in diebus eius oriatur iuſtitia, a te robuſtum teneat regiminis ſolium, & cũ iuſtitia & iocunditate æterno glorietur in regno.*

Item dominus Archiepiſcopus Colonienſis adhuc ſuper eum dixit: *Deus ineffabilis auctor mundi, conditor generis humani, gubernator imperii, confirmator regni, qui ex vtero fidelis amici tui patriarchæ noſtri Abrahæ praelegiſti Reges ſeculi profuturos, Tu præſentem Regem hunc Maximilianum cum exercitu ſuo per interceſſionem Sanctorum vbere benedictione locupleta, & in ſolium regni firma ſtabilitate connecte. viſita eum ſicut Moyſen in mari rubro, Ioſue in prælio, Gedeonem in agro, Samuelem in templo, & illa benedictione eum conſidera, ac ſapientiæ rore perfunde, quam beatus Dauid in Pſalterio, Salomon filius eius te remunerante percepit de cœlo, ſis ei contra acies inimicorum lorica,*

in

in aduerſis galea, in proſperis patientia, in protectione clypeus ſempiternus: & praeſta, vt gentes illi teneant fidem, proceres ſui habeant pacem; diligat caritatem, abſtineat ſe a cupiditate, loquatur iuſtitiam, cuſtodiat veritatem, & ita populus iſte ſub eius imperio pullulet, ita alitus benedictione aeternitatis, vt ſemper maneant tripudiantes & in pace victores. Quod ipſe praeſtare dignetur, qui viuit & regnat Deus in ſecula ſeculorum, Amen.

Benedictione finita erexeruntRegem ad genua, & denudauerunt ſcapulas ſuas, & pectus & iuncturas brachiorum ſuorum: ſedit cum deuotione iunctis manibus. acceſſit Archiepiſcopus Colonienſis, vnxit eum in capite, in pectore, inter ſcapulas, & ambas iuncturas brachiorum circa ſcapulas, de oleo catechumenorum, ita dicens: *Pax tibi*, Clerus reſpondit: *Et cum Spiritu tuo.* Dominus Colonienſis iterum dixit: p. 30. *Vngo te in Regem oleo ſanctificato, in nomine Patris & Filii & Spiritus ſancti.* Interim cantauerunt in choro: *Vnxerunt Salomonem* Sadoch *ſacerdos* &Nathan propheta *Regem in Geon, & procidentes laeti dixerunt: Viuat Rex in aeternum.* Poſtea Dominus Colonienſis vnxit palmas manuumRegis dicens: *Vngantur manus iſtae de oleo ſanctificato, vnde vncti fuerunt Reges & Prophetae, & ſicut vnxit Samuel Dauid in Regem; vt ſis benedictus & conſtitutus Rex Regno iſto ſuper populum iſtum, quem Dominus Deus tuus dederit tibi ad regendum, & gubernandum, Quod ipſe praeſtare dignetur, qui viuit & regnat Deus in ſecula ſeculorum, Amen.*

Interea clerus iterum cantauit: *Vnxit te Deus, &c. Factis vnctionibus iſtis* ſtatim ab Archiepiſcopis ducitur Rex ad ſacriſtiam, & ſeniores capituli detergentes cum lana mundiſſima loca inuncta vbi Dominus Colonienſis oleum ſacrum appoſuit.

Item hoc facto, domini de capitulo induebant eum ſandaliis, alba & ſtola in modum crucis in pectore. rediens ante altare, proſternens ſe in modum crucis. Tunc dominus Colonienſis dixit: *Proſpice omnipotens Deus ſerenis obtutibus hunc glorioſum Regem Maximilianum, & ſicut benedixiſti Regem Abraham, Iſaac, & Iacob, ſic illum largis benedictionibus ſpiritualis gratiae cum omni plenitudine tuae potentiae irrigare atq; perfundere digneris. Tribue ei de rore coeli, & de pinguedine terrae, habundantiam frumenti, vini, olei, & omnium frugum opulentiam ex largitate diuini muneris longa per tempora, vt illo regnante ſit ſanitas corporis in patria. pax inuiolata regno, dignitas glorioſa regalis palatii maximo ſplendore regiae poteſtatis oculis omnium fulgeat, luce clariſſima clareſcat,* quaſi ſplendidiſſima fulgura maxima *perfuſus lumine videatur: tribue ei omnipotens Deus, vt ſit fortiſſimus protector patriae & conſolator Eccleſiarum atque coenobiorum ſanctorum maxima cum pietate regalis munificentiae, atque vt ſit fortiſſimus Regum, triumphator hoſtium, ad opprimendas rebelles paganaſque nationes, ſitque inimicis ſuis ſatis terribilis prae maxima fortitudine regalis potentiae: optimatibus quoque atque proceribus atque fidelibus ſui regni, ſit magnificus & amabilis & pius, vt ab omnibus timeatur atque diligatur. Reges quoque de lumbis eius per ſucceſſiones temporum futurorum egrediantur, regnumque hoc valeant regere totum & poſt glorioſa atque felicia tempora praeſentis vitae gaudia aeterna in perpetua beatitudine habere mereatur. Quod ipſe praeſtare dignetur, qui viuit, &c.*

Adhuc alia collecta ſiue benedictio.

Spiritus ſancti gratia humilitatis noſtrae officio in te copioſa deſcendat, vt ſicut manibus noſtris indignis oleo materiali delibutus pingueſcis exterius, ita eius inuiſibili vnguento delibutus impinguari merearis interitus, eiusque ſpirituali vnctione perfectiſſime imbutus & illicita declinare, ac tota mente & ſpernere diſcas, ſi valeas, & vtilia animae tuae iugiter cogitare, optare atque operari queas, auxiliante Domino noſtro Ieſu Chriſto, qui cum Deo Patre & eodem Spiritu ſancto viuit & regnat Deus in ſecula

Adhuc alia benedictio Regis.

Deus qui es iuſtorum gloria, & miſericordia peccatorum, qui miſiſti filium tuum precio-

preciosissimo sanguine suo genus humanum redimere, qui conteris bella & propugnator es in te sperantium, & sub cuius arbitrio omnium regnorum continetur potestas, te humiliter deprecamur, vt præsentem famulum tuum Maximilianum in tua misericordia confidentem benedicas, eique propicius adesse digneris, vt qui tua expetit benedictione defendi, omnibus sit hostibus fortior. Fac eum Domine beatum esse & victorem de inimicis suis: corona eum corona iustitiæ & pietatis, vt ex toto corde & tota mente in te credens tibi deseruiat, sanctamque tuam Ecclesiam defendat & sublimet, populumque a te sibi commissum iuste regat, nullis insidiantibus malis eum in iniustitiam vertat. Accende Domine cor eius ad amorem gratiæ tuæ, per hoc vnctionis oleum, vnde vnxisti sacerdotes, Reges & Prophetas: quatenus iustitiam diligens, per tramitem iustitiæ populum similiter ducens, post peracta a te disposita in regali excellentia annorum curricula peruenire ad gaudia æterna mereatur. Per eundem, &c.

Quibus collectis siue benedictionibus dictis, cantabatur vna præfatio pulchra per dominum Archiepiscopum Coloniensem, quæ sequitur: *Dominus vobiscum, Sursum corda, Gratias agamus domino Deo nostro, Vere dignum iustumque est, æquum & salutare, nos tibi semper & vbique gratias agere domine sancte Pater, omnipotens æterne Deus, Creator omnium, imperator angelorum, regnantium Rex, dominusque dominantium, qui Abraham famulum tuum de hostibus triumphare fecisti, Moysi & Iosuæ populo prælatis multiplicem victoriam tribuisti, humilemque Dauid puerum tuum regni fastigio*
p. 31. *sublimasti, & Salomonem sapientiæ pacisque munere ditasti. Respice quæso ad preces humilitatis nostræ, & super hunc famulum tuum Maximilianum, quem supplici deuotione in Regem elegimus, benedictionum dona in eo multiplica; eumque dextra tua potentiæ semper & vbique circunda, quatenus prædicti Abrahæ fide fideliter firmatus, Moyse mansuetudine fretus, Iosuæ fortitudine munitus, Dauid humilitate exultatus, Salomonis sapientia decoratus, tibique in omnibus placeat, & per tramitem iustitiæ semper incedat, Ecclesiam tuam deinceps cum plebibus sibi annexis ita enutriat ac doceat, muniat & instruat, contraque omnes visibiles & inuisibiles hostes eandem potenter regaliterque tuæ virtutis regimine administret, & ad veræ fidei pacis concordiam eorum animos te opitulante reformet, vt horum populorum debita subiectione fultus, cum digno amore glorificatus ad paternum decenter solium tua miseratione conscendere mereatur; tuæque protectionis galea munitus, & scuto insuperabili iugiter protectus, armisque cælestibus circumdatus, optabilis victoriæ triumphum feliciter capiat, terroremque suæ potentiæ infidelibus inferat, & pacem tibi militantibus lætanter reportet, per dominum nostrum qui virtute sanctæ crucis tartarum destruxit, regnoque Diaboli superato victor ad cælos ascendit; in quo potestas omnis Regum consistit & victoria: qui est gloria humilium & vita salusque populorum. Qui tecum viuit, &c.*

Adhuc alia Præfatio.

Deus Dei filius Iesus Christus Dominus noster, qui a patre oleo exultationis vnctus est præ participibus suis, ipse per præsentem sacræ vnctionis infusionem Spiritus *paracleti super caput tuum infundat benedictionem, eandemque vsque ad interiora cordis tui penetrare faciat, quatenus hoc visibili ac tractabili dona inuisibilia percipere, & temporali regno iustis moderaminibus executo, æternaliter cum eo regnare merearis, qui solus sine principio Regum Rex viuit, regnat, & gloriatur cum Deo patre in vnitate eiusdem sancti, per omnia secula seculorum.*

Quibus præfationibus finitis, Dominus Rex Romanorum induebatur vna cappa per Archiepiscopos Moguntinensem, Treuirensem, & Coloniensem, tradentes sibi simul gladium nudum Sancti Caroli, Archiepiscopo Coloniensi dicente: *Accipe gladium per manus Episcoporum, licet indignas, vice tamen & auctoritate Sanctorum Apostolorum consecratas, tibi regaliter impositum, nostræque benedictionis officio in defensionem sanctæ Dei Ecclesiæ diuinitus ordinatum. Et esto memor de quo Psalmista prophetauit, dicens. Accingere gladio tuo super femur tuum potentissime, vt in hoc per eundem vim æquitatis exerceas, iniquitatis violentiam potenter destruas, & sanctam*

Dei Ecclesiam eiusque fideles propugnes ac protegas, nec minus sub fide falsos quam Christiani nominis hostes execres ac destruas, viduas & pupillos clementer adiuues ac defendas, desolata restaures, restaurata serues, vlciscaris iniusta, firmes bene disposita: Quatenus hæc in agendo virtutum triumpho gloriosus iustitiæque cultu egregius, cum mundi saluatore (cuius typum geris) in nomine eius sine fine merearis regnare. Qui cum paere & spiritu sancto viuit & regnat Deus, &c.

Quibus dictis posuerunt gladium nudum in vaginam & cinxerunt Regem eodem gladio. Et Archiepiscopus Coloniensis tradidit sibi armillas, pallium & anulum, dicens: *Accipe regiæ dignitatis anulum, & per hunc Catholicæ fidei cognosce signaculum, & vt hodie ordinaris caput & princeps regni & populi, ita perseuerabilis auctor ac stabilitor Christianitatis & Christianæ fidei fias, vt felix in opere cum Rege Regum glorieris per eum, cuius est honor & gloria per infinita secula seculorum, Amen.*

Quibus dictis, Dominus Coloniensis tradidit sibi sceptrum & pomum regale, dicens: *Accipe virgam virtutis atque æquitatis, qua intelligas mulcere pios, & terrere reprobos, errantibus viam pandere, lapsisque manum porrigere, disperdasque superbos, & releues humiles: & aperiat tibi ostium Iesus Christus Dominus noster, qui de se ipso ait. Ego sum ostium: per me si quis introierit, saluabitur. Et ipse est, qui est clauis Dauid, & sceptrum domus Israel, qui aperit & nemo claudit & nemo aperit. Sitque tuus ductor, qui educit vinctum de domo carceris sedentem in tenebris & vmbra mortis, & in omnibus sequi merearis eum, de quo Propheta Dauid cecinit. Sedes tua in seculum seculi: virga æquitatis, virga regni tui, & imitando ipsum diligas iustitiam, & odio habeas iniquitatem. Quod propterea vnxit te Deus tuus ad exemplum illius, quem ante secula vnxerat oleo exultationis præ participibus suis. Per Iesum Christum Dominum nostrum.*

His finitis, Coloniensis, Moguntinensis & Treuirensis Archiepiscopi, omnes tres simul imposuerunt Regi coronam Sancti Caroli super caput eius, pariter dicen- p. 32.
tes: *Accipe coronam Regiam ac regni. quæ licet ab indignis Episcoporum manibus capiti tuo imponitur, quanque sanctitatis gloriam & opus fortitudinis expresse signare intelligas, & per hanc te principem ministerii nostri non ignoras. Ita vt sicut nos in interioribus pastores & animarum rectores intelligimur. ita & tu in exterioribus verus Dei Cultor strenuusque contra omnes aduersitates Ecclesiæ Christi defensor regnique tibi a Deo dati existas, & per officium nostræ benedictionis vice Apostolorum omniumque Sanctorum suffragio, tuo regimini commissi vtilis executor, regnatorque proficuus semper appareas, vt inter gloriosos athletas virtutum gemmis ornatus, & præmio sempiternæ felicitatis coronatus, cum redemptore ac saluatore Domino nostro Iesu Christo, cuius nomen vicemque gestare crederis, sine fine glorieris. Qui viuit & imperat Deus cum Deo patre in veritate Spiritus sancti Deus per omnia seculorum Amen.* Omnibus his dictis ductus est Rex ad altare per Archiepiscopos Moguntinensem & Treuirensem. Ibi ponens ambas manus super altare, faciens hanc professionem in vulgari: *Profiteor & promitto coram Deo & Angelis eius a modo & deinceps legem & iustitiam, pacemque sanctæ Dei Ecclesiæ seruare, populoque mihi subiecto prodesse & iustitiam facere, & conseruare iura regni, saluo cordigno diuinæ misericordiæ respectu, sicut cum consilio principum & fidelium regni atque meorum melius inuenire potero. Sanctissimo Romano Pontifici & Ecclesiæ Romanæ, cæterisque Pontificibus & Ecclesiis Dei condignum & canonicum honorem volo exhibere. Ea etiam quæ ab Imperatoribus & Regibus Ecclesiis seu Ecclesiasticis personis collata sunt & erogata, inuiolabiliter ipsis conseruabo & faciam conseruari, Abbatibus & ordinibus vasallis regni, honorem congruum volo portare & exhibere, Domino nostro Iesu Christo mihi præstante auxilium, fortitudinem & decorem.*

Qua professione facta ductus est Rex per Dominos Archiepiscopos Moguntinensem & Treuirensem ad solium suum seu sedem regiam, quæ est superius super altum monasterium ante altare Apostolorum Simonis & Iudæ, Clero cantante Responsorium istud:

Desiderium animæ eius tribuisti ei Domine, & voluntate labiorum eius non frauda-

dasti eum. Versus. *Quoniam praeuenisti eum in benedictionibus dulcedinis, posuisti in capite eius coronam de lapide precioso,* Et voluntate, Et Dominus Archiepiscopus Coloniensis sequebatur cum suis ministris Regem cum cæteris Principibus, ponentes eum ad eandem sedem regiam sancti Caroli lapideam, Ibi Dominus Coloniensis dixit: *Ita retine amodo locum regium, quem non iure hæreditario neque paterna successione, sed Principum seu electorum in regno Almaniæ tibi noscas delegatum, maxime per auctoritatem Dei omnipotentis & traditionem nostram præsentem, & omnium Episcoporum cæterorumque seruorum Dei. Et quanto clerum sacris altaribus propinquiorem prospicis, tanto ei potiorem in locis congruis honorem impendere memineris, quatenus mediator Dei & hominum te mediatorem cleri & plebis in hoc regni solio conseruet, & in regno æterno secum regnare faciat Iesus Christus Dominus noster, Rex regum & Dominus dominantium. Qui cum Deo patre & spiritu sancto viuit & regnat Deus, &c.*

Rege sic in sede regia sedente, mox accesserunt qui ad militiam creari desiderauerant, quando gladium Sancti Caroli extraxit Rex tenens in manu sua: Et accessit primo Philippus Comes Palatinus Rheni princeps Elector Imperii: Deinde Ernestus Dux Saxoniæ princeps elector Imperii. De post Dux Guliacensis: Casparus Dux Bauariæ Comes in Feldentz, Carolus Dux Gelriæ, Marchio de Baden, Wilhelmus Landgrauius Hassiæ in Cassel, VVilhelmus de Egmund cum quampluribus aliis in numero ducentorum & vltra, facti milites, Et factus est sonus tubarum. Deinde descenderunt inferius in locum pristinum chori: ibi cantauerunt, *Te Deum laudamus.* Quo finito legebatur Euangelium, *Cum natus esset,* &c. De post *Credo in Deum.* Offert. *Reges Tarsis,* &c. Deinde Rex Romanorum sceptrum in manu sua portans ibat ad offertorium offerens quamplures petias auri.

Deinde ibant Archiepiscopus Moguntinensis & Treuirensis, & postea alii principes electores. Sic processus fuit in missa vsque ad pacem: ibi dominus Archiepiscopus Coloniensis vertit se versus populum, dando Regi & cæteris Principibus benedictionem dicens: *Benedicat tibi Dominus custodiatque te, & sicut te voluit super populum suum esse Regem, ita in præsenti seculo felicem & æternæ felicitatis tribuat esse consortem.* Responderunt *Amen.* Item missa finita vocatus fuit Comes de Chymay, & factus est per Imperatorem Princeps de Chymay.

Item venerunt capitulares Ecclesiæ Aquensis recipientes Regem Romanorum
p. 33. in Canonicum: qui ipsis præstitit iuramentum quo ad præbendam hanc in eadem Ecclesia. Et dederant sibi locum in choro. Ipse etiam dedit statuta, & vinum admissionis, iuxta consuetudinem Ecclesiæ. Et habet duos vicarios in loco, qui capiunt integram præbendam & supplent locum suum in Ecclesia. Sic coronatio Regis finem habet.

Processus ex Ecclesia, ad domum Ciuitatis.

Istis sic peractis, exiuerunt Ecclesiam ad locum prandii scilicet domum ciuitatis paratum isto ordine. Nobiles præcesserunt. Postea Comites & Barones in magna multitudine. Deinde tubicinatores & heraldi. Postea Prælati, Episcopi & Principes. Deinde Electores Imperii. Primo Dominus Archiepiscopus Treuerensis, secundo Ernestus Dux Saxoniæ cum gladio nudo ante Regem, in latere eius dextro Philippus Comes Palatinus cum pomo aureo, in sinistro latere electus Augustensis habens penes se vnum deferens sceptrum loco Marchionis de Brandenburg, qui obiit. Tunc Rom. Rex cum corona regia & cappa, habens gladium in femore & coronam in capite, in cuius latere dextro Dominus Archiepiscopus Coloniensis, in sinistro Archiepiscopus Moguntinensis, cum eorum vestimentis ac ornamentis, prout eis tanquam Electoribus conuenit & decens erat, Imperialis Maiestas cum sua corona & cappa imperiali & suo heraldo.

Item itinere transeundo vsque ad domum ciuitatis nomine Regis seminabatur vel proiiciebatur ad populum pecunia, floreni scilicet Rhenenses, & moneta argentea, in valore trecentorum florenorum. Et populus magis sequebatur pecuniam quam Regem.

Ipsis sic existentibus super domum ciuitatis, in qua Rex fecit parari magnum conuiuium omnibus Principibus. Et descendit Ernestus Dux Saxoniæ princeps elector & Sacri Rom. Imperii Archimarschalcus, ascendens equum, veniens ad magnum cumulum hauenæ positum in foro ante domum ciuitatis Aquensis. Intrans hauenam cum equo suo vsque ad pectus equi, habens vnum modium & hostorium siue baculum argenteum in manu sua, ad mensurandum hauenam. Recipiens suum modium mensurandi argenteum impleuit hauena, mensurauit, tradidit vni ex suis, & sic compleuit officium suum, & post recessum suum in continenti erat ibi tanta pressura hominum residuum hauenæ recipientium quatenus seminabatur & proiiciebatur quasi per totum forum.

Item ascendit Imperialis Maiestas domum ciuitatis, abstraxit se in vna Camera exuens pontificalia sua, rediens ad mensam in capite aulæ transuersaliter factam & ornatam, sex gradibus altam & eleuatam, in qua sedebat sua Maiestas, & Rex Romanorum filius suus Maximilianus.

Item mensa erat cooperta de panno aureo, cum armis Burgundiæ preciosissime ornata.

In sinistro latere erat vna credentia septem stadiis alta ornata vasellis preciosissimis, non paruas sed magnas vltra ducentas petias aureas & argenteas numeratas, demptis scutellis argenteis ac scyphis. Imperator vero volens locum dare filio suo honoris, tanquam sponso Dei, nullam parare fecit credentiam: licet inter omnes principes habeat preciosissimam.

Et cum Imperator, & Rex Rom. ad prandium irent, venit electus Episcopus Augustensis de Hohenzorn dictus, locum Marchionis Brandenburgensis suppleuit cum cæteris Comitibus, Ernesto Duce Saxoniæ præcedente cum baculo, aquam porrexit & manutergium: aqua in peluibus argenteis erat.

Item tres Archiepiscopi benedictionem & Benedicite dixerunt. Et sigillum simul de cancellaria Imperatoris ceperunt, ante Regem posuerunt cum vno baculo.

Ipsis sic sedentibus & electoribus Rom. Imperii mensæ astantibus, Ernestus Dux Saxoniæ princeps elector tanquam Archimarschalcus cum baculo nigro in manu, & Comes Palatinus Princeps elector ac dapifer Rom. Imperii, post ipsum, accesserunt ad coquinam Regis. Ibi Comes Palatinus equitando de coquina Regis quatuor scutellas argenteas in manibus produxit, descendens ante domum ciuitatis de equo, ascendit domum ciuitatis, Ernesto Duce Saxoniæ præcedente cum baculo, portauit scutellas argenteas cum ferculis in manibus, & ad mensam Regis collocauit. Et postquam principes electores sua officia exercuerunt, quilibet Princeps Elector solus sedebat ad mensam sibi paratam cum sua propria credentia.

Ordo sedentium in prandio. P. 34.

In capite & in medio aulæ vel palatii sedebat Imperialis Maiestas, & Rex Romanorum filius suus Maximilianus, in mensa ipsis parata & ornata, sex graduum alta: quibus ministrando astabant Principes, Comites & Barones, inter quos Princeps de Chymay & Dux Gelriæ erant primi, vnicuique vero principi electori de sui ipsius familia ministrabant Comites, Barones & nobiles.

Item in latere dextro & loco proeliuiori palatii, primo Dominus Archiepiscopus Coloniensis princeps elector Imperii, secundo parata erat vna mensa pro Rege Bohemiæ, quæ erat vacua propter eius absentiam. Tertio Philippus Comes Palatinus Rheni Princeps elector etiam solus in mensa sibi parata. Quarto sedebant Oratores Ducis Anstriæ. Quinto loco Episcopi Leodiensis, VVormatiensis, Cameracensis, Sibinicensis, & Missensis. Sexto ordine vel loco ciuitas Aquensis. Septimo loco ciuitas Coloniensis. Item Archiepiscopus Treuirensis princeps elector in propria mensa sibi parata in medio aulæ in faciem Imperatoris & Regis cum sua credentia sedebat.

In sinistro latere Dominus Archiepiscopus Moguntinensis primo loco in sua propria

propria mensa cum sua credentia sedebat. Secundo loco Ernestus Dux Saxoniæ princeps elector solus etiam sedebat in sua mensa. Post hos pro Marchione de Brandenburg erat mensa parata quæ erat vacua propter absentiam suam. Deinde Albertus Dux Saxoniæ, Dux Cleuensis, Casparus Dux Bauariæ, Dux Guliacensis, & quidam orator Comitis de VVirtenberg, sedebant. Quinto loco consules ciuitatis Franckfordensis. Sexto loco consules ciuitatis Nurenbergensis. Hic dissensio facta est. Nornbergensis Marschalcum Regis accesserunt, cur Franckfordenses super eos locum haberent. Qui respondit, sic fore ordinatum in suo registro. Sed non contenti Regem accesserunt, qui pie respondit: *Quoniam in Franckfordia electi sumus in Regem, ideo modo locum eorum sic habere debent: alio tempore de sessionibus & locis cogitemus.* Durabat autem prandium istud vsque fere ad horam tertiam. Quid vltra dicam? fuerunt fercula citra quinquaginta, & semper scutellæ fuerunt repletissimæ. Integer lepus, agnus, pauo, & de omnibus generibus auium & piscium & ferarum: & vina optima ac preciosissima. In ferculis signa Principum pendebant: quis omnia enarrare potest?

Item in foro pauperes & famelici stabant, quibus per fenestras carnes, panes, integri lepores & agni assati proiecti sunt: & factus est clamor magnus in foro. Sed in aula seu palatio isto fuit silentium, non clamor, nisi in quantum vnus cum alio submissa voce loquebatur. Et prandio facto iterum aqua in peluibus argenteis adducta est cum manutergio ad mensam Imperialis M. & Regis Romanorum, deinde Archiepiscopi tres grates Deo referebant. Post hoc quidam de numero heraldorum clamauit voce magna dicens; *Si qui sunt qui desiderant creari in milites, accedant Regem hic vel in domo, paratus est. Et si qui accesserunt hodie, qui non sunt habiles, pro non creatis sunt habendi, & prohibendi ab aliis, ne signa militum deferant, & qui de numero illorum velint permanere, debent Regem de hoc certificare.* Quibus dictis omnes surrexerunt, Imperatorem & Regem ad hospitia sua perduxerunt, circa horam quartam, & in pace omnia requiescebant.

Item pauperibus omnibus datæ sunt eleemosynæ in abundantia. Sic a fine omnia sunt denominanda, pauperes Christi non sunt neglecti.

Decima die Aprilis quæ fuit secunda post dominicam Misericordiæ Domini, de mane missa audita ostendebantur reliquiæ Ecclesiæ Aquensis in publico in præsentia omnium Principum præscriptorum ac omnium Christi fidelium ibidem existentium.

Quo facto consules ac tota communitas ciuitatis Aquensis fecerunt iuramentum vel homagium Rom. Regi ante domum ciuitatis in præsentia Imperatoris, Principum electorum ac aliorum Principum, & Rex firmauit priuilegia ipsorum. Illo facto immediate recesserunt principes versus Coloniam, scilicet Rom. Rex, Archiepiscopus Coloniensis, Comes Palatinus Rheni, Archiepiscopus Treuirensis, Imperialis autem M. & Archiepiscopus Moguntinensis manserunt ibidem illa nocte.

Vndecima die Aprilis quæ fuit quinta Misericordiæ Domini, applicuerunt omnes Principes simul cum Imperatore & Rom. Rege ante ciuitatem Coloniensem, intro eundo in optimo ordine. Conuenerunt enim omnes Principes ante ciuitatem cum suis, consulatus obuiam venit in vestitu nigro, citra centum equos, & armigeri citra mille manserunt prope portam, quam
p. 35. Rex consueuit intrare post suam coronationem & antecesserunt Regem a longe per ciuitatem. Nam propriam habet plateam, per quam intrat vsque ad Ecclesiam maiorem.

Item præmisit multos de familia Ducis Guliacensis, Ducum Saxoniæ Ernesti Electoris & Alberti, & Philippi Ducis Bauariæ Comitis Palatini. Deinde tubicinatores, fistulatores, & iterum aliqui de familia Archiepiscopi Coloniensis. Deinde tres armati, scilicet Dominus de Ysselstein, & Dominus Wilhelmus frater eius de Egmund, & Dominus Vitus de Wolckenstein qui armati erant; cum equis armatis, a vertice capitis vsque ad plantam pedis, qui antecesserunt Regem. Deinde Electores Imperii, Philippus Comes Palatinus Princeps Elector, & Dux Cleuensis. Post eos Dux Saxoniæ Ernestus Princeps Elector, cum gladio nudo, & Archiepiscopus Treuirensis, iuxta ordinem suum. Deinde Rex Romanorum etiam armatus a planta pedis vsque ad verticem capitis, in medio Archiepiscoporum Coloniensis & Moguntinensis. Imperator statim sequebatur in curru suo, & post ipsum multitudo magna. Sic intrauerunt ciuitatem in sono tubarum vsque ad portam curiæ maioris Ecclesiæ, vbi Rex de equo & Principes Electores & cæteri Principes descenderunt, Regem ad portas ecclesiæ perduxerunt, Imperator in curru permansit. Accessit autem suffraganeus Coloniensis in pontificalibus habens crucem, osculum dedit Regi, & cæteri cum crucibus, candelis, vexillis: & prælati omnium Ecclesiarum Regem Rom. ad tres Reges perduxerunt vbi locus paratus erat pro oratione. Qua completa inceperunt cantare, *Te Deum laudamus*, & intrauerunt chorum. Illo finito suffraganeus benedictionem dedit, & Canonici Regem in canonicum receperunt iuxta consuetudinem Ecclesiæ suæ: Post hæc Regem ad hospitium perduxerunt. Item postquam Rex descendit de equo sub transeundo ad Ecclesiam, Dominus de Nuvvenar iure suo recepit equum Regis cum ornamentis suis aureis.

Duodecima Aprilis Principes ad consilium venerunt, & de recessu Principum conclusum erat. Sed superuenerunt ambasiatores Regis Poloniæ magnifice, & retardati sunt Principes.

Sabbato mane sequenti facto consilio Ernestus Dux Saxoniæ per Hassiam viam aliam reuersus est ad terram suam. Albertus frater eius ibi cum aliis Principibus remansit. Sic per dies quatuordecim magna consilia habuerunt: quod conclusum est, expectemus cum patientia. Etiam Principes hastiludia fecerunt inter se, & post multa consilia Principes separati sunt, quilibet ad terram suam.

HENRICI VII. ANGLIÆ REGIS AD MAXIMILIANVM REGEM ROMANOR. ET IMPERII ORDINES, IN COMITIIS CONFLVENTIAE HABITIS ANNO MCCCCXCII. LEGATIO.

p. 36.

p. 37.

SERENISSIMO Romanorum Regi semper Augusto, Hungariæ, Dalmatiæ, Croatiæ, &c. Regi ac Reuerendissimis & Illustrissimis Principibus Electoribus, cæterisque Principibus Sacri Romani Imperii, Serenissimi Regis Angliæ orator offert ea quæ collegit, ad magis cognoscendum & colligendum falsitates, fraudes & proditiones Francorum; vt ab eis magis caueatur.

Primo dicit, vnumquemque scire debere, quod fides vnius Franci est deterius pignus domus suæ. Quia quicquid iurant vel promittunt, hoc semper fit in fraude & deceptione, * nec aliquid nisi pro arbitrio & placito suo tenent vel obseruant: cum aliæ Christianorum nationes fidem seruare soleant, imo & Turci & Saraceni promissa seruent. Et vt vnusquisque id magis intelligat, notorium est, Francos multa iureiurando promisisse, & sigillasse, ac sigillata dedisse Serenissimo quondam Eduardo Angliæ Regi, tam super coniugio Regis Franciæ præsentis cum filia ipsius Eduardi, quam eidem dandi & persoluendi in sua ciuitate Londonensi quinquaginta millia scutorum aureorum quotannis, quoad decisum fuisset in causa in qua ipse Eduardus ad coronam Regni Franciæ prætendebat, & ad Ducatum Normandiæ & Guiennæ: quod per septennium ipsi Franci obseruarunt, & postmodum visa opportunitate a præmissis & iureiurando fecerunt. Vlterius quis ignorat pactiones, promissiones & iuramenta atque sigilla, quæ ipsi Franci fecerunt tam Illustrissimo Carolo quondam Burgundiæ Duci, quam etiam Francisco Duci Britanniæ, vt cum eis in pace viuerent, & bellum de medio Franciæ tollerent, vt eos hoc pacto a dicto Eduardo Rege Angliæ separarent. Tamen nihil obseruarunt nisi vsque quo necessitas eos cöegit, quia manifestum est Francos contra illa promissa exercitum misisse contra dictum Ducem Carolum ad Nanse in Lotharingia castra metantem: vbi eorum perfidia occubuit, & postmodum dicti Franci magnis etiam iuramentis atque sigillis quæsiuerunt coniugium Regis Franciæ præsentis cum filia Serenissimi Romanorum Regis, relicta & repudiata filia Regis Eduardi, quæ paulo post mortua fuit. Præterea dicti Franci suis cautelis & fraudibus adeo subtiliter laborarunt, vt Barones & proceres Britanniæ corruptionibus & pensionibus, & Regium ordinem illis dando in suum fauorem attraxerint, adeo vt illi thesaurum Britanniæ Ducis interceperunt, & in personam sui illustrissimi Principis violentas manus imposuerunt, vt hoc modo ipsi Franci facilius & mortem ipsius Ducis viderent, & ipsius Ducatum lucrarentur: quod suis muneribus, corruptionibus, pensionibus, & Ordinis regii donationibus tandem sunt consecuti. Quia plurimi Britanniæ proceres illis cautelis, promissionibusque deuicti, Francos in Britanniam introduxerunt contra ipsum Franciscum, qui dolore talium proditionum magis quam senio vitam finiuit. Deinde notum est, post mortem Eduardi Regis Angliæ, Ducem Clocestrensem eius fratrem, principem strenuissimam, electum in tutela atque regimine pupillorum Eduardi Regis fratris sui, vt regnum regeret ac gubernaret, illis pupillis existentibus adeo a Francis sollicitatum & promissionibus obsecratum fuisse, vt crudelissime nepotes suos extinxerit, ** vt se Regem faceret: in quo Deus eum puniuit, licet Francorum punitionem hactenus distulerit. Item quis ignorat maxima iuramenta, pacta atque sigilla non solum Regis Franciæ sed etiam omnium Principum, ciuitatum, vniuersitatum, communitatum totius regni data esse in perficiendo coniugio inter præsentem Regem Caro-

* Artes Gallorum adgnoscit Metzeray, ipse Gallus Abregé Chronol. Tom. III. p. 313. dum ait: *Le Breton auoit auprés de luy Pierre Landays son Tresorier, homme de bas lieu, mais fort habile & capable de contreminer sous les artifices de Louis XI.* Hinc etiam Baco de Verulamio Hist. Henrici VII. p. 142. *Britannia igitur, hisce rationibus permota artificiose instillatis, ab iis, quos Rex Gallus, (qui premiis & promissis non pepercerat,) in suas partes traxerat.*

** de hoc plenius Polydorus Virgilius *Hist. Angl. lib. XXV.*

Carolum & filiam Serenissimi Romanorum Regis: quod ad eum finem fecerunt, vt in possessione occupatæ Burgundiæ & aliarum patriarum permanerent, vt interea Flandrenses sub vmbra pacis sollicitarent, & in suam partem attraherent, & vt ipsam p. 37. filiam Sereniss. Rom. Regis in sua potestate haberent, vt si fortassis Illustrissimus Philippus Archidux decessisset, & illas occupatas patrias & alias omnes ipsius obtinerent, & sub vmbra ipsius coniugii omnes querelas & lites sopirent & de medio tollerent, quas Serenissimus Romanorum Rex aduersus eos de iure mouere poterat. Quibus rebus sic existentibus ipsi clanculum Britanniæ Ducatum (vt dictum est) occuparunt, nec alia ratione ipsum coniugium cum Sereniss. Rom. Regis filia quæsiuerunt, & non aliqua dilectione aut affectione erga ipsum Romanorum Regem aut Sacrum Imperium: quinimo ad ipsum Imperium dicunt & iactant se ius habere, & præsertim ad eas patrias quæ sitæ sunt circa Rhenum.

Et vt facilius tam Serenissimus Romanorum Rex, quam Illustrissimi Principes, Gallorum fallacias memoria teneant, quis ignorat eorum promissa & iuramenta tam Franckfordiæ* quam Vlmæ præstita Serenissimo Romanorum Regi, quorum colore & vmbra ipsum Romanorum Regem & Principes Imperii retardarunt ac reuocarunt ab auxilio in Britanniam mittendo, & sex millia Anglicorum pugnantium extra Britanniam dimiserunt, quæ pro illius patriæ defensione Serenissimus Rex Angliæ modernus propriis expensis ibidem tenebat: quibus fraudib. ipsi Franci Britanniæ Ducatum sunt consecuti, eiusque Ducissam sponsam & coniugem Serenissimi Romanorum Regis (vt quisque nouit) ipse Rex Franciæ in coniugium fraudulenter accepit, & cum ea concubuit, derelicta & repudiata illustrissima Margareta Serenissimi Romanorum Regis filia, sibi autem per verba de præsenti desponsata** contra ordinem

F 2 & sta-

* intelligit Tractatus Pacis inter Carolum VIII. & Maximilianum Francofurti XXII. Iulii 1489. conclusos, qui extant in *Recueil des Traittés de Paix Tom. I. p. 743.* quibus pacem & amicitiam perpetuam promittit, & de restituenda Burgundia spem facit, Carolus. In eadem pace comprehenditur Anna Britannica, vt plena gaudeat securitate, modo Anglos dimittat.

** Sponsalia hæc per Tractatum Atrebatensem inter Ludouicum XI. & Maximilianum Austriæ Archiducem die XXIII. Decembris 1481. conclusa, in quibus hæc verba: item *pour plus grande seureté de la dite Paix, Traité & Alliance de Mariage est fait, promis, consenti & accordé entre mondit Seigneur le Daufin, seul fils du Roi, & heritier apparent de la Couronne, & madite Damoiselle Marguerite d' Autriche, seule fille de mondit Seigneur le Duc, & de feüe Madame Marie de Bourgogne, fille vnique de feu Monsieur le Duc Charles, que Dieu absolue: & se parfera & solemnisera ledit mariage la dite Damoiselle venüe en âge requis de droit...* Recueil des Traittés de Paix *Tom. I. p. 705.* Dissolutionem Sponsaliorum Nauclerus vol. II. Gen. L. ad a. 1491 ex Francorum mente legitimare conatur, dicens: *verum tamen Franci nihil in his perperam affirmant actum. Nam vt aiunt, domina Margarita annum nondum agens quartum, ad Carolum tunc Delphinum Viennensem sperati ad pacem matrimonii gratia deducta est, quod quidem pactum de nuptiis rex Rom. semper improbauerit, tum quod a Flamingis se inconsulto & reclamante, conflata coniurataque essent tum quod maior æquo dos designata fuisset. Accessit his odium implacabile regis Rom. in Carolum, inde non mirandum, si ipsa, his cognitis, nondum adulta, remissa est, cum impuberis ante pubertatem inanis sit assensus: & dum pubescunt, licitum est illis sponsalium pœnitere, vt indicant canones sacri.* Respondet tamen Trithemius Chr. Hirs. ad an. 1491. *anno prænotato Carolus Rex Gallorum VIII. Margaritham Regis Germanorum Maximiliani filiam sibi a patre Ludouico XI. ante IX. annos, vt supra diximus, cum magna solemnitate desponsatam, remisit ad Patrem in Flandriam, opere demonstrans, se vacuum fide, auaritia plenum. Erat autem Margaritha duorum annorum, & Carolus agebat sextum, quando sponsalia inter eos fuerunt celebrata. Mansit ergo in Gallia nouem annis, & cum remitteretur ad patrem, annum agebat vndecimum. Quæ autem fuerit caussæ remissionis Margarithæ ad patrem, dicam paucis, vt nouerit posteritas omnis, nullam in virgine fuisse culpam, nec patrem Gallo, qua remitteretur præbuisse occasionem, sed Carolum leuitate motum, ambitione & auaritiæ stimulis concitatum, egisse quod non debuit, quodque vix iure potuit. Annam Britanniæ Ducis filiam Rex Maximilianus per suos legitimos procuratores sibi futuram desponsauerat vxorem, cum ea vt vnica herede habiturus & Britanniæ Ducatum. Quod vbi Gallo innotuit, vt Ducatum potuisset habere, Britanniæ rapuit heredem & vxorem duxit contra Ius & æquitatem Maximiliano prius legitime desponsatam non sine scandalo plurimorum. Hæc fuit causa non alia.*

& statum diuinum ac sanctæ matris Ecclesiæ, ad maximam dederunt ignominiam, infamiam & scandalum religionis Christianæ, & in perniciosum exemplum totius mundi: quod tam sancta mater Ecclesia, quam sacrum imperium Romanum, omnesque Reges & Principes orbis nec ferre nec tolerare deberent, ne deteriora eius exemplo consequantur, si tam detestabile facinus impunitum omittatur. Item cum ipsi Franci & iuramentis & sigillis & sub pœna censurarum Apostolicarum se obligauerint, casu quo dictum coniugium solueretur, ad restitutionem *** tam ipsius filiæ Serenissimi Romanorum Regis quam patriarum in dotem ei datarum; tamen hactenus in maximam iniuriam, [illegible] ignominiam [illegible] totius Romani Imperii, & Sedis Apostolicæ, ac totius nobilissimæ nationis Germanicæ, ipse Rex Franciæ dictam restitutionem denegat: licet per Oratores suos tam Serenissimo Imperatori quam Romanorum Regi, ac illustrissimo Archiduci Philippo huiusmodi restitutionem obtulerit, ad [illegible]ndum sui sceleratissimi facinoris incredulitatem: cum nuper Oratoribus Serenissimi Rom. Regis & ipsius Archiducis Philippi, domino scilicet Engil[illegible] restitutionem denegauerit. Ex quibus vnicuique notorium [illegible] ipsorum Gallorum promissionibus, quantaue eorum sit [illegible] aut fides. [illegible] sollicitant, ac omni diligentia [illegible] Romanorum & Angliæ Reges [illegible], vt eos auertant a bello in Franciam assumendo, [illegible] impediant Principes & communitates Sacri Imperii ab auxilio dando Serenissimo Romanorum Regi in tam iusta causa, acerbaque iniuria vlciscendo. [illegible] Franci, [illegible] esse seruos quod per discordias Principum Germaniæ ad [illegible], & quod facile ipsum Imperium consequentur: quod Deus auertat. Quia omnes Imperii Principes ac liberas ciuitates in maiori seruitute ac paupertate tenerent ac collocarent, quam alii hactenus fecerint, vt omnibus est manifestum. Item scire potest vnusquisque Gallorum potentiam per occupationem Britanniæ tam in potentia pecuniarum quam militantium valde auctam fuisse: quia ex Britannia tempore illustris bonæ memoriæ Ducis Francisci circiter sex aut octo centena millia Florenorum aureorum ordinarie sine vllius iniuria ad ipsius Principis vtilitatem quotannis extrahebantur & exigebantur, & idem Dux circiter duodecim aut quindecim millia pugnantium cum paruo aere patriæ poterat congregare. Item quia tam in vna parte Britanniæ iuxta Franciam, quam etiam in ipsa Francia, saltem naturale habetur; ex nouo quodam [illegible] per ipsos Francos in ipsis salinis imposito, Britanniæ reditus ordinarii ad decies centena millia florenorum iam æstimari dicuntur. p. 38.
Idem considerandum est in [illegible] Britanniæ circiter decem millia hominum maritimorum haberi, qui negotiis maritimis versari & viuere solent. Item in eodem Ducatu circiter duo millia nauium communiter inuenientur, vt aliquando in vno portu trecentæ magnæ naues reperiantur: quæ patria in portubus, & accessibus naualibus, ac etiam nemoribus & siluis pro materia nauium valde copiosa est: Vt ibidem naues mille, imo mille & quingentarum amphorarum fieri possint. Qua commoditate ipsi Franci Dominos se maris facere quærunt. Nec dubitandum est, nisi eorum violentis progressibus obuietur, quin breui tempore Franci tam Angliam quam Flandriam, & sic paulatim liberas Imperii patrias, [illegible] Principes per eorum subtiles & fallaces violentias in suam ditionem [illegible] : prout iam de Britannia eos fecisse constat, a [illegible] exemplum capere possunt.

Licet autem ipsi Franci ipsum Britanniæ Ducatum occupauerint, nondum tamen corda hominum eorumque animos sunt consecuti: qui nec volunt, nec possunt seruitutem subiectionemque Gallorum perferre, cum ipsi Galli natura feri atque superbi,

omnem

*** Comitatus enim Burgundiæ, Arthesiæ, Charloii ac Noycii cum aliis terris per Tractatum Atrebatensem Gallis in dotem Margarethæ fuerunt cessi; Facta tamen postea harum terrarum restitutio per pacem Senliacam XXIII. Maii 1493. conclusam, quæ extat in Recueil des Traittés de Paix *Tom. I. p. 703.* de qua Phil. de Comines, *Mem. lib. VII. c. III.* P. Heuterus *lib. V. c. I.* G. a Roo *lib. X. p. 522.*

omnemque aliam nationem sint contemnentes. Et licet Francorum Rex ipsorum Britannorum dominam in vxorem acceperit, ipsi tamen populi considerantes malitiosum & violentum ac perfidum modum & viam, quibus ipsam Ducissam obtinuerit, & quomodo ipsi Britanni per ipsos Francos decepti fuerint, & quot mala & iniurias ab ipsis Francis patiantur, considerantes etiam omnes Britanniæ diuitias & rerum copias ac prosperitates ex maritimo commercio cum patriis Angliæ, Hispaniæ, Flandriæ, Holandiæ, Selandiæ sibi euenire consueuisse, quibus semper amici & confœderati Britanni esse solebant, & modo propter bella illis commodis careant, cum maxime cupiant emergere a seruitute in qua Galli eos oppressos tenere contendunt, cum semper ipse Ducatus Britanniæ fuerit liber, omni libertatis iure & superioritate vsus: ipsi Britanniæ populi nondum nisi coacti Francorum Dominium admittunt, nec eis per mare aut per terram præter admodum paucos seruire volunt: sperantes ac confidentes, quod per fœdera ac colligationes & auxilia potentissimorum Regum Romanorum & Angliæ ac illustrissimorum Principum sacri Imperii a talibus oppressionibus & seruitutibus debeant liberari, & in pristina libertate reponi, & ex pacto Gallorum potentia subtrahetur ac diminuetur. Ad cuius quidem Britanniæ recuperationem vnusquisque eo magis animum adhibebit, si considerauerit quantum incommodum in eius amissione Serenissimus Romanorum Rex sit consecutus, quantamue iniuriam & ignominiam suæ Maiestati & sacro Romano Imperio, & omnibus Regibus & Principibus eis confœderatis & alligatis, ipsi Franci intulerint, per suas fraudes & proditiones Britanniam occupando, ipsiusque Ducissam veram sponsam & coniugem Romanorum Regis capiendo & subtrahendo, quæ per parentes suos Serenissimo Romanorum Regi, velut totius Christianitatis potentissimo Principi fuerat desponsata, ne in Gallorum manus & subiectionem peruenerit: quum etiam ipsa Ducissa post parentum suorum mortem multos alios Reges ac principes coniugium eius petentes spreuerit ac recusauerit, solum ipsum Romanorum Regem præ omnibus eligens. Quæ quidem iniuria ac violentia si inulta relinquatur, in maximum dedecus ac scandalum & ignominiam infamiamque non solum ipsius Romanorum Regis, sed etiam sacri Romani Imperii omniumque eius Principum cæterorumque Regum & Principum eis confœderatorum cedet & remanebit: præsertim ipsis Francis nondum sua perfidiosa malitia contentis, iactantibus & publicantibus nunc in maximam Sacri Roman. Imperii ac omnium confœderatorum dedecus & ignominiam.

Quibus omnibus consideratis cum Serenissimus Rex Angliæ vehementer doleat, propter ingentem amorem, amicitiam & confraternitatem ac confœderationem inter seipsum & Serenissimum Romanorum Regem ac Illustrissimum Archiducem Philippum, decreuit atque conclusit personaliter cum magno ac potenti exercitu mare traiicere, imo iam traiecit, ad bellum gerendum, perseuerandum & continuandum aduersus Francos, per biennium & diutius si opus fuerit, & ad auxilium opemque ferendum tam corpore quam bonis, omnique regni sui potentia, Serenissimo Romanorum Regi fratri suo charissimo, ac Illustrissimo Archiduci ejus filio, vlciscendo & vindicando violentas & acerbas iniurias illatas tam ipsi quam Sacro Romano Imperio & omnibus eis confœderatis, amicis ac fidelibus, quam Deum creatorem nostrum & sanctam matrem Ecclesiam & Catholicam fidem: sperans atque confidens ipse Rex Angliæ, quod ipse Serenissimus Romanorum Rex ac Illustrissimi Principes ita suas vires, copias atque potentias exhibebunt, vt reparationem atque vindictam tantarum iniuriarum cum Dei auxilio simul omnes co[illegible] vacabunt, ad maximam diuinam laudem, & ipsorum Regum ac Principum honorem, gloriam atque triumphum, totiusque Christianitatis & sanctæ Romanæ Ecclesiæ exaltationem in perpetuum posterorum exemplum atque memoriam.

p. 39.

Quapropter humillime supplicat idem Orator tam Serenissimo Romanorum Regi, quam supradictis Illustrissimis Principibus, Dominis & communitatib. S. Roman. Imperii, ea omnia supradicta velle animaduertere, ponderare & mature cogitare, ac super his omnibus citissime ac diligentissime prouidere, & de eorum deliberatione

ſibi reſpondere: vt cum ipſe Sereniſsimus Rex Angliæ iam mare traiecerit, ipſe Orator de eorum apparatu, diligentia ac reſponſione omnique intentione, cum diligentia Sereniſsimum Regem ac Dominum ſuum certiorem facere poſsit.

ROMANORVM REGIS, ET IMPERII ORDINVM, RESPONSORIA.

MAXIMILIANVS diuina clementia Romanorum Rex ſemper Auguſtus, Hungariæ, Dalmatiæ, Croatiæ, &c. Rex, Archidux Auſtriæ, &c. Wilhelmus Epiſcopus Eiſtetenſis, ac Fridericus Comes de Zollern, Capitaneus Dominii Hohenberg, S. Imperialis Maieſtatis in hoc generali conuentu Confluentiæ habito vices gerentes, nec non S. Imperii Electores, ac alii Principes vtriusque ſtatus, in eodem conuentu perſonaliter comparentes, aliorumque Imperii Principum & communitatum Oratores ac vices gerentes, Sereniſsimo Principi Domino Hainrico Regi Angliæ & Franciæ ac Domino Hiberniæ, &c. Nobis Rom. Regi fratri cariſsimo, nobisque aliis Domino & amico obſeruandiſsimo, ſalutem & proſperitatis incrementa. Sereniſsime ac potentiſsime princeps: Cum egregius vir, Magiſter Franciſcus de Puys Orator ac Secretarius veſter, nobis omnibus in hoc Imperiali conuentu congregatis indicauerit, veſtram Serenitatem non ſolum ob fraternam confœderationem qua nobis Rom. Regi conſtanti fide coniungitur, verum etiam ob ſingularem affectum & amicitiam, qua S. Rom. Imperio omnibusque Principibus eius, & vnice Illuſtriſsimo Archiduci Philippo Imperiali ac Regio filio vehementer afficitur, cũ magna ac potẽti claſſe mare traiecisſe, multaque armatorũ millia cũ machinis ac cæteris quibuscunque caſtrenſibus inſtrumentis traduxiſſe, tam in maximarũ iniuriarum nobis Regi ac ſacro Imperio per Francorum Regem (vt nosti s) illatarum vltionem, quam in ipſius Illuſtriſsimi Archiducis patriarumque eius defenſionem: ſane omnes, vt debuimus, ſummopere gauiſi ſumus, veſtræque Serenitati ex tam ſtrenuiſsimis ac præclariſsimis geſtis nos omnes plurimum debere cenſuimus, atque propterea ingentes gratias agimus, non inferiora cum vſus feret pariter redditur i. Eandem veſtram Serenitatem cum ſtudio exhortantes, vt ſecundum iamdiu concepta perſeuerare & continuare, vt eam facturam confidimus, non deſiſtat. Nos autem Romanorum Rex noſtros iam antea in limitibus hoſtium ad præoccupandas anguſtias miſſos totis copiis ſequimur, tot ſuſceptarum iniuriarum iuſtam vltionem Deo propicio proſecuturi. Speramus enim æquiſsimos ſuperos tam æquæ cauſæ noſtræ minime defuturos. Nos vero tam Imperialis Maieſtatis vices gerentes ea iniuria præfato Domino noſtro Regi illata affecti percitique quam non immerito moleſte ferimus, eidem celerem expeditionem tam equitum quam peditum in præſentiarum fecimus, ac præterea omni cura, fide, ſolertia, omni denique ſtudio apud vniuerſos & ſingulos S. Rom. Imperii ac Germanicæ nationis noſtræ ſubditos pro longe ampliori ac communi per Imperium auxilio ferendo nos laboraturos ſolicitaturosque polliciti ſumus: non dubitantes veſtræ Serenitatis, ſimul accedentibus copiis, omnipotentem Deum, exercituum Dominum, de tam deteſtabilibus iniuriis manifeſtam vindictam iuſtumque triumphum conceſſurum. Qui veſtram Serenitatem indies feliciorem conſeruet. Ex Imperiali conuentu generali Confluentiæ habito, ſub ſigillis Regiæ noſtræ, & Wilhelmi Epiſcopi Eiſtetenſis Cæſarei Oratoris ac vices gerentis, noſtrorum quoque Berchtoldi Dei Gratia Archiepiſcopi Moguntini Principis Electoris ac S. Roman. Imperii in Germania Archicancellarii, & Sigiſmundi eadem gratia Marchionis Brandenburgenſis, Stetinenſis Pomeraniæ, Caſſuborum ac Sclauorum Ducis, Burggrauii Nurbergenſis, ac Rugiæ Principis, nomine Principum Electorum aliorumque Principum, totiusque illius præmemorati conuentus, die VIII. menſis Octobris. Anno Domini MCCCCXCII.

BILIBALDI PIRCK-HEYMERI
BELLI HELVETICI
HISTORIA.

LECTORI SALVTEM!
BURCARD GOTTHELF STRUVE.



Pirckheimerus, Patricius Noribergensis erat, & copiarum Noribergensium, quas in auxilium Maximiliano I ad bellum Helueticum miserant, Præfectus. Hoc ipsum etiam, præcipue, quod maximam infelicis successus istius belli culpam in Noribergenses reiicerent, ansam dedit historiam belli, cui ipse interfuit, concinnandi, vt demonstraret, culpam minime in Noribergenses, sed in aliorum redundare ignauiam. Faciunt ad historiæ huius illustrationem verba Conradi Rittershusii in vita Pirckheimeri; * *cum iam triennium eodem vitæ tenore perseuerasset, accidit, vt cruentum ac difficile bellum inter Cæsarem Maximilianum & Heluetios (quos Bilibaldus cum aliis Suitenses quoque appellabat) exardesceret. Ibi tam Norimbergenses quam alii Ordines Imperii a Cæsare moniti, ac per edictum euocati, auxilia Imperialia ex veteri consuetudine mittere sunt coacti. In ea expeditione adornanda, cum vndique circumspicerent, quemnam præfectum ac ducem suarum copiarum R. P. Norimberg. ad Cæsarem mitteret: Tandem summa ea dignitas Bilibaldo Pirckeimero, nec ambienti, ac ne cogitanti quidem, vltro etiam delata est. Quod officium sicut minime ipse exambiuerat, ita nec recusandum sibi aut respuendum existimauit, quantumuis etiam amici plerique omnes id ei proposita magnitudine periculi summopere dissuaderent, eumque deterritum a grauissima Expeditione illa domi retinere cuperent, consulentem potius suæ tranquillitati ac securitati & suorum paruulorum atque vxoris, qua cum non diu vixisset, curam ac tutelam gerentem. Sed huiusmodi amicorum voces parum in ipsius animo flectendo valebant, ac nihil apud eum perficiebant: quin potius*

Vicit amor patriæ laudumque immensa cupido,

Vt diuinus Poeta fecit de generosis eiusmodi & heroicis ingeniis, quale etiam in Bilibaldo nostro ipsis rerum argumentis edocti agnoscimus. Sic enim secum ratiocinabatur, venisse iam illud tempus, quo specimen atque experimentum præberet eorum, quæ in sua adolescentia partim in aula Episcopi Eystadiensis (quam primis annis cum laude sectatum fuisse supra diximus) partim in Itineribus variis, cum patre suo confectis, partim denique in Academiis & vrbibus Italiæ celeberrimis, inque libris & aliunde didicisset, vidisset, cognouisset. Quare cum intelligeret sibi iam aperiri portam ad theatrum honoris & gloriæ in quo suam ostenderet virtutem ac peritiam ad Reipublicæ suæ amplificandam dignitatem: Magno ac forti animo diuina fretus ope, præfecturam illam subiit. Ita commissas suæ fidei copias (quæ cum primum constarent quadringentis peditibus & sexaginta equitibus, posterius ad eum aucta sunt numerum, vt ad alterum tantum ascenderent) ad Cæsarem produxit, vna cum sex colubrinis cannis, & maiori tormento puluerario, octo præterea curribus militaribus, quibus veherentur arma, puluis tormentarius, tentoria, commeatus, aliaque ad expeditionem necessaria. Adiungebantur autem Bilibaldo præter alios complures Nobiles, quidam Eques Auratus Ioannes a Bayersdorff, qui vir fama celebrabatur strenuus & multarum palmarum bellator. Nec minus & ceteri magistri equitum, centuriones, aliique officiales probe exercitati & experientissimi erant milites. Pedites, qui omnes erant veterani, eadem forma vestium induti erant, rubris videlicet tunicis: Cuius coloris panno currus quoque omnes erant tecti, quæ res ad ornatum selectissimarum copiarum non parum conferebat. Cum ergo iam Bilibaldus cum suis copiis ad eum fere peruenisset locum, vbi Cæsar castra metatus fuerat, Maximilianus cognito eius aduentu, misit ipsi obuiam cum mandatis, vt ad se veniret Tettenaugiam, quod oppidum ad lacum Acronium situm in Comitatu Montfortensi. Quo statim Bilibaldus perrexit. Vt autem Cæsar recentes copias

* *ed. Goldasti p. 7.*

pias aduentantes eo melius oculis vsurpare posset, in campum processit eques, nec parum lætitiæ ex conspectu pulcherrimarum copiarum percepit, quantum ex serenitate vultus Imperialis colligi potuit. Non solum enim ex milite veterano selectissimo & omnibus modis ornatissimo illæ constabant: Sed etiam multo maxima pars ipsi Cæsari, vt cuius sub signis iam complures annos in variis bellis militassent, & præclara suæ strenuitatis experimenta sæpe dedissent, nota erat & recognoscebatur: Præcipue vero capitanei & cẽturiones aliique officiales: Quos quidẽ Cæsar ipse clemẽtissimo salutabat alloquio. Ac tametsi non ignorabat Cæsar, sed multoties audierat, criminationes & obtrectationes quorundam maleuolorum, qui antequam Norimbergensium copiæ aduentarent, ex hoc bello ingentia acceperant damna, iamque illarum copiarum, in quibus aliud nihil carpere aut desiderare posset, solam exiguitatem traducebant, easque hoc nomine extenuabant; tamen nihil motus illorum sermonibus ac dicteriis, neque Norimbergensibus vel minimum indignatus (quod illi tamen maxime quærebant) missum sibi auxilium clementissime benignissimeque acceptauit. Aiebat enim, malle se tot veteranos & exercitatos milites, quam alterum tantum numerum tyronum. Erant in hoc laudatissimo Imperatore cum aliæ excellentissimæ virtutes, quas decantant historiæ, tum illa quoque non minima neque postrema, quod calumniatoribus ac susurronibus non facile aures patefaciebat, aut locum dabat, aut fidem adhibebat: Sed innocentiam eorum, qui nullius dum criminis aut culpæ conuicti essent, omnibus modis tutabatur. Meminerat quippe, legitimum principem propugnatorem bonorum & defensorem esse oportere, qui salutem quærat aliis: Vt nobilis ait Historicus. Meminerat item sententiæ Iuliani Imp. Ecquis innocens esse poterit, si accusasse sufficiet? Ita enim ex tempore saneque prudenter respondit acerrimo Oratori Delphidio vehementer impugnanti Numerium Narbonensis prouinciæ paulo ante præsidem: Quem negantem, cum conuincere non posset, destitutus probationibus exclamauerat: Florentissime Cæsar, ecquis nocens esse poterit vsquam, si negare suffecerit. Quod nisi Cæsar ea virtute sic vt diximus præditus fuisset, minime profecto mirum erat, si Norimbergenses tunc temporis omni gratia ipsius excidissent, tot calumniatorum & maleuolorum artificio, quibus in ea expeditione tam vehementer appetebantur, & tam indignis modis traducebantur.... Quicquid enim aduersi acciderat, siue minimum, siue maximum, aut vbicunque res malegesta erat, in totum Norimbergensibus imputabatur. Imo quicquid ad prægrauandos ac deprimendos innocentes excogitari, aut confingi poterat, id omne in ipsos immeritissimos conferebatur: Deinque quicquid alii sua culpa, temeritate atque imperitia neglexerant aut corruperant, id ipsis impingere atque adscribere conabantur: sed falso & ex mera inuidia atque odio, cum dolentes cernerent Norimbergenses tanta apud Cæsarem gratia florere. Sed neque Bilibaldo ipsorum stratego parcebatur, quem similiter suis calumniis licet innocentissimum flagellabant vexabantque. At is apud Cæsarem bis coram multis Principibus & Consiliariis eiusdem imperterrito animo tam egregie se suosque purgauit atque defendit, vt in ipsius Apologia Cæsar clementissime se acquiescere diceret, ipsumque bono ac securo animo esse iuberet, quoad causam cognouisset. Se enim cuique ius redditurum pollicebatur. Cum simul ista dicens subrideret, facile animaduerti ex hoc ipso poterat, quo animo esset, quamquam parum moueretur eiusmodi obtrectatorum voculis & sermonibus, quamquam illis nihil tribueret. Quo loco etiam Bilibaldus alias apud hunc maximum Imperatorem, & quanta in gratia esset, multis indiciis ipse declarauit, non solum durantis illius belli difficillimi tempore, verum etiam illo per transactionem sopito atque composito, dum in consiliariorum suorum numerum eum cooptauit, eique grauibus de rebus sæpe clementissime scriberet, nunc Latine nunc Germanice sub propriæ manus annotatione ac signo. Hoc ipso igitur, quem nunc exhibemus Tractatu Noribergensium Apologiam sæpius suscipit Birckheimerus, atque docet, qua ratione innocentiam suam, vel ipso Cæsare adprobante, fuerint contestati. Scriptores, qui ad illustrandam hanc Historiam, & quidem ad librum primum, in quo potissimum bella Caroli Burgundi cum Heluetis describit, sunt, Pontus Heuterus Historia Rerum Burgundicarum, Io. Stumpfius Chronico Heluetorum.

uetorum. Fuggerus in Speculo Honorum Domus Austriacæ, Iosias Simlerus de Republica Heluetorum, Gerardus a Roo in Annalibus Austriacis, Vrstisius in Chronico Basiliensi. Altero libro describit bellum Maximiliani I. cum Heluetis. De belli caussis ita loquitur Gerhardus a Roo,* dicens. *In finem huius anni (1498.) inciderunt belli Heluetici (ipsi Sueuicum vocant) initia & apparatus, cuius hæ potissimum fuerunt causæ. A primo tempore, quo Maximilianus a Sigismundo adoptatus, ipso adhuc viuo, ditionum eius imperium suscepisset, sæpe ab Heluetiis confoederatis petierat, vti concordiam & foedus, quod ipsis cum Sigismundo intercesserat, secum quoque confirmarent. Illi eo prætextu id quæri suspicati, vti Sueuico foederi implicarentur, respondent: cum Sigismundus suarum ditionum imperio sese abdicasset, nullo foederis iure aut religione amplius se teneri, neque ex re sua videri, foedus vllum cum quoquam facere. Hoc eorum responso, noua animorum exacerbatio orta, & belli quasi semina iacta esse videbantur. Iam enim a multis annis plerique principes & nobilitas omnis, Heluetiis infensi infestique erant, ob assertam armis libertatem, quod cum scirent ipsi, a Sueuico foedere, in quo plurimum poterat nobilitas, tantopere abhorrebant, atque ea de re, non apud illos tantum, sed apud Sueuos etiam, cæterasque vicinas Germaniæ gentes odium incurrebant, cui obstinato animo obuiam ire, quam libertatem amittere malebant. Inter hæc, Constantia celebris ad lacum Podamicum ciuitas, quæ hactenus immunem se ab vtrorumque societate continuerat, multis vtrinque promissis sollicitata, per eos dies Sueuico se foederi coniunxit, eoque statim Cæsaris & sociorum legati conuenere, foedusque & societatem eum ea ciuitate firmauere. Accedebat ad has animorum offensas, vetus quædam simultas, inter Athesinos Cæsaris subditos, & Grisones (vt vocant) Rhetiæ populum, Curiensi ditioni parentem, quæ in eum vsque diem ad varios subinde arbitros reiecta, componi non potuerat. Cumque res ad arma iam spectare videretur, Curienses, quod impares se aduersariorum viribus putarent, Tiguri, in publico Heluetiorum conuentu ad Idus Decembris eorum se foederi adsociauere. Id vbi audiuissent, qui Cæsaris & Sueuici foederis partes sequebantur, Constantiam & ipsi frequentes conuenere; vbi de belli gerendi ratione, qua parte quisque & quibus hostem viribus aggrederentur, deliberatum est.* Præter dictos, ad belli Heluetici Historiam facit Michael Coccinius de bellis Italicis,** qui etiam ita loquitur: *aderant ex Nurenbergensibus noningenti pedites, Marchio Brandenburgensis Fredericus cum septingentis equitibus. Rupertus filius Palatini de Heydelberga cum ducentis equitibus. Episcopus vero Herbipolensis circiter centum miserat equites. Sed dux Wirtenbergensis ad quatuor millia peditum bene instructorum habebat.*

---

* *lib. XI p. 539.*
** *p. 278.*

HISTO-

p. 41.

HISTORIA
BELLI SVITENSIS SIVE HELVETICI; A PRIMA SVI ORIGINE, VSQVE AD EXPEDITIONEM A MAXIMILIANO CAES. ANNO MCCCCXCVIIII. SVSCEPTAM, DVOBVS LIBRIS DESCRIPTA

AVCTORE

BILIBALDO PIRKEIMERO PATRICIO NORIBERGENSI, ET CAESAREO POSTEA CONSILIARIO.

LECTORI S.



Tsi hoc memorabile & geminum bellum, quod cum Heluetiorum fortissima gente duo gesserunt maximi Duces, ac bellatores Carolus Burgundus, & Maximilianus I. eius gener, ab aliis quoque descriptum exstat, a nemine tamen fortasse melius & copiosius, magisque ex fide, quam a Bilibaldo, qui ipsemet posteriori interfuit, præfectus copiarum Norimbergensis Reipublicæ tam equestrium, quam pedestrium, vt tam hic quam in vitæ suæ commentariolo profitetur. Operæpretium igitur facturi videbamur, si hanc historiam Xenophontis nostri Germanici (appelletur ita sane ex merito noster Pirkeymerus vir cum quo illius æui (fortassis & aliorum temporum) paucissimos Germanos conferre possis) e tenebris in lucem proferremus. Latuerunt hactenus duo isti libri, partim in archiuo Reip. Noricæ, partim in liturariis bibliothecæ Pirkeymerianæ, quorum folia sic erant dispersa, vt Sibillyna iure dici possent. Alterum vero exemplar satis vitiose, mutilateque descriptum erat, cui nec mures alicubi pepercerant particulam eius abrodentes, quam non facile quisquam ex coniectura restituisset. Verum collatione eius instituta cum authoris autographo, quod in ordinem beneficio illius redegimus, egregie id redintegrauimus, omninoque tale tibi opus totum exhibemus amice lector, quale ab ipso (ne dubita) conceptum est Pirkeymero. Quod si quis quærat ex nobis, cur non multo ante vel ipse author, vel eius heredes hæc ediderint: causam hanc esse putamus, quod authorem quidem mors præuenisse videatur, antequam ederet ipse, quæ idcirco vt ederentur, tam diligenter descripserat; heredes vero filias tantum reliquit (fuit enim cum ipso stirps Pirkeymeriana olim inter patricias gentes Noricas clarissima plane extincta) quæ talia parum curarunt. Sed, vt dicitur, sat cito vel nunc, dummodo sat bene. Vale & fruere feliciter cum his duobus libris, tum cæteris, quæ alias dabimus, opusculis.

CONRADVS RITTERSHVSIVS.



BELLI HELVETICI A BILIBALDO BIRCKHEIMERO DESCRIPTI
LIBER PRIMVS.

p. 42

Querela de paucitate scriptorum Germanicorum qui res gestas literis commendarunt.



QVi Regum, gentium, aut populorum res gestas conscribere aggrediuntur, identidem sub initium in historiæ laude versari consueuerunt, eam temporum testem, veritatis lumen, memoriæ conseruationem, magistram vitæ, vetustatis nunciam esse contendentes, cuius ope egregia hominum facta a temporis vindicentur iniuria, planeque immortalitati commendentur. Mihi vero haud quaquam ita præfari licet, sed cogor potius de Germanicæ gentis infortunio, aut etiam calamitate conqueri, quod tam paucos, seu (vt rectius dicam) nullos sortita sit scriptores, qui ingentia illius, & celeberrima facta memoriæ, vt decuisset, mandassent, cum omnes res gestæ tantæ habeantur, quantum eas verbis (vt ille ait) præclara potuere extollere ingenia. Quapropter vetustissimorum illorum Germanorum, Francorum, Sueuorum, Gottorum, Alanorum, Vandalorum, Herulorum, Langobardorum, ac reliquarum gentium infinitarum facta clarissima, & admiranda aut minus digne & fideliter, sed & maligne ab exteris tradita sunt scriptoribus, aut magna ex parte sempiterna obliuione sepulta iacent, tametsi ruptis vndique limitibus Romanos rerum dominos deuicerint, caput mundi Romam ipsam, ac totam fere Europam ditioni suæ subiecerint, vt interim sileatur, quid in Asia, quid in Aphrica a Germanicæ stirpis hominibus gestum sit. Cæterum vt prisca illa & obsoleta fere omittantur, ætatique donentur rudiori, iusta tamen reprehensione non caret, quod nemo Germanus præter vnum aut alterum hucusque repertus sit, qui vel sui temporis gesta conscribere sit aggressus, cum interim tamen non parum multi fuerint, qui omnium gentium, & a mundi quidem exordio facta connectere, & ab aliis accepta pro suis edere sunt ausi, non quod illis materia defuerit, cum vix vnquam Germania sine bellis, aut quieta extiterit, sed quia non erat, vnde decerpere, & alienis perfrui laboribus possent. Hinc euenit, vt scriptores exteri, quoties Gentilibus suis cum Germanis res aut dissidium intercessit, vbique illos superiores confinxerint, aut nostræ gentis odio partos triumphos, factaque splendidissima ita extenuarint, vt multoties ex fortissimis segnes, ex insequentibus fugientes, ex victoribus vero plane deuictos, fingere sint ausi. Nam ita comparatum esse videmus, vt quisque magis ad suæ gentis laudem quam alienæ procliuis existat, licet nihil magis historiam deceat, aut illam exornet quam veritas, qua neglecta confestim in fabulas, & anilia exit deliria. Quapropter operæ pretium me facturum putaui, si bellum, quod Helueticum vocant, literis mandarem, ne illud quoque, quemadmodum & reliqua ex hominum laberetur memoria, cum maximum extiterit & funestissimum ex omnibus, quæ in nostram, aut patrum inciderint memoriam, non solum bellico apparatu, ac copiarum numero sed & prœliorum atrocitate, cladiumque multitudine: siquidem non toto exacto anno sæpius collatis pugnatum est signis: vt interim tumultuaria, ac leuia omittantur prœlia, quibus non pauciores, quam iusta cecidere acie. Etenim ambæ partes egregie viribus pollebant, & opibus, magnisque vtrinque nitebantur auxiliis. Accedebat his animorum obstinatio, ac militaris ferocia, quæ non tam bellicæ laudis gloria, quam mutuo decertabat odio. Heluetiis summopere annitentibus, ne proprium, ac maiorum decus tam multis partum bellis amitterent, Cæsarianis vero, ne illis animo & manu deteriores esse viderentur. Conscribam autem non solum ea, quæ aliorum relatu, aut

Ingenium humanum quale.
Propositio.
Auth. αὐτόπτης.

fama tantum percepi, sed etiam quæ coram vidi & aspexi, cum in hoc bello non paruis copiis tam equestribus quam pedestribus præfuerim, ac imperauerim, proinde non tam verborum elegantiæ, quam veritati studere conabor, quo non plus necessitudini partium, quam hostium virtuti tribuisse videar, quantumque potero, verissime cuncta omni affectu animi depulso enarrare conabor.

De Helueticorum Origine.

Verumenimuero priusquam huius belli series explicetur, Heluetiorum originem ac p. 41. res gestas altius repetendas esse censui, vetustioribus, ac quæ fabulis similiora sunt neglectis, quo percipi possit, quibus initiis ad tantam euaserint potentiam, vt cunctis vicinis suis formidabiles fuerint, ac Cæsari ipsi repugnare sint ausi, his deinde belli huius causas, semina, ac originem adnectam, sicque demum ad reliquam historiæ procedam explicationem. Suitenses igitur (quo nomine omnes fere censentur confœderati) se a Suetia Balthici maris peninsula oriundos autumant. Illinc enim maiores suos populariter olim egressos, ac in eam, quam nunc habitant, regionem commigrasse perhibent.

Stumpf. Chro. Heluet. lib. 4 p. 263

Cæterum quantum opinio hæc veritati astipuletur, ipsi videant: constat enim eos classe ad terram hanc aduehi nequaquam potuisse, cum longe sit a mari remota; pedibus vero quis tantum periculi, ac itineris subiret, ac per tot horridas, ac bellicosas nationes incederet, vt demum in terra tam sterili, ac cœlo aspero consideret: nemo enim ideo natale solum relinquere assueuit, vt deteriorem occupet terram, sed vt ab informi & cultu tristi ad pinguiorem, feliciorem que commigret. Atque Sueticus ager, quamuis admodum septem appropinquet trionibus, vbertate tamen glebæ longe sterilia Suitensium rura exuperat, præcipue ea, quæ Alpibus adiacent, ac perpetuo ferme rigent frigore. Reliqui vero confœderati partim se ab Hunnis, & Attilæ exercitu, partim a Gottis, qui Galliam olim occuparunt, descendisse contendunt. Verum vndecunque originem traxerint, satis constat, magnam regionis illius partem Zeringiæ quondam Ducibus paruisse, ac post illorum interitum diu inter Comites, & eius loci nobiles hinc inde distractam, tandem in Habspurgensium Comitum (qui postea Austriæ Ducatum consecuti sunt) potestatem concessisse.

Zeringiæ Duces.

Habspurgenses Comites. Austriæ Duces. *Stumpf.* lib. 4 f. 329 *Fugger* Spiegel der Ehren lib. 3 c. 9 p. 239

Cæterum cum subditi grauissimis tributorum premerentur oneribus, intolerandisque præfectorum degrauarentur iniuriis, Suitenses primum, deinde Vrienses, & Vndervvaldenses excusso iugo in libertatem se vendicare cœperunt, præfectos ac nobiles, qui in manus eorum inciderunt, trucidarunt, reliquos omnes destructis munitionibus, & arcibus expulerunt. Hunc motum ipsi longa explicant serie. Nobis autem satis erit ostendere, quibusnam initiis ad hanc, qua nunc pollent, creuerint potentiam. Eiectis præfectis ac nobilibus omnes, quorum vxoribus aut liberis vis illata fuerat, quiue insigni aliqua affecti erant contumelia, Suitensibus se iunxere, arbitrantes tempus aduenisse, quo & ipsi acceptas vlcisci possent iniurias, breuique ita eorum creuit numerus, ac in immensum auctus est, vt Principib. quoque formidabilis esse inciperet.

Stumpf. lib. 6 c. 29 13 c. 1.

Leupoldus Austrius. *Fugger* lib. 3 c. 3 p. 280 *Simlerus* de Rep. Heluet. lib. 1 f. 22

Leupoldus igitur Habspurgensis Comes, & qui tum Austriæ Dux erat, motum tam formidandum, priusquam latius serperet, compescendum censens, ingenti collecto exercitu Suitensium fines inuasit. Strasbergensis quoque Comes ex alia parte non minoribus copiis Vndervvaldenses aggressus est, vt distractis hostium viribus facilius victoriæ compotes euadere possent: sed ambo eodem die victi, ac multis ex suis amissis in fugam coniecti sunt. Ferunt, cum Dux de inuadendo hoste consuluisset, fatuum quendam tum præsentem, qui ob animi simplicitatem Principi in delitiis erat, effuso cachinno risisse, cumque risus causa ab eo perquireretur respondisse: *Et cur non riderem cum vos omnes de intrando tantum deliberare audio, neminem vero cogitare, vbi nam ingruente necessitate sit exeundum?* Quæ vox (vt fieri solet) cum risu tum excepta est, clade vero accepta in omen conuersa. Suitenses enim hostibus ingressis nihil prius habuere, quam montium occupare angustias quas illi ob contemptum incustoditas reliquerant. Itaque in reditu potissimum clades est accepta. Incidit pugna illa in annum salutis MCCCXV.*

 Post

* factum hoc prœlium ad Moregartam montem pagi Vntervvaldensis 16 Nouembris 1415 De hoc Franc. Guillimannus *Rer Heluet. lib. II c. XVI n. 24.* Auentinus *lib. VII c. XV §. 18.* Simler *de Rep. Heluet. p. 70. 71.*

Stumpf. lib. 8 c. 7 *Fugger* lib. 3 c. 6 *Simlerus* lib. 1 f. 51

Laupheim.

Erlach nobilis.

Post eam victoriam Suitenses, Vrinenses, & Vndervvaldenses nouum pepigere fœdus, iisque paulo post iuncti sunt Lucernenses, Turegenses, & Zugenses; demum vero & Bernenses, qui & eam ob causam Principes, & nobiles habuere infensissimos, quorum receptatores essent Friburgenses. Sane etsi illi maximis experti erant incommodis, nihil violentum durare posse, ne tamen a pristinis suis degenerarent moribus, Bernensibus indixere bellum. Illi vero cum nec pretio nec precibus pacem impetrare possent, nullumque nec iuris nec æquitatis locum esse cernerent; Suitensium, Vrien- p. 44. sium, & Vndervvaldensium implorarunt auxilium, qui nihil cunctantes impigre illis suppetias ferunt. Obsederant interim Principes ac nobiles ingenti exercitu oppidum Laupheim ditionis Bernensium, quod & acriter vrgebant, sed non minore virtute a Bernensi præsidio defensum est. Bernenses igitur functis Suitensium copiis, & nobilium quorundam, paucorum tamen equitibus recta ad hostes tendunt quamuis longe viribus inferiores essent. Nam in castris hostilibus præter equitatum ingentem vltra triginta millia peditum militabant, quorum duces erant Comites de Kyburg, de Fallendis, de Neuburg, Barones de Furstenberg, Nidau & plures alii cum ingenti nobilium multitudine, venerat etiam in partes coactus potius quam sua sponte Ludouicus Sabaudiæ Comes. Bernensium copiis nobilis quidam de Erlach præerat, homo in re militari admodum expertus, qui suos egregie instructos identidem hortabatur, vt seruatis ordinibus strenue pergerent, nec multitudinem formidarent hostium. Id si facerent victoriam in manibus esse: se enim probe aduersariorum nosse arrogantiam, qui contempta paucitate sine ordinibus in illos ruituri forent: starent igitur, ac præsenti pugnarent animo non tam seipsos, quam vxores, filios ac libertatem defensuri, Deum præterea tam iustæ causæ haudquaquam defuturum. His & aliis verbis ita suorum excitauit animos, vt auidissime ad hostes tenderent. Suitenses cum hostem in conspectu haberent, a Bernensibus petiere; quod & illis facile concessum est; vt cum equitibus congredi liceret. Nam cum illos sibi inimicissimos esse scirent, pari eos prosequebantur odio. Voti igitur compotes facti; confestim equites, qui & ipsi iam laxatis habenis in eos ruebant, adoriuntur, adeo ob paucitatem contempti vt nobilibus risum mouerent, ac si solum equorum vngulis atteri possent. Bernenses interim non minori vi cum peditatu confligunt. Fit acre prœlium, totisque certatur viribus: tandem Bernenses & Ducis sui hortatu, & propria instructi virtute acrius impressione facta prorumpunt, interfectisque primis, ac signis deiectis reliquos in fugam vertunt, victosque insequuntur. At Suitensibus longe maius negotium cum equitatu tam instructo est iniectum, nam præter stragem ingentem tam hominum, quam equorum diu anceps prœlium fuit, donec Bernenses peditum iam victores opem illis ferrent. Nec sustinuere impetum equites, sed cum magna eorum pars cecidisset, omnes tandem in fugam abiere. Desiderati sunt ex hostibus Iohannes Sabaudiæ Comes, non sine Bernensium quoque dolore, cum illum virum probum fuisse, & nullo eorum odio in partes venisse cognoscerent. Cecidit & vna filius eius Ludouicus Comes de Nidau, Comes de Fallendis magnus belli huius concitator cum innumeris aliis nobilibus, & militibus gregariis, ita vt inter spoliandum plusquam quatuor millia cæsorum recepta sint corpora, signa militaria viginti septem capta, castraque direpta. Non tamen Bernensibus ac sociis incruenta cessit victoria. Ex Suitensibus enim strenuissimus quisque aut cecidit, aut vulneratus discessit. Ea victoria ingens Suitensibus accessit existimatio, non solum quod tam parua manu adeo ingentes hostium fudissent copias, quam quod in campis patentibus equites excipere ausi fuissent, acceptosque tam strenue profligassent. Fuit annus hic a natiuitate Christi MCCCXXXIX. * At nobiles, quique eo prœlio euaserant, licet post tantam acceptam cladem Bernenses aperto bello amplius aggredi non auderent; clanculum tamen, vt facere solent, latrociniis infestare non desinebant, nec Bernensium satiati iniuria Turegenses quoque eisdem vexabant artibus, ita, vt & illi Suitensium operam implorare cogerentur. Ambæ igitur ciuitates in so-

cietatem

* Prœlium factum ad Laupheim, siue, vt corrupte dicitur Loupen die 21 Iuni 1339.

cietatem receptæ ſunt, ac paulo poſt Zugenſes ac Glareani illorum ſecuti ſunt veſtigia breuique nobilium iniuriis adeo fœderatorum aucta eſt potentia, vt ferme videretur inuicta. Principes igitur, ac nobilitas, quum iam Suitenſibus reſiſti poſſe diffiderent; Anglos, qui tum per Franciam graſſabantur, magnis pollicitationibus in auxilium vocant, qui non tam precibus adducti, quam ſpe prædæ magnis aduentantes copiis, Bernenſem agrum fœda populatione tempeſtatis inſtar vaſtarunt. Caſtella vero, & vicos minores diripiebant, ſubiectoque concremabant igne. Ne tamen vsque quaque impune perſultarent, multi a Bernenſibus per excurſiones ac leuia cæſi ſunt prælia. Nam ob ingentem multitudinem, cum hoſte aperto Marte haud congredi audebant. Tandem Angli commeatus inopia retro abire ſunt coacti, non minus ſociis, quam hoſtibus graues & intolerandi. Poſt quorum diſceſſum Habſpurgenſis, ac Nobiles confœderatos infeſtare nunquam deſiere, adeo vt per multos annos nunquam ab armis ceſſatum ſit, ac magnæ & infinitæ clades hinc inde illatæ & acceptæ fuerint, quas longum foret commemorare. Anno demum incarnationis Dominicæ MCCCLXXXVI. Leupoldus ſecundus Dux Auſtriæ magnis contractis copiis, ac nobilibus innumeris in auxilium vocatis oppidum Sempach obſidione cingere molitus eſt. Fœderati vero, quam primum hoſtium ſenſere conatum, vrbem præſidio munire decreuerunt. Mille igitur, & quadringentos milites electos ad vrbis miſere tutelam: contigitque eadem die Ducem Sempach obſidere & Suitenſium aduentare præſidium. At Dux cum hoſtium cognouiſſet acceſſum, eorum paucitatem adeo contempſit, vt omni peditatu in caſtris relicta, cum equitatu tantum congredi ſtatuerit, exiſtimans equorum tantum numero aduerſarios obrui poſſe. Et erat equitatus non tam armis & animis præſtans, quam multitudine conſpicuus, adeo vt in duplum hoſtium excederet peditatum. Interim fœderatorum præſidium minime hoſtili multitudine perterritum, vrbi appropinquare cœpit, & ſiquis prohiberet, armis viam parare, vel ſi minus poſſet, honeſta morte occumbere paratum erat. Non tamen vage, & incompoſite, ſed ſtructa incedebat acie, ſiquidem longo iam belli vſu, vnusquisque legitime militare, imperium pati & in primis ordines obſeruare didicerat. Equites igitur, vt primum fœderatorum conſpexere agmen, laxatis prouolant habenis, atque infeſtis cuſpidibus in medium ruunt. Suitenſes vero obiectis haſtis longioribus ferociter hoſtes excipiunt. Fit atrox prœlium, cum illi perrumpere anniterentur, alii vero in veſtigiis mori potius, quam cedere mallent. Interim Dux pugnantes hortari, nunc precando, nunc caſtigando accendere, nonnunquam omiſſam pugnam aliquot in locis reſtituere, & egregii Ducis, ac ſtrenui militis fungebatur officio, nec, quoad ſuperſtes fuit, equites ceſſere, tandem vero impigre pugnans interficitur, cecidereque cum eo quadringenti circiter, comites, Barones & nobiles cum turba alia innumera. Poſt tantam nobilium cædem, equites, qui ſupererant, ſe fugæ mandarunt, quos & pedites, qui in caſtris remanſerant, ſecuti ſunt. Tormenta vero bellica, & ſigna militaria quam plurima capta. Direptis inde caſtris, præda opulenta parta eſt. Occubuere ex victoribus ducenti circiter, multi ſunt vulnerati. Verum quia equitatu carebant, hoſtes longius perſequi nequibant. Dux cum plerisque aliis Principibus in monaſterio Kunigsfeld* ſepultus eſt. Suitenſes tanto defuncti prœlio ad propria ſunt reuerſi, ac noua inter eos inita ſunt fœdera, in quibus multa prioribus addita, pleraque innouata: ac diſerte cautum eſt, vt quamprimum hoſtis ſociorum fines incurſaret, omnes populariter ſuppetias ferrent, ſiquidem Leupoldus defuncti Ducis filius reparatis viribus bellum apparabat, ac ob cæſum patrem vindictam exigere nitebatur. Tandem intercedentibus amicis inter Ducem & confœderatos induciæ ſunt factæ, nec tamen quies fuit. Nam Heluetii a nobilibus vndique impugnabantur, & cum negotiandi cauſa ad vicinas proficiſcebantur vrbes, capiebantur,

p. 45. [margin, beside "fœderatos infeſtare"]

Fugger lib. 3 c. 11 p. 368 *Gerardus a Roo* lib. 4 p. 119 *Simlerus* lib. 1 f. 55

Pugna Sempachiana.

* Monumentum ſepulcrale exhibet Fugger lib. III c. XI p. 375 qui etiam nomina Equitum recenſet, qui in iſto prœlio occubuerant. In templo Königsfeldenſi reperitur effigies Leopoldi his verbis: *Das iſt die Abcontrefetung Hertzog Leopoldi von Oſtreich, der zu Sempach mit dieſer ſeiner Ritterſchafft, Adel und Räthen erſchlagen ward uff dem ſinen, von den ſinen, um das ſine, uff Sanct Cyrillen Tag im dreyzehn hundert ſechs und achzigiſten Iahre*

piebantur, & bonis exuebantur, quibus iniuriis ipsi quoque moti, paulatim nobilium
Simlerus lib. 1 f. 56 oppida & arces obsidebant, diripiebant, latronesque pellebant. Vastabantur interim cuncta ferro, ac igni, multaque leuia assidue committebantur prælia. Interim Comes de Toggenberg, & Comes de Werdenberg ingenti collecto exercitu, Glareanorum aggressi sunt fines: quibus mox Glareani obuiam facti parua manu impigre conflixerunt, ac hostem, cui equitatus inter montes nulli erat vsui, fusum & fugatum finibus pellunt, in qua pugna iterum magnus nobilium periit numerus, ac ingens præda, ac gloria parta est. Bernenses interim, ac Friburgenses mutua clade omnia peruastabant, magis tamen populabundi, quam iusti more belli. Friburgenses equitibus præcellebant. Nam fœderatorum odio nobiles illis auxilio erant. Bernenses vero plus pedite pote-
Stumpf. lib. 5 f. 91 rant. Tandem induciæ pactæ sunt in annos septem, quibus nondum lapsis in viginti
Simlerus lib. 1 f. 57 79 prorogatæ sunt. Sed vix in ea parte ab armis discessum erat, cum repente aliud exortum est bellum. Erat Sancti Galli Abbas opulentissimus, ac multorum oppidorum &
Fugger lib. 4 c. 3 castrorum diues, verum & ipse subditos per præfectos quotidianis degrauabat exactionibus, innumerisque afficiebat iniuriis. At illi cum fœderatis defectionem non omni- p. 46.
no sinistre cessisse viderent, nec onera tam molesta amplius ferre possent, seu vellent, fœderatorum exemplo Appenzellenses se in libertatem vendicant. Abbas vero a Constantiensibus, quorum ciuis erat, auxilium implorat. Nec ii cunctati, fœderatas aduo-
Appenzellenses. cant ciuitates, collectoque exercitu quinque millium armatorum Abbati opem ferre pergunt. Communi igitur consilio Appenzellensium inuaduntur fines: quibus plerique Suitensium & quia vicini erant, & causam libertatis probabant, iam se coniunxerant. Igitur Appenzellenses, quam primum hostem in conspectu habuere, ferociter illum adorti sunt, ac primo impetu fundunt ac fugant, multisque cæsis militaria signa quam plurima cum ingenti cepere præda. Tantam igitur adepti victoriam minime de-
Sancto-Gallum ciuitas. stitere, sed egregie illa sunt vsi. Constantiensem enim ingressi agrum, omnia ferro ac igni fœde depopulati sunt. Interim S. Galli ciuitas Appenzellensibus adhæsit, & a Suitensibus Appenzellenses in tutelam recepti sunt. Vnde viribus aucti multas hostibus intulere clades. Qui tandem Friderici Austriæ Ducis implorato auxilio & collectis copiis iterum belli fortunam experiri statuunt. Sancti Galli ergo ciuitatem obsidere pergunt, relictoque ibi Duce cum equitatu vniuerso pedestres copias per saltus, ac loca salebrosa ad hostem agunt. Appenzellenses vero nihil cunctati confestim in pugnam ruunt, vbi atrox oritur dimicatio, tandemque victoria, quamuis non incruenta, ab Appenzellensibus stetit. Desiderati sunt ex aduersa parte plusquam mille homines, inter quos multi fuere nobiles, & magnæ existimationis viri. Dux vero cum a fugientibus de aduersa pugna certior factus esset; collectis vasis in tutum se recepit. Ac eo pacto Sancti Galli ciuitas ab obsidione liberata est. Victores vero omissis in præsenti vicinis, Ducis ingressi sunt fines, ac prædabundi discurrentes, Rheni vallem, Syluam Bregentinam, ac Veldtkirchensium fines late euastarunt. Inde montem Arlensem transgressi castrum Landeck ad Oeni fluenta situm capiunt, & ad oppidum Ymbst vsque ferro & igni grassantur. Tandem vero multis interfectis hominibus ac ingenti parta præda ad propria sunt regressi. Ea expeditione castra quinquaginta, & vltra capta sunt, ex quibus triginta circiter diruta, & exusta sunt. Ineunte hyeme Appenzellenses Bregentum obsident oppidum. Verum cum victoria elati excubias negligerent, a Montfortensibus ac Werdenbergensibus comitibus magna ex parte oppressi sunt, reliqui pedibus sibi consuluere. Interim Rupertus, & ipse Dux Austriæ, ac Romanorum Rex, timens, ne latius hæc contagia serperent, Constantiam peruenit, ambabusque auditis partibus rem ita composuit, vt damnum damno compensaretur, ac Appenzellenses de hinc liberi consueta tantummodo persoluerent tributa. Heluetii interim ab externo hoste quieti, in semetipsos arma conuerterunt: siquidem Zugensium subditi cum Suitensium subsidio contra Vrbem insurrexere, ac illi bellum intulerunt. Quo facto, con-
Stumpf lib. 6 c. 31. festim Lucernenses, Vrienses, Vndervvaldenses ac Glareani in Zugensium aduolarunt auxilium: quibus paulo post Turegenses totis se iunxere viribus, ac parum abfuit, quin inter se manus consererent: intercedentibus tamen Bernensibus

ac

ac aliis quibusdam amicis seditio hæc citra sanguinis effusionem sedata est. Vix in hac pace arma quieuerant, cum longe maior tumultus est ortus. Etenim Federici Austriæ quondam Ducis vxor tum vidua * a Comitibus & Nobilibus persuasa Basiliensibus bellum intulit, ac Ducis Burgundiæ, propriisque viribus vsa in Basiliensi agro populationem adeo effuse fecit, vt nihil bello intactum relinqueret. Basilienses tam repentino oppressi malo, ac longe hostibus impares, aperto Marte resistere minime poterant, verum se muris continebant. Fœderatorum tamen suorum, Bernensium, Solodurensium, & Argentinensium implorant auxilium, qui nihil tardati confestim aduolant, ac post hostis digressum, Ducissæ inuadentes fines late vastant, ac castra quædam capiunt, captaque subiecto concremant igne. Tandem post multas hinc inde illatas clades, sequuta pax est, non tamen diuturna; quoniam Basiliensibns pacta haudquaquam obseruabantur. Quapropter populariter egressi, & ad oppidum Sekingen vsque omnia euastarunt: Cumque Ducissa iterum copias cogeret, amicorum interuentu vix tandem inter partes stabilita pax est. Incidere hæc
p.47. in annum Domini MCCCCXII. ac paulo ante quam Constantiense inchoaretur concilium, ex quo dum Papa Ioannes auxilio Federici Austriæ Ducis elapsus esset, omnia Ducis bona publicata sunt, Sigismundusque Imperator finitimas vndique ciuitates in Ducis concitat excidium. Fœderati itaque cunctis egressi viribus multa castra & oppida, quæ Ducis fuerant, capiunt, ac prouinciam totam, quæ ob honoratam ac copiosam nobilitatem *Ergau* (hoc est honoratus pagus appellatur, in suam redigunt potestatem, quam & in præsentem possident diem. Hic itaque bellorum funestissimorum exitus fuit, quæ Austriæ Duces, & nobilitatem, nec non Heluetios per tot exercuerunt annos, quibus tantum sanguinis effusum, tot vrbes euersæ, tot castra, & latronum euersa sunt receptacula, magnis, vt cernere licet, sepulta ruinis: nobilitas vero cuncta expulsa, & funditus extincta est. Siquidem præter Austriæ Duces, ac Comites Habspurgenses, eiecti, & spoliati sunt, Comites de Kyburg, de Toggenburg, Vechtland, Neuenburg, Froburg, Arberg, Raperschvveil, Balin, Rotenburg, Sanagaza, Strasburg, Grues, Falends, Nydau, Montenah, Barones quoque de Grosberg, Wolhausen, de Turre, Rinckenberg, Falbenstein, Rechburg, Spintz, Granson, Illingen, Raron, Semren, Munsium, Wasserstelz, Logern, Degersfeld, Busenaug, Burglen, Schvvanden, Fridberg, Wedesvveil, Eschenbach, Schvvarzenburg, Freyenstein, Hasenburg, Strotlingen, Signavv, Egram, Gœssibon, Chlingen, Honberg, Waron, Regensperg, Saldenburen, Chrenkingen, Bickelse, Chempten, Sarnen, Arburg, Sedorff, Weissenburg, Torberg, Grunenberg, Hasenberg. Multa quoque adempta sunt Sabaudiæ Comitibus, de Werdenberg, de Furstenberg, de Hochberg, de Diezstein, pariter & Baronibus de Ochsenstein, Blanckenberg, Falckenstein. Nobilium vero familiæ hæ fuerunt pulsæ &c.

Fugger lib. 4. c. 7. p. 410.

Bellum Basiliensibus a vidua Federici Austrii illatum.

Sekingia oppidum & Monasterium.

Fugger lib. 4. c 4 p. 418 Simler. lib. 1 f. 37 Roo lib. 4 p. 137 Anno Christi 1412.

Sedunenses interea a natiuitate Domini Anno MCCCCXVI. cum & ipsi contra Episcopum Sedunensem Dominum suum insurrexissent, fœdus iniere cum Luzernensibus, Vriensibus, & Vndervvaldensibus: sed cum castra quædam, quæ in Bernensium fide erant, obsedissent, ac diripuissent, in se Bernensium concitarunt arma, qui Vrbem Sedunensem aggredi cœpere, ac illam cum plerisque aliis vicis incendere. Verum intercedentibus amicis res ita transacta est, vt Sedunenses pro damno Bernensibus illato centum millia aureorum numorum persoluerent. Id cum Sedunenses se facturos negarent, iterum Bernenses arma contra eos mouerunt, vique Sedunensium fines ingressi late omnia vastarunt, ac vicos quamplurimos concremarunt; Sedunenses vero plerosque palantes circumueniunt, sed cum Bernenses illis opem tulissent, hostes multis ex suis amissis in fugam coniecti sunt. Verum cum Bernen-

Anno Christi 1416.

* Non Friderici fuit vidua, sed Leopoldi, prout patet ex Simlero de Rep. Heluet. p. 73 dum ait: *bello item Austrio, quod Basileenses gessere cum Katharina Burgunda, Leopoldi vxore, anno 1409 Bernenses & Solodurii auxilia illis misere, cæteri Helueti assidua & diligenti opera pacem inter ipsos & Austrios conciliarunt.*

ſes cunctis vaſtatis abire cœpiſſent, ad montiumque anguſtias perueniſſent, Sedunenſes nouiſſimos aggreſſi turbabant. Sed cum ſigna in eos conuerſa eſſent, non tulere impetum, ſed nonnullis ex ſuis amiſſis, ad montium confugerunt cacumina, ac Bernenſes in pacatum abiere. Iterumque communibus intercedentibus amicis, res ſedata eſt, coactique ſunt Sedunenſes poſt ingens acceptum damnum multo auro pacem redimere. Interim fœderati a nobilium & vicinorum liberati moleſtia Bellinzonam recipere ſtatuerunt. Emerant illam Vrienſes, Suitenſes & Vnderwaldenſes a Saxei montis Comitibus: verum Mediolani Dux periculoſum ratus, gentem tam efferam habere vicinam, per proditionem Bellinzonam illis abſtulerat. At Suitenſes ob bella, quibus vndique premebantur, eam iniuriam diſſimulanter ferre ſunt coacti: hoſtium vero victores eductis copiis, Alpibusque ſuperatis Bellinzonenſium inuadunt fines, quibus præfecti Philippi Mediolanenſis Ducis obuiam facti confeſtim manus conſeruere. Cumque Itali tam equeſtres, quam pedeſtres temere in hoſtem inuehuntur, Suitenſes vero Italos vt imbelles nimium contemnunt, vtrimque cladem ingentem intulere pariter, & accepere. Blondus Horliuienſis, eumque & reliqui ſecuti Itali (vt eſt gens in laudes ſuas effuſiſſima) victoriam Mediolanenſibus aſcribunt; Suitenſes vero illam ſibi vendicant, ac in huius rei fidem ſigna militaria quamplurima hoſti adempta oſtendunt. Itali duo millia ex Suitenſibus deſiderata affirmant, numerum vero ſuorum callide tegunt: fatentur tamen multos, & fortiſſimum quemque cecidiſſe, aut vulneratum fuiſſe, quadringentos equos ſuffoſſos. Suitenſes quingentos ex ſuis, mille ex hoſtibus periiſſe affirmant. Vtcunque res geſta ſit, cruentiſſima hæc pugna fuit, quamuis Suitenſes pugnandi ardore vix dimidia copiarum parte conflixerint. Dum enim timent, ne victoriam e manibus emittant, totius exercitus partem præſtolari indignum ducunt, ac cum quatuor millibus ſolum tam magnas peditum ac equitum turmas inuadunt, ideo non paruam accepere cladem. Poſt eam pugnam Suitenſes domum regreſſi paulum quieuere, ſiquidem cum eos nobiles armis inuictos eſſe cernerent, diſcordiarum ſemina inter eos facere tentarunt, nec vanum conſilium fuit. Comes enim de Toggenburg Turegenſes, ac Suitenſes adeo inter ſe commiſit, vt funeſtiſſimum conflatum ſit bellum. Fœderati vero cum rem inter partes ſedare nequirent, omnes Suitenſibus adhæſere. Id Turegenſes videntes nobiles in auxilium vocant, qui perlibenter illis opem tulere, ſperantes tanto diſſidio fœdera diſſolui, ac Suitenſium potentiam deprimi poſſe. Ingens itaque bellum inter partes exarſit, quod per integrum durauit ſeptennium: Suntque interim magnæ clades vtrimque illatæ, acceptæ, quin & Turegum ipſum a fœderatis obſeſſum eſt, agerque vitibus, ac fructiferis conſitus arboribus fœde eſt vaſtatus. Eodem quoque tempore fœderati arcem Warſpurgenſem obſident: verum cum Gallorum regis filius Delphinus Baſilienſem conuentum diſiicere quæreret, ac ingentibus copiis Baſilienſium fines ingreſſus eſſet, fœderati ſoluta obſidione Warſpurgenſi in Baſilienſium aduolant auxilium. Baſilienſes vero cum Gallicas copias, quibus ſe Germana quoque iunxerat nobilitas, omnino maiores eſſe reſciuiſſent, quam quibus tam parua manus reſiſtere poſſet, fœderatis obuiam mittunt, illosque certiores reddunt triginta millia ſub Gallicis aduentare ſignis: orant pariter, atque obteſtantur, ne, cum vix vltra quatuor millia eſſent hominum, tam manifeſto ſe obiicerent periculo. At illi ferociter, ac Baſilienſium, ſuorumque contemptis conſiliis ſtructis ordinibus hoſti obuiam eunt, qui & ipſe infeſtis aduentabat ſignis. Atrox itaque oritur dimicatio, quæ a prima luce ad ſolis durauit occaſum, ſuntque confœderati occaſione vna occiſi, potitusque eſt Delphinus victoria, cruenta tamen & admodum luctuoſa. Nam præter ingentem ſuorum & vltra, quam credere par eſt, cæſorum numerum, multi, magnique nominis deſiderati ſunt viri, reſque admiranda viſa fuit, tantillas copias, & pedeſtres quidem tam ingenti exercitui, & maiori ex parte equeſtri tamdiu & fortiter reſiſtere potuiſſe, maxime cum non in ſaltibus, ſed aperto pugnatum eſſet campo. Fœderati interim, qui circa Turegum erant, audita ſuorum clade cunctis, quæ ſupererant, ferro & igne vaſtatis obſidionem ſoluerunt; quibus abeun-

Sedunenſes pacem cum Bernatibus faciunt.

Stratagema Nobilium. *Vrſtiſii* Basler Chronic. lib. 5. c. 38 *Fugger* lib 5 c. 3.

Turegum ſiue Tigurum.

Arx Warſpurgenſis. *Vrſtiſii* Basler Chronic. lib. 5 c. 39 *Aemylius* Hiſt. Gall lib. 10 f. 22. *Mezeray* Abregé Tom. 3. p. 263. *Fugger* lib. 5 c. 5. *Roo* lib. 5 p. 180, *Gobellinus* lib 2 p. 54 *Aen. Sylvius* ep. 82. *Synodus Baſilienſis diſſoluta*

p. 48.

abeuntibus, Turegenses populariter egressi non paruo incommodo hostilem affecere agrum. Bisque interim collatis pugnatum est signis, ac incerta discessum victoria.

Basilienses interea post Delphini abitum, non ignari, a quibus is inductus fuisset, vt illatam vindicarent iniuriam, collecto exercitu Brisgouiensem ingressi sunt agrum quem late & ad Friburgum vsque vastarunt, & circiter triginta villas concremarunt. Igitur tam ingenti agri clade Albertus Austriæ Dux irritatus bellum apparare cœpit, ac magnis copiis Basileam obsedit, a qua depulsus, cum Basilienses, qui insequebantur, in insidias traxisset, non parum multos ex eis interfecit. Cum itaque vtraque pars alteram multis affecisset incommodis, septimo tandem anno tam funestum solutum est bellum, Palatino Rheni, Strasburgensibus, Nurenbergensibus, Augustensibus, ac Constantinensibus intercedentibus. Proinde nec hoc prætereundum videtur, quod Suitenses aliquando victoria potiti, Turegensium cadauera dentibus lacerasse, ac cruorem potasse feruntur. Durauit itaque pax per annos aliquot non solum inter fœderatos, sed nec Austriæ Duces, aut nobiles aliquid noui moliri audebant. Accidit interea, vt Constantienses vicinos suos ad iaculandi certamen inuitarent, inter quos & multi aduenere Suitenses. Verum cum Constantienses (vt inter epulas fieri solet) conuitia quædam in Suitenses sparsissent, irritati illi, haud dissimulanter eam tulere iniuriam, a verbisque ad verbera peruentum. Suitenses vero male accepti quam primum domum sunt regressi, suis de acceptis conquesti sunt iniuriis. Confestim igitur ad arma conclamatum est, primique Lucernenses, & Vndervvaldenses contra Constantienses exercitum eduxere, quos confestim & reliqui ex fœderis forma sequuti sunt.

Vrstisius lib. 5 c. 40. *Fugger* lib. 5 c. 6.

p. 49. Verum priusquam Constantiensem ingressi sunt agrum, res sedata est, Constantiensesque quinque millibus aureis pacem redimere sunt coacti. Nec longe inde cum Sigismundus Austriæ Dux Brixinensem cepisset Episcopum, qui & Romanæ Ecclesiæ Cardinalis erat, Suitenses Pontificis moti precibus pleraque Duci abstulere, inter quæ fuere Dissenhofen, & Fravvenfeld. Cum vero Dux maius, quam cui resistere posset, periculum sibi imminere cerneret, pacis accepit conditiones. Suitenses vero retinere permisit, quicquid in eorum peruenerat potestatem. Nobiles interea, etsi non ignorarent, quidnam ipsi, & eorum maiores ob illatam pertulissent violentiam, quamdiu Suitensium arma irritare non auderent, ne tamen ab antiquis moribus desciscerent, vicinas ciuitates assidue infestabant, multisque afficiebant incommodis. Quapropter nonnullæ compulsæ se fœderatis iunxere, inter quas fuit Mulhusium, & Schaffhusen, ita vt quotidie fœderatorum excrescerent vires, ac termini dilatarentur, iamque intolerandi viderentur. Id Sigismundus Austriæ Dux considerans, ac de retentione prouinciarum reliquarum, & ciuitatum suarum desperans, quidquid in Alsatia, Suntgavv, Prisgavv, & circa syluam nigram possidebat, Carolo Burgundo Duci tum potentissimo, ac bellicosissimo Principi pro hypotheca tradidit. At ille, cum vrbes, castra, & oppida cuncta in suam redegisset potestatem, vndique præsidiis muniit, præfectumque generalem, nomine Hagenbach constituit, qui cum haudquaquam præfectum, sed tyrannum egisset, nec vlla abstinuisset iniuria, prouinciales tandem in suam concitauit perniciem, siquidem Brysacenses illum in vincula coniecere, ibique multis accusantibus, & crimina horrenda obiicientibus, publice finiuit vitam ense, eoque pacto cuncta oppignorata ad pristinum rediere dominium. Verum cum Sigismundus Dux Burgundi timeret potentiam, ac vereretur, ne misso exercitu per vim ablata iterum in suam redigeret potestatem, compulsus est ad Suitenses hostes confugere hæreditarios, cum quibus fœdus pepigit, vt eundem hostem & amicum censerent, & si vis maior aliqua ingrueret, illum totis propulsarent viribus. Incidere hæc in annum Dominicæ incarnationis MCCCCLXXIII. Burgundus vero non tam ea irritatus iniuria, quam quod debellata Germania Italiam ingredi parabat, ac cunctis deuictis gentibus, se orbis Dominum fore sperabat, vrbem Nouesium super Rheni conditam ripas, ac Romano subiectam imperio hostiliter, ac maximis circumsedit viribus. Circumtulerat iam antea per Galliam victricia

Nicolaus Cusanus Cardin. Episcopus Brixinensis, Vide Tom. II. German.

Simlerus de Rep. Heluet. lib. 1 f. 75 94.

Pontus Heuterus Rer. Burgund. lib. 5 p. 175 sqq. *Vrstisius* Chron. lib 6 c. 5.

Hagenbach Præfectus.

Anno Christi 1473. *Caroli Burgundi spes ingentes.*

Heuterus c. l. *Fugger* lib. 5 c. 24 p. 807. *Roo* lib. 8 p. 178

cia signa, nec quempiam tam potentem esse putabat, qui viribus suis resistere posset. Nam præterquam quod diuitiis & opibus inter cunctos excelleret Principes, maximum & instructissimum ducebat exercitum: accedebat his animus ingens, & bellicæ laudis gloria, cuius erat appetentissimus. At Cæsar tanto motus periculo, imperii opes conuocat, ac eas contra Burgundum ducit, qui iam per integrum fere annum vrbem Nuß obsidebat. Verum cum tanti exercitus conuenissent, ac vtrimque timor intercessisset, quo minus res aleæ committeretur, primum induciæ factæ sunt. quas non ita multum postea his conditionibus pax secuta est, vt Cæsaris filio Maximiliano Burgundi filia, quæ vnica erat, nuberet, ad quam quoque demortuo patre totius ditionis imperium deueniret, Burgundus in Italiam Romano Imperio reluctantem, & haudquaquam obedientem tenderet: quam si subiugaret, a Cæsare Italiæ Rex appellaretur. Additum quoque, vt per fœderatorum terram duceret non tam suas, quam Cæsaris vlturus iniurias. Prudenter quidem. Nam siue Burgundus vinceret, siue vinceretur, nihil Cæsari deperire poterat. Aut enim vindictam ex fœderatis erat exacturus, aut superato, & cadente Duce, tota vis imperii eius ad Maximilianum & vxorem erat peruentura. Cæterum priusquam inter Cæsarem & Burgundum conuenisset, Sigismundus Austriæ Dux vna cum fœderatis, Cæsaris iussu, Burgundi fines inuaserat, ciuitatemque Elicurt obsidebat, quam & vehementer vrgebat, ad quam liberandam Burgundus non paruum misit exercitum, qui cum fœderatis congressus ad internecionem fere cæsus est: qua noua iniuria Burgundus irritatus, ingentem, ac talem contra fœderatos contraxit exercitum, qualem vnquam Germania vidit. Nam præter peditatum copiosum, equitatum ducebat splendidissimum, equis & armis egregie instructum, & ornatum. Hunc machinæ sequebantur innumeræ, variorumque hominum genus non tam pugnandi, quam lucrandi p. 50
gratia, siquidem vniuersi ad certam se pergere putabant victoriam, vnde exercitus tam magnus non solum cunctis abundabat necessariis, sed & auro, argento, veste pretiosa, ac omnibus instructa erat deliciis. Recta igitur ad vrbem Granson itum est, quam eo tumultu fœderati Sabaudiæ Ducissæ ademerant, ac præsidium sexingentorum imposuerant militum. Obsessa igitur est vrbs, tormentisque vndique concussa, ac sæpius oppugnata. Fœderati igitur quamprimum obsidionem percepere, totis viribus ad oppidum Neuenburgense conuenerunt. Aderat & Sigismundi Austriæ Ducis, nec non Strasburgensium equitatus. Verum non prius colligi, & ad hostes pergere potuerunt, quam vrbs sit dedita, siquidem præsidium cum quotidie vehementer vrgeretur, nec vltra vim hostium ingentem sustinere posset, ac de successu desperasset, deditionem auf Gnad und Ungnad (vt nunc loquuntur) fecerat, quam ita intelligebat, vt saluis corporibus dimitteretur. Verum longe aliter Burgundus gratiam interpretatur. Nam liberum sibi esse dicebat eam vel exhibere, vel in omnes deditos animaduertere: quod & tandem executioni mandauit, ac omnes in arboribus iussit suspendi, existimans eo pacto fœderatis timorem incuti posse: quod longe aliter euenit. Nam hac suorum calamitate ita irritati sunt, vt nulli postea hostium parcerent, cum ante deuictos concessa vita non inhumaniter haberent. Interim fœderati totis viribus ad hostes tendebant. Burgundusque iam recepta vrbe vltro pergebat, acciditque vt nec fœderati de aduentu illius certiores essent, nec Dux magnopere fœderatorum curam gereret, quos potius contemnere, quam timere videri volebat. Vnde neutra pars de alterius aduentu resciuit, priusquam hostem in conspectu iam haberet. Erant primi agminis vexilla tria, Suitensium nempe, Bernensium, & Solodurensium: ij siquidem cæteros antecedebant. Confestimque viso hoste retro ad suos miserunt, qui nondum e castris (nam mane erat) mouerant, & vt in auxilium eorum accelerarent, hortabantur: ipsi vero nihilominus hostem excipere erant parati. In genua itaque procumbunt: ac Deum in auxilium aduocant. Quo viso Burgundus exclamat, nullam illis superesse gratiam, sed omnes suspendio esse perdendos. Nam veniam eos petere existimabat. Sed quidam qui tum fœderatorum consuetudinis non

Italiæ Rex Carolus Burgundus salutandus.

Vrstisi Chron. lib. 6 c. 6.

Granson. *Vrstisi* Chron. lib. 6 c. 9 *Stumpf.* lib. 8 c. 14 *Fugger* lib. 5 c. 25 *Ponti Heuteri* Hist. Burgund. p. 180. sqq.

non ignarus: non o Princeps magnanime, hi gratiam petituri, sed fortiter pugnaturi adueniunt: quotiescunque enim cum hoste congredi parant, diuinum hoc pacto implorant auxilium. Burgundus vero admiratione plenus, Num, inquit, tam paruæ copiæ nobiscum sunt pugnaturæ? nam ii, qui pone sequebantur, nondum in conspectum v nerant. Vix hoc dicto fœderatos in pedibus consistere, ac structis ordinibus aduentare cernit: suis congrediendi dat signum, simul & tormentorum magistros ignem pulueri adhibere iubet, qui non segniter officio functi quam plurimos ex fœderatis perimunt. At cæteri nil suorum clade perterriti hostes fortiter inuadunt, qui & ipsi ingenti vi conflixere. *Pugna ad Granson oppid.* Fit igitur prœlium memorandum, cum fœderati tam parua manu hostium copias sustinent innumeras, priusque mortem oppetere, quam pedem referre contendunt. Interea dum tam acriter dimicatur, vniuersus fœderatorum aduentat exercitus, auidus certaminis, ac perquam composite in ordinem redactus, confestimque vi magna signa infert. Verum impetum tantum hostes nequaquam sustinuere, sed sub initium pedem retulere, tandem vero fœderatis acriter instantibus apertæ se fugæ mandarunt. Dux vero suos pugnantes hortando manifesta etiam subibat pericula, fugientesque nunc castigando, nunc precando ad pugnam reuocare nitebatur, quam etiam aliquot in locis restituit, quin & fugientes quosdam ense quem nudum gerebat, percussit, sed frustra. Maior enim timor minorem vincebat, quapropter & ipse tandem suos nouissimus fere sequi coactus est, clamans & indignans, quod tam fœde se fugæ mandarent. Fœderati strenue, quoad licuit, victoriam prosecuti sunt. Verum cum haud magnum haberent equitatum, nec hostem pedibus assequi possent, a persecutione tandem destiterunt ad castraque hostium conuersi (quæ omni opulentia, diuitiis, ac deliciis, plusquam dici potest, referta erant) illa diripiunt, *Fuga Caroli,* ac vltra bellica tormenta innumera, tantum auri, argenti, gemmarum, ac pretiosæ vestis, suppellectilisque sunt adepti, vt ex pauperibus redditi sint ditissimi. Quidquid enim pretiosi Burgundus possidebat non solum splendoris, sed & ostentationis gratia secum circumferebat: quem morem & purpurati sui obseruarunt. Sane cum p. 51. ego aliquot postea annis Lucernam puer adhuc cum patre venissem (is enim a Bauariæ Duce Alberto, cui a consiliis erat, Orator tum ad confœderatos mittebatur) inter cætera, quæ honoris gratia illi ostendebantur, insignem vidi illum adamantem, quem Burgundus tanti faciebat, vt omnibus rebus suis pretiosis anteferret, admirandum profecto ac rarissimum naturæ spectaculum.* Nam præter splendoris puritatem omni carentem vitio, magnitudine sua mediocrem quoque excedebat iuglandem, cui etiam non erat dissimilis, angulis decem & octo conspicuus. *Vide lib. de vita B. Birckeymeri. Adamas stispendus a Carolo Burg. amissus. Fugger c. b* Fœderati igitur tanta victoria læti ad vrbem Granson properant, vbi breui omnis lætitia in acerbum versa est luctum. Suos enim quos adhuc viuere credebant, arboribus cernebant suspensos, & ille patrem, alius filium, fratrem, agnatum, vel amicum non sine lachrymis agnoscebat. Depositos igitur sepulturæ mandant, calamitatemque tam acerbam cum nuper parta conferentes victoria, ac considerantes, raro in rebus humanis tam absolutam accidere lætitiam, vt omni careat tristitia, satis superque suis hostium sanguine parentatum esse censuerunt. Incidit pugna tam memorabilis in annum Domini MCCCCLXXVI. At Burgundus tam insigni clade præter opinionem suâ accepta quiescere haud poterat: sed animo æstuans, ac subinde cogitans, quo pacto hostes vlcisci posset, iterum ingentes copias tam ex suis, quam Gallis, ac Italis contrahere cœpit: Machinarum præterea vim ingentem, & innumera, quæ ad victoriam consequendam spectare censerentur, comparauit, quod quidem illi facillimum erat factu, cum diuitiis & opibus omnes sui temporis superaret Reges & Principes. Fertur, cum a purpurato quodam suo reprehenderetur, quod contra rusticos tam insignem belli apparatum instrueret, ex quibus tamen deuictis nullam gloriam relaturus esset, respondisse: At tu, quamuis superatus sim, dormire *Stumpf lib. 9 c. 14 Bruterus lib. 5 p. 181. Fugger c. 1 Reo lib. 8 p. 185*

 potes,

* P. Lambecius *Comment. de Bibl Cæsar. Vindobon. lib. II. p. 497* ex MSto exhibet partem Historiæ Austriacæ Henrici Gundelfingii, qua hoc bellum describitur. Idem ex Io. Iac. Fuggeri MStis cimelia Ducis pretiosissima, quæ in hoc prœlio amiserat, describit, & per icones repræsentat.

Obsidia Morta ad lacum.

potes, ego vero haudquaquam. Omnibus igitur contractis copiis ad obsidionem oppidi Murton properauit, anno fere post acceptam cladem exacto, confestimque illud tormentis infestare, & assidua oppugnatione die nocteque vrgere non destitit. Verum egregie a confœderatorum defensum est præsidio, qui audito Ducis accessu confestim populariter egressi sunt, Bernæque omnes conuenerunt. Distat vrbs ea ab oppido Murton milliaria duo, quæ tamen a pedite vix horis sex peragi possunt. Aderat & Reinhardus Lotharingiæ Dux cum equitatu paruo, tamen a Burgundo expulsus, & omni ditione spoliatus, nec non Sigismundi Austriæ Ducis aduenerant equites. Cunctis igitur collectis copiis ad hostem pergere statuunt, præmissis speculatoribus, qui eos de omnibus certiores reddere possent. Egressi igitur Berna summo mane, cum vehementer plueret, recta Murton versus tendunt. Interim speculatores progressi non paruum concitarunt tumultum. In hostes enim diligenter stationes obseruantes inciderunt, qui non amplius fœderatos contemnebant, præcipue cum eos propediem aduenturos audirent. Confestim igitur Burgundus magnas peditum & equitum copias, nec non tormentorum vim ingentem in eam partem mittit, in qua exploratores visi fuerunt; ipse vero ex ædicula, quam in loco excelso constitui curasset, cuncta arbitrabatur. Speculatores igitur ad suos regressi, quæ viderant, exponunt. A Ducibus igitur quid agendum sit deliberatur, ac variæ dicuntur sententiæ. Qui enim rei militaris peritiores habebantur, haud quaquam e via dimicandum esse censebant obtendentes, quod miles pluuia maderet, ac fessus esset, magnaque illius pars, cum adhuc ieiuna esset, inedia flaccesceret, sed & terra, dicebant, ob pluuiæ vim tam lubrica est reddita, vt miles non firmiter, sed ægre in luto consistere valeat. Super omnia vero, si Deus etiam victoriam concesserit, non tantum diei superiit, vt hostem fugientem persequi possemus. Tutius igitur esse, vt eo loco castris locatis militem reficerent, ac crastina die ad pugnam procederent: non enim periculo carere, si cum tam magnis copiis temere congrederentur. Nam sexaginta millia hominum in Burgundi castris militare ferebantur, cũ fœderatorum exercitus nec tertiam attingeret partem, equitatu quoque omnino impar esset. Alia vero pars certaminis auida hunc se morem a maioribus accepisse referebat, vt quam primum in conspectum hostis venisset, & pugnandi copiam fecisset, cum eo congrederentur, nil enim aduersariis terribilius esse posse, quam aduentum subitum, aggressionemque repentinam. Nec illud quærendum est, quantus hostium sit numerus, sed vbi consistat: militem præterea non adeo lassum esse, vt ex immani hoste, & qui suos tam impia perdidisset nece, vindictam sumere nequirent, sed potius optare, vt confestim ad hostem duceretur, quo diu exoptata vltione satiari posset, quæ animi cupido corpora quoque viribus exhausta facile recreare soleret: Dei insuper auxilium tam iustæ causæ non defuturum, qui superbos euertere, humiles vero exaltare amaret. Irent igitur, & confestim manus consererent, dum miles animo flagraret, ac tantopere vindictam ex hoste capere desideraret. Hæc dum Duces inter se conferrent, vexillifer quidam magna voce exclamauit: quicunque fœderatorum rem saluam esse cupit, me sequatur; confestimque elato vexillo pergere cœpit, quem statim omnes relictis Ducibus sunt secuti; quod illi videntes vix impetrarunt, vt instruendorum ordinum ratio haberetur. Ex sylua igitur, per quam eundum erat, egressi, tria constituunt agmina: primum quod amissum vocari solet; secundum, quod tormenta inuaderet; tertium & magnum, quod post amissum cum hoste confligeret. Sagittarios ex more a leua, equites a dextra constituunt. Vix in ordines redierant, cum depulsis nubibus Sol adeo splendere cœpit, ac si numquam eo die pluisset, iamque hostis in conspectu erat egregie instructus ac confligere paratus. Fœderati igitur in genua procumbunt, ac post diuinum imploratum auxilium, magno animo, ac compositis ordinibus ad hostes tendunt. At illi data opera eodem in loco remanebant, donec fœderati sub pyxidum venirent iactum, quibus exoneratis ingentem illis intulere stragem, præcipue equitibus, contra quos magnam tormentorum partem direxerant. Mox igitur agmen secundum veloci, vt iussum erat, cursu ad pyxides fertur, interfectisq; magistris tormenta in suam redigunt potesta-

Lotharingiæ Dux, aliis Renatus dicitur.

p. 52.

Frangit & attollit vires in milite causa.

Ardor militaris.

Der verlorne Hauff.

Pietas militaris in precibus ante pugnam.

testatem. Interim hostium equites laxatis frænis ferociter magnum agmen fœderatorum inuadunt: amissum vero cum pedite congreditur. Fit atrox pugna, cædesque editur ingens: verum cum equites densum fœderatórum agmen, & obiectis munitum hastis perrumpere nequirent, licet totis adniterentur viribus, interimque ingens tam hominum, quam equorum strages ederetur, primo fluctuare, ac pedem paulatim referre cœperunt, mox abiecto pudore in apertam declinarunt fugam. Nam & pedites suos fœderatis terga dedisse cernebant. Hæc Dux ex alto conspiciens totum exercitum in fugientium properare iussit auxilium (nondum enim sciebat fœderatos vniuersis adesse copiis) sed tarde nimium: nam præterquam, quod sui nullibi pedem sistebant, venientium etiam agmina perrumpebant, ác illa quoque secum trahebant in fugam, quorum tergo adeo vehementer tam equites, quam pedites fœderatorum instabant, vt illos non momento quidem sinerent quiescere. Vndique igitur in fugã coniecti sunt: & pars quidem castra repetit, nonnulli vero abiectis armis, quocunque timor impellebat, dispergũtur: maxima pars in locũ, qui ingens oppidũ alluit, cæca ruit: quidam arbores ascendũt, vt eo pacto hostẽ fallere posset. Dux vero hæc cernens, & spem *Altera Caroli Burg. fuga.* nullã ãplius superesse considerans, & ipse demũ se fugæ mandauit, subinde equos mutans, quoad tandem in tutũ abiit. Fœderati pertinaciter fusos insequuti sunt, & quos equites sternebant, pedites obtruncabant, ita vt non iã pugna sed cruenta fieret trucidatio. Nemini enim ob ante acceptã parcebatur calãitatem, sed omnes nobiles pariter, & ignobiles pecorũ instar sine discrimine mactabãtur. Quidã ascensiis nauibus eos, qui se aquis crediderant, obtruncare frustra manus in cælum tollentes, & lachrymis misericordiã implorãtes: nonnulli arboribus insidentes auiũ instar pyxidibus deiecere: alii domus integras, in qua se hostes receperant incendere, ita vt vndiq; clãor, vlulatus, preces ac morientium audirentur gemitus, ac longe plures fuga absumeret, quã prælium. Tandem vero labore fessi, ac hostium satiati cæde, a persecutione desistunt, & ad castrorum properant direptionem, cum subito rumor oritur, Remondi Comitem magnis ac integris aduentare copiis. Is enim ex alia oppidi parte castra locauerat, vbi vehe- *Comes Remontii.* menter illud tormentis quatiebat, vni huic rei adeo intentus, vt ne sensus quidem pugnæ tam magnæ ad illum peruenerit. Nam post apertam etiam Domini sui fugam multis ictibus muros quassabat: imposibile enim nec credendum videbatur, fœderatos cum tam immenso hostium numero & tam repentine congressuros. Et profecto *Causa cladis Caroli Burg.* si quis coniecturare velit, & hæc & aliæ Burgundi clades ob arrogantiam & hostium contemptum potissimum sunt acceptæ. Tandem vero Comes de omnibus certior factus collectis copiis, non ad hostes, sed in pacatum abire festinabat omnibus tor- *Castra Burgundica iterum a Fœderatis direpta.* mentis, & bellicis instrumentis relictis. Fœderati igitur rursus in ordines redacti, hostis expectabant aduentum: sed cum illum audirent abire, nec ob lassitudinem insequi possent, iamque nox ingrueret, ad diripienda, vt cœperant conuersi sunt castra, quæ omni referta erant opulentia: ibique tribus mansere diebus spolia diuidentes, & labore exhausta recreantes corpora. Signa & bellica tormenta ciuitatibus in prædam cessere, reliqua a vulgo promiscuo direpta sunt. Cecidere in ea pugna (vt Fœderati *Ex copiis Burgundicis 30000. cæsa.* referunt) hominum millia triginta. Ego quidem cum aliquando ad pugnæ locum accessissem, tam ingentes vidi ossium aceruos, vt maior quoque mihi cæsorum numerus videretur. ADDITIO. Hæ reliquiæ ossium postea ædiculæ, in eam rem ibi extructæ, illatæ fuerunt, cum hac inscripttone: *CAROLI inclyti & fortissimi Ducis Burgundiæ exercitus, Murathum obsidens, ab Heluetiis cæsus hoc sui monumentum reliquit. Anno MCCCCLXXVI.* Ex fœderatis vero vltra ducentos desiderati non sunt; plures *Ex fœderatis tantum 200 desiderati.* vulnerati: Depugnatum est in die, qua decem millium Martyrum celebratur memoria, anno Salutis MCCCCLXXVI. Fœderati antequam ad propria redirent, Sabau- *Anno Christi MCCCCLXXVI.* diæ Ducis ingressi sunt prouinciam, vbi multis captis & exustis castellis, oppidum etiam Losannam cepere, sicque direptis, & omnibus vastatis locis, per quæ transierant; *Dies pugnæ male ominatus.* læti cum spoliis domum sunt reuersi, non solum ab hostis tam potentis metu de hinc liberi, sed pecunia etiam, & multis rebus pretiosis admodum ditati. Post hanc cladem *Losanna.* multa, quæ Lotharingiæ Duci adempta erant, a Burgundo defecere, & ad prioris Do-

Nanseium.

mini imperium sunt regressa; inter quæ & Nanseium fuit prouinciæ illius caput. Verum cum Lotharingus non ignarus esset ingenii Burgundi, timere cœpit, ne in eum omnem belli verteret impetum. A fœderatis igitur petiit, vt si quando ab hoste vrgeretur, ei auxilium suis tamen ferrent stipendiis. Quod haud grauate concessum est, ob egregie enim operam in bello nauatam non parum amabatur, & fœderati tutius esse putabant vicino, & illius quidem expensis succurrere, quam in propriis finibus hostem excipere, & debellare.

Heuterus lib. 5 p. 486 Roo p. 286. Fugger lib. 5 c. 25 p. 836 Vrstisius lib. 4 c. 11.

Burgundus interea suis e fuga collectis, haud quaquam veris expectato tempore, sed media hyeme Nanseium obsedit, illudque acerrime oppugnare est adortus. Nec Lotharingius cunctatus est, quin subito fœderatorum imploraret auxilium: quod & suo stipendio haud difficulter impetrauit.

Ludouicus X. Francorum Rex.

A Ludouico enim Francorum Rege, cum rei pecuniariæ premeretur inopia vim auri ingentem mutui nomine acceperat. Nam cum is Burgundi potentiam, quam pridem expertus fuerat, timeret, clanculum Lotharingo fauebat, & succurrebat, quod & Argentinenses, ac reliqui faciebant socii. Persoluto igitur Fœderatis stipendio, confestim illos Lotharingiam versus ducere cœpit per loca iam antea a Burgundo deuastata, ac post quatriduum sub horrendo frigore, ac ingente militum fame & defatigatione non longe ab oppido S. Nicolai castra posuit; quo etiam ingens equitatus aduenit non solum a sociis, sed etiam a Francorum Rege missus.

S. Nicolai oppidum in Lotharingia mœnibus destitutum.

Tertia strages Caroli Burgundi exercitus.

Mellis esus auidior post inediam noxius.

Nil igitur morati sequenti die structis ordinibus ad oppidum S. Nicolai tendunt. Id enim magnis Burgundi tenebatur copiis. Verum, cum muris careret, alioqui miris excultum ædificiis, confestim & prius fere, quam hostis aduentum Lotharingi præsentiret, captum est. Vbi iterum in Burgundos est sæuitum, ita vt non solum pecorum ritu mactarentur, sed in præterfluentem præcipitarentur. Pernoctatum est in eo oppido non sine magna fame militum, ex quibus nonnulli vim mellis ingentem ibi inuentam deuorantes, ita inflati sunt, vt non solum vehementer ægrotare cœperint, sed multi etiam vitam amiserint. Burgundus interim cum Lotharingi & fœderatorum accessum percepisset, omnibus viribus Nanseium oppugnare cœpit, sperans id priusquam hostis auxilium ferret, expugnari posse. Tota igitur nocte nunquam ab oppugnatione, & tormentorum ictibus, qui manifeste a Fœderatis percipiebantur, cessatum est. p. 54. Mane igitur, & eo die, qui tribus Regibus sacer est, fœderati structis ordinibus ad hostes properarunt, qui castra sua egregie fossis & tormentis munierant, ita vt non sine aperto periculo lacessiri poterant: quod confœderati intelligentes per regiones gnaros se ad diuersum castrorum situm duci iusserunt. Per saltus igitur, vepres & torrentes circumducti magno labore loci superarunt iniquitatem, rursusque in ordines redacti, fessi & vdi (nam vehementer ningebat) ad hostes properabant. Burgundus interea cum hostes a tergo instare sentiret, machinas eo iubet dirigi: Sed iam & priusquam id fieri posset, certamen contractum erat, & iterum depulsis nubibus splendescere cœpit. Magnis itaque viribus vtrimque pugnatum est: sed tandem & post

Caroli Burgundi interitus.

ingentem cædem victoria a fœderatis stetit. Dux ipse aut quod fugere nollet, aut quod non posset, confossus periit: cæteri quocunque eos timor, aut spes salutis impellebat, diuersi abiere: Estque iterum præda ingens parta, atque ita demum Burgundica bella Duce destituta cessarunt.

Eius elogium, & prosopographia.

Fuit Carolus staturæ mediocris, animi excelsi, magnanimus, ac vltra modum liberalis: iustitiæ, veritatis, ac pietatis cultor, bonorumque & virtute præditorum non tam amator, quam admirator, quibus omnibus pro viribus subuenire quærebat. Diuitiis vero ita præcellebat, vt in omnibus bellis nunquam inopia laboraret: cuius rei causa fuit modestum in suos imperium, & ordo mirandus. Ob tales igitur virtutes a suis non solum vt bonus Princeps, sed tanquam pius parens colebatur: nec sub initium creditum est illum oppetiisse, ac multo tempore

Hostis victus a victore honorifice sepultus.

reditus eius tanquam viuentis a plerisque expectatus est, quamuis constaret, illum a Lotharingiæ Duce honorifice Nansei esse tumulatum. Sola illum laudis gloria & iuste maior cupido transuersum egit, vnde aduersa sua fortuna tandem in confœderatos,

des gueux.

& rusticos (quos ipse mendicos appellare solebat) impegit, cum antea Francorum Regi

Regi reges dixiſſet, Imperio arma intuliſſet, Geldriæ Ducatum acquiſiuiſſet, Friſios domaſſet, Lotharingium expuliſſet ac omnes vicinos iuſſa ſua exequi compuliſſet. Poſt Burgundi Imperium Ludouicus Francorum Rex Burgundiæ Ducatum a Domino de Albert illius præfecto accepit, cui poſtea Nauarræ regnum ceſſit. Defecit & Hannonia, magnaque Picardiæ pars, & ni Maximilianus Friderici Cæſaris natus, cui vnica Burgundi filia nupta erat, tantis periculis obuiam ire maturaſſet, Flandria, & Brabantia, cum Holandia, & Selandia, & omnibus prouinciis in Galli ditionem deuoluta, feudi nomine; vt ipſe prætendebat, perueniſſet. Hinc diſcordiarum, motuum, ac bellorum initia emerſere, qui in præſentem vsque diem tam Burgundi, quam Galli ſucceſſores quaſi hæreditario iure diuerſimode exagitarunt. Heluetii interim a bellico quieuere tumultu: nulla enim potentia tanta erat, quæ illos poſt oppreſſum Burgundum laceſſere auderet. Submittebant tamen identidem, nunc Maximiliano, nunc Gallo petenti auxilia, non ideo tantum quod iuuentutem in militari diſciplina ſuam exerceri cuperent, ſed quia vtrumque timerent., ſeu potius odio haberent, ac vtriusque partis ſucceſſu, illis foret ſuſpectus. Et profecto omnes Germani arma, & eam militandi diſciplinam, qua nunc vtuntur, ab Heluetiis accepere, abiectis ſcutis, quibus antea omnium nationum more vtebantur: Experientia enim diſcebat, illa haud quaquam phalangi, & haſtarum violentiæ reſiſtere poſſe. Ac ideo ad meam vsque ætatem ſariſſas, bipennes & gladios ferentes Heluetii dicti ſunt, etiamſi in media Germania eſſent nati; quoad tandem ob Heluetiorum odium prouincialium militum nomen hoc eſt *Landtsknecht* emergere, & celebre eſſe cœpit.

Armorum ratio & genus in Germania mutatur.

BELLI HELVETICI LIBER SECVNDVS.

p. 55. SVPERIORI libro Suitenſium originem, & incrementum perquam breuiter expoſui: nunc vero cauſam, & ſemina huius belli explicare conabor. Sed priusquam id fiat, non abs re forſitan erit, ſtatum eum, in quo tum Germania fuerit, altius recenſere, quo facilius percipi poſſit, vnde tantus motus ortum ſumpſerit.

Semina belli Heluetici. Status Germaniæ qualis eo tempore fuerit.

Poſtquam Maximilianus Friderici filius, Burgundi filiam in vxorem duxit, totamque illius ditionem in ſuam redegit poteſtatem, maximis agitatus eſt procellis. Cum enim Gallus potentiam externi timeret Principis nunquam deſtitit illum & clam, & aperto Marte laceſſere, populos ſubiectos ſolicitare, ac omnia moliri, quo tantum hoſtem ex nuper acquiſitis ſedibus pellere poſſet. Nec id difficile factu eſt viſum, cum ob populi odium, & leuitatem innatam, qui alienigenam dominum haud æquis aſpiciebat oculis, tum ob iniurias & actiones quorundam, qui Maximiliano chari erant, & non tam illi imponebant, quam vndique eum ſubditis reddebant infenſum. Quotidie itaque prouinciæ, & ciuitates deficiebant, ſubditique, a Gallo ſtimulati & inducti, Principi ſuo rebellabant, quoad Gallus tandem poſt multas acceptas & illatas clades a manifeſto deſtitit bello, populique ſubiecti iterum ad officium rediere priſtinum: quos motus ſiquis deſcribere vellet, & luculentiſſimam condere poſſet hiſtoriam: per multos enim annos vtramque exagitarunt partem, ita vt nec præſenti æuo finem ſint adepti. Interea & dum Maximilianus externis detinetur bellis, Matthias Vngariæ Rex ob cauſas relatu nimium longas Fridericum Cæſarem vehementer vrgere cœpit, illique præter alia innumera vniuerſam fere Auſtriam cum metropoli ipſa Vienna ademit. Erant tum Bauariæ Duces admodum potentes, ac Auſtriæ domus æmuli, qui oblata occaſione freti & Cæſarem ipſum contemnebant, & multa quotidie per vim non deſinebant perpetrare. Albertus igitur Dux Ratiſponam ciuibus dedentibus occupauit: Georgius vero, qui ditiſſimus, & potentiſſimus habebatur, vicinas Sueuorum ciuitates & populos aſſiduis iniuriis infeſtabat, eoque inſolentiæ deuenerat, vt nec legatos eorum audire vellet. Ciuitates igitur omni ope deſtitutæ ex Federici conſilio fœdera inter ſe ineunt, quibus mox Prælati, vt vocantur, cum nobilitate ſe iunxerunt, ac bellum Georgio, ni cœptis deſiſteret, inferre cogitarunt, qui cum inopinato vim tantam contra ſe inſurrexiſſe cerneret, non ſolum

Mich. Boiemi vita Alberti Animoſi.

Matthias Rex Vngariæ Fridericum III. Imp. infeſtat. Duces Bauariæ.

Fugger lib. 5 c. 31.

Adlzreiter Ann. Boi. p. 9 lib. 9 n. 46.

innatum deposuit fastum, sed ex superbissimo redditus est humilimus. Omnia igitur, quæ per vim ademerat, vi quoque reddere est coactus, ac ingentem insuper pecuniarum summam persoluere adactus. Sed & Albertus Dux Ratisponam restituere beneficii loco duxit: nam Friderici gener erat. Mox igitur Fœderatio Sueuica eam induit arrogantiam quam Bauari nuper exuerant, nihilque imperium virtuti, ac potentiæ suæ esse duxit. Interim Matthias Rex moritur: nec longe post Fridericus superstes fuit. Ita Maximilianus non solum paternum recuperauit imperium, sed Vngariam ingressus Albam etiam Regalem vi cepit: dehinc in Germaniam reuersus inferiorem, Philippo filio, qui postea Hispanorum imperium sortitus est, regni tradidit habenas, is enim adoleuerat. Inde ad patruum Sigismundum Austriæ Ducem conuersus vniuersam ditionem illo resignante, suscepit.

Mors Matthiæ Regis Vng. & Frideric. III. Imper.

Sigismundi Archiducis Austriæ elogium. Fugger lib. 6 c. 8

Fuit Sigismundus inter omnes ætatis nostræ Duces optimus, humanissimus, & liberalissimus Princeps, & potentia excellens, adeo vt inter cætera bella Venetis quoque arma inferre sit ausus, quos multis etiam cladibus affecit, & ni suorum proditione fuisset impeditus, egregiam procul dubio retulisset victoriam. Verum (quemadmodum in rebus euenire solet humanis) nec probitas eius tam insignis, nec liberalitas ac munificentia immensa, non senectus demum extrema illum a violentia & proditorum iniuria vendicare potuit, coactus enim est inuitus etiam imperii sui habenas deponere, ac Maximiliano tradere Regi: quam tantam impietatem breui dignæ subsecutæ sunt pœnæ. Tantis itaque successibus non tam Maximilianus Rex, p. 56. quam potentes eius elati animo voluere cœperunt, sub qua honesta occasione Heluetiis bellum inferre, ac olim acceptas iniurias vindicare possent: & hæc potissima causa discordiarum fuit. Cœperunt igitur vicinos Churienses, Engadinenses, & Grisenses multis vexare iniuriis, nec non arces quasdam Churiensis Episcopi occupare, & alia machinari, quæ animum eorum irritare possent. At illi, quamuis illatas iniurias moleste ferrent, consilio tamen prius, quam armis experiri statuerunt. Missis igitur legatis Regis animum demulserunt, ac Constantiensis Episcopi intercessionem impetrarunt, vt omnes discordiæ, ac illarum fomites iuris deciderentur ordine.

Roo Ann. Austr. lib. 10 p. 516 Fugger lib. 5 c. 37 p. 1013 Vrstisius lib. 6 c. 15.

Rex Galliæ Geldriæ Ducem in Philippum Maxim. I. filium concitat. Fugger lib. 6 c. 3 p. 1109. Roo lib. 11 p. 540.

Interea Gallus contempta Philippi ætate, Geldriæ Ducem contra illum concitauit. Vnde Maximilianus Rex in eius auxilium, antequam clades aliqua acciperetur, properare fuit compulsus. Sed priusquam abiret, suis mandauit, vt iure potius, quam armis contendere vellent. At illi mandatorum immemores, aut quia Regis sui animum clam percepissent, aut quod sua sponte violenter grassari cuperent, non solum iuris respuerunt æquitatem, sed nouas etiam iniurias veteribus addere, & aduersarios stimulare cœperunt. Illi vero videntes nec iuri, nec æquitati superesse locum, clanculum cum Heluetiis, qui & ipsi quotidianis afficiebantur iniuriis fœdera ineunt (nam antea non penitus inter eos conueniebat) sicque ad repellendas iniurias se accingebant. Pariter & Cæsariani arma expedire, milites instruere, ac sedulo omnia ad futurum bellum præparare cœperunt. Sed & Sueuiæ confœderatos ex fœderis forma admonebant, vt instructi, & parati ad imminens essent certamen, submissis interim, qui aduersarios igni, cæde, & rapinis lacessere non desinerent, quibus repulsis, & animis vtrinque irritatis, bellum paulatim gliscere, & initium sumere cœpit. Eius rei culpam Heluetii potissimum in Paulum de Lichtenstein, & Gossembrot Augustensem olim mercatorem reiiciunt. Hi enim ex humili loco in altum elati diuitiis & potentia inter cunctos præcellebant Regios, & vt fertur, obscuritatem suam insigni aliquo facinore illustrare cupiebant. Interea Curiensis moritur Episcopus, confestimque Cæsariani Episcopatus quibusdam arcibus occupatis subditos quoque iussa facere compellunt, quibus renitentibus, ac vim vi repellere conantibus, iterum res ad arbitrium Constantiensis deducta est Episcopi, ac eo mox defuncto ad Augustensem deuoluta Episcopum. Sed interim ab iniuriis cessatum non est. Curienses igitur, ac socii cum viderent, se nihil æqui impetrare posse, ne tamen subito rem tantam aleæ committerent, iterum per legatos cum Cæsarianis egerunt: quibus non sine ignominia reiectis cœpere illi se ad bellum accingere. Regii interim

Paulus Lichtenstein, & N. Gossembrot Patr. Augustanus.

Mo-

Monasterii vallem occupare contendunt. Quod intelligentes confœderati collectis copiis obuiam pergunt: sed priusquam ad manus ventum, iterum induciæ factæ sunt, exercitusque dimissi. At Cæsariani in discessu domus quasdam rusticas incendunt, pecoraque abigunt, quibus irritati confœderati par pari referunt. Rursus igitur copiæ reuocantur, & ad pugnam instituuntur. Verum Cæsariani & viribus, & militum robore longe præstabant, quibus tamen confœderati licet rustica & collectitia manu constarent, nequaquam cessere. Præcedebat confœderatorum exercitum vir quidam staturæ ingentis, longiori lorica indutus ac galea tectus lata. Hic hostium ductores ad singulare prouocabat certamen. Confestim igitur quidam emicuit, ac cum illo congressus lancea hominem transuerberauit, cumque illum spoliare contenderet, ob coronæ rasuram sacerdotem fuisse deprehendit. Interim totis concurritur viribus: sed non diu certamen perdurauit. Confœderati enim longe inferiores vincuntur, & multis ex suis amissis in fugam vertuntur: Cæsariani autem victoria illa egregie vsi sunt: Engadenensem enim vallem ingressi eam totam vsque ad vicum Samez ferro, & igni vastarunt. Inde & Monasterii vallem combusserunt, ac diripuerunt, capta & abducta Abbatissa: nec his contenti ab alia parte oppidum Meienfeld occupant, nec non Furdenbergum in suam redegerunt potestatem. Confœderati vero cernentes se hosti tam potenti haudquaquam pares esse, confestim Heluetios in auxilium aduocant, qui nihil cunctantes e vestigio copias eduxerunt, & in fœderatorum aduolant subsidium, satius esse ducentes sociis ferre suppetias, quam sine illis bellum, quod sibi quoque imminere cernebant, sustinere. Verum antequam vltra pergerent, ex veteri instituto leges sanciunt, quas vltra capitis pœnam iuramento quoque firmarunt quarum hæc ferme summa fuit: *Duces ex fide cuncta peragunto. Milites diligenter imperio parento: iniussi ordines haud derelinquunto: a tumultu, & seditionibus cauento: pugnaturi silentium, quantum fieri potest, seruanto, fugam nequaquam ineunto: socios fugientes cadunto: deuictis hostibus ad spolia iniussi & priusquam victoria plane sit parta, haud conuertuntor: ignem ædificiis iniussi ne iniiciunto: arma in hostico nec die nec noctu exuunto: a molendinorum exustione, Ecclesiarum spoliatione, mulierum, virginum & sacerdotum violatione penitus abstinento: captiuum inter præliandum non ducunto, sed interficiunto. Quod si quis contra ierit, mors pœna esto.* Proinde inter cætera etiam imperatum fuit, vt vnusquisque ex veteri instituto farinam ex auena confectam, quantum ei in quatuordecim dierum cibum sufficeret, nec non calceorum par nouum secum deferret, quo omni alio commeatu deficiente, saltem per Mensis dimidium hoc alimento in hostico perdurare valerent. Verum priusquam vltra pergamus, precium fortassis operæ haud deerit, si palam fecerimus, quibus tum prouinciis fœderati, & Heluetii imperauerint, ita enim facilius intelligi poterit, quantis viribus tanti belli molem sustinuerint. Curienses igitur, Grisenses, & Engadinenses eos Rhetiæ occupabant montes, qui ab Adula monte, & Rheni fontibus ad Italiam vsque pertenduntur. Heluetii vero longe et iam maiorem possidebant terram, siquidem a solis ortu Adula monte ac Rheno fluuio a reliqua segregabantur Germania; ab occasu ad Lingones vsque, quos nunc Burgundos vocamus, pertingebant. Ac meridiem versus non solum Iurassum montem adhærentes tenebant Alpes, sed transgressi etiam multa ex Tricasinis & Allobrogibus (quos nunc Sabaudienses vocant) occupauerant. Basiliensium vero fines occiduam terminabant oram, ita vt quidquid ab ortu Rheni Basileam vsque continebatur, plane Heluetiis pareret. Præter solam vrbem Constantiam, & quatuor oppida minora, quæ Rhenensia vocantur, Waltzhut nempe, Lauffenburg, Sekingen, & Reinfelden, Nam ea iuris erant Austriaci. His igitur viribus Heluetii confisi ad bellum se accingebant. Nec secus agebant Cæsariani, siquidem sociis aduocatis, Sueuis ipsi quoque vndique vires suas contrahebant. Heluetii igitur collectis copiis contra Cæsarianos pergunt, qui castra posuerant in loco montano, & angusto iuxta Meyenfeld nomine Luzelstein; vnde excurrentes, ac Rhenum transgredientes cuncta ferro, & igni vastabant: cæterum aduenientibus Heluetiis, cum se tantis copiis

Fugger p. 1110.

p. 57.

Memorabiles leges militares Heluet. capitis pœna & iureiurando sancita.

Quibus prouinciis imperarint confœderati & Heluetii.

Simlerus de Rep. *Heluet.* lib. 1 p. 2 *Plantini* Heluetia cap. 2 *Pirckheymeri* illustr. Germ. p. 95.

piis impares viderent, retrocessere. Heluetii vero progredientes oppidum Meyenfeld iterum in suam redegerunt potestatem capto Barone de Brandis, in cuius ditione ea erat regio. Inde procedentes totam prouinciam Balgen ad Arlensem vsque montem suo subiiciunt imperio, colonosque imperata facere cogunt, non parua ab iis extorta pecunia. Quo facto rursus contra Cæsarianos pergunt qui copias cunctas in oppido Bregenz contraxerant, quo Heluetios ab vlteriore progressione arcere possent. Quamprimum igitur auditum est Heluetios appropinquare, Cæsariani ad arma conclamant, ducesque vt contra hostes educant, hortantur. At illi nihil temere agendum censent, sed priusquam obuiam eant, speculatores emitti iubent, qui hostiles inspiciant copias, & Duces certiores reddant, quam magna Heluetii aduentarent manu. Verum accidit, vt ingens forte nebula exorta ita cuncta obfuscaret, vt speculatores nihil certi renunciare possent. Milites igitur moræ impatientes, magno clamore pugnæ signum poscunt, & ni mox in hostes ducantur, vltro minantur se exituros. Ea militum importunitate Duces coacti, licet inuiti milites eductos in ordinem redigunt, sicque instructi ad hostes pergunt, qui & ipsi magno silentio vniuersis aduentabant copiis. Interea equites quidam Cæsariani progressi in hostium incidunt equites, qui admodum pauci suorum antecedebant agmen: quibus mox in fugam versis, & a peditibus excepti a propinquo cernunt hostiles copias plusquam ex viginti millibus constare hominibus. Versis igitur equis ad Duces aduolant, ingentem hostium numerum aduentare nunciantes, quibus ipsi omnino essent impares: nam licet equitatu insigni præstarent, peditum tum numero longe erant inferiores. Igitur visum est Ducibus, vt priusquam confligeretur, retroducerentur copiæ. Iubent igitur, vt milites nihil mutatis ordinibus præterquam quod nouissimi priores pergerent, paulatim militari more regrederentur. Sed longe aliter vox illa est excepta. Milites enim paulo ante feroces adeo ea exterriti sunt, vt illam fugæ signum esse putarent: Aduentabant interim Heluetii, & iam nouissimos, nisi quantum prohibebant equites, adoriebantur: Fit igitur fuga aperta, ignauique fortes etiam vna fugere cogebant, omnesque Bregentium versus tendunt. Erat lacuna ingens, in quam lacus æstiuo tempore, & liquefacta alpium niue restagnabat, tum vero aqua carebat, sed cœno altissimo erat oppleta. Ad hanc fuga delati, quoniam iter illac recta Bregentium vergebat, transire conabantur: sed tanta erat fossæ latitudo, ac cœni profunditas, vt nemo illam exsuperare posset. Ingressi igitur primi a sequentibus conculcabantur, interimque fœda colluctatione ab illuuie absorbebantur, donec lacuna tandem penitus cadaueribus repleta sequentibus quoque transitum præberet: Et licet fugientes manifestam præ se cernerent perniciem, vt tamen imminentem effugerent mortem, in manifestum ruebant interitum. Qui vero regionis gnari erant, paruo circuitu lacunæ euitarunt periculum. Instabant interim Heluetii, ac nouissimos cædebant. Sed ab equitatu quem oppido formidabant, cohercebantur, quo minus solutis ordinibus temere insequerentur. Præter eos igitur, quos lacuna absorpsit, pauci in persecutione cecidere, reliqui salui peruenerunt Bregentium. Mox ibi ab hostium liberati timore, contra Duces tumultuari cœperunt, ac illis calamitatem hanc ferebant acceptam, quo propriam culpam in aliorum reiicerent caput. Coacti igitur sunt Duces militum cedere impudentiæ, donec motus ille aliquantisper deferbuisset. Et profecto si quis recte considerare velit, non solum ea clades, sed omnes aliæ ob militum præcipue temeritatem, nimiumque hostium acceptæ sunt contemptum, quum Heluetii nil nisi ex præscripto agerent, ac diligentissime disciplinam seruarent militarem; Cæsariani vero ac Sueui nimium propriæ confiderent virtuti: ex quibus potissimum Vlmenses male audiebant, tanquam clamore essent ferocissimi, manibus vero ignauissimi. Hoc plane constat, vnica ea calamitate Sueuorum concidisse audaciam vt deinde haud facile hostilem perferrent aspectum, tametsi ad manus peruentum nondum fuerat. Nec adeo ingens submersorum erat numerus: nam non vltra quingentos sunt desiderati, licet quidam numerum hunc extenuent, alii vero adaugeant.

Brigantium.

Fugger p. [illegible].

p. 58.

Fuga exitiabilior quam ipsa pugna.

Heluetii tam obseruantes disciplinæ militaris, quam Cæsariani eiusdem negligentes.

augeant. Cæterum timor ille cum ſemel militum occupaſſet animos, non adeo facile potuit exſtirpari. Heluetii cum hoſti obuiam ire non auderent, conuerſi retro abibant, igni interim, ac ferro cuncta deuaſtantes, aut paganos ære mulctantes. Inde rurſus transgreſſi Rhenum, vndique in locis opportunis conſtituunt præſidia, quo hoſtes facile a tranſitu arcere poſſent. Cæſariani vero, ac ſocii Sueui, quo acceptam ignominiam vindicare poſſent, poſt Heluetii exercitus diſſolutionem Rhenum transgreſſi, oppreſſiſque præſidiis late igni, ac ferro ſunt graſſati, ac præcipue Baronem de Saxo magno affecerunt detrimento. Cæterum cum per fumi ſignum, quo Heluetii ſubſidium a ſuis implorare ſolent, hoſtes appropinquare intellexiſſent, ingenti capta præda in tutum ſe recepere, ac ita nunc hi; mox illi ſuperato Rheno aduerſarios infeſtabant: Euenitque aliquando, vt Heluetii ſtructis ordinibus per Rheni tranſirent fluenta, qui hyemis illic tempore & ante alpinæ niuis diſſolutionem, priusquã lacum Bregentinum ingrediantur, aliquando vadoſus eſſe conſueuit: cumque anteriores iam terram attigiſſent, ſubito rumor exortus eſt adeſſe hoſtes. Nam equites, qui ſtationes ſeruare ſolebant, cum Heluetiorum tranſitum percepiſſent, ſpeculantes adequitabant, ac Duces ſuorum agmen conſiſtere iubent, donec explorari poſſit, quid hoſtis moliretur. Vnusquiſque igitur in eo, quem ſortitus erat, loco ſtetit, ordinibus plane ſeruatis, ita, vt ii, qui terram contigerant, illic quoque conſiſterent, qui vero adhuc in flumine comprehenſi erant, in eo quoque perſeuerarent, tametſi quidam ad humeros vsque & mentum vnda rigarentur, cum interim Rhenus vndique glacie oppletus deflueret, cuius ingentia fruſta milites per ordinum interualla lanceis deriuantes protundebant, ſicque fere per duas perdurarunt horas, donec renunciatum eſt nullas ſubeſſe inſidias, ſiquidem turpe putabant hoſte non viſo retro abire; temerarium vero, inexplorato progredi vltra. Adeo ſeuere tam hic, quam alibi militarem ſeruabant diſciplinam. Quæ res præcipuam illis peperit laudem & vtilitatem. Etenim reperti, quorum pedes vi frigoris ambuſti, quorundam manus, tum intentius nocturnas ſeruant excubias: quin & animas quidam efflarunt, dum ignominioſum ac turpe putant ordinibus excedere. Sed vt ad inſtitutum reuertamur, dum hæc circa Alpes, ac Rhenum aguntur, Brisgeuenſes,
p. 59 & Sungeuenſes iunctis vicinis copias colligunt, vt Heluetiorum fines inuadentes eos inſigni aliqua afficerent clade: De qua re Heluetii certiores facti ſubito eam, quam poſſunt, contrahunt manum, ac non longe a Baſilea hoſtium exſpectant aduentum, qui feroces magno appropinquabant agmine. Heluetii igitur longe inferiores ſe eſſe videntes (nam vix duorum millium explebant numerum) recipere ſe conabantur, diligenter tamen ordinibus ſeruatis. Quod videntes Cæſariani, qui vltra millia ſex erant, acrius inſtabant. Id Heluetiorum Dux cernens, ſuos collem verſus; qui non longe aberat, fugere iuſſit, ita tamen vt connexis brachiis ordines nequaquam diſſoluerent. Parent e veſtigio Heluetii, ac ſubito curſu collem verſus feruntur. Id videntes Cæſariani magno eos clamore, ac ſolutis perſequuntur ordinibus: ac Dux Heluecticus cum Cæſarianos temere inſequi, ſuoſque iam collis partem aſcendiſſe videret, magna voce illos inclamat, vt conuerſi hoſtes confuſos inuaderent, nil mutatis ordinibus, præterquam quod nouiſſimi primi deſcenderent. Heluetii vero, qui ſolita conſuetudine alto ſilentio Ducis capeſſebant iuſſa, imperio obediunt, confeſtimque ſtructis cœperunt deſcendere ordinibus, Cæſarianoſque fortiter exceperunt. Id illi aſpicientes ſub initium conſiſtere, ac rurſus in ordinem redire tentarunt: ſed fruſtra. Aderant enim Heluetii, collectique diſperſos inuadebant, nec eos ſinebant adunari, ſed integris ordinibus vagos perurgebant, quoad tandem omnes in fugam verſi ſunt acciditque, vt rurſus militum temeritate inſignis acciperetur clades. Nam cædes haud adeo ingens fuit. Heluetii enim ordines ſoluere haud audebant timentes ne rurſus victoria e manibus eorum extorqueretur, ac ideo a perſecutione longiore ſe cohibuere. Interea Gallus cum Cæſarem Geldrenſi implicuiſſet bello, fœdus cum Heluetiis percutit, illiſque vt fortiter perdurarent, auxilia eſt pollicitus, ac pecuniam; confeſtimque vim non paruam pyxidum (*Bombardas* Itali a ſono vocant) cum Magiſtris

Fumus indicium petiti auxilii.
Fugger P. IIII
Mira Heluetici militis patientia.
Obedientia militaris.
Clades accepta a Cæſarianis.
Rex Gall. inſtigat Heluetios contra Cæſarem. Bombarda.

Fugger p. 1112, Vrstisius 6 c. 13 Stumpf. 13 c. 26

Pax frustra tentata.

Fugger p. 1112

Contemptus hostis nemini cessit bene.

Heluetii M.D. audent se opponere Cæsarianis plusquam decem millibus. Vrstisius lib. 6 c. 19

Consilia sana non habent locum.

Fuga & clades Cæsarianorum.

stris ac puluere mittit sulphureo: tum enim animo voluere cœpit, quæ postea re ipsa sunt detecta. At Philippus Rheni Palatinus, nec non Strasburgenses ac Basilienses bellum sedare, ac pacem facere tentarunt: sed ab vtraque parte repulsam tulere. Heluetii enim, qui se superiores putarent, nihil æqui admittebant; Cæsariani vero maioribus confisi viribus ignominiosam reiiciebant pacem, ac se plus, quam vnquam ad bellum accingebant. Ingentes igitur tam pedestres, quam equestres contrahunt copias, quas omnes Constantiæ iubent conuenire: inde enim Turgeuensem regionem inuadere, ac deuastare intendebant. E Constantia igitur numeroso egressi exercitu, sub initium vicum Ermelingen nomine occupant: in eo enim Heleticorum excubabat præsidium, quo interfecto, aut eiecto vicum diripuerunt, ac incenderunt. Inde ad vlteriora progressi longe lateque cuncta populantur, & euastant. At Heluetii, qui euaserant ad aliud confugere præsidium, quod iuxta Syluam Suaderloch nomine, adhuc in sua manebat statione, illiusque implorant auxilium, ac præcipue Lucernenses. Ii enim præter suorum cædem duas etiam pyxides, quas colubrinas vocant, perdiderant Hortantur igitur socios, vt secum hostem adoriantur, quo acceptam ignominiam delere, & amissas pyxides recuperare possent. At illi, cum se longe inferiores cernerent, quam vt cum copioso exercitu congredi possent, ab inuasione abstinuerunt, sed fumi signo vlteriora aduocant auxilia, ex altoque quid hostis moliretur, considerabant, qui Heleticorum contempta paucitate omnibus solutis ordinibus adeo secure cuncta agebat, & ferebat, ac si nemo hostis adesset. Interim vero dum tam temere grassantur, Heluetiorum proximiores fumi signo excitati impigre ferunt suppetias, ac breui ita copiæ sunt adauctæ, vt circiter mille quingenti conuenirent homines. Verum nec sic fortunam tentare audebant, cum cernerent hostes præter florentem equitatum tam ingenti quoque pollere peditatu, vt etiam decem millium numerum excederet. Verum cum illos adeo dispersos, ac cuncta absque imperio, ac temere agere cernerent, ita vt nec equites ipsi stationes seruarent militares, ad eam deuenerunt spem, vt aliquid audendum esse censerent. Diuisis igitur copiis, quingentos fere præmittunt, qui locorum angustias per quas Cæsarianis redeundum erat, occuparent: at cætera manus illos per syluarum tramites magno sequebatur silentio loci opportunitatem quærens, quo facile hostem aggredi, & si res minus prospere cederet, in tutum se recipere posset. Cæsariani etsi videbant paulatim hostium crescere numerum, adeo tamen illorum despexerant paucitatem, vt nec suos a prædando reuocarent, aut compositis incederent agminibus: Equites vero peditum secuti temeritatem vndique ad rapinam discurrebant, cuncta agentes, & ferentes, incendioque miscentes: quamuis non deessent, quibus admodum displiceret tanta militaris disciplinæ negligentia, ac frustra admonerent præsentibus hostibus non tam contemptim esse agendum. Heluetii interim, qui taciti sequebantur, loci nacti opportunitatem magno clamore nouissimos adoriuntur, cædunt ac prosternunt. Tumultus igitur oritur ingens, ac pedites aduocabant equites: illi vero pedites vt in ordines redirent, hortabantur, obiterque pyxidum magistri ignem machinis admouere iubentur. Sed & illi tormenta adeo præda texerant, & onerarant, vt illarum vsus penitus inutilis esset. Eduxerunt Cæsariani ingentem curruum numerum, vtpote qui potius ad prædam quam prœlium se exituros putarant: quorum aurigæ audito clamore initium fecere fugæ. Et cum Heluetici vehementius instarent hostibus, nec paterentur ordines restitui, illi aurigarum sequuti exemplum pedibus sibi quoque consulere cœperunt. Id cernentes equites & ipsi palam ad fugam inclinarunt, omnesque pariter Constantiam versus contendebant. Sed cum ad saltus venirent angustias, illasque occupatas inueniunt, penitus animum desponderunt. Cum igitur ante, & retro Heluetii vrgerent, ingens clades est accepta, præcipue cum currus viarum impedirent exitus, Cæsarianique existimarent hostem totis adesse viribus. Nemo igitur retrospexit, priusquam Constantiam venisset. Tametsi nec ibi fuga stetit: quidam enim ob timorem vehementem in lacum, qui ibi vrbem alluit, se immersere. Quod si Heluetii longius persequuti fuissent, maiorem etiam cædem edidissent: adeo cunctorum animos me-

p. 60.

tus

tus occuparat: verum paucitati suæ diffisi, ac timentes ne & ipsi ob temeritatem cladem aliquam acciperent, ac partam victoriam e manibus emitterent; ab insecutione destiterunt, equitatus potissimum correpti timore quo ipsi penitus carebant. Ad spolia igitur conuersi non solum prædam recuperauerunt amissam, sed & pyxidum vim cepere ingentem, multisque aucti diuitiis ad solitas rediere stationes. Ea in fuga circiter duo millia desiderati sunt Cæsarianorum, cum Heluetii vix vnum, aut alterum perdidissent militem, magnam gloriam ob res tam egregie actas referentes. Cæsariani ac Sueui hac clade accepta Cæsarem assiduis aduocabant literis, ostendentes nil nisi ipso præsente peragi posse: accelerarct igitur, ac cunctas imperii conuocaret vires, quo Heluetiorum resisti posset violentiæ. Cæsar etsi Geldrensi implicitus esset bello, illud tamen quibus potuit, composuit conditionibus, confestimque exercitum in Germaniam præmisit superiorem, cunctisque Principibus, ac Ciuitatibus Imperialibus imperauit, vt auxilia, quo Heluetiorum domari posset peruicacia, submitterent. At illi licet parere cogerentur, segnius tamen & inuiti, minores quoque, quam imperatæ fuerant, copias emittebant: nouerant enim bellum hoc nulla necessitate sed solum ob animorum impotentiam, & arrogantiam contractum esse. At Sueui admodum moleste cunctationem hanc ferebant, & cum se factis vindicare non auderent, aut nequirent, tamen (vt solent) propriam culpam in reliquos imperii reiiciebant subditos, quasi per eos stetisset, quominus Heluetii debitas luissent pœnas. Fiebant interim excursiones variæ, cum iam Heluetii Rheni transcenderent fluenta, mox Cæsariani nauibus Lacum Bregantinum traiicerent, ita vt quotidie non parua damna, incendia, & deprædationes acciperentur, & inferrentur, quibus vtrinque infiniti absumti sunt milites. Nemo enim capiebatur, sed indifferenter cuncti, qui in hostium veniebant potestatem, cædebantur. Erant Comites de Sultz, Turegensium ciues, possidebantque oppidum nomine Thungen, opportuno in loco ad irruptionem situm. Eo potiti sunt Cæsariani, siue Comitibus dedentibus (vt Heluetii suspicabantur) seu vt occuparetur conniuentibus, moxque illud ingenti cum equitum, tum peditum muniunt præsidio, cui præfecerunt nobilem quendam nomine Theodoricum de Plumeneck, qui antiquus & peculiaris Heluetiorum hostis erat, ac illos plurimis affecerat incommodis. At Heluetii rem tanti momenti nequaquam contemnendam esse censentes confestim eductis copiis oppidum obsident, oppugnant, & tormentis quatiunt. Verum Theodoricus ille, qui paulo ante magnam præ se tulerat arrogantiam viso hoste adeo animo concidit, vt clam cum eo prodito pacisceretur præsidio moxque dimissus nocte cum iis, quos saluos esse cupiebat, clam euasit. At reliqui cum amisso Duce se proditos esse intelligerent, & ipsi quoque cum hoste pepigere, vt impetrata salute emitterentur. Introducti igitur Heluetii vniuersos equites armis ac vestimentis spoliant, sicque dimittunt reseruatis primoribus, quos secum (vt Cæsariani aiunt) contra pacta abduxerunt, oppidum vero incenderunt, ac diruerunt. Ita insigne mille equitum præsidium cum vexillis duobus peditum ignominiosam deditionem fecit, & cum se viriliter defendere potuisset (nam Heluetii haud facile oppida oppugnare solent) maluit tamen turpiter hosti cedere quam vllum virtutis ostendere specimen. Hoc oppido capto, oppressoque præsidio haud quaquam quieuere Heluetii, sed temporis vsi occasione, populariter egressi sunt, vt Walgeuenses, qui defecerant, rursus imperata facere cogerent. Id Walgeuenses præuidentes vallem, per quam ingressus patebat, fossa ac vallo egregie muniunt, & non tam suos, quam vicinos cunctos in subsidium aduocabant. Conuenerat & equitatus insignis equorum quadringentorum in oppido proximo Veldkirchio: hi omnes auide Heluetiorum expectabant aduentum. At illi nihil cunctantes recta contra Walgeuenses pergunt. Verum cum ingressum munitum, ac præsidio custoditum inuenirent, copias diuiserunt, & vna parte munitiones aggressi sunt, altera per occultas semitas loci superarunt asperitatem. At qui in munitione excubabant, viriliter hostium impetum, fortiterque locum defenderunt, ita vt Heluetii perrumpere nequirent: qui vero ab alia parte per angustias irrepserant, in colle & loco superato ordines instruere cœperunt. Adueniunt interim equites, conuenere-

Cæsar ex Geldria mouet contra Heluetios, adhibitis auxiliis Principum & ciuitatum Imperii. Bellum minime necessarium.

Vrstisius lib. 6 c. 20 Stettler Ann. Heluet. p. 334

Thungen oppidum.

Plumeneck. Fugger p. 1114

p. 61.

Proditor θρασύδειλος.

Heluetii minime πολιορκητικοί.

uenereque copiæ pedeſtres circiter millia ſex egregie armis inſtructi animo & elato præditi, qui vt primum hoſtilem inſpexere aciem, illam inuadere parabant, ſed impetum fluuius latus ac profundus a montibus per vallem torrentis inſtar ruens (Ilam incolæ vocant) retardabat, equitibus quoque ob vehementiam vix permeabilis. Illum igitur pedites nimio pugnæ ardore transgredi cœperunt, reclamantibus Ducibus, ac ſummopere orantibus, ne adeo temere in hoſtes ruerent, quorum vires nondum norant, ſed citra flumen ſecuri exſpectarent, donec omnia certius explorari, ac renunciari poſſent. At illi ſuis qui munitiones defendebant, ſuccurrendum eſſe clamarunt, quos ex frequentibus pyxidum tonitruis vehementer vrgeri intelligerent: moxque non ſine ingenti periculo amnis ſuperarunt violentiam, in ordinesque regreſſi hoſtium ex colle, in quo conſtiterant, præſtolabantur deſcenſum. Præerat equitibus nobilis quidam nomine Burckhardus de Knôring eques auratus ſenex, ac rei militaris peritiſſimus, qui cum militum impetum refrenare nequiret, manifeſtum tamen cerneret periculum, centum circiter equites flumen transgredi iubet, ne tamen cum hoſtibus confligerent admonuit, ſed ſolum illos cohiberent, ne latius excurrere auderent: iam enim palam videbat quid eſſet futurum. Reliquum vero equitatum per turmas ſuper fluminis conſtituit ripam. Cæterum Heluetii immobiles, ac quieti in ordines tamen redacti ab alto ſtolidam hoſtium proſpectabant audaciam, & vt magis augerent illorum temeritatem, timorem ſimulabant, copiarumque ſuarum, quantum poterant, celabant multitudinem, ac ita contrahebant, vt vix decem millium eſſe viderentur, cum numerum illum etiam duplo ſuperarent. Cæſariani igitur, cum aliquantiſper expectaſſent, vt hoſtis in planum deſcenderet campum, poſtquam illum videre immobilem, ac tuto ſe continentem loco; moræ pertæſi vltra pergere, & collem aſcendere cœperunt, ingentique audacia, nec vi minori hoſtium inuadunt aciem, qui & ipſi militum numero & loci adiuti opportunitate viriliter illos excipiunt. Fit igitur prælium ingens obſtinateq; ab vtraq; parte pugnatur, ac ingens editur cædes, omniaq; interim pyxidũ ſonitu, clãore, & tympanorũ reſonant ſtrepitu. Erat inter Heluetios vir quidã audaciſſimus, ac rei militaris peritiſſimus, nomine Henricus Wolleben: hic nihil dubitauit caput ſuũ pro patria deuouere, accepta enim longiori bipenni (Hellenbarten vocant) quã transuerſe ſubmiſit hoſtiũ haſtis, illiſque eleuatis tamdiu perſtitit; ac vſum p. 62. hoſticarum impediuit haſtarũ, donec multis confoſſus vulneribus deſtitueretur viribus, ac moriens procumberet in terram. Ea igitur parte potiſſimum Cæſarianorum labefactata eſt acies. Interea equites quieti pugnam aſpiciebant, non ideo ſolum quod Ducis obſeruarent imperium, ſed quia periculi plenum videbatur collem aſcendere, & tam iniquo confligere loco. Verum vnus ex eis Illing nomine magnæ exiſtimationis vir & audax, cum turpe duceret equites quietos, peditum inſpicere certamen, ſubditis calcaribus equum contra hoſtes concitat, & alios vt ſequerentur, hortabatur: ſed fruſtra. Nemo enim eum ſequutus eſt præter famulum vnum, qui cum videret, quanto ſe herus diſcrimini committeret, illum inclamauit, vt a cœpto deſiſteret: quod audiens ille ſe conuertit, & cum ſe ab aliis deſtitutum videret, reditum maturabat: ſed lapis pyxide excuſſus equum illius proſtrauit, qui caſu ſuo Dominum ita oppreſſit, vt ſurgere haud quiret. Id cernens famulus, ex equo deſiliit, ac Dominum multa vi extractum tanto eripuit periculo. Fuit & illi ſaluti, quod hoſtibus acie excedere prohibitum fuerat, qui longe honeſtius putabant, ſi imperii memores eſſent quam ſi multos etiam oppreſſiſſent equites: euenit tamen, vt famulus ille, licet amiſſo equo, euaderet, nam cum alium equitem haud procul inde inclamaret, vt illum exſpectaret, licet armatus poſt tergum illius in equum vnico aſcendit ſaltu, ſicque ſaluus non ſine laude ad ſuos eſt reuerſus. Perdurabat interim prælium, ſummiſque certabatur viribus, nec retulere pedem Cæſariani, priusquam cuncti cecidere, qui in prima conſtiterant acie. Quod cum reliqui vidiſſent, ac iam non ſolum a fronte vrgerentur, ſed paulatim a lateribus quoque circumuenirentur, pedem aliquantulum referre ſunt coacti. Quo dvt ſenſere Heluetii acrius ſigna intulerunt. Quem impetum cum Cæſariani diutius perferre nequirent, in fugam ſunt conuerſi, tametſi illa non a primis, ſed vltimis initium

Ila fluuius.

Prælium inter Heluetios & Cæſarianos. Decius Heluetícus pro patria ſe deuouit.

Illing patricius Augustanus. Exemplum probi & fidelis famuli.

Cæſariani fugiunt. & partim in amne ſubmerſi pereunt.

initium sumpserit. Recta igitur ad amnem fugerunt, in quem cum improuide se immergerent, gurgitibus abripiebantur, ac suffocabantur, ita vt non pauciores aquæ absumpti sint impetu, quam in ipsa cecidere acie. Id Heluetii videntes à colle descenderant, laxataque fronte primores persequi iubent fugientes, ipsi vero structis sequebantur ordinibus. Quod equites cernentes & ipsi se fugæ mandare sunt coacti. Transgressi igitur flumen reliquo se coniungunt agmini. At persecutores illi non contenti hostes vltra amnem fugasse, connexis brachiis, ne aquæ abriperentur impetu, ipsi quoque flumen transgredi cœperunt: & iam quidem vlteriorem contigerant ripam, cum Ducum iussu præconis reuocantur voce: timebant enim ne ab equitatu circumuenirentnr. Confestim igitur imperio parentes rursus se vorticibus committunt, ad suosque reuertuntur salui. Id videntes equites & ipsi taciti Veldtkirchium versus abire. Et hic fuit exitus cœpti tam temerarii. Cæterum desideratorum numerus iniri haud potuit, quum non pauciores vi fluminis perierint, quam pugnando cecidere in acie. Hoc constat, optimum quemque, & animosissimum ferro consumptum esse. Et erant illi non solum milites, sed & præstantiores regionis illius digni profecto ob virtutes qui consilia secuti fuissent saniora. At Heluetii, cum iam de Cæsaris aduentu certiores redditi essent, haud vltra sunt progressi, sed imperata incolis prouinciæ pecunia ingenti, acceptisque obsidibus confestim retro abiere. Erat summum odium inter Hegeuenses, & Heluetios, quemadmodum inter omnes fere solet accolas. Augebatur id iniuriis quotidianis, conuitiisque assiduis. Quod Heluetii vltra non tolerantes collectis viribus eam prouinciam sunt aggressi ac cuncta ferro, ac igni vastare cœperunt. Verum tantum abfuit vt Hegeuenses, qui paulo ante verbis fuerant ferociores, obuiam irent, vt etiam desertis præ formidine castris munitissimis omnes fortunas suas hosti diripiendas relinquerent.

Temeritatis infelix exitus.

Hegeuenses θρασύδειλοι.

Heluetii igitur per totam regionem discurrentes omnia ferebant, ac agebant, & quæcunque capiebant, mox incendio consumebant. Venere igitur in eorum potestatem arces quædam inexpugnabiles, & quæ si defensæ fuissent, nulla vi capi potuissent. Verum nobiles illi non tam audaces erant ad resistendum hosti armato, quam apti ad exercenda latrocinia, & deprædationes viatorum. Nam quæstum illum à maioribus acceptum strenue exercebant, existimantes non paruum fortitudinis, ac nobilitatis esse indicium, si furum instar raptu, & ex aliorum viuerent miseriis. Multa igitur male parta male quoque periere, ac decem millia aureorum vnico in castro Hoburg sunt reperta, quæ Dominus illius ex multorum hominum congregarat spoliis. Quidquid enim vndique rapiebatur, ad Hegeuenses tanquam asylum latronum ac furum deferebatur. Progressi igitur Heluetii oppidum Stokach, quod deditionem facere renuebat, obsederunt, illudque pyxidibus oppugnare, & vehementer quatere cœperunt: sed non minori vi à præsidio, quod immissum fuerat, est defensum. Offendebantur & hostes pyxidum iactu assiduè ex arce Nellemburg quæ in colle vrbi imminente sita est. Cum igitur se frustra niti cernerent (nam Heluetii haud facile vrbes oppugnare solent) suis parcentes collectis vasis abire maturabant. Audiebant enim Cæsarianos magno aduentare exercitu, quem vndique ad vrbem propinquam Vberlingen nomine accersierant, sperantes se hostem (vt semper optauerant) in apertis deprehendere posse campis, quod & ille, cum omni careret equitatu, admodum formidabat. Verum antequam ad propria regredi posset, Cæsariani mille & quingentis superuenere equitibus armis & equis egregie instructis. Heluetii igitur imminens cernentes periculum, mille ex suis delegerunt, qui tamdiu equites sustinerent, donec reliquus exercitus cum impedimentis & inutili turba planitiem superaret, & oppido Stain appropinquaret. Erat igitur profectio illorum non admodum fugæ dissimilis. Vnusquisque enim accelerabat ac ob equitum timorem prior esse cupiebat: & profecto si equites omissis mille illis impetum in reliquos fecissent, non paruam cladem inferre potuissent. Nunc vero dum nouissimos tantum persequuntur, occasionem rei bene gerendæ e manibus emisere: quamuis nec illos aggredi auderent, sed semper nouissimos premendo inse-

Fugger p. 110.

Auita latrocinia nobilium.

p. 63.

Hoburg.

Stokach.

Nellemburg. Vide supra.

Vberlinga.

Stain oppidum.

insequerentur, qui diligenter seruatis ordinibus pergebant, non ignari in quanto periculo essent constituti. Vt tamen suis euadendi præstarent potestatem, dignam pro patria mortem nequaquam recusabant. Tandem ad vicum magnum peruentum est, qui paulo ante conflagrarat, in quo equites hostem permansurum, ac se defensurum putabant, nec longius credebant progressurum. Commode igitur peditum auxilio, qui nondum aduentarant, sine suo periculo illum opprimi posse sperabant. Sed longe opinione sua decepti sunt. Heluetii enim recta per vicum transgressi suorum sequebantur vestigia. Vndique igitur ab equitibus conclamatur, rem esse indignam, si hostes tam imbecillis in patentibus etiam campis ex eorum laberetur manibus: audendum igitur esse ne tanta occasio rei bene gerendæ omitteretur. Quibus vocibus equitum Duces coacti sunt equitatum in ordinem redigere, & totis viribus concurrere. Erat illo die Francorum acies prima, Sueuorum vero subsidiaria: alternis enim diebus vices commutare solent. Verum ne Sueui se contemptos putarent, prima Sagittariorum illis commissa est acies. At Heluetii equites in ordinem redactos, & iam congredi paratos esse cernentes, & ipsi conuersi demissis hastis equites excipere parabant. Sagittarii igitur Duce Sueuo nobili quodam de Rechberg viriliter illos aggressi scorpionum ictibus prosternebant: Francones vero hastati cum hostilem aciem adoriri deberent, plane declinarunt, ac circumactis equis rursus ad pristinum regressi sunt locum; quos & Sueui hastati sunt sequuti nequaquam hostes aggredi audentes. Equites vero Sagittarii cum hastatos tam ignauiter agere cernerent, & ipsi ab vlteriori abstinuerunt congressu: assiduo enim pyxidum iactu vulnerabantur. Accurrens igitur Dux Sueuus Francones multis proscidit contumeliis, timidos illos & indignos, qui equites militarent, appellans. Nam communem ignominiam priuatum etiam augebat periculum: in brachio enim pyxidis iactu magnum acceperat vulnus. Verum nec pudor nec conuicia Francorum restringere poterant timorem, sed immoti quasuis potius sufferebant contumelias, quam hostium lanceas obuersas: potissimum vero Dux eorum male audiuit, cuius nomen etsi sciam, non tamen manifestabo. Heluetii vero cum hostes non amplius instare viderent, conuersi & ipsi magnis passibus accelerarunt ad suos, qui iam ex superata planitie præmissisque impedimentis suos sequentes magno exceperunt gaudio, vtpote quos iam morti destinarant, & nunquam putarant reuersuros. Equites quoque & ipsi conuersi retro abierunt, alius in alios, vt fieri solet, culpam reiicientes. Nam Sueui Franconibus ignominiam tantam acceptam ferebant; Francones vero Sueuos incusabant, quod nec sine illis hostes aggredi fuissent ausi, cum tot numero fuissent, vt etiam absque Franconibus victoria potiri valuissent, potissimum cum quotidie de primo congressu contendere solerent. Sicque turpissimis inuicem contendebant maledictis, cum tamen neutra pars timorem tam turpem & ignominiam acceptam iuste excusare posset. Interea Cæsar aduenit, rursusque Imperii Principes, ac ciuitates in subsidium properare sunt iussi. Qui nihil cunctati partim ipsi aduenere, partim copias suas ad bellum misere instructas. Cæsar vero de omnibus certior fieri cupiens, ac singula discutiens reperit, non tam militum temeritate, & inobedientia, quam Ducum imperitia, & ignauia tot calamitates acceptas esse. Vt igitur dehinc circumspectius ageretur, cuncta loca Heluetiis obnoxia, præsidiis munit, commeatum mittit, & vbique diligenter excubias, ac stationes fieri iubet: ipse interim aduenientes copias per loca distribuit opportuna, quoad totis collectis viribus summa vi hostes inuadere posset. Ego igitur a Republ. Nurenbergensi Dux electus ad Cæsarem sum missus cum peditibus quadringentis, ac ala vna equitum sexaginta, pyxidibus sex, quas colubrinas vocant, & vna maiori, nec non curribus octo, qui commeatum, puluerem sulphureum, tentoria, & reliqua ferrent necessaria. Iunctus est mihi inter reliquos nobiles eques quidam auratus nomine Ioan. de Beyrstorff, vir rei militaris peritissimus, & tribuni, ac centuriones egregie omnes in armis exercitati. E Nurenberga igitur egressus recta ad Cæsarem, qui tum iuxta Brigantiæ lacum agebat, perrexi, per Sueuiamque non sine periculo & inco-

Rixa & conuitia inter Sueuos & Francos. Rechberg.

Hoc est parcere personis, dicere de vitiis.

p. 64.

Translatio culpæ hominibus familiaris.

Aduentus Cæsaris.

Causa superiorum calamitatum.

B. Pirckheymer copiarum Noricarum præfectus mittitur in Heluetiam.

Sueuorum aduersus Norimb. Rempubl. indignatio.

larum indignatione copias duxi. Nurenbergenses enim tum nequaqnam Sueuorum, sed Bauariæ Ducum vtebantur societate: quod quidem Sueui ægerrime ferebant. Dolebant insuper, quod ipsi multis ex suis amisis; ingentique pecunia absumpta Nurenbergensium copias adhuc integras viderent, & tum demum ad belli munia exeuntes. Non æquis igitur oculis Nordlingenses, & Vlmenses, ac reliqui, per quorum fines eundum erat, nostrum aspiciebant transitum. At Cæsar cum me appropinquare audiret, obuiam misit, ac iussit, vt ad oppidum Tetenang (ibi enim agebat) accederem: est illud ad lacum Bregentinnm in ditione Comitum de Montfort. Parui igitur, ac confestim illuc perrexi. At Cæsar vt copias, quas adducebam, intueretur, in campum equo insidens processit, ac diligenter illas inspexit, non sine animi oblectatione, vt ex vultus hilaritate potuit deprehendi. Etenim tam pedites, quam equites cuncti rubris induti erant vestimentis, quo colore & currus tecti erant. Armis præterea egregie muniti ac instructi, veterani omnes, & e multo electi numero, magna ex parte Cæsari noti, sub quo multis annis strenue dimicarant, præcipue tribuni ac Centuriones, quos Cæsar humanissime compellauit. Solummodo copiarum paucitas ab æmulis reprehendebatur, cum Vlmenses duplo etiam maiora submisissent auxilia, nequaquam considerantibns Sueuorum, ac Nurenbergensium causam longe esse diuersam, cum illi nulla coacti necessitate bellum Heluetiis intulissent; Norinbergenses vero nil præter Cæsaris obedientiam in Heluetios armaret. At Cæsar ipse nil talibus mouebatur cauillis, sed palam respondit, tot malle veteranos, quam bis totidem tyrones. Et erat Cæsar inter alias animi dotes hac præcipue virtute præditus, vt haud facile calumniatoribus aures præberet, sed obnixe eorum foueret innocentiam, quorum nondum culpa erat comperta. Et profecto ni Cæsar moribus fuisset tam laudandis, nil mirum si Nurenbergenses tum a Cæsarea etiam penitus excidissent gratia, cum vndique improborum oppugnarentur machinis: quidquid enim sinistri accidebat, aut comminisci poterat, quod innocentibus notam aliquam inurere valeret, id omne in Nurenbergensium referebatur caput, ita vt etiam occulti fœderis cum Heluetiis, submissique insimularentur subsidii. Quod quidem ob nullam aliam fiebat causam, quam odium singulare, ac peruersi animi prauitatem, & quod nonnulli libenter culpam propriam aliorum texissent innocentia. At Cæsar me ad oppidum Lindau, moxque Veldkirchen ducere iussit, quo paulo post ipse quoque venit: acceperat enim Grisenses, Curienses ac Engadinenses de-
p. 65. liberasse ingenti suorum manu in prouinciam irrumpere. Id ne fieret, totis viribus occurrendum esse censuit. Vndique igitur copias Weldkirchen conuenire iubet, vt superatis montibus hostes ab inuasione coerceret, & vt illorum vires distraheret; Singeuenses, ac Brisgeuenses hostilem terram inuadere iussit. Qui nihil morati magnis collectis copiis per Tornacensem agrum irrumpere parabant: Id cum Heluetii resciuissent, confestim occurrunt, suosque in aciem constituunt, confligere parati, si quis obuiam iret. Id videntes Cæsariani magis de fuga, quam de pugna cogitare cœperunt. Turpiter igitur dilapsi ad propria cum ingenti rediere ignominia. Nec Heluetii longius illos prosequuti sunt equitatus potissimum timore, sed exustis villis quibusdam & ipsi abiere retro. Interea dum Cæsar in contrahendis distinetur copiis, Engadinenses cum sociis opinione celerius egressi per Monasterii vallem in campum (vt vocant) Malsensem erumpere conabantnr. Ea est planities inter alios montes latissima, fertilis, & amœna, oppidis & multis exculta villis, & ædificiis, in cuius summitate Athesis oritur fluuius, qui inde Italiam versus magno labitur impetu. Cæsariani igitur vt hostes ab ingressu arcerent; Monasterii vallem, per quam introitus patebat, fossa ac vallo egregie munierant, præsidioque imposito diligenter obseruabant. Verum cum hostium percepissent aduentum, vndique populariter ad defensionem aduolant. Aderant interim hostes maximis copiis, ac magna vi munitiones sunt aggresi, verum longe maiore sunt reiecti, ita vt semel ac iterum reuersi fugæ se mandare cogitarent: sed instabant Duces a tergo non solum verbis, ac hortationibus, sed verberibus etiam, minis & conuitiis suos in aciem redire cogentes.

Cæsar copias auxiliares Noriberg. lætus lubensque excipit.

Pauci Veterani multis tyronibus meliores.

Cæsar nil mouetur calumniis.

Translatio culpæ in alios familiaris hominibus.

Cæsarianorum fuga.

Campus Malsensis in Valle monasterii.

Athesis fluuius.

Equitum ignauia in prælio.

tes. Diu igitur certatum est, multique hostium e vallo pyxidum maxime cadebant ictibus. Videntes igitur quod perrumpere non valerent, diuisis copiis per semitas inuias, occulta montium præcipitia potius ruebant, quam descendebant, Cæsarianosque a tergo aggressi nouissimos cædere inceperunt. At equites hæc cernentes nullas suis ferebant suppetias, sed immoti, ac quieti suorum inspiciebant discrimen, licet magno præstarent numero. Cum igitur Cæsariani a fronte & a tergo vrgerentur, primum munitiones derelinquere sunt coacti, deinde etiam acie profligati ad fugam inclinarunt manifestam. Quod si illis equites in tempore auxilium tulissent, aut plane vicissent, aut hostes saltem ab ingressu arcuissent. Nunc vero suorum destituti ope vltra resistere non valebant; iniecit & illis timorem bouinum cornu inflatum ab hostibus: nam eo decepti sono, Vrienses ac reliquos Heluetios aduenisse putabant; illi enim inter pugnandum eo sonitu suos ad prælium animare solent. At equites cum suorum cernerent fugam, non solum hostes in planitie aggredi aut cohercere ausi non sunt, sed subditis calcaribus effusissime, ac turpissime aufugerunt. At hostes in planitiem progressi oppidum Glurens, Mals, & villas cunctas ad Letzium vsque combusserunt omnia diripientes ac agentes ita vt etiam Athesis accolis non paruum iniicerent timorem. Verum cum de Cæsaris aduentu certiores essent redditi, vlterius progressi non sunt, sed celeriter se recepere ad propria duobus prius fossis ingentibus suorum corpora tumulantes: Cæsarianos vero circiter mille cæsos in campis sub dio insepultos reliquere, cum tamen longe plures amisissent ex suis. Cæsar cum cladem hanc accepisset maxima indignatione permotus est, præcipue vero Ducis ac Equitum ignauiam moleste tulit. Verum cum Dux paulo post affuisset, multis verbis culpam suam diluit, asserens haud tutum fuisse equitatum inter montium angustias hosti obiicere tam potenti, ac ita amicorum auxilio, qui tum in aula Cæsaris potentes erant, iram leniisse videbatur: verum ob hanc ignauiam nunquam postea ad propria regredi est ausus, iuste eorum iram timens, quorum necessarios non solum ad mortem perduxerat, sed turpiter etiam dereliquerat; cum obiter proditionis quoque insimularetur. Existimabant enim prouinciales, si etiam ob loci iniquitatem peditibus succurrere haud potuisset, facile tamen illum in campis patentibus hostium persequutionem reprimere, & a tam effreni prædandi, ac vastandi licentia cohercere valuisse. Aduenit interim magnis Cæsar copiis, castrisque in campis patentibus locatis deliberabat, quo pacto acceptam vlcisceretur cladem. Ibi variæ dictæ sunt sententiæ, cum quibusdam impossibile videretur per montes tam altos & præsidiis munitos in hosticum irrumpere: aliis autem viam etsi longiorem ostendentibus, per quam ingressus pateret. Eam sententiam Cæsar approbauit. Etenim non solum Engadenensibus ob iniurias nuper acceptas indignabatur, sed etiam quia bello huic initium & causam dedisse videbantur, & quod semper Austriæ Ducibus fuerant inobedientes, pœna dignos iudicabat. Quindecim millia igitur peditum ex omni militum elegit numero: nam equitum vsus inter montes tam altos nullius erat vtilitatis. Has copias per tramites occultos, ac longas ambages in Engadenensem vallem perduci iubet, additis ductoribus viarum gnaris. Cæterum quia ob tanti exercitus multitudinem commeatus in locis defecerat montanis, ac plerique multos dies sine pane exegerant, vltra montem, quem Braium appellant, in vallem Tellinam Mediolanensi Duci subiectam mittere constituunt, vt illinc copiis prætereuntibus alimenta afferri possent. Nam illi per aliam immittebantur viam. Me igitur Cæsar vocauit, ac iussit vt ducentos pedites ad Braii montis radices mitterem, ibique, donec ipse adueniret, præstolarer, haud tamen aperuit, ad quem vsum illorum opera vti vellet: Parui igitur, & tribunum vnum pedites ad locum designatum ducere iussi, ac mox cum equitum meorum ala sum subsecutus. Accedit, vt forte inter eundum per villam magnam, sed exustam transirem, in cuius exitu duas deprehendi vetulas, quæ agmen quadringenta fere puerorum paruorum, nec non puellarum, haud secus ac pecorum greges præ se agebant. Erant omnes extrema macie ob inediam confecti vt effigie sua, præterquam quæ mouerentur, haud multum defunctis

Cæsarianorum error in excipiendo signo militari, & inde fuga.

πολυάνδριον post prælium.

Dux ignauus Cæsari se purgat sed ad propria redire non audet.

p. 66.

Inopia commeatus in exercitu Cæsariano.

B. Pirck. cum parte copiarum ad Cæsarem accersitur.

Belli fœda facies.

Fugger p. 1117.

defunctis abſimiles, ita vt aſpicientibus horrorem quendam iniicerent. Interrogaui vetulas, quonam turbam tam miſerandam ducerent. At illæ tanquam attonitæ, ac vix præ dolore ac fame ora aperire valentes reſponderunt confeſtim me viſurum, quonam tam infelix ageretur iuuentus. Vix hoc dixerant, cum ad pratum quoddam deuentum eſt, in quod ingreſſi, ac in genua prolapſi beſtiarum inſtar herbas depaſcere cœperunt, hoc vno diſtantes quod illæ morſu veſcuntur: hi vero manibus cibum decerpebant: & iam vſu herbas diſcernere didicerant, ac nouerant, quæ amaræ, ſeu inſipidæ, quæ ſuaues, aut guſtu eſſent præſtantiores. Præcipue vero herbam eligebant acetoſam, quam & præ cæteris dignoſcebant. Ad tam dirum igitur ſpectaculum obſtupui, ac tanquam amens diu conſtiti. Rurſus igitur vetula inquit: En cernis cur tam calamitoſa hæc turba huc ſit deducta, cui longe magis profuiſſet, ſi nata foret nunquam, quam tot ærumnis ſubiici, ac tam miſeram exigere vitam. Ferro cecidere patres, fame vero matres abactæ ſunt: bona in prædam ceſſere, ac habitacula flammis ſunt abſumpta: nos miſeræ ob vltimam ſenectutem hic ſumus relictæ, quo infeliciſſimam hanc iuuentutem brutorum inſtar ad paſcua agamus, & quantum valemus, herbarum eſu ſuſtentemus, ſperamus tamen breui tam illos, quam nos a tantis abſolutum iri miſeriis. Etenim quamuis duplo plures fuiſſent, breui tamen adhunc redacti ſunt numerum, cum quotidie aliqui fame & inedia deficiant longe profecto celeri morte, quam prolixiori vita feliciores. Hæc cum vidiſſem ac audiuiſſem, lachrymas continere nequiui tam miſerandam hominum ſortem miſeratus, ac bellicum furorem merito deteſtatus. Inde ad locum proceſſi condictum, quo paulo poſt & Cæſar cum paucis venit equitibus imperans vt pedites montem tranſcendere iuberem, quo eos conducerent, quos commeatus gratia Burmium in vallem Tellinam miſiſſet. Mediolanenſis enim Dux pollicitus fuerat ſe exercitui de omni commeatus genere prouiſurum. His imperatis Cæſar diſceſſit. Verum pedites mei iuſſa facere negarunt: non enim tanto periculo capita ſubiicere volebant, cum tam pauci numero eſſent, hoſteſque vndique imminerent & plerique antea Cæſaris quoque milites tantum diſcrimen ſubire recuſauerant: prætendebant & ſignorum abſentiam, ſine quibus ſe nuſquam ituros affirmabant. Tandem poſt multa vltro citroque dicta, eo res deuenit, vt ituros ſe pollicerentur, ſi ego præire, & illos ducere vellem. Ne igitur calumniatoribus anſam aliquam præberem, Cæſariſve indignationem incurrerem, confeſtim ab equo cataphracto deſcēdi, depoſitiſq; armis equeſtribus, ſumptiſq; pedeſtribus præire cœpi, ac milites vt ſequerentur, ſū hortatus. Supererant adhuc quatuor fere diei horæ, quib. nos viarū Duces montis verticem ſuperare poſſe affirmabant. Sed longe ſpe illa decepti ſumus. Cū enim in altum veniſſemus, ob niuis reſolutionem difficilime pergebamus, ita vt milites nonnunquam fere abſorberentur, ac ob niuis denſitatem, ac lubricitatem terræ vehementiſſime defatigarentur. Tandem vero circa noctis medium in ſummum deuenimus verticem: ibi in paruo tuguriolo (quod tamen non omnium capax erat) aliquantiſper interquieuimus inedia pariter & nimia defatigatione tantum non enecti. Deinde montem deſcendere cœpimus, & ſub diluculum ad aquas calidas, quæ ex montis ſcaturiunt radice, deuenimus: inde circiter meridiem Burmium laſſi & famelici ſumus ingreſſi. Verum nihil ex iis, quæ Mediolanenſis Dux promiſerat inuentum, ſed hoſtium vim ingentem illuc confugiſſe deprehenſum eſt, ita vt non ſine dubio ac timore diem illum exegerimus. Poſtridie vero ſumma feſtinatione inde diſceſſimus vix quinquaginta iumenta commeatu onuſta nobiſcum ducentes, ac iter ad exercitum qui in Engadinam irrupturus erat, nec longe diſtabat, direximus, aſcenſoque monte altiſſimo ad arcem deuenimus munitiſſimam, per quam, & nuſquam alibi iter patebat. Ea Mediolanenſis Ducis tenebatur præſidio, quo cum peruenimus ob nimium loci præcipitium equi non paruum ſpacium per ſcalas (mirum viſu) aſcendere cogebantur. Bini enim homines ab vtraque parte frena ne retro caderent, tenebant: bini quoque latera ſeruabant: ſequebantur inde, qui ſtimulis, clamore & adhortatione iumenta progredi adigebant, ita vt in aere ſuſpenſa per ſcalas latiores in ſummum tandem multo ſudore, ac labore peruenirent. Hanc ob cau-

Marginal notes:
Pueri & puellæ herbiuori a vetulis paſtum aguntur tanquam greges pecuarum.
Melius non naſci.
B. Birckeymeri συμπάθεια erga miſeros.
Pirckeymer ex equite pedes, non recuſat pericula adire.
p. 66. p. 67.
Equi per ſcalas aſcendunt in arcem periculo maximo.
Scala arx Engager p. 3

 ſum

ſam & arci quoque Scalæ nomen inditum eſt. Superata igitur arce paulo poſt ad alium exercitum, qui iam caſtra locauerat, peruenimus, nequaquam illum, vt ſperauerat, commeatu reficientes. Ab accolis tamen Italis vini copia ingens in caſtra eſt perlata, quod milites longa inedia macerati (quippe qui plurimos dies ſine pane exegerant) auidius ingurgitantes admodum inebriabantur, tumultuantesque multis ſe conficiebant vulneribus. Poſtridie omnibus copiis ad vallem perquam amœnam, quam incolæ ad vineas appellabant, deuentum, ac ibi pernoctatum eſt. Nam quamuis deliberatum eſſet, vt eo die irruptio fieret, cum tamen multitudo tanta tardius ob viarum anguſtias progrederetur, diesque in occaſum vergeret, caſtra in valle ſunt locata. Poſtero die duabus ferme ante ortum ſolis horis, tria Cæſaris vexilla (vt vocant) ordinaria quibus & meum ob veteranorum exiſtimationem eſt additum, cum duobus millibus militum ad occultas montis ſemitas ſunt transmiſſa, additi quoque viarum Duces pollicentes ſe breui manum hanc ſuper hoſtium capita, qui montis, per quem irrumpendum erat, cacumina obſeruabant, perducturos. Ad montis igitur progreſſi radices, per aſperos, confragoſos, ac feris pene inuios colles non ſine præcipitii periculo, & labore ingenti, donec tandem ad loca vndique niue oppleta deuenimus: ibi non minori difficultate, quam in aſpretis, eſt laboratum. Nix enim ob anni reſoluebatur temperiem: nam menſis erat Iunius. Ac ideo milites ægre pergebant, ob nimiam lubricitatem niuis, ac luti haud facile veſtigia ſiſtebant. Reliquus interea exercitus vniuerſus præter mille milites, qui a ſiniſtro latere ſe hoſtibus oſtendebant, recta montem, per quem irruptio patebat, aſcendere cœpit, pedetentim tamen vt hoſtium oculos a circumvenientium abſtraherent aſpectu. Erat mons altiſſimus ac in ſummitate perpetua niue repletus. Illic Engadinenſes in ordines redacti, hoſtium præſtolabantur aduentum minutiſſimarum auicularum gregem ob nimiam celſitudinem repræſentantes: emittebant tamen plures ex ſuis, qui e ſummo deſcendentes ſaxa ingentia deuoluebant, ac agmen quoque quantum poterat, vltra progredi inhibebant. Suffoderant quoque vndique ſcopulos ingentes, ac magni ponderis cautes arboreisque ſuſpenderant truncis, quibus faciliter diſpulſis confeſtim ſaxa magno ruebant ſtrepitu, ac ingentem montis partem ſecum in præcipitium trahebant. Sed hoc noſtris ſaluti fuit, quod cuncta, quæ impellebantur aut deiiciebantur, ab niue mox abſorbebantur altiſſima. Id ni accidiſſet, impoſſibile profecto fuiſſet loci a natura tam muniti & præſidio firmati iniquitatem ſuperare. Interim dum ſic vtrumque ab anteſignanis pyxidum, ac lapidum iactu, ſagittis quoque ac baliſtis certatur, ac magnum agmen immobile hæret, milites præmiſſi paulatim in montis ſurrepſerunt verticem, ibique ſe colligentes in ordines redibant. Quo facto ſigniferi rotatis circum capita ſignis ma- p. 68.
gno agmini (nam iam in illius conſpectum venerant) in montis ſummitatem ſe peruenisse ſignificant. Id milites videntes nihil morati, & ipſi vi magna perrumpere conantur. Etiam, qui a ſiniſtra incedebant ala, hoſtes circumuenire cœperunt, qui tum primum percipiebant quatuor illa vexilla cum militibus ſuis in montis emerſiſſe ſummitatem. Diuiſis igitur copiis illos ab vlteriore progreſſione prohibere nitebantur: ſed fruſtra: vix enim primo tentato certamine in fugam vertuntur. Interim agmen magnum progreditur, & qui in ſiniſtra conſtiterant ala, ab illa quoque parte hoſtes adoriuntur, ita vt Engadenenſes & a fronte, & lateribus vehementer vrgerentur. Impares igitur ſe cernentes, ac tam copioſo exercitui reſiſti poſſe diffidentes, vndique fuga ſibi conſulere cœperunt. Per montium igitur abrupta ac ſemitas notas multis ex ſuis amiſſis dilabuntur. Cæſariani igitur rurſus coniunctis copiis montem deſcendere cœperunt. Accidit hic, vt niuis pars quædam ingens vel nimio preſſa pondere, vel ſolis liquefacta calore a reliqua niuis diuulſa ſit congerie, ac per montis deuexum, quantum iactus eſt arcus, acta, plusquam quadringentos ſecum arripuerit milites, quos omnes altiſſima inuoluit vertigine; eratque ſpectaculum illud ſub initium horrendum cum tot homines eodem raperentur impetu, & tanquam fluctu quodam abſorberentur; ſed paulo poſt in riſum eſt verſum, cum milites vndique tanquam terra editi emergerent: omnes tamen haſtas, aut arma ſiue capitis aut pedum amiſerant tegumenta.

Vallis ad Vineas.

Engadinenſes præſtolantur hoſtem.

Mirum ſpectaculum niuis ex monte in 400. milites deuolutæ.

ta. Tametsi nemo, quantum sciri potuit, fuit desideratus, multi tamen vehementer sunt collisi. Per immensum igitur iter, ac multo sudore tandem circa solis occasum in Engadinensem peruentum est, vallem amœnam, & multis excultam oppidis ac villis. *Vallis Engadinensis.* Verum hostes Oeni fluuii (nam is torrentis instar per Engadinensem vallem labitur) pontem, per quem transeundum erat incenderant. Restincto igitur non paruo labore igne, ponteque refecto, copiæ sunt traductæ, castraque in vico quodam Scaneu nomine sunt posita. At Engadenenses quamprimum Cæsarianos pontem transgredi viderunt, propriis manibus oppidum magnum & propinquum quod Sutzium vocabatur, incenderunt. *Scaneu vicus.* *Sotz.* Eam igitur noctem milites defessi, & inedia macerati in vico transegere. Nam hostes quo Cæsarianos fame vrgerent cuncta ad victum pertinentia vel corruperant, vel penitus abstulerant. Orto die tribus agminibus ad vlteriora est progressum: præiuit enim turba, quam amissam vocant, cum pyxidibus quatuor, quæ ingenti labore illac erant perductæ. Nam vt plurimum in montium saltibus vna tantum vehebantur rota, cum altera funibus colligata, ac suspensa a militibus, qui in anteriori incedebant loco, sustentaretur. Sequebatur agmen magnum semper ordines suos conseruans: Impedimenta vero ac turbam inutilem vltimi tuebantur. At Engadinenses & ipsi suis præcedebant agminibus cuncta vastantes ac diripientes, & si quandoque loci offerebatur opportunitas gradum sistebant, ac tanquam pugnaturi se ostentabant, sed cum nostri propius accessissent, rursus citato pressu abibant, haud pares enim erant, qui tantis copiis resistere possent. Cuncta interim flammis relucebant, ac magno fragore vndique ruebant ædificia. Conflagrarunt igitur præter Scaneuium & Sutzium Somada, Comouascum, Pons rosinus, Vadellum & Scancellum cum reliquis cunctis Tirauum vsque, quin & illud quoque Engadinenses & ipsi comburebant, licet Cæsariani illac haud peruenirent. Tandem sub solis occasum castra iuxta vicum quendam sunt locata, ibique a Ducibus est deliberatum, quonam postridie esset proficiscendum, siquidem maior pars per vallem Tellinam, quæ non longe aberat, redeundum esse censebat: ibi enim militem fame & labore fessum refici posse arbitrabantur, quoniam Mediolanensi Duce amico vterentur; alia vero pars nequaquam Italis fidendum esse censebat, potissimum cum hostes vndique ab illis receptatos esse constaret, & Dux ipse parum obseruasset, quæ de commeatu mittendo promisisset: insuper per montem altissimum in vallem Tellinam ingrediendum, rursus per montem Braium reuertendum esse dicebant, quod quidem vltra laborem immensum periculo non careret, etiamsi Itali fidem plane inuiolatam seruarent. Conuenit igitur, vt per ante emensam rediretur viam, cum ea vnico tantum die si accelararetur, exigi posset, deinde vero facile in tutum iter patere ferebatur, militibus interim perdurandum, & famis molestia quocunque modo toleranda esse dicebatur.

p. 69. Hæc igitur sententia vicit, ac summo mane exercitus compositis rursus ordinibus celeriter per pristinum iter redire cœpit, nec illum hostis a tergo vrgebat. Præcesserat enim, & montis cacumina per quem in vallem Tellinam iter patebat, occuparat, vt sic Cæsarianos arcere, aut etiam si posset penitus opprimere liceret: & profecto si illud iter fuisset directum, vix incommodum aliquod magnum euitari valuisset. Cum igitur toto die assidue esset progressum, tandem sub noctem Sarnetium est deuentum, quod oppidum sub huius belli initium, dum inferior pars Engadinensis vallis exuritur, conflagrarat. Quod si paulisper esset cessatum, in magnum discrimen vniuersus incidisset exercitus: nam sub eius aduentum incolæ pontem deiicere inceperant, & ni fuisset acceleratum, plane transitus inhibitus fuisset, milites que fame potius, quam gladio periissent. Parumper igitur quieti datum est, & sole nondum orto, rursus iter est continuatum: per altissimum enim montem (quem incolæ *Bufalauram* ob ventorum flatum vehementiorem appellant) erat redeundum. *Bufalaura mons.* Mutati igitur ordines, & agmen illud amissum, quod vniuersum ex veterano constabat milite, omnibus aliis præmissis a tergo sequebatur, hostem ab incursu si inuadere auderet, repulsurum. Magna igitur fame ac sudore sub solis tandem occasum montis huius altissimum superatum est iugum, ac in pacatum deuentum non sine multorum amissione militum;

qui

qui partim inedia, partim vero laboris absumti fuerant magnitudine, siquidem ita famis inualuerat malum, vt milites inter eundum herbas euellerent, & pecorum more deuorarent. Cernere quoque erat quosdam ingenti vi famis mentem perdidisse, ac tanquam rabie percitos plane insanire. Non parum tamen saluti fuit aquæ dulcis copia, quæ per totum iter e montium scaturiens latebris non parum exhausta militum reficiebat corpora. Cæterum nec in pacato fames exsatiata est: quamuis enim Cæsar vndique sub exercitus reditum commeatum adferri iussisset, incuria tamen præfectorum omnia sunt neglecta. Dispersi igitur vndique milites sine ordine & imperio dilabebantur discurrentes, ac cibum, vtcunque poterant quærentes. Sequenti die & ego quoque cum equitibus quatuor, qui me sequebantur ad Cæsaris castra, quæ tum iuxta vicum Pfuntz nomine posita erant, perrexi, acciditque vt inter eundum rusticus quidam mihi obuius fieret, qui vini vas ingens in curru vehebat: substiti igitur vt viderem, quonam pacto milites palantes vinum illud partituri essent. Mox igitur magnus illorum accurrit numerus, ac quidam lanceis vas perforabant, vinumque galeis exceptum hauriebant: alii vero moræ impatientes pyxidum exoneratione vas pertundebant, ita vt vndique merum effunderetur. Hinc irarum, & tumultus initium, qui adeo increuit, vt in eo circiter quinquaginta cæderentur homines, ac plus centum vulnerarentur: etenim non secus, ac si rabie agerentur, inuicem sæuiebant. Et quamuis discerni nequiret, quis amicus, seu inimicus esset, indifferenter tamen mutuis se conficiebant vulneribus ignari, quem quisque peteret. At ego cum tam crudele vidissem spectaculum, dimisso sodalitio, quod super mortuorum adhuc potabat cadaueribus ad Cæsaris tandem castra, inedia & labore tantum non enectus perueni. Cæterum nec ibi res erant quietæ, sed milites ob victus penuriam omni despecto imperio a signis dilabebantur. Id Cæsar videns ad castrum Landeck perrexit, vbi plane ab exercitu est derelictus, quem & festinans coactus est sequi: ita vis famis cunctos vrgebat. Cæterum ne profectio illa fugæ similis videretur, rogatus sum a Cæsareis consiliariis, qui tum ibi substiterant, vt non recta via cæterorum sequerer abitum sed retro conuersus rursus per Arlensem redirem montem: ita enim hostium incursum prohiberi posse existimabant, si illi audirent prouinciam illam haud quaquam omni destitutam esse milite. Parui igitur licet multis circumuentus periculis & difficultatibus, & ne æmulis aliquam calumniandi præstarem occasionem, summo labore ac periculo & machinas, & currus vltra montem traducere curaui altissimum, ac cunctis demum copiis ad oppidum Lindau perueni, quo paucis ante diebus & Cæsar quoque applicuerat. Cæterum etsi existimarem me pretium fecisse operæ, quod Cæsaris paruissem Consiliariis, ac tantum exantlassem laborem, longe tamen res aliter cessit, siquidem Nurenbergensium æmuli me apud Cæsarem criminati fuerant, tanquam milites mei initium fecissent abeundi; licet plane constaret me solum cum copiis, cunctis aliis recedentibus substitisse, ac per Arlensem montem illuc rediisse. Coactus igitur fui palam me coram Cæsare, & multorum conspectu Principum excu- p. 70.
sare, tametsi magis de inimicorum conquererer calumnia, quam falsas diluerem obiectiones, cum & consiliarii quidam præsentes essent, qui precibus etiam reditum meum per Arlensem impetrauerant montem, ac manifesto scirent, cuncta, quæ mihi obiicerentur, vana esse, & a calumniatoribus conficta. Acrius igiter in æmulos sum inuectus, Cæsaremque rogaui, ne de hinc facile talibus hominibus aures præberet, quoniam nullam nec veri nec honesti rationem haberent, petiique, vt si quis me accusare vellet coram prodiret, quo illum palam mendacii, atque calumniæ arguere possem: verum nemo contra hiscere est ausus, sed altum fuit silentium. Cæsar itaque me bono animo esse iussit, asserens se pro comperto habere, nullam mihi huc vsque culpam obiici posse, pergerem itaque quemadmodum cœperam, & ad Belli exitum fortiter perseuerarem. Deinde paucos post dies ad oppidum transiui Vberlingen, quo & Principes, & confœderatorum accesserunt Duces, ibique deliberabant, quid porro esset agendum. Qui igitur rei bellicæ erant periti, suadebant: vt ciuitas aliqua Heluetiorum in plano sita cunctis obsideretur viribus, confestim enim hostes in suorum aduolaturos

Fames magna in exercitu.

Rabies ex fame

Pfunta vicus.

Miles famelicus vini auidus & inter se pro eo dimicans.

Theocritus: Τασσόμενος ἐπιτάσσει.

B. Birk. calumniis æmulorum appetitus ac deformatus Cæsari se purgat.

Deliberatio militaris apud Cæsarem instituta.

turos auxilium, sicque Cæsarianis, qui pyxidum, & equitum præstarent multitudine, occasionem bene gerendæ rei oblatum iri. At qui timidiores erant nequaquam aleæ rem tantam committendam esse censebant; sed suadebant, vti multis pariter in locis hostium lacesseretur regio, quo passim eorum viribus distractis, assiduis ipsi delassarentur incursionibus, sic enim fore vt facilius ad pacis se inclinarent conditiones, & imperata facere haud recusarent. Cæterum ad hoc peragendum longe maioribus opus esse copiis asserebant, necesse igitur esse, vt Cæsareo edicto subsidium tam ab Imperii Principibus, quam ciuitatibus accerseretur. Quæ sententia quoque vicit: & ego a Cæsare iussus sum, vt vltra literas ac mandatum eius ad senatum scriberem Nurenbergensem, ostenderemque & negotii magnitudinem, ac necessitatem exigere, ne vllo modo iussa negligeret, sed quanto citius posset, mitteret supplementum. Deinde Cæsar cunctis copiis lacum transgressus Constantiam peruenit. Id cum Heluetii intellexissent (nam ab alto & stationibus suis hostilem aduentum cernere poterant) fumi signo suos in auxilium aduocant, qui nihil morati vndique confluebant. Leuia autem quotidie committebantur prælia, cum iam Cæsariani Heluetiorum inuasissent stationes, mox illi reiectis hostibus acrius e tergo instarent, licet ob equitatus timorem nequaquam in plana descenderent, iussit Cæsar præconis voce centum promitti aureos, si quis hostem captiuum adducere posset, quo certior fieret, quid in animo voluerent Heluetii. Sed frustra fuit hoc præconium: nullus enim hostium in Cæsarianorum deuenit potestatem, tametsi assiduo ex stationibus procurrere, ac manus conserere nunquam intermitterent. Interfici ergo potuere, capi nequaquam. Non tamen cadebant multi: & quemadmodum ipsi honestam mortem captiuitati præferebant turpi, ita nemini quoque parcebant, sed indifferenter omnes, qui in manus eorum deueniebant, obtruncabant. Tandem Cæsar cunctis collectis copiis ex Constantia mouit, & in plano ante vrbem tam equestres, quam pedestres instruxit ordines, adiunctis pyxidibus, ac si confestim confligere vellet. Et erat profecto res visu dignissima, tam florentem, & copiosum inspicere peditatum, nec non equitatum ingentem, armis & equis egregie ornatum. Stetere igitur acies, confligere paratæ, si hostis in æquum descenderet: sed is se in alto suis contin[illegible] ordinibus, Cæsarem excipere paratus, si in colles ascendere, & ipsum iniquo loco inuadere auderet. Cum igitur diu ita perseueratum esset, a neutra tamen parte longius moueretur, Cæsar copias iterum Constantiam ducere iussit, ibique aliquot commoratus diebus assidue inuadendi præbebat speciem, quo hostes, quorum copiæ assidue augebantur, detineret, & ne reliquis confœderatis, quos interea adoriri statuerat, auxilio essent, auerteret. Heluetii interim Cæsari scribunt, ac rogant, ne inimicis suis nimiam adhiberet fidem: illos enim nihil aliud agere, quam vt omnem belli culpam in Heluetios reiicerent, cum tamen ipsi cunctorum malorum causa & origo fuissent, inuitos se arma cepisse, quæ & deponere essent parati, si ipse annueret, vt vtriusque partis dissidia, & contentiones, iuris ordine terminarentur, aut amicabili componerentur transactione: certos se esse, si Cæsar sub initium adfuisset, rem nequaquam ad tantam peruenisse contentionem, nec tantum humani sanguinis fuisse effusum: daret igitur operam, vt innata sua bonitate ac mansuetudine discordiæ tollerentur, ac tam ingentibus malis finis aliquis imponeretur; quod si petitiones eorum tam iustas contemnere pergeret, se tam coram Deo quam hominibus obtestari, nequaquam sua stetisse culpa, quominus tanti belli sedaretur tumultus: certos se tamen esse, si humana contemneretur æquitas, diuinum tamen eis haudquaquam defuturum auxilium, cuius quidem rei iampridem euidentissimum ostensũ fuisset indicium; inuitos se libertatem a maioribus acceptam armis defendere coactos, nequaquam tamen sibi ipsis, si vltra vrgerentur, defuturos, sed vt viros deceret, honestam semper mortem ignominiosæ paci, aut turpi prælaturos seruituti. Ad hæc Cæsar nihil respondit, aut quia literæ istæ apertum hostium timorem arguere, nimiamque pacis cupiditatem ei ostendere viderentur, aut quod arrogantius quam deceret, scriptæ censerentur: existimaretur quoque hostes assiduis vexatos, ac debilitatos incursionibus

Fumi signum.

Prælia inter Cæsarianos & Heluetios. Præconium Cæsareum pollicens præmium pro captiuo Hel.

Maximiliani exercitus pulcherrimus.

Heluetiorum literæ ad Cæsarem.

p. 71.

Cæsar non accepit Heluetiorum literas.

nibus imperium tandem vltro suscepturos, ac iussa inuitos quoque facturos. Stabat puella, quæ literas attulerat in aula (neutra enim pars eo in bello caduceatoribus vtebatur, sed tantum vetulæ quædam, aut puellæ immaturæ internunciorum fungebantur officio) responsionem expectans. Hanc regii quidam Satellites compellantes interrogabant. Quidnam Heluetii in statione agerent? At illa, *Nonne palam cernitis*, ait, *vestram eos respectare inuasionem.* Cumque sciscitarentur: Quot numero essent? *Quot satis sunt*, respondit, *pro incursionibus vestris repellendis.* Sed cum illi acrius instarent, vt numerum eorum recenseret; *Ni fallor*, inquit, *in conflictu ante huius vrbis portas nuper commisso eos numerare potuistis, ni fuga oculos vestros excæcasset.* Sed nunquid (intulere) quod comedant, habent? at illa rursus, *Quo pacto, nisi manducarent & biberent, viuere possent?* Talia cum non sine risu a circumstantibus excepta essent, quidam vt puellam perterreret, minatus est, se illi caput detruncaturum, iamque manum gladio adhibebat. At illa haudquaquam perterrita. *Plane*, inquit, *te virum fortem esse ostendis, dum puellæ tam iuuenculæ mortem inferre minitaris. Atqui, si tanto digladiandi teneris desiderio, cur non in hostiles ruis stationes? inuenies profecto illic virum aliquem, qui confestim tuæ respondeat ferocitati, sed facilius est inermem ac innocentem inuadere puellam quam hosti occurrere armato, & qui non verbis, sed factis rem agere nouit.* Hæc cum non sine iucunditate audirem, puellæ indolem, ac liberam respondendi audaciam sum admiratus. Cæsar autem paulo post cum exercitus parte Lindauium nauigat, iubetque Duces, quos Constantiæ relinquebat, vt assiduis incursionibus Heluetiorum stationes lacesserent, ac irruptionem in Turgeuensem prouinciam simularent, ipse expeditis nauibus eas, quas secum adduxerat copias, lacum superare, ac hostilem terram aggredi mandat. Hanc ob causam & me cum veteranis meis aduocauit. Hæc autem ideo agebat, vt hostium vires vbique distraheret, illosque teneret suspensos, & a mutuo prohiberet auxilio, dum vnusquisque prouinciæ suæ timere cogeretur, ac incertus esset, quonam primo euaderet irruptio. Iusserat autem magnum obiter Curiæ magistrum Comitem de Furstenberg cum equitatu, ac veterano milite a Geldrensi reuocato bello, copiis tamen illis in immensum auctis iuxta Basileam hostilem inuadere terram: ipse milites Lindauium nauibus impositos confestim vento flante secundo vela facere imperat. Inde igitur soluentes magna parte diei per lacus ferebamur vndas, & iam hac in parte, mox alia nos descensuros simulabamus, quo hostem redderemus ancipitem, & ab incursus prohibitione abstraheremus. Tandem vero iuxta oppidum Roschach terram attigimus, e nauibusque egredientes ordines struere cœpimus. Quod hostes, qui illic in præsidio erant, videntes in nos impetum facere, & vi magna rursus ad naues repellere nitebantur, verum quia longe numero erant inferiores (vix enim ducenti erant) non diu viribus nostris resistere poterant, veruntamen haud fuga sibi consuluerunt, sed pertinaciter dimicantes, ac eisdem stantes vestigiis nequaquam inulti cadebant. Prostratis igitur illis ad oppidum Roschach progressi sumus, illoque direpto, ac incenso rursus nos ad naues recepimus: verum dum milites illas ascendere incipiunt, & vnusquisque primus ingredi cupit, sub initium tumultuatum est, mox fuga secuta est aperta, licet hostis nusquam appareret, aut a tergo vrgeret; stabant duces ac tribuni, magna voce milites a fuga reuocantes, se frustra, tanto enim impetu in naues ruebant, vt aliquæ nimio pondere pressæ submergerentur. Id nautæ videntes, quo imminens euitarent periculum, a terra naues subducebant: at milites nihilo secius vndæ se committentes adnatabant, & vt a suis reciperentur precabantur; qui vero natandi erant imperiti aut mergebantur, aut alios corripientes vna submergebant. Veterani tamen milites cum signis suis Duces haud derelinquebant, sed quieti inconsideratam illam, & turpem inspiciebant fugam. Tandem cum timor, ac furor aliquantisper deferbuisset, & ipsi quoque Duces sequuti composite, ac quiete naues ascendere parabant: verum nautæ adeo timore perculsi erant, vt naues haudquaquam terræ admouere auderent, sed in vndis fluctuantes milites aquam ingredi & adnatare hortabantur. Coacti igitur sunt & veterani

Imperterrita puella Heluetica literarum gerula, animosissime militibus responsat.

Egregiam vera laudem.

Comes Furstenbergicus magnus Magister Curiæ Cæsaris.

Stratagema.

Rosach.

p. 72.

rani cum Ducibus se fluctibus committere, acciditque vt qui statura essent breuiori, ac terram pedibus attingere nequirent, natare cogerentur; cæteri vero eminentiores (inter quos & ego eram) ad humeros & mentum vsque immergerentur vndis.

B. Pirkeymeri procera statura.

Quod si hostis vel paucissimo adfuisset numero, & a tergo institisset, ingens profecto clades esset accepta: verum, quia cuncti fere, qui in statione fuerant, ceciderant, & subsidia, quæ sub initium fumi aduocata fuerant signo tardius adueniebant, absque hostium impedimento, sed non sine fugæ nota discessum ac rursus Lindauium est peruentum: ibi enim Cæsar imminentem certaminis exspectabat euentum, præcipue vero de Curiæ magistri inuasione erat solicitus. Postridie orto sole ad Cæsaris accessi aulam, verum secretiorem ædium partem, vbi Cæsar ipse degebat, clausam inueni, magnates autem cuncti foribus oberrabant mussitantes, ac capita sermonis gratia propius conferentes. Id ego cernens haud felicis nuncii indicium esse deprehendi.

Fugger p. 1120. Copiarum Furstenbergicarum numerus.

Collegerat Comes de Furstenberg Cæsaris iussu exercitum quatuordecim millium peditum, equitum vero millium duorum, ac iuxta castrum Dorneck haud longe a Basilea hostilem terram inuadere parabat. Id Heluetii, qui propinquiores erant, Bernenses nempe ac Solodurenses intelligentes suas & ipsi e vestigio copias cogunt, & magna festinatione obuiam ire pergunt quo Cæsarianos a finium inuasione arcere possent.

Basilea tempore belli Heluetici adhuc sub imperio.

At Senatus Basiliensis cum Heluetiorum nouisset apparatum, missis legatis certiorem Comitem reddit (nondum enim Basilea ab imperio defecerat) & vt rebus suis diligenter prouideat, admonet. Verum tantum abfuit, vt Comes admonitionem tam amicabilem boni consuleret, vt legatos etiam cauillis lacesseret, & illis nequaquam tempestiue Heluetiorum obiiceret amicitiam: insigniter hostibus contemptis arcem Dornek oppugnabat, & pyxidibus conquassabat omnibus neglectis stationibus, & custodiis. Id equitum præfecti videntes & ipsi ob tantam negligentiam Comitem, & nimiam reprehendebant confidentiam: ceperant enim eo forte die hominem quendam, qui ex hostili terra Basileam tendebat, illum igitur ad Comitem deducunt, ac hostium consilia, & aduentum aperire iubent. Sed cum is quoque veritatem retulisset, hostesque ea nocte in oppido Liechtstal pernoctasse asseteret, a Comite tanquam mendax, & speculator suspendio perimi est iussus; equites vero abire, & ad castra sua redire compulsi sunt, quæ ipsi maioris commoditatis gratia in villis circumiectis licet remotioribus collocarunt. Abeuntibus equitibus veteranorum Duces ac tribuni Comitem adiere, manifesto ostendentes tantam militaris disciplinæ negligentiam non tam indecentem, quam periculi plenam esse, præcipue cum hostilem arcem oppugnarent, & Heluetii magnis copiis aduentare dicerentur: suadere igitur, vt cum equites ablegasset, pedites saltem in stationibus esse iuberet, singulos enim paratos esse, vt custodiarum curam susciperent, & diligenter obseruarent.

Furstenbergii mira insolentia, & salutarium omnium admonitionum contemptus, ruinæ & cladis præuius.

Verum & hos quoque Comes non sine verborum contumelia abire iussit asserens se, non illos, imperare, & recte quid agendum, quidue omittendum, nosse, quin & cuidam ex illis perfidiam obiecit ac exprobrauit qui aliquando Geldriæ Duci contra Cæsarem militare fuerit ausus, addens illum nondum euasisse, quo minus dignas aliquando ob noxam illam lueret pœnas. Mœsti ergo Duces abeunt, Comitis temeritatem execrantes, ac plane imminentem præuidentes cladem. Quod si Comes rectis, ac prudentibus suorum paruisset monitis, & melius sibi ipsi, & vniuerso consuluisset exercitu: sed ita in fatis erat, vt eius negligentia & contemptu tantum acciperetur incommodum.

Iratus ad pœnam Deus si quos trahit, auferre mentem talibus primum solet.

Quapropter & mens illius
p. 73 adeo fuerat excæcata, vt nec ipse rectum discernere, minus vero sapienter monentibus obsecundare posset: quod quidem toties euenire solet, quoties Deus nimiam hominum superbiam, ac temeritatem punire statuit. Dispersi igitur milites, ac omni reiecta cura aut cœnam parabant, aut depositis armis otiosi obambulabant: & cum nihil minus expectaretur, tum repente hostium agmen duorum fere millium per collem imminentem in castra impetum facit, trucidatisque iis, qui primum occurrerant, reliquos perturbat, ac ingenti conatu inuadit, & vt melius res succederet, fraudem Heluetii subtexerant: etenim pectora rubeis signarant crucibus, tergum

 vero

Stratagema.

vero albis distinxerant signis, sub initium igitur tumultus, is militaris & socialis est existimatus. Verum cum omnes sine discrimine cæderentur, sero tandem hostes adesse est intellectum. Confestim igitur Comes, quo motum illum sedare posset, accurrit, quem & illustres quidam secuti sunt viri; sed antequam quid ageretur, percipere quiret, ab hostili manu confossus occubuit. At veterani quidam perpauci, & inermes fere conglobati hostem repellere, & fortiter se tueri cœperunt. Sed frustra: iam enim agmen aderat magnum, cuius impetu omnis sublata est defensio. Magna igitur veteranorum pars in vestigiis hærens potius honeste mori, quam turpiter terga vertere voluit; cætera manus quocunque euadendi spes pateret, aut minus vrgeret periculum, dispalata in præcipitem abiit fugam: Heluetii vero pertinaciter inhærentes assidue fugientes vulnerare, & occidere haud desinebant, donec clamor ad equitum peruenit castra. Primum igitur Regii corporis custodes (inter quos & Burgundi quidam erant) in fugientium aduolarunt auxilium ac imperterriti magno impetu persequentes inuadunt, sternunt, & perimunt. Id reliqui videntes Heluetii, & ipsi fuga ad suos se recipere cœperunt: verum pauci equitum euaserunt impetum. Interea & reliquus aduenit equitatus, & pedites quidam in ordinem se recepere, semiermes tamen, qui omnes magnum agmen hostium inuadere parabant. Verum cum iam nox instabat, Heluetiique ob equitum timorem & acceptum detrimentum in colles se reciperent, Cæsariani paucitati suæ diffisi, & damnum damno resarcire timentes, indignantes; & præfractam Comitis temeritatem detestantes retro abierunt, & nemine persequente in pacatum tandem deuenerunt. Desiderata sunt in tumultuaria hac pugna Cæsarianorum fere millia quatuor, cecidereque præter Comitem de Furstenberg multi illustres, ac insignes viri, in quorum numero fuit Comes de Pitsch, & Baro de Castelvvardt familiæ illius nouissimus. Heluetii licet interfectorum suorum numerum, vt solent, extenuent, constat tamen illos non minorem, quam Cæsarianos, calamitatem perpessos esse, tametsi pugna superiores euaserint: quod si Comes prudentis Imperatoris officio functus fuisset, magna spes bene gerendæ rei superfuisset. Verum ita diuinæ visum fuit voluntati. Heluetii cæsorum spoliis; ac pyxidibus cunctis potiti tertia tandem die (quemadmodum nacta victoria consueuere) ad propria sunt reuersi. Hæc clades cum Cæsari in oppido Lindauio degenti fuisset nunciata, clausa, vt dictum est, regia, Comitis accusabat imprudentiam ac temeritatem. Vesperi tamen fores rursus patuere, Cæsarque in propatulo cœnauit nullum tristitiæ signum ostendens, quin facta cœna, & cum iam nox ingrueret, ad fenestram quandam concedens, stellasque inspiciens multa de illarum natura & ratione disseruit, adeo vt acceptæ calamitatis plane immemor videretur. Hæc ego cernens, & audiens non paruam felicitatem esse iudicaui, si quis tantorum irreparabilium tamen malorum tam cito obliuisci posset. Postridie Cæsar rursus Constantiam nauigauit, & quamuis ego quoque eadem veherer naui, nullum tamen vnquam perturbationis indicium in Cæsare percipere potui, sed ludo, confabulationibus, & iocis diem illum lætus consumpsit. Interea Gallorum Rex Carolus cum temporis opportunitatem aduenisse putaret, qua iniurias a Mediolanensi Duce Ludouico acceptas vendicare posset (instigante etiam Ludouico Aurelianense Duce, qui postea illi in regno successit, nam is Mediolani Ducatum hereditario iure ad se pertinere prætendebat) animo voluere cœpit, quo pacto Mediolanensem e principatu eiicere, & vniuerso spoliare posset dominio. Missis igitur legatis cum Heluetiis pepigit, illosque confestim pecuniis, commeatu, & machinis adiuuit bellicis, existimans Cæsarem Heluetico bello implicatum Mediolanensi suppetias ferre haud posse. Id Mediolanensis intelligens, euestigio & ipse legatos suos misit, qui cum Heluetiis de societate agerent, & concordia. Sed Heluetiorum animis Gallico fœdere, & beneficiis præoccupatis, res frustra est tentata: obiiciebaturque Mediolanensi, quod Cæsarem pecuniis & commeatu iuuisset, cum nihilominus Cæsar indignaretur, quod Mediolanensis nequaquam promissa obseruasset. Legati igitur re infecta abire sunt coacti. Verum cum Mediolanensis Gallum copias

Furstenbergius trucidatus.

Cæsarianorum clades in pugna tumultuaria.

Mores patrio victor per triduum in campo commoratur.

Cæsaris magnanimitas etiam in calamitatibus.

Rerum irrecuperabilium optima est obliuio.

De Gallorum Rege, & Ludouico Sfortia Duce Mediolani.

Vide supra. p. 74.

pias colligere, & apertum bellum machinari videret, rursus Heluetiorum animos per legatos tentare cœpit, promittens, si eum a Galli defenderent iniuriis, & stipendium largissimum, & contracti cum Cæsare belli dissolutionem honestam. Id Heluetii audientes paulatim aures legatis præbere cœperunt, iam enim pacis tenebantur desiderio & eos tam longi ac periculosi belli mora tædere cœperat. Quod cum Gallus percepisset, rursus legatos ad Heluetios mittit, spondens se priora fœdera rata habiturum. ac insuper, si permitterent, cum Cæsare de pace acturum; nam plane se sperare rem ad optatum deduci posse exitum, decere enim Regem Christianissimum omnem opem adhibere, vt maiorem sanguinis effusionem prohibere posset: orare igitur, vt sibi potius quam Mediolanensi pacis permitteretur conciliatio, ad quam stabiliendam nulla alia caussa, quam vera impelleretur beneuolentia, qua perpetuo Heluetiorum gentem fuisset prosecutus, cum Mediolanensis semper perfidus fuisset, in nullaque vnquam societate stabilis permansisset amicus, quin ne nunc quidem Heluetiorum curam gerere, sed potius solito more simulare, & proprii commodi gratia reconciliationem hanc tentare.

Ludouicus Sfortia perfidiæ insimulatus.

Hæc & multa alia cum Heluetii audiuissent, nec ignari essent, quid vtramque partem ad tam amicabilem oblationem impelleret, gratias tamen vtrisque egerunt ostendentes se inuitos, & citra vllam præstitam causam ad tanti belli molem pertractos esse, & licet multis huc vsque affecti essent incommodis, pacem tamen longe se bello præferre, quam ne nunc quidem respuerent, dummodo illata eis damna, vt iustum esset, resarcirentur, discordiarumque fomites honestis, ac Heluetiorum gente dignis tollerentur conditionibus; sin minus, haud longis opus esse ambagibus; nondum enim eos suscepti adeo pœnitere belli, vt ignominiosam pacem iustissimo præferre possent, aut vellent certamini, donec arma manibus tenere, & libertatem a maioribus eorum partam sanguinis sui effusione defendere valerent. Hæc cum legati audiuissent, bene eos sperare iusserunt, moxque eorum consensu ad Cæsarem de pace acturi perrexere. At ille legatis auditis, Gallo ob multiplices caussas concordiæ tractationem denegauit; Mediolanensi vero quibusdam conditionibus morem gessit, qui confestim diem & locum Scafusii constituit, quo ambæ partes conuenere, ac eius intercessione de soluendo bello agere sunt rogatæ. Verum interuenientibus quibusdam causis locus postea Basileam est transmutatus. Cæterum nihilominus Heluetii, aut quia aduersariis timorem incutere quærebant, aut quia ita necessitas exigebat, Gallorum Regem ex fœderis forma admonent, vt eis pyxides, & tormenta cum Magistris, globis, puluere sulphureo, ac reliquis quamprimum mitteret necessariis. Qui nihil moratus confestim cuncta expedire, ac magnis expensis Sulotutrim deferre iussit. At Cæsar, ne & ipse interim desideret, exercitus partem in Hegeuensem misit prouinciam, mox & ipse est secutus: assiduis enim precibus Hegauensium molestabatur, vt acceptam eorum iniuriam vindicaret. Diuisis igitur copiis, quid fieri vellet, ostendit. Ipse vero vltra progressus est, quo & Basileæ appropinquaret, & quotidie de singulis, quæ ibi agerentur, fieri posset certior, nec non Reginæ, quæ ex Germania Inferiore aduentabat, occurreret, quam mox in oppido Villingen perquam honorifice excepit, familiariterque per dies aliquot cum illa est conuersatus.

Cæsar Reginam ex inferiori Germania venientem excepit singulari cum lætitia.

Et quia Danubius fluuius non procul inde in villa haud magna Doneschingen nomine e colle quodam medio iuxta limpidissimæ aquæ scaturiginem ingenti oritur fonte, Cæsar cum Regina sub tentoriis iuxta scaturiginem positis magnificum celebrauit conuiuium. Ibi & choreis, & multiplicibus indultum est voluptatibus, perinde ac tam celebris amnis origo iucundo illo & celebri honoraretur conuentu. Deinde superata sylua nigra vna cum Regina Friburgum est progressus, meque vt illum relictis copiis meis sequerer, iussit, deliberaturus quo in loco me cum subsidio, quod iam e Nurenberga veniebat, constitueret, donec Basileæ transactum esset.

Schwartzwald.

B. Pirk. iussus sequitur Cæsarem.

Interea copiæ in Hegauensi prouincia relictæ hosticum ingressi sunt agrum, equitesque discurrentes vndique ferro, & igne sunt grassati, pedites vero in stationibus oportunis sunt relicti, vt cum eorum opus
p. 75. esset auxilio faciliter accersiri possent. Interim ad villam quandam est deuentum,

in qua Ecclesia magna cum turri fortissima erat ædificata, ad hanc rusticana manus confugerat, ac pyxidum iactu egregie se tuebatur: equites vero turpe existimantes ob turris huius expugnationem pedites aduocare, descensis equis illam sunt adorti. Verum multis acceptis vulneribus repulsi sunt, & licet fores trabium impulsu fregissent, turris tamen superne vi est defensa ingenti, donec vas sulphureo puluere repletum, turrique subiectum & incensum, ita propugnantes dirupta turri in altum expulisset, vt auium instar per aerem volare viderentur, ac tandem ingenti ruina in terram deciderent. Interea dum fugientium clamor ad oppidum Scaphausen peruenisset, fumusque & incensarum villarum ignis hostes adesse significaret, cum octingentis fere peditibus Scaphusenses sunt egressi, vt & suis opem ferre, hostesque ab effusiore populatione arcere possent. At equites cum illorum percepissent aduentum, collocatis insidiis eos excipere, & multitudinem suam, qua longe præstabant, celare satagebant. At illi haud temere insequendum censentes in loco tuto, & vndique lacunis munito se continebant. Equites igitur cum diu laborassent, vt hostes in æquum elicerent, frustra tamen se niti cernentes misso nuncio pedites, qui tota fere die in acie steterant, redire iusserunt, ipsi vero villas, quæ supererant, incendio vastarunt. At Scafhusenses cum a longe per eminentes colles viderent discessum contemptis equitibus in planum sunt progressi, & licet numero essent inferiores, illis tamen pugnandi copiam fecere, & equites cum illis congredi non ausi vndique vociferantes discurrebant, & hic hostes aggrediendos esse clamabat, alius vero pedites reuocandos vociferabat, erantque omnia tumultus, & clamoris plena, cum interim tamen nemo gradum promouere, aut confligere auderet. Stetere igitur Schafhusenses non sine magna equitum ignominia ad pugnam parati, illi vero timore perculsi peditum expectabant aduentum, quo illorum auxilio hostes aggredi, & profligare possent. Tandem vero cum nox adueniret, nec pedites diu desiderati adessent cum magna indignatione discessere, omnem culpam in equites reiicientes, & vt facilius propriam tegere possent ignauiam, confestim ad Cæsarem, & eos, qui in aula pollebant, ex suis quendam mittunt, qui infensissimis verbis, pedites accusaret, quæ reuocati parere noluissent, quod rei bene gerendæ occasionem tam turpiter e manibus demisissent, & vniuersos incusaret pedites, præcipue tamen in Nurenbergenses inuehebatur asserens illos clam cum hostibus sentire, & nihil magis, quam Cæsaris damnum, & ignominiam exoptare. Magnus igitur rumor in aula est exortus, peditesque omni conuitiorum genere sunt conscissi. Hoc cum audiuissem, Cæsarem audiui, & rogaui, ne temere rumoribus istis fidem adhiberet, sed quemadmodum huc vsque fecisset, rem diligenter exploraret, sicque deinde inter pedites & equites recte discerneret, haud enim decere, vt inauditi condemnarentur: quantum vero ad Nurenbergenses pertineret, relictos apud eos ostendi contubernalem illum meum Iohannem de Beirsdorff, ac tribunos multis ei cognitos annis homines rei bellicæ peritissimos, & qui nihil magis, quam honorem & commodum eius defenderent, ac ideo me haud dubitare, quin optimam rerum gestarum rationem reddere possent. At Cæsar me quiescere iussit, donec plane res esset comperta, ac tum se æquum iudicem fore promisit, subridens obiter, vt facile animus eius cognosci posset: non enim ignarus erat, quid sibi de equitatu illo præcipue Franconico polliceri quiret. Ipse paulo post Neuburgum est profectus, oppidum a præterfluentis Rheni impetu fere absorptum, quo longe a Basilea abesset, & facile quid ibi ageretur, posset percipere. Fiebant interea nihilominus excursiones quotidianæ, multaque prælia tumultuaria committebantur, in quibus iam illi mox alii aut vincebant, aut superabantur, sæpiusque Heluetii insulam Bregentini lacus, quam *Richenavv* appellant, occupare sunt adnisi: verum semper a præsidio, quod eo loci excubabat, viriliter sunt reiecti. Cæterum de pace facienda res in longum procedebat, cum vtraque pars conditiones alteri intolerabiles proponeret, ac vtrinque damna accepta resarciri peterentur. Et licet Mediolanensis legatus omnem adhiberet operam, vt tam immane sedaretur bellum, incassum tamen omnis labor consumebatur: vtraque

Ecclesia & turris disturbatur.

B. Pirckeymer Nurenbergenses apud Cæsarem contra calumnias obtrectatorum defendit secunda vice.

Diues Augia.

que enim pars haudquaquam se suscepti belli pœnitere asserebat, sed in peruicacia sua quasi obstinata perdurabat. Interea Cæsar Friburgum est regressus, cui ego cum Nurenbergensium copiis (iam enim supplementum aduenerat) occurri, instructamque aciem quadratam octingentorum peditum iunctis equitibus ac tormentis oculis eius subieci. At ipse obequitans, & cuncta contemplans non parum ornatis oblectatus est copiis. Etenim cum omnes eodem ac rubeo amicti erant colore, ac splendidis muniti armis, telisque instructi aptissimis, longe quoque maiorem præ se ferebant numerum: maxime vero pyxides maiores, quæ decem numero erant, Cæsari placuere, & quod eum exoneratione tormentorum delectari sciebam, ad iaculandi certamen inuitaui. At ille nihil moratus confestim ex equo descendit, & maiori inter reliquas pyxide ad scopum directa iactus certitudine omnes tormentorum superauit magistros, quam ob rem non paruo gaudio perfundi est visus. Hanc opportunitatem peditum tribunus ac centuriones nacti, illum aggressi sunt, & obiecta diluerunt crimina, ostendentes hæc omnia ab inimicis, vt propriam excusare possent ignauiam, esse conficta; orare igitur, ne temere fidem calumniis adhiberet, sed diligenter rem, vt gesta erat, perscrutaretur. At tribunus ipse longe acerbioribus verbis causam suorum egit: *Maxime,* inquit, *Cæsar quinquaginta iam sunt anni, cum primum militare cœpi, ex quibus vltra triginta (vt tu optime nosti) sub sacris tuis consumpti sunt auspiciis. Hoc toto tempore nulla vnquam existimationi meæ nota fuit inusta: sed semper & cum priuatus essem miles, & cum honestissimos ducerem ordines, ita me gessi, vt & laudem & gloriam non vanam sæpissime sim consecutus. Cuius rei te optimum habeo testem, a quo toties tam in Gallicis & Vngaricis, quam bellis Germanicis a tua pietate publice sum laudatus, ac militaribus donis longissime honestatus. Soli nunc æmuli non tam mei, quam Reipubl. Nurenbergensis famam meam, ac commilitonum denigrare quærunt, nulla mea, aut Nurenbergensium culpa, sed vt propriam ignauiam aliena innocentia contegere possint. Accusant nos, quod cum hoste congredi noluerimus, cum tamen is pugnandi potestatem haud fecerit: tamdiu enim in acie stetimus, donec ipsi nos ad castra redire iussere. Sed reuocati, vt aiunt, parere noluimus. Verum ostendant, qui nos vnquam reuocarint, aut reuerti iusserint: & si illud fuerit comprobatum, nullam recusamus ignominiam, aut pœnæ notam, quamuis si etiam reuersi fuissemus, hostes tamen aduentum nostrum per colles altissimos, per quos transeundum, facile percipere potuissent, ac prius se in tutum recepissent, quam nos illac peruenire valuissemus. Verum cur non potius, postquam nostrum accusant timorem, propriam vero extollunt audaciam, ipsi sine nobis cum hoste sunt congressi, equites cum peditibus, plures cum paucioribus, nobiles cum rusticis, vt illos appellant? præcipue cum ille in planum prodiret, ac pugnandi faceret copiam. Verum illi iidem sunt, qui & antea hostes ab Storacensi obsidione digressos in campis etiam latissimis adeptos aggredi non sunt ausi: illi sunt, qui nullum vnquam virtutis exhibuere specimen. Et tamen (si Diis placet) aliorum famam denigrare contendunt, quoniam propriam ignauiam haud aliter, quam innocentum calumnia palliare queunt. Cæterum ne longius rem producam, breuiter assero, cunctos, qui nobis tam turpem timoris notam inurere sunt ausi, peruersissime esse mentitos, sat scio, quosdam hic præsentes esse, qui technæ, aut fraudis huius fuere participes. Prodeant in apertum, & ni eos tam verbis, quam manibus de mendacio conuicero impudentissimo, vltimum subire non recuso discrimen. Verum non solent palam rem agere, sed quemadmodum aperto Marte cum hostibus congredi non audent, ita non nisi clam, & tanquam cuniculis quibusdam occultis innocentum famam expugnare nunquam desinunt, solum vana nobilitate, & equestri militia gloriosi, cum tamen vix gregariis, nedum veteranis militibus virtute æquari possint. Cœterum quam paratam nos omnes operam, debitamque Maiestati tuæ obedientiam præcipue in hoc bello præstiterimus, tu ipse nobis testis es optimus. Quemadmodum igitur ad finem vsque strenue perdurare, & nec vitæ, nec sanguini nostro ob tuum honorem, & gloriam parcere sumus parati, ita pietatem tuam obnixe rogamus, ne æmulis nostris fidem prius adhibere velis, quam manifestam veritatem plane didiceris. Hæc vt nobis erunt gratissima, ita maxime tuam decent Maiestatem.*

p.76

Aduentus nouarum copiarum Noricarum.

Maximilianus Cæsar a Pirk. ad iaculandi certamen inuitatus omnes vincit magistros pyxidum.

Apologia tribuni milit. Nurenbergens. ad Cæsarem.

ſtatem. Hæc cum illo magna voce, in magnoque Principum ac optimatum equis inſidentium corona peroraſſet, ac plerique inſidiarum etiam adeſſent artifices, nemo tamen vocem emiſit, ſed altum fuit ſilentium. At Cæſar non ſolum benigne noſtram excepit excuſationem, ſed etiam honorificis admonuit verbis, vt quemadmodum cœperamus, ita etiam ad finem vsque ſtrenue perduraremus, meque ac contubernalem meum Equitem auratum de Beiersdorff inſignibus equorum donauit tegumentis, & vt ad oppidum Lauffenburg pergeremus iuſſit, ac illud, ſi neceſſitas ingrueret, fortiter tueremur, eſt hortatus. Certior enim factus fuerat, Heluetios, ſi pax minus procederet, confeſtim illud Gallicis tormentis inuaſuros, ac ideo valido illud præſidio munire conſtituit. A Cæſare igitur digreſſi, ac ſub tentoriis pernoctantes, ad oſtenſum nos expediebamus iter, non tam læti, quod ille adeo benigne noſtram accepiſſet excuſationem, quam quod a timidiſſimis ac perfidiſſimis illis diuelleremur equitibus, qui nihil aliud agebant, quam vt aſſiduas nobis ſtruerent inſi- p.77.
dias, talesque contra nos concitabant ſeditiones, vt longe minus hoſtilis nobis metuenda eſſet inuaſio, quam commilitonum noſtrorum perturbatio. Per Neuburgum igitur ducentes Baſileam compoſitis prætergreſſi ſumus ordinibus. Hinc ad Rheinfeldum applicuimus, ac tandem oppidum ingreſſi ſumus Lauffenberg, vbi commeatus magnam copiam, ac iuſto nacti ſumus pretio. Milites igitur multis laboribus defeſſos, longisque, ac difficillimis debilitatos & attritos itineribus abunde refeci, & reſtauraui, ibique ad exitum belli vsque perduraui, quotidie hoſtilem obſidionem, & Gallicorum tormentorum expectans inuaſionem, quam tot inſtructus machinis, ac militibus, præcipue pyxidiferis, munitus ſummopere exoptaui, vt liqueret quid Gallorum poſſet iactantia, qui Heluetiis trium horarum ſpatio murorum promiſerant deiectionem. Interea Gallorum Rex Heluetiorum militum, qui quotidie ad illum confluebant, auxilio, Ludouicum Ducem ex vniuerſo Mediolanenſi eiecit ſtatu. Id cum Legatus eius percepiſſet, rurſus magno conatu de pacis conditionibus agere cœpit, ac vtriusque partis legatos ingentibus ſibi obnoxios reddit muneribus, quo promptius illorum opera ad pacem conciliandam vti poſſet: ac nihilominus tam Cæſari, quam Heluetiis immenſas promiſit pecunias, quo damna vtrinque illata Mediolanenſi reſarcirentur pecunia, compoſitis enim rebus futurum Ludouicus ſperabat, vt cum Cæſaris, tum Heluetiorum armis in priſtinum reſtitueretur ſtatum, ac ideo nullis parcebat largitionibus, quo voti compos euadere poſſet. Verum quam fuerit ſpe illa deceptus, poſteriora manifeſte oſtenderunt tempora. Interim dum tam ſolicite de pace agitur, præſes (vt vocant) Syluæ nigræ, precibus me aggreſſus eſt, ac rogauit, vt ei auxilium contra ruſticos quosdam, qui a Comitibus de Sulz defecerant, præſtarem, habere enim in animo Cæſaris nomine vindictam ab illis exigere. Id illi haud grauate permiſi. Iunctis igitur copiis quatuor millium peditum, equitum vero ducentorum in prouinciam *Klekau* nomine irrupimus, ac repentino aduentu multos oppreſſimus mortales. At reliqui ad Eccleſias confugerant munitas, ibique de vindicandis precio villis ab ignis iniuria agere cœperunt, iamque fere tranſactum, & de pecuniæ conuentum erat ſumma, cum præſes omnes eas pecunias in proprium vſum conuertere ſtudebat. Qua iniuria milites irritati paſſim diſcurrentes omnia ferebant, & agebant, villasque iniecto igne concremabant; eſtque temporis fere momento tota illa prouincia culta admodum & amœna euaſtata. Id præſes cernens magna commotus eſt indignatione, ſiquidem arbitrabatur non minus ſe detrimentum, quam hoſtes damnum ſuſtinere, ac ideo milites acrius corripere cœpit. At illi impetu facto illum inuadere parabant, & ni ego equitum interceſſione tumultum hunc compreſſiſſem, procul dubio homini ob auaritiam tam intempeſtiuam manus intuliſſent: cedere tamen coactus eſt, & vitam celeri ſeruare fuga, egoque rurſus cum copiis Lauffenbergam ſum regreſſus. Inde cum paucis equitibus Baſileam ſum profectus, vt quidnam de pace ageretur, coram percipere, & de copiis meis aut dimittendis, aut retinendis deliberare poſſem. Poſt biduum igitur, quum illuc perueniſſem, pax talibus firmata eſt conditionibus,

Cæſar &c acceperit defenſionem.

B. Pirkeym. Lauffenbergam cum copiis ſuis venit belli expectans exitum.

Dux Mediolanenſis ditione per Gallum exuitur.

B. Pirkeymer præſidi ſiluæ Nigræ auxilium contra ruſticos inobedientes fert. Cloggau.

Auaritia intempeſtiua decipit ſapientiam.

Pacificatio Baſileæ facta.

vt illam vtraque pars non solum sibi vtilem, sed etiam admodum honestam censeret. Nec mirum, cum Mediolanensis legatus non tam durissima hominum corda fuluo, ac mollissimo deliniuerat auro, quam discordias cunctas magnis vtrinque sopierat largitionibus: eam enim vnicam viam esse censebat, per quam Dux ad statum suum redire posset. Verum quia Heluetiis promissum aurum totum nequaquam parata pecunia exsolui poterat, ipsi vero nec verbis, nec literis confidere vellent, sed sponsores exigerent, cum Constantiensibus actum est, vt illi Iurisdictionem, quam vocant, prouincialem Turgeuensium, quam tum vsurpabant, Heluetiis pro viginti aureorum millibus pignoris loco assignarent, donec summa illa, esset soluta. Constantienses igitur vt Cæsari gratificarentur, & quia Mediolanensis legatus confestim postquam domum reuersus esset, pignus se soluturum spondebat, præbuere assensum non solum Cæsaris beneuolentiam, sed Ducis liberalitatem ac dona ingentia inde sperantes, & expectantes. Verum, quia paulo post Dux Ludouicus captus, & in Galliam abductus est, pecunia illa insoluta remansit. Quapropter Constantienses iurisdictione illa omnino sunt priuati, eamque Heluetii in præsentem vsque p. 78. vsurpant diem, non sine magno Constantiensium detrimento ac iactura. Sequenti die vtriusque partis legati ad maiorem conuenere Ecclesiam, vbi publice ob confectam pacem Deo gratiæ sunt actæ. Verum dum sacris opera impenditur, subito in multis locis circumiectis fumus obscurus emergere cœpit, quem mox & flamma secuta est clara, ita vt eodem momento cuncta igne relucerent. Ad tam fœdum igitur spectaculum tota fere ciuitas concurrit, ac ex edito loco, in quo templum situm erat, incendium prospectauit, siquidem equites qui apud Rheinfeldium in præsidio erant, Rhenum transgressi omnia ferro, ac igne vastabant, Heluetiis, ob pacis tractationem negligentius agentibus, nec vllam expectantibus inuasionem. Populus igitur Basiliensis indignatione permotus ad arma conclamat, quibus acceptis ad muniтiora vrbis loca, præcipue vero Rheni pontem veloci cursu deuolat, omnia strepitu ac clamore implens, ignorans obiter quid ageret, quoue iret, donec magistratus tumultum hunc tam temere ortum compesceret, qui profecto tam Cæsaris legatis, quam mihi ipsi non paruum timorem incussit, cum multæ palam voces exaudirentur cohortantes, vt cuncti Cæsariani obtruncarentur. Et hic clamor manifestum præ se tulit indicium defectionis ab imperio, quæ mox est sequuta.

Mediolanensis largitionibus agit.

Ferrea corda virum molli inflectuntur ab auro.

Turgouia oppignorata Heluetiis.

Mediolanensis captus in Galliam abducitur.

Tumultus in ipsam incidens pacificationem.

Basiliensis plebis voces seditiosæ, & defectionem præsagientes.

Postridie ad Lauffenbergium sum regressus, mecumque perrexit legatus Mediolanensis Galeatius vice Comes, cum quo mihi prius amicitia intercesserat. Cumque Lauffenbergium venissem, copias militares eduxi, & in conspectum eius subieci, quibus visis lætatus est, & rogare cœpit, vt cum illis in subsidium Ducis sui properarem. Cui ego respondi, *haud decere me, vt inconsulta Nurembergensi Republ. alienis me implicarem negotiis.* Hoc tamen illi tum dedi consilium, cuius & postea sæpe memor fuit, ne nimium fideret Heluetiis, quorum fides illi nondum esset comperta. Hoc igitur modo tam funestum bellum est finitum cum vtriusque partis calamitatibus haud paruis, nec non amissione multorum ac optimorum militum, cum interim nihil alterutris accederet, quam quod ante discordiarum possiderant initium. Verum vt postea compertum est, si bellum longius fuisset protractum, Heluetii nequaquam perdurare valuissent: antea enim alienis soliti erant militare stipendiis, in hoc vero certamine vnusquisque propriis expensis in militiam exire cogebatur: quod illis videbatur durissimum, & hanc ob causam milites quotidie a signis dilabebantur, & ad Gallorum confugiebant Regem. Accedebat præterea frumenti inopia magna, sed præcipue salis penuria intoleranda: nam Heluetiorum iumenta ob nimis pinguia ac læta pascua multis obnoxia sunt morbis, nisi quotidie illis large salis subueniatur remedio. Ex Gallia igitur, cum ex Germania negaretur, saltem aduehere tentarunt: sed illud armenta penitus respuebant vtpote ex aqua confectum marina, licet iterum vnda dilutum, & igne esset concretum. Tandem vero fortuna, vel Mediolanensis Ducis infortunium talem illis obtulit belli exitum, qualem illi ne sperare quidem fuissent ausi. Magnam tamen veræ virtutis & rei militaris obtinuere

B. Pirk. fines mandati recusat excedere.

Epilogus.

Heluetii libentius alienis, quam propriis militant stipendiis.

Salis penuria laborant, quo tamen ob sua armenta non facile carere possunt.

Laus Heluetiorum. Virtus nimirum est ipso quoque in hoste proban[dus].

existimationem, cum nihil temere aut inconsulte agerent, sed in omnibus virtuti plurimum, fortunæ autem minimum tribuerent; præcipue vero Imperio & iussis Ducum obtemperarent, ita vt nec consilia factis, nec facta indigerent consiliis. Id si Cæsariani fecissent, procul dubio egregiam reportassent victoriam, cum non solum peditum numero essent superiores, sed & equitatu florentissimo instructi, ac in cunctis aliis, quæ ad bellicum pertinerent apparatum, longe præstarent, animi autem virtute cederent minime: verum dum nimiam audaciam maturis præferunt consiliis, talem sensere euentum, qualem contemptus & nimia parere solet temeritas.

Sapienter & grauiter.

Cæterum videntur Heluetii in hoc bello quasi nouissimum virtutis suæ præbuisse specimen: nam quæ deinde ad hæc vsque egere tempora, nequaqam cum ipsorum conueniunt initiis. Sed ita in rebus euenire solet humanis, vt humilia incrementa fastus tandem & superbia etiam sequantur, quibus mox auaritia & omne genus vitiorum associatur, ita vt nihil demum turpe censeatur, aut inhonestum, quam quod lucro caret, aut propriæ libidini minus satisfacere videtur. Heluetii etenim nequaquam tot Mediolanensis Ducis permoti beneficiis, paulo post non solum illum turpissime deseruere, sed etiam Gallis prodidere, seu potius auri fame illecti non tantum in ignominiam propriam, sed in perpetuam vniuersæ Germanicæ nationis contumeliam, quæ ob tam nefandum in Germanorum hominum commercium pessime apud exteras nationes audire cogitur; cuius profecto sceleris sæpius postea manifestas dedere pœnas. Nam semel atque iterum in Regno Neapolitano cæsi, & profligati sunt: mox & in Regno Nauarræ cum Gallis militarent: Deinde orto inter eos, & Gallos dissidio de Mediolanensi Ducatu magna clade Germanorum auxiliis superati, & in fugam sunt coniecti, quasi Duci in eisdem campis ob commissa parentarent facinora. Deinde cum rursus cum Gallis in gratiam rediissent, ac Gallorum Rege in Papiense obsidione capto, iterum turpiter victi & cæsi sunt. Verum ego hæc aliis scribenda relinquo, postquam ad exitum perduxi, quæ sub initium constitueram.


Iudicium de Heluetiis in negotio Sfortiano.

Iosias Simlerus factum lib. 1. de Repub. Heluet. secus narrat, quem inspice.

Finito bello ego copias meas Friburgum perduxi, ibique soluto stipendio Nurembergam eos remisi, quo & ego paulo post cum equitibus perueni, vbi rerum omnium ratione reddita ob operam diligenter nauatam publice sum laudatus, ac honoris ergo insigni aurea patera a Senatu Nurenbergensi donatus. Quem etiam honorem postea Cæsaris auxere literæ, quibus Nurenbergenses ob tam prompte missum commendauit auxilium, siquidem in eis mei tanquam præfecti perquam honorificam fecit mentionem, ac me postea semper summa prosequutus est benignitate, ac clementia, ita vt etiam nec ambientem, nec petentem in Consiliariorum suorum legerit numerum: quod quidem non tam in meam redundauit vtilitatem, aut honorem, quam in publicum Nurenbergensium commodum, & salutem. Quotiescunque enim deinde publico nomine ad illum fui legatus, semper & benigne sum auditus, & perquam clementer dimissus, aliquoties etiam honorificis muneribus donatus. Quem etiam honorem nepos eius piissimus, ac maximus Cæsar Carolus, qui nunc imperat, non solum continuauit, sed & vltra, ac propria sponte auxit & amplificauit, multisque aliis immunitatibus, & præeminentiis me decorauit.

B. Pirck. Norinbergam reuersus rationes reddit Senatui, & tam a Cæsare quam a Repub. sua ob rem præclare gestam collaudatur, ac muneratur.

Fit Consiliarius Maximiliani I & Caroli V. non sine patriæ suæ vtilitate.



IO.

IO. IACOBI GHILINI
DE
CAESARIS ADVENTV IN ITALIAM HISTORIA.

LECTORI SALVTEM!

BURCARD GOTTHELF STRUVE.



X celebri olim apud Italos familia oriundus Io. Iacobus Ghilinus, qui Consiliarius erat Status Io. Galeatii & Ludouici Sfortiæ, Ducum Mediolani. * *Auctor iste est, huius, quam exhibemus Historiæ. Licet enim Camillo Ghilino, Io. Iacobi filio, eandem tribuerat Freherus, vix tamen est, vt ipsi accedamus, cum ex præfatione Fabricii Ghilini satis clare pateat, ipsum hoc inter patris superiorum temporum scripta reperisse. Immo, nec Hieronymus Ghilinus, nec Iouius,* ** *quibus Camilli elogium debemus, vllam de hac historia faciunt mentionem. Describitur in hoc libello, qua ratione Itali Maximilianum contra Gallorum Regem Carolum VIII in Italiam vocauerint. Caussam aduentus breuiter exponit Heuterus, dicens:* erat hoc tempore Cæsar in ditione Mediolanensi, sociorum cogens exercitum. Euocarant eum in Italiam Ludouicus Sfortia, Veneti, ac Papa Alexander Sextus, vt Carolo Francorum Regi auxilio Florentinorum in Italia bellum renouanti, obuiam iret. Sfortia cum vxore insignique comitatu Bormium vsque ad Abduæ fontes, in extrema Italiæ ora situm, Cæsari, qui ad Malzium Pagum peruenerat, in occursum proficiscitur; coramque cum eo transigens, ingenti numerata pecuniæ summa, Mediolanum rediit. Nactus erat Cæsar apud Italos, ob res fortiter ac feliciter in Austria contra Hungaros, & apud Belgas contra Francos gestas, ingentem bellicæ virtutis opinionem, eiusque ductu facile Francos se Italia depulsuros, eorumque fautores in ordinem redacturos, & ex vtriusque ruina limites se suos amplificaturos confidebant. Cæsar hac apud Italos innixus fama, ingentia ab iis munera, veteraque Imperatoribus a Ciuitatibus conferri solita exspectabat tributa, aureamque a Romanorum Pontifice sperabat Imperii coronam. *Agit de eadem Gerhardus a Roo,* **** *Io. Baptista Villanouanus,* ***** *Ludouicus Cauitellius* ****** & *Fuggerus* ******* *Adnexa est Eiusdem Telinæ Vallis ac Larii lacus descriptio, quam etiam Tomo Tertio Thesauri Antiquitatum Italicarum inseruit Græuius.* ******** *Eundem Larium Lacum sigillatim descripsit Paulus Iouius.* *********

---

* Sic eum in vita Camilli Ghilini vocat Girol. Ghilini *Teatro d' huomini Letterati p. 35.*

** *elog. vir. doct. n. CXXXII.*

*** *Rer. Austr. lib. V c. V.*

**** *lib. XI p. 533.*

***** *in Laudis Pompeiæ Historia lib. IV p. 929.*

****** *Annal. Cremon. ad a. 1497.*

******* *lib. VI c. I. p. 1101.*

******** *p. poster. p. 1203.*

********* extat in Italia illustrata *p. 393.*

DE

p. 80. DE

MAXIMILIANI CAES.

IN ITALIAM ADVENTV, ANNO MCCCCXCVII.

CAMILLI GILINI MEDIOLANENSIS COMMENTARIOLVS.

INCOMPARABILIS VIRTVTIS PRINCIPI, BERNHARDINO CARVAIAL, EPISCOPO SABINENSI, ET CARDINALI S. CRVCIS, FABRICIVS GILINVS DOMINO SVO.



RBITROR neminem vitio mihi daturum, si in prima ætate, cum nullus adhuc in me liberalium disciplinarum fructus appareat, ausus sum coram te verba facere, qui in sacro primariorum patrum ordine vnus ante alios, non dico genere (id enim solum parum duco) sed moribus, doctrina, & magnis rebus gestis ceu clarissimum sidus præfulges. Non fecit vel ætatis meæ inscitia, vel tenuitas vlla, vt debilitatis meæ immemor, tanti Principis, quantus tu es, magnitudinem vel expenderem parum diligenter, vel non satis admirarer. Hoc enim postremum nemo rationis prorsus non expers faceret. Qui autem inter mortales te omnibus non anteponit, quo modo aut virtutem nouisse, aut se eius amore teneri, potest affirmare? Impulsus ergo non vel mei obliuione, vel parua tui existimatione, sed officii magnitudine, supra vires negotium hoc suscepi: dum cupio, si non vt debeo, saltem vti possum, palam facere, non quanta sit dignitas ac virtus tua, (magnarum enim & ingenii & doctrinæ virium opus esset) sed hoc potius, cum innumerabilis multitudo virtutem tuam suspiciat, res tuas gestas miretur ac prædicet; nullum tamen esse, qui parentem meum obseruantiæ erga te magnitudine vincat, qui se tibi deuinctum esse libentius meminerit, & magis gaudeat. Vtriusque rei tu necessitatem, sapientissime Princeps, imposuisti: qui quo tempore sub Alexandro sexto in hanc vrbem sacra Apostolicæ Legationis signa intulisti, singularis tuæ mansuetudinis ac bonitatis vestigia, quæ omnes in tui admirationem mouerunt, ita impressa apud parentem meum reliquisti, vt is ab eo tempore te vnum respiciat, te vnum, qui laudibus in cœlum feraris, dignum esse prædicet. Itaque quod ipse est, cum filios quoque erga te esse necesse sit; ego eius liberorum vnus nondum tibi notus, non alia via, quam frater meus natu maior, adire te constitui. Nam cum is conuersam in Latinum De factis dictisque memorabilibus *historiam, patris hortatu venerationis suæ testimonium ad te tulerit; ego quoque inter patris superiorum temporum scripta quosdam commentariolos nactus, aduentum Maximiliani Cæsaris in Italiam, atque eius causas, & quæ ab eo gesta fuerunt, dum in Italia mansit, continentes, quia illa quoque continebant, quorum causa venire te ad hanc legationem contigit, tanquam nunc primum natos sumpsi, vt, si possem, per earum rerum commemorationem, quæ te hic manente gestæ fuerunt, aditum mihi ad dignationem tuam compararem. Ad te igitur aduentum affero Maximiliani Cæsaris, vt in eo, in quo Legationis tuæ in Cisalpina Gallia non sine magna laude tui notata sunt tempora, sit quidem in primis virtutis tuæ pro Italica salute, sicut olim gentilis tuæ Ioannis Caruaial Cardinalis in Pannonia pro Christi religione, perpetuum monumentum. Sed postea etiam accedat, vt per hanc ipsam rem pro mansuetudinis tuæ magnitudine primus mihi ad venerationem tuæ Dignationis aditus aperiatur, efficiatque vt nunc primum cognitus tuorum numero recipiar: vt qui ex viro tui obseruantissimo ortus, te vnum maxime colam, tibi obsequi, & ceu vnicum veræ virtutis & doctrinæ simulacrum, perpetuo venerari & adorare cupiam.*

Camillus Gilinus F.

p. 81.



MAXIMILIANI CAESARIS IN ITALIAM ADVENTVS.

p. 82.



ARTO Neapolitano regno, iam se in Galliam Carolus VIII. receperat, & Ludouicus Sfortia Mediolanensis Dux Nouaria finem bello fecisse videbatur, cum iterum Italici Principes de salute laborare cœperunt. Huius rei causa fuit, quod iunior Ferdinandus Arragonius in regnum quod amiserat, redire populorum fauore nitebatur. Carolus autem indecorum putabat perpeti, vt is qu m florente fortuna ne stricto quidem gladio, regno deiecerat, nunc omnium egens atque inermis victorem regno spoliaret; atque ipse Gallos, viros genere atque armis præstantes, quos ad regni tutelam Neapoli reliquerat, hostis arbitrio tanquam vinctos permitteret. Accedebant ad hæc Italorum exulum voces, qui denuo misceri armis Italiam e re sua ducebant & Florentinus populus, quem amissarum Pisarum dolor vrebat, non hortabatur solum, ne Carolus hanc Ferdinandi iniuriam inultam esse pateretur, verum etiam pecuniam atque arma in Italiam ad bellum redeunti offerebat. His igitur Carolus non solum sponte sua, sed etiam ab aliis accendebatur, ne regni ac suorum periculo deesset. Quamobrem ad bellum animo conuersus in Prouinciam Narbonensem mittit: qui naues ad belli vsum comparent: & Genuam, qui ex fœdere onerarias maiores exigant. Sed cum Genuensibus nihil est actum, Gallis libere dedi sibi naues poscentibus, Genuensibus autem aperte negantibus naues se tradituros, quibus maior alienigenarum numerus quam quibus nauium domini imperarent, a Rege Carolo imponeretur.

Ea re indignatus Carolus, Narbonensem classem petere Sauonam iubet, atque illic peditatum accipere, qui ab Hasta mittebatur, ac simul subsidio laborantibus Caietam nauigare. Cæterum ne hos conatus Mediolanensis Dux impediret, cuius ad Ferdinandum cum aliis Italis inclinare animus putabatur, tormenta in belli vsum Hastam ex Gallia traiici curat, nouasque illic copias cogi, atque ab Heluetiis peditatum venire. Quibus rebus ostentato belli terrore, non Mediolanensem solum Principem, sed alios quoque Italos grauior cura cœpit vrgere. Hi dum in communem rem consulunt, eo omnium inclinauere sententiæ, ne solis Italorum viribus stetur, sed Gallicis armis Maximiliani quoque Cæsaris, ac Germaniæ ipsius nomen opponant. Omnium igitur fœderatorum hortatu, atque non in postremis Alexandri VI. Pontificis Dux Mediolanensis, quia eius opera pro affinitate plus valitura putabatur, inuitandi atque rogandi Cæsaris, vt Italiæ causam amplecteretur, negotium suscipit.

Ann. 1497. Annuit Cæsar, sed ante oportere ostendit, vt secum Dux Ludouicus congrederetur. Is ergo cum coniuge tertio Nonas Iulias a salute Christiana nonagesimo septimo anno post mille quingentosque Comum proficiscitur, & Larium emensus per Telinam vallem ad altiores alpes contendit. Ab eo loco Cæsarem per generum Galeatium Sanseuerinum de aduentu suo monet, exquiritque quo in loco conueniri se velit. Per eundem certior fit plurimum aduentu ipsius lætari, & hortari vt postridie alpes traiiciat, Maltii cum ipso Cæsarem conuenturum.

Dum, vt Cæsar monebat, agitur in ipsis alpium radicibus, eunti Duci obuiam se præbet Nicolaus Firmanicos Alpinæ regionis (cui Tyroli Comitatus appellatio est) Præfectus: a Cæsare se missum docet, vt Ducis Coniugisque ipsius aduentum gratuletur,

letur, quemadmodum mutuæ necessitatis magnitudo postulabat. Iusserat Cæsar in vico, cui Monasterio nomen est, hospitales Mediolanensibus Ducibus ædes parare. Dum appropinquant, obuios item quatuor e purpuratis Regii habent a quibus & gratulatio repetitur, & Alpinorum locorum incommoda excusantur. Seorsim etiam mittitur Herasmus Brasca, Ducis Mediolanensis apud Cæsarem orator, qui moneat Cæsarem postridie ante solis ortum affuturum: sed velle rem eam alios latere, & propterea oportere, vt nulla de hoc facta mentione in cubiculo Duces Cæsarem operirentur.

Qua monuerat hora, postero die silentio Cæsar aduenit, tanquam ad certam se venationem conferret, ad id comitatum omnem composuerat. Primum agmen
p. 83. ducentorum peditum erat. Bini incedebant, & spicula Germanica gestabant, quibus ad inuia persequentes capreas demittere se per rupes & librare corpora ad inaccessa loca consueuerant. Cum iis par venaticorum canum numerus. Sequuntur totidem cum dolabris Germanico more, viri omnes genere virtuteque insignes. Indumenti omnibus par species serica, in Burgundorum Ducum gentilitia varietate formata.* Eodem etiam modo caligati omnes. Tum Cæsar procedit, sericeam nigro colore vestem amictus venationi habilem, cui a læua ab aurato balteo aureum pendebat cornu. Sequebatur Procerum grauiorumque virorum ingens numerus. Omnibus sericeæ pullatæque vestes, & in læuo lacerto formatum ex auro Burgundorum Principum insigne, Apostoli Andreæ Crux. Quod ante per Herasmum Cæsar admonuerat, ne cubiculo Mediolanenses Duces excederent, per alios quoque repetit, & parere eos oportere monet.

Vt ad ædes peruenit, in quibus Duces erant, ad primos scalarum gradus solus Cæsar ab equo se demittit, atque in cubiculo inuentos cum duobus Galeaciis, genero atque fratris filio amanter Duces complectitur, eaque exequitur, quibus magnæ necessitudinis declarari ius solet. Tum ait, rem diuinam in æde Virginis propinqua (sacrarum id virginum fanum, Caroli Magni opus putatur) iussisse parari, velle vtrumque secum sacrificio interesse: velle etiam secum inde cum nobilioribus fœminarum atque marium comitatu, quem duxerant, ad vicum Colurnam pransum ire.

Medius ergo inter Mediolanenses Duces fanum Virginis, quod dixerat, petit: medius etiam sine discrimine rem sacram spectare voluit. Quem etiam mensæ communem fecit honorem. Nec vero contentus, inter epulas suaues miscere sermones, blandeque inuitare, Duci fœminæ de lance sua quæ gratiora videbantur, ipse manu sua sæpius porrigere, atque vt largius vesceretur hortari. Post epulas inde Duces ambos Cæsar Maltium deducit, vbi ipsis cubilia, & consilio habendo erigi militaria tabernacula iusserat. In via occurrunt fœderatorum Legati, quos Germaniam petiturus Dux Ludouicus ex Italia secum duxerat. Ad terram conspecto Rege se omnes demittunt. A Rege omnes perhumane ad dextræ osculum admissi, redire in equos iubentur. In agmine postremus Cæsar inter ipsos Duces medius incedit, & Maltio tabernacula, a quibus venerat, regressurus moueri loco Duces prohibet.

Vt diurnæ quieti opera data est, Cæsar reuertitur, ac Ducem ab arce in consilium deducit. Illic orsus ab iis, quorum causa vt peteret Italiam rogabatur, docet se ne-

* Non infrequens olim erat, vt homines aulici vestitu vterentur, colore insignium domini sui variegato: ex quo orta *die Liberey*. Testatur illud æque de Principibus Megapolitanis, qui tanquam Brandeburgicorum vasalli, horum quoque gesserunt vestem curialem. Albertus Crantzius *Vandalia lib. III c. XXXV. p. 166.* Ludewig *de Form. Ducatus, Brandenburgici p. 75.* Inde, dum domini vasallis vestem suam concederent, Inuestituræ vox fuit orta. Ipsi Principes insignia sua in propriis vestibus, variegato colore gerebant, prout ex Aula Caroli Sapientis, Galliæ Regis, ac Reginæ Borboniæ, quam Claudius Menestrerius ex tabula antiqua *Parisiis 1683.* seu publicauit, satis patescit.

nequaquam veniendi onus refugere: cæterum oportere se ita paratum venire, ne si exercitus atque alia necessaria defuerint, venienti cum viribus etiam consilium defuisse videatur. Se quidem minime latere, & Ducem Mediolanensem, & Venetos solere magnum equitum numerum ac peditum alere: sed ex Cæsaris dignitate non fore, vt iuuandæ salutis Italicæ gratia ex Germania sine Germanico milite proficiscatur, & aliis quam Gentis suæ militibus aut corporis sui custodiam credat, aut totius belli, quod ipse gesturus sit, summam Italis solum armis suscipiat. Oportere igitur binorum peditum millium a Duce Mediolanensi ac Senatu Veneto stipendium in tres menses persolui, & tricena aureorum millia ab singulis in equitatum præberi: tantundem se ad quem nulla in parte periculum pertineat, pro communi beneuolentia impensurum, si eam summam vt habere mutuam possit effecerint. Super his omnium sententiam exquirit. Habitæ a multis orationes, longe magis quam necessariæ. Primus Concordiensis Episcopus, qui Pontificis Orator apud Cæsarem agebat, imminentia Italiæ reliquoque Orbi Christiano pericula ingentia esse docet: neque iis alium quam Cæsarem obstare posse: eius in Italiam aduentum & pericula dempturum esse, & pristinam securitatem restituturum. Hortari igitur Pontificis nomine, ne veniendi recuset onus, & veterum Cæsarum in tuenda ab hostibus Italia virtutem atque exempla imitetur.

Nam quod ad exercitus necessarios pertineat, abundare Mediolanensem Ducem atque Venetos ipsos non in postremis militum numero: nec in cæteris, quæ vltra Cæsari necessaria videbuntur, se arbitrari defuturos. Secuti alii pro cuiusque ingenio, his similia dicunt. p. 84.

Postremum Cæsar Mediolanensem Ducem in roganda sententia reliquerat, quia maiori eum afficere videbat honore non posse. Itaque is rogatus sententiam, paucis ostendit, quantum Italiæ viribus detractum sit: quantum etiam periculi accesserit, posteaquam Arragonii Ferdinandus senior iuniorque Alphonsus, dum aliis exilium moliuntur, Carolum Octauum Gallorum Regem ad inuadendum Neapolitanum regnum impulerint: se vnum esse, qui horum malorum facere fidem possit, quia per insidias adempta Nouaria, dum Carolus a Neapolitano regno regrederetur, totius Ducatus sui ruinam ante oculos habuerit, & prælio contra Carolum in Parmensi agro ad Tarum amnem commisso, quanquam in fugæ speciem inde Carolus Hastam abiisset, plus tamen sanguinis a victoribus sit effusum, plus etiam virium sit amissum. Sed hæc non satis apud Gallos videri, cum restituta Nouaria post initam pacem rursus arma moueant, & velle bellum non obscure videantur reparare. Eum se quidem, qui primus hos motus excipiat, esse: sed quid refert, cum si deseratur, sine communi totius Italiæ ruina cadere non possit. Bene ergo agi cum Italia videri, cum tota præter Florentinum populum simul consentiat, & Cæsar, ad quem omnes miserint, ad eam defendendam animum adiecisse videatur. Se quidem non minus communi quam proprio periculo motum huc venisse, Cæsaris auxilium rogatum: ei non solum, quæ pro causa proposuit, libenter offerre, sed vltra quoque quicquid supersit virium, cum vxore & liberis effundere paratum.

Cæsar his auditis, Pontificis Legatum collaudat: neque alios laudis expertes relinquit. Impensius autem multo maiores Mediolanensi Duci gratias agi debere ostendit, quod non modo in communi causa bonam mentem verbis declarasset, sed quod rem quoque dictis addidisset, fines suos ad ipsum inuitandum egressus, cui pro communi salute fortunas omnes nulla re excepta polliceretur. Censere autem, cum omnes, quæ causæ necessitas posceret, intellexissent, & Mediolanensis Dux pro virili sua facturum se omnia libenter recepisset, vt Veneti Senatus sui mentem perquirerent. Dum huic rei opera datur, neque iam vltra agi aliud potest; Cæsar Mediolanensem Ducem monet, licere ei, cum velit, a consilio in Italiam regredi, siquidem facta sint omnia, quæ in Germania effici pro Italiæ causa potuerunt: reliqua maiori ex parte nunc in Italia agi oportere. Cæterum velle, vt antequam abeat, cum coniuge & Fœderatorum oratoribus Colurnam reuertatur. Illic ergo Cæsar omnibus repetit,

curatius Venetos Oratores monet, vt responsum super petitis celeriter habere contenderent. Addit etiam, etsi parum credibile videatur Venetos, quorum in Italia iam diu summa sit authoritas, communi causæ defuturos, & nunc pro ea Cæsari ac Romanorum Regi rem mediocrem, vt in Italiam veniat, præbere recusaturos; qui sæpe militari alicui Duci non modo dignitatis magnitudine, sed neque etiam peritia aut rerum vsu conferendo longe plura atque maiora tradiderint. Nolle tamen eos latere, quam graue onus subituri essent, si cunctando agerent, vt alii hac in re, in qua ipsorum voluntas & studia prima apparere debeant, promptius munus ac partes suas implesse inuenirentur. Inter hæc dicta discedit, & Mediolanensis Dux cum suis iisque, quos ei Cæsar Comites dederat, in Tellinam vallem descendit, ac biduo Tiranum peruenit. Illic haud multum moratus Cæsaris accipit literas, quibus monetur confecisse ea, quorum gratia Germaniam repetierat, atque biduo Biurnii futurum: debere nunc ipsum, relictis Tirani Oratoribus & aliis, qui cum ipso ex Cæsaris comitatu Tiranum iuissent, Mediolanum petere, atque ea parare, quæ bello necessaria esse intelligit.

Quarto Idus Augusti Mediolanum Dux peruenit, atque illic certior fit, haud longe abesse Bernardinum Caruaial genere Hispanum, moribus, doctrina, atque illustri genere virum in sacro ordine in quo sanctæ Crucis titulum gerebat, maxime insignem: quem Alexander sextus, posteaquam satis pro comperto Cæsarem in Italiam venturum habuit, Legatum creauerat, vt venientem ipsius & Apostolicæ sedis nomine in primis Italiæ limitibus exciperet, atque ad nauandam bonam operam Italicæ saluti atque securitati hortaretur.

p. 87. Hunc igitur Mediolanensis Dux Ludouicus quibus potest honoribus in Iouis arce accipit. Interim Cæsar, qui, vt suis assequendi spacium daret, per Telinam vallem & Lario proximos montes venationibus se exercebat, Mediolanensi agro appropinquat, ac Carimatum (vici & arcis id nomen) peruenit. Confestim igitur Legatus ac Mediolanensis Dux Moguntiam * contendunt, atque inde Medam (vicus is quoque haud longe a Carimato) petunt. Non multo post Cæsar superuenit. Obuii inter se relictis equis in ipsius vici angustiis Legatus ac Cæsar, post primam salutationem in paratas ipsorum congressui ædes se recipiunt. Illic solemnibus verbis Legatus Pontificis nomine gratulationem Cæsariani aduentus orditur, & quam oportunc is veniendi consilium ceperit, non omittit. His addit, multa aliis temporibus Cæsarum aduentum Italiæ bona intulisse: non minora esse docet, quæ per ipsum ad stabiliendam Italiæ quietem acceptum iri hoc tempore putantur. Patere quidem in Gallorum præsenti motu, nihil eos magis sitire, quam vt euersis Arragoniis Regibus, Neapolitano regno cæterarum quoque Italiæ partium seruitutem addant: sed Italiæ non tam vires deesse, quam Cæsaris ipsius nomen ad retundendam Gallicam vim necessarium videri. Quamobrem nunc præsente in Italia Cæsare vehementer quidem Italiæ lætandum; cuius saluti vel vno Cæsaris aspectu satis consultum videatur. Sed non minus Cæsari quam ipsi gaudendum. Siquidem ad Italiæ liberationem venerit, in qua gloriæ tantum eius nomini repositum sit, vt hac vna re se illud æterni-

N 2 tati

* Ciuitas erat Mediolanensis, coronationi Longobardicæ destinata, de qua Gaudentius Merula de Gallor. Cisalpin. antiquit. & origine lib. I c. I: *in agro Insubrum Moguntiacum est oppidum, in quo sceptra accipere, & primas attollere fasces omen erat Lombardorum Regibus, Moguntiam doctissimus Alciatus adpellat, Modöetiam alii. Ego vna tantum antiquitate fretus, qua eodem in oppido est, in templo sancti Mauritii Moguntiacum adpellare non dubitabo:*

C SERTORIVS L. F. V. F.
T. C. V. S.
VETERANVS LEGIONIS XVI
CVRATOR CIVIVM OMN.
MOGVNTIACI.

tati putare Cæsar possit consecrasse. Hortari igitur & Pontificis & Apostolicæ sedis nomine, quod Cæsar sapienter in Italiam descendens cœperit, id toto animo prosequatur, & Deo Duce, cuius salutiferum signum in Cruce tulerit, fœliciter expleat; vt sublato metu, qui sollicitas omnium in Italia mentes habeat, omnes intra fines suos contineantur, & in commune omnes Christianæ religionis bono atque infidelium populorum conuersioni dare operam valeant. Cuius rei Cæsaris ipsius primariæ partes sunt, & ad quam propter virtutes & bonitatis magnitudinem omnium votis desideratur.

Respondet Cæsar, libenter se pro Italiæ periculo venisse, quia eius curam non minus quam Germaniæ ipsius pertinere ad se semper duxerit. Cæterum lætari etiam magis se venisse, cum tanto opere summo Pontifici, quem ante alios, vt verum Christi vicarium colat, rem se gratam fecisse videat. Annixurum igitur se pro viribus, vt eius rei gratia, propter quam sit vocatus, non frustra venisse eum homines, qui nunc sunt, propter præsens beneficium sentiant, & propter gratam rei memoriam, qui post aliis erunt in annis, libenter loquantur.

Peractis magna partis vtriusqne voluptate, quæ primi congressus ratio postulabat, quia ad primæ salutationis congressum & non ad longiorem moram paratæ ædes erant, vtrique ad vicos, a quibus venerant, eo die reuertuntur. Excipere nunc in primaria vrbe Cæsarem vt ius erat, & Dux Mediolanensis vehementer annitebatur. Cæterum is magnæ vrbis ac frequentis populi conspectum deuitabat, quod dum poscentibus de veniendi celeritate morem cupit gerere, numerum in comitatu suo Cæsaris dignitati congruentem nondum coegerat. Itaque Ticinum amnem traiicit, ac Viglenanum profectus, illuc Legatum cum Mediolanensi Duce ac Fœderatorum Oratoribus vocat.

Dum illic moratur, maioris Italiæ partis legationes eum adeunt, & accuratis orationibus vt Cæsarem & Romanorum Regem salutant, & veneranter agnoscunt. Tum in consilium itur. In eo Cæsar ab iis ortus, quorum causa in Italiam venerit, frustra venisse ostendit, nisi qua celeritate ipse omnibus omissis in Italiam venisset, eadem nunc quoque pellendo periculo statim opera daretur. Sibi quidem, cui vt agendi primæ partes ita etiam dicendi dentur, quod ad belli gerendi rationem videri, vt si vllæ Gallorum copiæ essent in Italia, primo quoque tempore contracto exercitu ad hostem eatur, ac prœlio de Italiæ finibus detrudatur. Quod si (vt affirmare nonnullos videt) Galli, ipsius aduentus fama permoti, copias quibus Italiam sollicitabant, trans alpes contraxissent, censere nihil antiquius Italiæ saluti, quam vt cum exercitu ad Alpes contendatur, ac præsidio, quacunque a Gallia in Italiam aditus pateat, occupentur, & super omnia Hasta ciuitas, & si quæ alia in Italia Galli pos- p. 88.
sideant, munita loca eis adimantur. Aliam vel tutiorem vel faciliorem Italiæ liberandæ rationem nullam esse, quin semper, cum voluerint in manu sua habituros Gallos missis nouis copiis, tanquam nouo imminente bello anxios de salute sua Italos tenere. Se, ne id in Gallorum manu foret, in Italiam vocatum, se omnibus omissis, vt huic periculo occurreret, venisse. Omnes Cæsaris sententiam atque animi magnitudinem laudare, ac palam dicere, non posse aut verius aut tutius saluti Italicæ consuli: & tamen in re, quam improbare nullus audebat, consilium non explicabatur. Venetos enim mouebat, quod quanquam occupatis Alpibus difficilius Gallos in Italiam penetraturos negari non poterat, plus tamen Mediolanensis Ducis additum iri potentiæ, quam Venetis conduceret, arbitrabantur. Id quod eos non parum mouebat, qui Italiæ totius imperium haud dubie affixum cordi habere putabantur. Alia ex parte Mediolanensis Dux, Gallicarum copiarum discessu præsenti periculo liberatus, non tam metiebatur, quæ abeunte Cæsare Galli denuo moliri possent, quam illud metuebat, ne si de occupandis Alpibus sapienter cogitata non successissent, & graui & longo aliquo bello implicaretur. Expertus autem Nouariensi bello, se Venetorum ope subnixum contra Gallorum arma stetisse, vitare cupiebat, si nunc de Alpibus occupandis dissentire a Venetis visus esset, ne offensis eorum

animis

animis in grauioribus casibus in posterum vires iam expertas ipse sibi ademisse videretur. Igitur & Veneti oratores & Dux Mediolanensis respondent, maiores supra quam dici queat gratias esse, quæ ab Italia tota Cæsari debeantur, qui in Italiam vocatus non solum libenter venerit, vt ei opem laboranti ferret: sed etiam quod nondum motis, nondum ostensis armis, sola nominis fama Gallos trans Alpes compulerit, qui prius pene quam venerit, & antequam hostem vllum viderit, iure de hostibus dici potest victoriam peperisse. Quid enim aliud Gallorum in Cæsaris aduentu trans Alpes concessio dici potest, quam Gallorum aperta confessio, se de Italia victoriam Cæsari concessisse? Hoc igitur longe plus esse, quam prælio atque armis hostem profligasse: quia nullo suorum amisso, nullo fuso sanguine, id de hoste obtinuerit, quod raro sine magna cæde, sine magno rerum omnium discrimine obtinetur. Quæ res cum Dei munere concessa videatur, vt sanguini humano parcatur, & apertius Dei benignitas agnoscatur: quis non dixerit etiam Deo gratius fore, vt per hunc modum ocio & pace Itali fruantur, quam dum tutiora quæruntur, grauiore facto irritatis Gallorum animis, Italiæ in posterum noui timoris causas relinquere? A Cæsare autem longe abesse, vt quia se hostium sanguine non cruentauerit, in cassum venisse in Italiam dicatur: siquidem magnæ eius fœlicitatis testimonium est, quod ei sola nominis fama contigit id efficere, quod alii etiam vires omnes experti, omnibus in ambigui Martis discrimen adductis vix assequuntur: ipsæ autem Italiæ salutem ita pepererit, vt ne parua quidem in re vlla ad eius populos detrimentum aliquod peruenerit. Quod si hæc Cæsarem aut alios Germanos gloria parum mouet, nisi aliquid additum habeat, in quo palam fiat, quantus sit Cæsaris in periculis adeundis animi vigor & magnitudo, quæ sine grauiore motu plurimum gloriæ secum sit habitura. Nam cum ipse negotium sibi hoc sumserit, vt communi aliorum Italorum causæ populum Florentinum adiungat, si monita eius sequi neglexerit, ac perstare in Gallorum societate videbitur, arma ei Cæsar inferre potest. Huius enim hostis vires diu eum sustinere non poterunt, ex ipso autem bello gloria eum ingens sequetur: siquidem ad famam haud parum retulerit, per orbem terrarum ferri, Cæsaris virtute in vnum coaluisse Italiam atque armis compulsos, qui hactenus cum Gallis senserant, communem omnem Italorum causam respexisse. Vires ad hoc bellum paratas, siue terra siue mari rem gerere placeat; quis non videt? cum a Duce Mediolanensi, cum a Venetis ingens equitatus peditatusque ad tuendas Pisas iam diu in Hetruria alatur, & Genua Hetruscis littoribus propinqua præbere classem Florentinos maris aditu prohibere cupientibus facile possit.

Cæsari longe præter opinionem contigit, vt ad leuandam Gallorum metu Italiam magnis precibus vocatus, Ducem Mediolanensem cuius gratia propter necessi-
p. 89. tudinem inprimis mouebatur, cum etiam primum periculo obiectum videret, & Venetos, qui vt in Italiam contra Gallorum arma veniret enixe rogatum miserant, tam auersos ab ea ratione perspiceret, quæ vna formidine Italiam leuatura erat. Itaque paucis ait, duo ad liberandam Italiam, propter quam non ab vno sed ab omnibus vocatus fuerit, proposuisse: quia etiam duo illa, & non alia, liberare periculo & metu valeant, contra ea duos dixisse, quorum ante alios intererat, vt primo quoque tempore ea peragerentur. Quam bene nunc maleue se opponant, ipsos visuros: tempus etiam ostensurum, quam sapienter sibi consuluerint, si agendæ rei occasionem propter quam ex Germania Cæsarem vocauerant, frustra elabi sinerent, & Cæsaris opera, quem præsentem habeant, vti nesciuerint: se in Italiam non gloriæ cupidine, sed vt propinquos, amicos, ac fœderatos in periculo defenderet, venisse. Itaque si hoc non agitur, nullam esse aliam causam vltra in Italia commorandi. In Germania bello materiam non deesse, multo minus contra infideles populos (quod magis cupiat) deesse posse. Itaque iam nunc se Germaniam repetiturum. Quod si trahere Florentinos in communem causam ad Italiæ salutem pertineat, vt dixe-

runt, etsi præpostere agi videat (quis enim negauerit, occupatis Alpibus Florentinum populum vltro precibus temptaturum, vt in aliorum Italorum societatem adhibeatur, quem nunc armis cogendum esse dicunt) ne pro virili sua huic rei defuisse dici possit, haud grauatim hanc etiam prouinciam susceptururm. Sed si huic rei opera datur oportere primo quoque tempore bello necessaria parari, ne cunctando hostibus confirmandi se tempus præbeatur, aut sæuiore postea hieme frustra bellum temptetur.

Huic rei neque repugnabatur, neque vere contra poterat dici: sed difficultatem tamen habebat, quod Cæsar pactam pecuniam in huius belli vsum poscebat, & Veneti Oratores, qui gratulatum Cæsaris aduentum venerant, nihil attulisse respondebant; tempusque ad monendum Senatum rogabant. Inique agi ac parum sincere videbatur, cum a Germania ipsa quid opus esset omnes intellexissent, & postea quantum vrgeret Cæsaris postulatio, assidue significatum esset.

Indignari igitur Cæsar, ac Mediolanensis Dux aperte Oratores monere, si quid grauius a Cæsare ageretur, id totum Venetis ascriptum iri, quorum ipse tantum rationem habuerit, vt ne soli obstitisse Cæsari de occupandis Alpibus viderentur, etsi vera & salutaria monebat, ipse quoque contra eius sententiam dicere non dubitauerit. Itaque si de pecunia nunc dictis atque promissis non maneant, cui dubium, quin irritatus Cæsaris animus noua consilia ineat, & omnes iure commotum esse fateantur? & omnium malorum, quæ sequentur, Venetos & qui nunc sunt & inposterum erunt, fuisse auctores ferant?

His Ducis Ludouici rationibus, quas nimium veras videri aperta iam Cæsaris ira faciebat, pecuniariæ rei difficultas est discussa: quia pactæ summæ partem repræsentarunt Oratores, & breui reliquam quoque affuturam dixerunt. Cæsar igitur (nam a Mediolanensi Duce benigne & copiose omnia subministrabantur) Derthonam, & inde qua proximior saltus ad eam peruius est, Genuam * petit. Sequuntur Derthonam vsque legatus, & cum eo Mediolanensis Dux, ac fœderatorum oratores: a quibus Cæsar petit, ne inde recedere velint, priusquam ornata classe soluisse eum acceperint. Nam cum maris vsu prohibere Florentinos decreuisset, optabat vt si quis nodus incideret, per Legati ac Ducis Mediolanensis vicinitatem huiusmodi difficultas citius tolleretur. Genuæ Cæsar parandis nauibus, dum præter ea, quæ viri Genuenses ex vetere vrbis disciplina adhibent, alia multa non minoris momenti ex ingenio suo addit, & propter animi vigorem & propter sapientiam atque humanitatem Genuensium in sui admirationem animos conuertit. Interim Florentiæ auditus Cæsaris Orator, etsi in sententiam vrbem illam non traxerat, scrupulum tamen non mediocrem ciuium animis iniecit. Nam ne quid temere de Gallorum relinquenda societate Florentini statuerent, illud mouebat, quod in Gallia maior Florentinæ negotiationis pars exercetur. At alia in parte bellum præsens a Cæsare terra marique intentari videbant. Oratores igitur ad Mediolanensem Ducem duos, Olorensem Episcopum, ac Petrum Soderinum, primarios ciues mittunt temptatum, si per

* Vbertus Folieta Hist. Genuensium lib. XII ad a. 1496. *eo anno (quoniam hanc quoque rem Annales nostri non omittendam duxerunt) Maximilianus Cæsar Genuam venit, omne bonorum genere exceptus, cui cum Ludouicus obuiam processisset, eumque per omnes suos fines deduxisset; Genua quoque quattuor Oratores illi obuiam missi sunt, Lucas Grimaldus, Franciscus Soffia Iurisconsultus, Cosmus Zerbius, Baptista Spinula; ad gratulandum sospitem in Italiam aduentum iuriumque eximiorum, quibus superiores Cæsares Genuam ciuitatem impartiti sunt, comprobationem petendam, quam rem Cæsar in aduentum suum Genuam distulit.*

Mediolanensem reuersus Ducem Paulus funestatum coniugis morte * offendit grauius, quam pro fortis viri officio, in mœrore versari.

Hunc exitum Maximiliani Cæsaris in Italiam aduentus habuit: quem haud falsum vatem statim a Gallis secuti motus fecere. Nam vix dierum octo viam Cæsar extra Italiam abierat, cum ab Hastensi agro Ioannes Iacobus Triuulcius Ducis Mediolanensis finibus arma intulit, in Ligustria & Transpadana ora omnibus ferro atque igne fœdatis. Qua in re etsi obiectæ Sfortianæ & Venetorum copiæ haud multo post omnia in pristinum restituerunt, res tamen Italicæ propter eos motus periculi laborisque magni expertes non fuere.

Cæterum Cæsaris ipsius virtus cum aliis in rebus magna esset, liberalitate tamen ac Dei cultu plurimum enituit. Hoc ostenderunt moderatissimi eius in omni vita mores, & dandi bonis, in quos inciderat ingens promptitudo: ostendit etiam eius a Labronensi expeditione reditus. Nam quanquam haud iniuria indignatum Italiæ gereret animum, Venetorum in copiis Pisanis promissione elusus, & si tunc satis ei copiosam se fortuna non præberet, Placentiæ in Cœnobio, vbi noctem mansit, auratos maximi precii pannos ad aræ ornatum, & sacerdotibus ad sacras vestes, aduentus sui in Italiam monumentum dono tribuit.

p. 92.

TELINAE VALLIS AC LARII LACVS PARTICVLARIS DESCRIPTIO.

POST imperii migrationem non consueuere Cæsares, nisi raro admodum & propter graues causas, in Italiam descendere. Itaque operæ precium visum est Cæsaris Maximiliani (quem nos post factam a Ludouico Sfortia cum Gallis ad Nouariam pacem venisse in Italiam vidimus, & cui operam dare contigit) aduentum eiusque causas, & quæ egerit, non perpeti in obliuionis caligine tecta manere: non minus etiam e re communi fuerit, particulatim regionem, qua veniens iter habuit, ostendere; vt regio, quæ in Italia hactenus præter vini famam nihil habuit, vnde celebris haberetur, huius magnitudine Principis, cuius vestigiis calcata fuit, inter alia celebria loca nomen habere incipiat.

Alpes quæ Italiam a Germania diuidunt, ab ortu solis in occasum porriguntur, alio aliis locis nominatæ. Earum saltus, quo Dux Mediolanensis Cæsarem Maximilianum adiuit, & quo idem Cæsar paulo post in Italiam descendit, vulgo nunc mons Bralius vocatur: Adulam putant esse, qui vetera nomina sectantur. Is in altum surgit longo spatio, propter cœli inclementiam sine cultoribus, ac propter niuium magnitudinem hyeme aliquot menses inuius: qua ad Italiam vergit, Burmio imminet. Ab eo inter meridiem & occasum Telina vallis extenditur. Ita nomen est, siue quia in teli speciem por-

* Io. Bapt. Villanoua Laudis Pompeiæ Historia lib. IV p. 929 in Tomo III Græuiano. *hoc eodem anno e viuis excessit Beatrix Estensis, dilectissima Ludouici Sfortiæ Ducis uxor, cum mortuum infantem infelici partu eniteretur. Dux ob talem uxorem, quæ virtutibus ornata erat non vulgaribus, amissam insolabili dolore percussus, funus illi & exsequias tanta cum pompa ac magnificentia celebrauit, quanta forte nunquam alias in vrbe Mediolano fuit cuiusquam funeris, atque idem fieri voluit, in omnibus vrbibus atque oppidis sui Ducatus.*

rigitur, siue quod a Telio vico accolæ sic appellauerunt. Ab æstiuo Solis ortu Brixiensis, ab hiberno Bergomensis agri fines attingit, a septentrione & occasu iis, quæ in Italia Grisani (de quibus dictum est) gens Germanica possident, contermina. A summo Adulæ amnis Adua cadit, qui totam vallis longitudinem cursu suo emensus in Larium procurrit. A dextra læuaque præalti montes, atque inter eos, quod planiciei est magna in parte soli feracis.

Montes autem quantum eos meliore anni parte sol inspicit, non coluntur modo, verum optima vina quoque ferunt. Vbi situs cultores non patitur, pecus alit, aut materiam alendo igni aut ædificationi præbet. Metalla quoque his montibus Natura, quin etiam marmora non negauit. Patuit hoc præcipue Ducis Ludouici Sfortiæ tempestate, defectis in magnarum columnarum atque tabularum vsum lapidibus viridi colore, aliisque, qui gemmarum fulgorem nitentes, etiam carbunculos variis in locis ostendunt. Quod mortalium multi perspexere, & nos, qui hæc tradimus, quia rem vidimus, nisi vero testimonium subtrahere velimus, pro explorato ponere debemus. Populi per hanc vallem frequentes, & longe quam pro loci spatio maiores diuitiæ. Hæc summaria Vallis descriptio.

At Larius primo a septentrione in solis ortum hibernum simplex procurrit. Inde in duo brachia diffunditur, altero Comam Vrbem inter occasum & meridiem, altero ad orientem Leucum petit, vbi Aduam ab initio acceptum emittit. Lacus non piscatione modo, & quod nauigatione commodum sed vltro citroque a Germania atque Italia commeantibus præbet, verum etiam populorum frequenti numero & hominum industria admodum insignis. Ad ripam marginis frequens est olea, nec minus vitis. Fert etiam Laurum, atque alias arbores maritimis locis calidioribusque plagis assuetas.

Ad Telinam igitur redeundum, vt distinctius nunc cætera enarrentur. Eius longitudo ab Alpibus ad Larium in sexaginta passuum millia porrigitur. Mons Bralius siue (vt ante dictum est) Adula vallis initium, inter Rhetorum partem (*Agnedina* dicitur) & Burmienses surgit. Eius aquæ Septentrionem versus Athesis primordia, ad meridiem Aduam effundunt. In eius montis radicibus, qua Italiam spectat, calidæ aquæ multorum generibus morborum salutares putantur. Inferius vicus Burmium planiciem inter præaltos montes triquetri figura explicat. Montes ab æstiuo ortu proximiores duobus anfractibus, altero ad Tridentinorum fines pertinent, altero Camonicam vallem agri Brixiensis partem atque Olii amnis fontes aperiunt. Vallis Camonica longo se cum Telina tractu porrigit, donec Bergomensi agro excipiatur. Eadem etiam Olio perluitur, quoad in Sebuinum lacum se condit, atque ab eodem etiam emittitur. Ab alia Adulæ parte montes ad Germanos Rhetos siue Grisanos pertinent, in duas lacerati valles: primam sine nomine Burmiensium iuris, altera Venusta dicitur, quæ Rhetorum possessionis est; a Burmii fronte meridiem versus in arctum planicies restringitur nisi quantum coeuntes inter se montes Adua repellit. Hunc Fredulsus amnis auget, qui ab ortu solis Burmium cingit. Huius ager frumenti aliarumque frugum, quas Alpina ferre regio potest, præterquam vini ferax. His commodis, atque re pecuaria simul, sed multo magis etiam hominum industria adiuti Burmienses magnas olim congessere opes: Et qua a Germania atque Lario iter ad ipsorum vicum per angustias patet, olim ædificatis pilis loca munierant, vt nisi pacato petere Burmium non liceret. Liber olim fuisse dicitur, sed cum luxuriante fortuna suorum non contentus Vallem infestam faceret, Vicecomitum armis libertatem amisit, ancipiti malo oppressus.

p. 93.

pressus. Nam cum ad Grossum, vbi Vallem clauserant, Burmienses Vicecomitum exercitui resisterent, dum eo in loco acriter pugnatur, per occultam Vallem, quæ post Venustam ad Grossum porrigitur, copiarum partem Vicecomites miserunt, quæ vicum sine vllo præsidio nactæ, populatis omnium tectis, arcem quoque in Adula ad vicum tuendum positam ceperunt, cuius ruinæ in hanc quoque diem durauere. In Burmiensibus montibus id etiam insigne, quod in eis inuenta proximis annis rubentis atque cælestis coloris pigmenta, haud dubia (vt permulti putauere) signa dederunt, argento atque auro montes illos grauidos esse. Post angustias vbi Burmiensium coarctari planiciem diximus, vallis ad Larium benignius aperitur. Frequentiora hinc tecta, frequentes etiam vici, in quibus propter numerosum populum referendi Sondula, deinde Grossum. Hic aperti montes ad Germanos Brusium atque Busclauium ostendunt, qui cum diripiendam hostibus vallem præberi consueuissent, effecerunt vt Vallis fauces duplici arce munirentur. Vtriusque etiam integri conspiciuntur muri. Additum huic aliud munimentum, ducta per transuersam vallem mole, quæ ab inferiore parte, vtpote locupletiore, hostes penitus arceret. Sed hanc quoque molem Rhæti cum temporibus nostris intulissent, subuerterunt. Ab his faucibus Croatius amnis in Aduam se condit. Post Grossum non latius modo verum etiam lætius vallis patet. Vici in eo Matium & Asparagus, Touum post, deinde populi numero Touo maius Louerum. His minus inclemens frigoribus regio: itaque etiam vineta alit. Sequitur Tiranum Telinæ totius firmamentum. In eo non frequens solum populus, verum magnæ quoque opes. Immunitum superioribus temporibus, Dux Mediolanensis Ludouicus Sfortia valido muro sepsit, atque a Solis ortu arcem imposuit. Idem, etiam Petræ malæ munimentum auxit, cum turris antiqua ad arcendos Germanos a Pusclauio parum valida putaretur. Tiranus ager admodum ferax. Eius colles ante alios vini copia insignes, qua Sol eos plurimus irradiat. Nec vero vini copia colles ipsos magis quam bonitas memorabiles facit. Inuenitur vltra sexagesimum annum si cura adhibeatur, perdurare, auctis viribus, quæ alioquin senio nisi in optimis minuantur: tunc quoque odore magis quam potu ad excitandam in affectis corporibus valetudinem inter efficacia remedia numeratur. Post Tiranum pagi sunt in montium radicibus ad Germanos pertinentium, Villa, & Bienzonum, & in parte aduersa alius pagus Slationa. Inde rursus a parte, quæ Germanis est contermina, in mediam vallem collis erumpit, in cuius summo Telium vicus, idcirco referendus quia frequens est populus, & multæ eius opes, & quod ab eo nomen sumpsisse vallem putant. Omnia in hoc colle culta, sparsæ in Aduæ marginibus casæ permultæ magis quam pagi. Telium prætergressis occurrunt vici Giaca & Curium, interiecto torrente, qui illic in Aduam cadit. Ab eadem parte alius sequitur pagus spatio diuisus, Pons nomine, accolarum diuitiis atque elegantiore cultu maxime memorandus. In parte iis aduersa & pauci & ignobiles pagi, atque sterilitate parum læti. Inde iterum in collibus ad Germanos pertinentibus Teruisium, mox Pendulasta montana, Grumellumque, inter montium iuga atque radices medii, adeo omnium frugum copia læti atque feraces, vt regio, quæ alioquin abundans est, hic se ipsam superare frugum copia & bonitate videatur. His successit Sondrium arce insigne, in cæteris ab iis, quæ dicta sunt, minime dispar: medium intersecat fluuius Mala, qui se illic in Aduam condit. Ab eo loco saltus patet ad Rhætorum partem, quam Malengum vocant. Telina ab eo loco minus culta, ac minus plana, & nihilominus non expers vitium, & qua ad Germanos pertinet, quan-
P. 94 tum cadentes a proximis montibus aquæ coli loca patiuntur, vt in montana planicie non prorsus infœcunda. In parte aduersa pagus Caiolus propter ordinem solum referendus. Ab eo ad Camonicam vallem saltus peruius est. Nec aliud ea in parte memoratu dignum. Cæterum ex aduerso post Sondriam vici sunt Castilonum, deinde Pons a proximo fano Sancti Petri dictus; ideo referendus, quia lapideo opere Aduam iungit, & Verbeno amne, quem illic Adua accipit, alluitur, & quod decimo

anno ante Cæsaris aduentum eo in loco Ludouicus Sfortia, cum nepotis rem gereret, facta pace Rhetorum incursiones coercuit. Inde Ardemus vicus, & ignobiles casæ sparsim positæ, magnis flexibus Adua planiciem secante, donec a montibus, quæ in dextra parte sunt, collis Tartaro a Bergomensium montibus in Aduam cadenti ceu se oppositurus occurrere velle videtur. Is torrens longo tractu planiciem occupat, atque infœcundam facit. Tum ab ea parte Telamon pagus late tecta sua spargit. Ex aduerso, in colle, quem diximus, Camsanum vicus, & morbis salutares, vt in Aduæ radicibus, calentes aquæ. Adua tum late se diffundit, in cuius margine, vnde Sol oritur, Morbemum. Is populus & numero hominum & diuitiis ante alios in Telina insignis. Sed cultiores quoque mores atque ædificiorum elegantia longius ab alpina duritie quam cæteros abiisse ostendit. Medium secat vicum torrens Bithus, in præceps ab altis montibus ex Bergomensi agro cadens, nonnunquam accolarum tectis infestus. Loco nomen cæli intemperiem, late agrum occupante Adua, fecisse fama est. Hinc ad Larium solus pagus Delebium. Nec plura in Telina valle referenda. Hinc enim in Larium Adua nomen suum relinquit, & pro valle lacus esse incipit. Larius ad hæc initia in dextra parte ab Adua venientibus Alpes versus cuneatur. Illic per Clauennæ vallem in Larium Mera amnis decurrit, & turris posita Mozolæ cognomento. In valle vicus Clauenna idcirco insignis, quod Barbarorum incursionibus sæpe infestatus, sæpe etiam grauibus eos prœliis afflixit. Cum ad arcendos hostes non sufficere sola in monte arx posita videretur, valido muro multis in locis egregie turrito Dux Ludouicus, regnante adhuc nepote, cinxit. Introrsus magis in Alpibus vicus, plurium hominum numero nequaquam Clauenna inferior. Vltra ad saltum Bregaliam Sancti Iacobi vallis, Curiensis Episcopi (qui vnus Grisanorum Procerum habetur) finibus contermina.

Larius ad hæc initia sinuatus, quo magis ad meridiem tendit eo latius patet. In latere eius ad occidentem prima a Meræ hostiis Oloniæ turris occurrit. Arx est in mediis aquis posita. Hinc vici, Glarea, Suricum, Domasium, deinde Grabedona, & Doncum. Ab his Musoccum atque Bellincionam per montium culmina itur.

Sequitur Mussium fodinis & candore marmoris insigne. Tum Arciona, & vltimum in ea parte Menasium, in promontorio situm. Ab eius tergo ad Proletiam via patet, in vltimo Lugani lacus sinu positam. In Larii parte huic, quæ dicta est, aduersa post Aduæ hostia pagus Collium, inde Sancti Nicolai fanum, vulgo Pionæ Prioratus nuncupatur. Post vici Corenum, Delphus, Bellanum, Varena; a tergo Vallis Saxina, atque in ea Baiedi Arx Bergomensi agro, vbi Sancti Martini vallis appellatur, contigua. Vsque ad Menasium Varenamque Larius simplex rectusque procedit. Neque eadem ipsius latitudo: vbi maior, ad quatuor se passuum millia pandit: vbi minor, ad duo millia; ac quibusdam etiam in locis angustius coartatur. Tum a Menasio atque Varena in duo se ceu brachia diffindit, vt ante ostensum est. Alterius ad occasum finis vrbs Comum: alterius oppidum & arx Leucum. Inter hæc duo Brachia a meridie in Larium, tanquam Isthmus, collis Bellasium nomine procurrit. A Varena ad Leucum sunt Fons Lacteus, & eodem nomine amnis, quamuis breui cursu, nomen a candore fractarum per saxa aquarum assecutus. Tum oppida Mandellum atque Leucum; hoc loci munimento insigne, nec minus quod sub Duce Philippo omnes Venetas vires sustinuit, egregiaque virtute ac fide præstita æternam sibi perlatæ fortiter duræ obsidionis famam comparauit. Illic tanquam Laurii partus Adua emittitur, lapideo ponte iunctus. In aduersa Larii parte vicus Malgratum, & Vallis quæ ab eo nomen accepit, inde Onum, Ciuenna, Vasenna, Limonta. Tum Bellasium collis, qui (vt ante dictum est) in medium Larium procurrit. In eius radice ad occasum solis eodem nomine vicus. A vertice tres ipsas prospicit partes, in quas Larius se expandit, & propterea magni turbulentis apud

Laurium rebus momenti semper habitus. Ita fuisse ostendunt ruinæ magnæ olim arcis in summo positæ,& quod mortuo Duce Philippo pertinere ad publicam quietem visum est,arcis munimenta demoliri, nec perpeti,vt a reliqua continenti, vt cogitatum fuerat, collis rescinderetur. Hinc fuit quod sine cultore diu mansit, quoad præsens loci dominus, fretus Principis gratia arcem quidem restituere non tentauit, sed magnis in æquiore colle excitatis ædibus consitisque arboribus, atque adiecta hortorum amœnitate, loco veteris famæ nitorem restituit. A Bellasio Comum tendentibus primo Lassenum occurrit, nulla re magis quam austeri vini infamia notum. Tum pagus Nexum, eodem nomine duplex populus. Haud longe ab eo fons est non semper scatens: stata dicitur habere tempora, atque opinio inualuit religioso die, quo pro hominum salute Christus in ligno pependit, dum sacra mane peraguntur, aquas hunc fontem ante arentem ea anni parte primum emittere. Vis etiam medica cohibendis impetiginibus & scabiei, eidem inesse putatur. Hinc pagi inueniuntur, Palantina atque Molendina. Huic molendi vsus nomen inuenit,& vt molere possit, aquæ efficiunt pluuiani fontis, quas non solum auctoris nomen fecit insignes, verum etiam illud, quod dictu mirum, non statis horis (vt in vulgo est) sed per incerta temporis interualla vt ex fonte euomantur, mox se ipsas etiam contrahunt atque resorbent, vt maritimam in Alpibus vndarum reciprocationem edere videantur. Vltra vicus Tornum lanificio insigne, & Parlassa, tum obliquante se lacu in eminenti dorso sancti Nicolai fanum vltimus in Lario locus ea parte Comum euntibus.

Superest nunc in Lario dicenda pars huic aduersa, a Menasio se Comum extendens. Igitur post Menasium vici sunt ordine, quo referuntur: Griantum egregia vini fama insigne, inde Tremetium, Lenum, & in Leni tergo Aquæ frigidæ monasterium, nomen loco scaturientes frigidissimis aquis fontes dedere. Tum surgens in Lario dorsum peninsulam facit, in cuius vertice sacellum, cætera sine cultoribus: oleis tamen vitibusque vestiuntur. In continenti patent campi, & in eis vicus insula, ita appellandi dorsum (quod diximus) paruo annexu continenti adhærens causa fuit: populus veterum malorum fama memorabilis. Nam cum locus fiduciam faceret natura atque manu munitus, conspirantibus propinquis populis, non infestare modo sed etiam in potestate sua Larium totum continere, ac vrbem Comum nauigatione prohibere ausus est, quoad Comensis ciuitas indignitate atque incommodis simul permota, communicatis viribus atque consiliis cum iis populis, qui superne lacum incolentes paria cum vrbe incommoda atque mala patiebantur, aduersus Insulanos a fronte tergoque eodem tempore arma mouit: sed inimicum populum non contenta oppressisse, victis leges imposuit, ne imposterum vnquam locum munirent.

Post Insulam Sala Colona, tum Arzenna atque Briona pagi. Inter duos posteriores Intellesi amnis ad Lugam Lacum vallis porrigitur. Inde sequuntur Alium, Coratumque deinde Moltrasium, atque Cernobium. A Moltrasii tergo mons surgit Bisbinus, a cuius vertice futuras prænosci tempestates accolarum opinio est. Hinc ad meridiem sinuatur lacus, & in ipso flexu Vicus, ita pagum illum incolæ vocant. In eo nunc sacræ virginis fanum Humiliatorum ordinis. Hic quondam Ruffi villam fuisse a Plinio celebratam fama est: & gemmeus euripus, aliaque nonnulla ita fuisse spectantibus fidem facere conantur. Cernobium inter ac Vicum Bregia fluuius in Larium decurrit, ponte insignis, Longobardorum Reginæ id opus, vt fama est. In intimo sinu vrbs Comum, & vetere fama & præsenti fortuna inter Italas vrbes minime negligenda.


Lario duo sunt peculiares venti, quotidie non simul sed vicissim ac statis horis spirantes, tanquam nauigationis vltro citroque adiutores ac magistri Tiuanum vo-

cant a Septentrione flantem, a meridie venientem dicunt Breuam. Hæc ad Larii initia naues propellit: Tiuanus inde venientium nauium implet vela. Alterius flatus, cum aurora surgit. Breua post meridiem incipit, & cum sole vires plerumque amittit. Larius pisces fert bonitate atque magnitudine insignes. In eis præcipui Trotta atque Persicus, & iis nequaquam conferendus Agon, toto tamen Lario frequentior.

His quæ dicta sunt, haud alienum fuerit regionem annectere inter Aduæ cursum atque Comensem viam, quoad in colles ad meridiem surgere desinit. Nam & Cæsaris itinere lustrata est, & a tergo imminentes Lario montes habet. Hanc plagam a Lario in meridiem tanquam limite sub Lembri nomine fluuius diuidit, & quo Lario vicinior, altius in montes surgit. Ad meridiem minus editis collibus aut potius tumulis suspenditur. Pars quæ ad Aduam pertinet, Briantius mons nuncupatur, in eo magnus hominum numerus, & frequentes vici: gens ipsa armis gaudet: quod longo tractu Bergomensi agro contermina, cum sæpe hostes essent, minus eis armorum vsu fuit interdictum: vino tamen & propter copiam & propter magnas vires celebrior. Inter eius vicos notiora nomina, Cliuate, & eodem nomine lacus cum Sala Galbiate, Ogionum atque Annonum. At occidentalior pars, quæ ad Larium vergit, sub nomine est Vallis Assinæ: ei maior vicus Assium nomen dedit: minus quam Briantius mons fertilis, quia inter saxa minus etiam coli potest. Post Assium vici Cantium, Casalinum, Scarena, vt minus ignobilia numerantur. p. 96.

Quæ a Lario pars magis in meridiem tendit fertilior, nomen est, ei Incini Plebs: media Lambro amne perluitur, qui a montibus Lario imminentibus cadit. Eum Eupulus excipit lacus: recentior ætas a vico proximo pro Eupulio Pusianum nominat. Huic amni proximiores pagi ad Briantium montem, Luragus, Inuerigus, Mongutius, atque in editiori parte Peucianum, & vnde Lacui præsens nomen Pusianum: tum Boxisium atque Cornellum. Sed Lambrum inter ac Comensem viam notiores vici, Canturcium, Fabrica, Brucianum; tum Cassianum, Albesium, Coracanum, Herba, Orzanigum, inter multa, in quibus etiam Lacus, vt minus ignobilia.

Eupulio emissus amnis, quem ab eo diximus exceptum, inter colles labitur, nulla re quam molendo regioni commodior, donec Moguntiam attingat. Tunc plana iam regione etiam irrigationi seruire incipit: neque ante definit & molendo & irrigando vtilis esse, quam in Laudensi agro Padus eum excipiat.



IO.

IO. TRITHEMII
HISTORIA
BELLI BAVARICI.

LECTORI SALVTEM!
BURCARD GOTTHELF STRUVE.



*Raue erat bellum, quod post Georgii Diuitis mortem, a. 1503. insecutam, de successione in terras ipsius fuit gestum. Hanc enim gener ipsius ex Elisabetha petebat, Rupertus Palatinus, cui accedebat pater, Philippus Ingenuus, Palatinus Elector. Contranitebantur Albertus IV & Wolfgangus, qui ex Monachiensi linea proximi erant adgnati, quibus etiam accedebat Maximilianus I. Caussam belli exponit Gerbardus a Roo * scribens:* dum hæc per Italiam geruntur, obiit apud Germanos Georgius inferioris Bauariæ Princeps, cognomento Diues, vnicam relinquens filiam Elisabetham, quæ Ruperto Palatino, Philippi Electoris filio nupta, duos ei filios Philippum & Othonem pepererat. Huic omnia sua testamento legauerat Georgius: sed Albertus & Wolfgangus superioris Bauariæ reguli, contra leges & instituta id factum esse, contendebant: extare vetustiora diplomata, quibus caueretur, si quem ex Bauariæ principibus, absque herede masculo decedere contingat, vti proximus ex laterali (quam vocant) linea agnatus in bona ipsius & ditionem succederet. Hac ratione cum nihil proficerent, totius rei arbitrium ad Cæsarem detulerant. Is, ne bello per Germaniam occasio inter principes cognatos existeret, magnopere in eam curam incubuit, vti sublatis ex æquo & iure controuersiis, pax & concordia seruaretur. Sed Rupertus, vix primæ iuuentutis annos egressus, & suapte ingenio, & aliorum consiliis ferocior, conditiones quantumuis æquas, non admissurus esse videbatur. *Dum igitur hoc in bello Palatinatus plurimum perpeteretur, ipse quoque Trithemius, Abbas tunc temporis Spanbeimensis, belli, cuius mala ipse expertus, hoc in Annalibus Hirsaugiensibus satis prolixe describit. Editi isti illo tempore nondum erant, sed, prout Freberus in Syllabo auctorum indicat :* ex Annalibus ampliss. nondum vulgatis desumpta, qui in Bibliotheca Palatina Bipontina. *Postea vero ex Codice Bibliotheca Monasterii S. Galli* 1690. f. *prodierunt. Ex his igitur Annalibus Freberus hanc historiam depromsit, ita, vt ea saltim, quæ ad hanc historiam faciunt, excerperet, alienis, quæ sub istis annis, in dictis Annalibus intermixta fuerunt, omissis. Idem in Chronico Spanheimensi ad annum 1503 & 1504 eandem Historiam tradit, sed breuius. Separatim ad eandem facit Ricardus Bartholinus de bello Norico, Austriados libris XII. ** Et præter hunc Mutius *** Pontus Heuterus **** Fuggerus, ***** Linturius, ****** Adlzreiterus, ******* Mullerus. *********

---

* *lib. XI p. 554.*
** proſtant *Argentorati 1516. 4.* atque extant in Reuberi collectione.
*** *lib. XXX p. 311.*
**** *rer. Austr. lib. VI c. VI.*
***** *lib VI c. VI.*
****** *ad a. 1504.*
******* *Ann. Boi. p. II lib. IX n. 71.*
******** *Reichstagsstaat unter Maximiliano lib. III c. I. II. III.*

BELLI



p. 97. BELLI BAVARICI ANNO DOMINI MDIIII. PHILIPPO PALATINO ELECTORI, ET RVPERTO EIVS F. A MAXIMILIANO IMPER. INDICTI, ET A QVIBVSDAM PRINCIPIBVS HOSTILITER ILLATI, HISTORIA:

SCRIPTORE IOHANNE TRITHEMIO ABBATE TVNC TEMPORIS SPANHEIMENSI:

Adlzreiter Ann. Boi. p. II lib. 9 n. 72. Fugger Spiegel der Ehren lib. 4 c. 5 p. 141. Roo lib. 11 p. 554.

Georgius Diues Dux Bauariæ.



NNO MD III. mortuus est Georgius Dux Bauariæ cognomento Diues, vnicam relinquens filiam nomine Helisabeth, nuptam Ruperto filio Philippi Comitis Palatini, Bauariæque Ducis, ac Principis Electoris, dispensatione Romani Pontificis, quia iuncti fuerant in secundo gradu consanguinitatis. Mater enim Ducis Ruperti soror fuerat Ducis Georgii. Qui Dux Georgius re simul & cognomine diues, tantum in auro, argento, vnionibus & lapidibus pretiosis reliquit thesaurum, quod ei nullus in Germania Princeps diuitiarum æstimatione poterat comparari. Hanc eius mortem infinita pene mala subsecuta sunt. Prius enim quam moreretur, generum suum Ducem Rupertum de Haydelberg cum vxore, & liberis ad se vocauit in Bauariam, cupiens eum heredem instituere Ducatus sui, & omnium quæ possidebat. Venit ad socerum gener cum vxore & liberis: anno ferme priusquam obiret, habitauit cum eo in Bauaria, & oppida quædam atque munitiones socero mandante in deditionem accepit. Moriturus autem Dux Georgius sæpe dictum Rupertum generum suum ex testamento heredem vniuersorum instituit, eumque violenter ad Bauariæ Ducatum introduxit. Quæ res Alberto Bauariæ Duci, vt heredi proximiori displicuit, & testamentum Ducis Georgii reclamauit. Sed Georgius Dux, quam diu superuixit, in Ducatu manu tenuit generum, & sedulo ne discederet a testamento se mortuo admonebat. Quo tandem vita defuncto cum Dux Albertus nihil proficeret, Regis iudicium implorauit. Rex igitur Maximilianus vocatis ad se partibus, vt verus amator pacis, & iustitiæ cultor, conabatur summo studio inter Duces reformare concordiam, propositisque multis & variis mediis, nihil apud Ducem Rupertum (quem tamen singulari prosequebatur fauore) profecit. Erat autem Dux Rupertus amabilis, inclytus, mansuetus & humanus valde, qui Regis non detrectasset in omnibus sequi decretum, si res in eius posita fuisset arbitrio. Annum ætatis tum agebat vicesimum secundum. Habebat in consilio quosdam a patre sibi deputatos in directores, quorum arbitrio agere cuncta oportebat. Hi fiduciam ponentes in multitudine thesaurorum, Regis contempsere sententiam, non præuidentes mala, quæ sequenti anno ex tali secuta fuerunt inobedientia. Non semel, sed sæpius Rex Maximilianus pietate motus adolescentem monebat, vt propositas sibi æquas conditiones acceptaret concordiæ & pacis. Vbi eum semper reperit contumacem, banno tandem Imperiali cum omnibus ei adhærentibus notauit, quod anno sequente cum contigerit, temporis ordini scribendum reseruamus.

Rupertus Palat. Philippi F.

Anno M D IIII posteaquam Maximilianus Rex Germaniæ Romanorumque electus & destinatus Imperator, singulari benignitate, multaque clementia & labore conatus suos frustra consumilisset, in eo displicentiarum negotio, quod pro Ducatu p. 98. Bauariæ mortui Ducis Georgii (vt paulo ante diximus) hærebat inter Duces Rupertum & Albertum, & Dux ipse Rupertus testamento inniteretur soceri, nec vellet

* adde atque etiam Pontificis Rom. suasu.

obedire decretis Legalibus, consilio suorum * deceptus, Imperiali banno cum omnibus sibi adhærentibus fuit notatus. Verum non attendens ius regale Dux Rupertus, contractis vndique copiis munitiones Ducatus soceri nonnullas occupat, & omnia quæ illius fuerant, sua esse testatur. Requisitus est præmonitus edicto regio Philippus Comes Palatinus, genitor Ducis Ruperti, ne filio ex bannito faciat assistentiam, dubius & anceps diu fluctuabat animo; & altera ex parte affectu paterno vrgebatur ad subueniendum filio, ex altera vero regio terrebatur edicto. Et quid faceret in tali pater necessitatis articulo constitutus? Si filium deseruerit, iudicabitur impius & crudelis: si adhæserit, si consilium vel auxilium pro eo dederit, inobediens Regiæ Maiestati censetur merito atque rebellis. In tali ambiguitate nutans, vicit tandem affectus in eo paternus, & dissimulata interim quam Regiæ Maiestati debebat, obedientia, naturam prætulit rebus humanis. His recognitis Maximilianus Rex totius regni Principes & ciues vna cum ministerialibus in bellum contra Ducem Rupertum, eiusque genitorem Philippum Comitem Palatinum, & omnes sentientes cum eis, conuocat, bellumque indicit regni commune eisdem, tanquam in eos qui mandatis regalibus inobedientes fuerint, atque rebelles, contumaces, & ob id omni priuilegio nudatos. Concessit etiam, vt vnicuique libere & impune liceret eos vt regiæ Maiestatis contemptores, & exbannitos inuadere, spoliare, trucidare, & interficere.

Et ecce conueniunt ad mandatum Regis mox in vnam sententiam Principes multi, ciues quoque pene omnes in vicinio regni, Comites simul & nobiles, & quasi ex condicto in Palatinum Comitem Philippum, & filium eius Rupertum vnanimi consensu arma contulerunt. Et hæc sunt nomina Principum qui contra Palatinum arma, personali præsentia mouerunt. Maximilianus Germanorum Rex, Fridericus Marchio Brandenburgensis, Albertus & Wolffgangus fratres Bauariæ Duces, & in causa Principales, Wilhelmus Landgrauius Hassiæ, Vdalricus Dux Wirtenbergensis, Alexander Comes Palatinus, Bauariæque Dux, & Comes Veldentiæ, Heinricus Brunsuicensis. Auxilia miserunt Regi Maximiliano contra Palatinum, Episcopus Augustensis, Ioachim quoque Marchio Brandenburgensis. Ratisbonenses, Nurenbergenses, Vlmenses, & tota Liga Sueuica, cum aliis multis nobilibus atque Comitibus, in perniciem Palatini vnanimiter conspirantes arma mouerunt. Plures etiam Comites & militares, qui prius cum Palatino senserant hac superueniente necessitate, Regisque vrgente imperio ab eo defecerunt.

Rege itaque Maximiliano præcipiente, quatuor a locis mouetur in Palatinum expeditio, quarum ipse primam ordinauit in Bauaria, secundam fecit Vdalricus Wirtenbergensium Dux, tertiam Wilhelmus Hassiorum Landgrauius, & quartam Alexander Dux Bauariæ, Comesque in Veldentia, qui tamen parum fecit, quia multum non potuit. Bertholdus Archiepiscopus Moguntinus, Laurentius Episcopus Herbipolensis, Albertus Episcopus Argentinensis, Ludouicus Episcopus Spirensis, Reinhardus Episcopus Wormatiensis, Christophorus Marchio Badensis, Iohannes Dux Bauariæ & Comes in Spanheim; Ciues quoque Spirenses & Wormacienses, quia conterminant finibus terræ Palatini Comitis, ne periculo se inuoluerent, quod e vicino eis imminebat, permissione seu dissimulatione Regis, a tumultu bellico quieuerunt. Initium (sicut dictum) hæc mala sumpserunt in Bauaria contra Ducem Rupertum regio decreto inobedientem, atque rebellem, in quem arma mouerunt, Maximilianus Rex Germanorum, Albertus & Wolffgangus Duces Bauariæ, Fridericus Marchio Brandenburgensis, Episcopus Augustensis & tota confœderatio Sueuica, cum regni ciuibus in circuitu vniuersis. Qui omnes in vnum conuenientes, numero & viribus magni & formidabiles nimium, Ducatum qui aliquando fuerat Ducis Georgii, p. 99. hinc inde per gyrum vastarunt, incendio & ferro cuncta desolantes, munitionesque, oppida & castella non pauca obtinuerunt. Nurembergenses denique proprium ducentes exercitum contra Philippum Comitem Palatinum, multa ei damna circa oppidum

dum Amberg in Bauaria fecerunt, vtpote qui viciniores erant, & se læsos aliquotiens ab eo grauiter animis ferebant.

Miserat in Bauariam Philippus pater equites filio qui ferrent auxilium in necessitate constituto, quanquam conduxerint parum. Ex Boemia etiam non paruum exercitum pugnatorum mercede conductum, Rupertus euocauerat: contra quos Rex Maximilianus non longe a Ratisbona personaliter properauit ad bellum, habens in commeatu Fridericum Marchionem Brandenburgensem, & Albertum Bauariæ Ducem, cum aliis Comitibus atque nobilibus multis. Facto igitur congressu bellum atrox committitur, & aliquandiu ambiguo Marte pugnatur. *Adlzreiter p. 2 lib. 9 n. 85.*

Victoria tandem Regi cessit Maximiliano, & Boemorum exercitus ab eo contritus est, e quibus in ore gladii ceciderunt occisi mille sexcenti viri, & capti fuerunt similiter sexcenti, reliqui fuga lapsi necessarium salutis profugium quæsiuerunt. Rex autem Maximilianus obtenta contra Boemos victoria, milites plures creauit auratos, & partes in eo conflictu Palatinas valde infirmauit & contriuit.

Eodem quoque anno durantibus in Bauaria guerris, monasterium Cisterciensis ordinis, Waltsaxa nuncupatum, iussu cuiusdam tyranni militis & capitanei Marchionis Friderici fuit incensum & maiori ex parte igne consumptum, sine scitu vel consensu Principis sui, quemadmodum eius ab ore proprio audiui, & credidi probationibus necessariis sufficienter informatus. Mox enim vt Principi factum innotuit, de curia sua incendiarium eiecit, cuius caput fecisset & amputari, si non precibus multorum a sententia fuisset retractus. Verum Domino Deo sibi factas vlciscente iniurias, non diu auctor incendii mansit impunitus; Sed veniens cum alio quodam in contentionem, ab eo fuit interemptus, & (sicut timendum est) duplici morte damnatus. Scriptum est enim, *Qui templum Dei destruit, & ipse a Domino destruetur.* Liberet, si conduceret aliquid, tempestatis nostræ mores detestari humanos, quos hodie tam enormiter cernimus deprauatos, in his maxime qui de generis nobilitate gloriantur, quos rectius Dumetinos equites * Maximilianus Rex nuncupare consueuit quam nobiles, qui latrocinia sequentes & rapinas, nec Deum timent, nec homines reuerentur. Sed de his postea dicemus.

Rex autem Maximilianus post habitam de Boemis victoriam exercitum diuisit, cuius alteram partem cum Duce Alberto & Marchione Friderico dimisit in Bauaria contra Ducem Rupertum, cuius vires iam tunc multum fuerant debilitatæ & imminutæ; alteram vero secum duxit in Alsatiam, Philippum Comitem Palatinum Ruperti Ducis genitorem impugnaturus. Qui cum debellaretur a multis simul & semel in diuersis locis, non potuit singulis ad pugnam occurrere; sed cogebatur patientiam in tribulationibus prudenter exhibere. Contractis enim mercede copiis, duos habebat exercitus, quorum alterum filio misit in Bauariam ferre auxilium, alterum Heydelbergæ secum retinuit, quem contra incursores hinc inde per Palatinum Ducatum, prout requirebat necessitas negotiorum, ordinauit.

Vnde cum resistere omnibus non posset, in multis prudenter dissimulauit, confidens de mansuetudine regia, quod gladium suum non ad internecionem extenderet omnimodam, sed ad paternam correctionem. Munierat iam antea, satis fortiter principaliora oppida sua, Heydelberg, Germersheim, Alzen, & alia per Principatum castella: præceperatque commorantibus in rure subditis, vt res suas omnemque supellectilem, & quicquid a facie inimici optarent remanere securum, in viciniora sibi oppida atque castella transferrent, domos in villis stramine tectas operimento nudarent, vt nulla relinqueretur hostibus aut spoliandi aut incendendi facultas. p.100.

Erant autem dies miseriarum pleni, & nusquam tuta fides in terra. At vero [illegible] P 2 [illegible] Maxi-

---

* *Heckenritter.*

Maximilianus Rex, postquam in Alsatiam (sicut dictum est) traduxit copias, Argentinensium auxilio regni terras & oppida impignerata Palatinatui sine sanguinis effusione inuasit, & obtinuit. Geroldeseck castellum, & Comitatum Offenburg, Ortenberg, Gengenbach, & quicquid in circuitu iuris fuerat Palatini. Posthæc Rheno transmisso Hagenavve, Luzelstein, Wissenburg, & omnem regionem, quam nostri *die Landvogtey* nuncupant, suæ subiecit ditioni, nullo resistente, sed cunctis eum vt verum & proprium dominum suum cum reuerentia & honore vbique suscipientibus.

His peractis Christophorus Marchio de Baden vices suas interposuit, & Regem, ne contra Palatinum progrederetur vlterius, precum instantia reuocauit. Rex autem qui Comitem Palatinum corripere & humiliare destinauerat animo, non delere, facilius acquieuit, & retracto pede humiliatum ad gratiam recepit; quem, si voluisset, in breui totaliter destruxisset, viribus totius regni adiutus. Non enim possibile fuit, vt vnus regni Princeps, alioquin satis potens, impetum tot Principum non læsus sufferret, quibus duobus vel tribus indubie restitisset.

Interea dum Rex Maximilianus cum Principibus & ciuibus regni bellum contra Philippum Comitem, & eius filium Ducem Rupertum gereret in Bauaria, Vdalricus Dux Wirtenbergensis, cum iussu regio, tum propriam aduersus memoratum Principem habens actionem, anno prænotato in mense Maio se literis Heydelbergam publice missis, hostem & inimicum (vt fieri solet) manifestat eiusdem.

Deinde contractis copiis, ad numerum (vt ferunt) viginti millium pugnatorum peditum, & octingentorum equitum, terras Palatini Comitis ingreditur: & imprimis monasterii Mulbronnensis, quod Cistercienfis est ordinis possessiones & villas igne & ferro deuastauit, quæ sub tuitione fuerant ipsius Philippi Comitis memorati. Vuersen villam dicti cœnobii cum aliis incendio cremauit, pecora rusticorum abegit, eisque plura incommoda & damna fieri permisit. Postea ipsum cœnobium Mulbronnense, quod in modum castelli satis erat munitum, obsidione vallauit; in quo Palatinus Comes CCC. virorum præsidium collocauerat.

Abbas cum fratribus ad vrbem secesserat Spirensem, paucis senioribus in monasterio relictis. Construxerat in monticulo ex opposito monasterii paulo prius Comes Palatinus pro defensione loci fortalitium quoddam, in arcis modum fortiter munitum, non sine multis impensis; quod Dux Vdalricus imprimis aggressus est, quassatumque machinis cepit. Deinde muros cœnobii, turres & domos intra murum positas bombardis & machinis bellicis pulsare cœpit, & opus inchoatum sine intermissione iaciendo lapides continuauit. Videntes autem qui erant in monasterio, quod tantæ potentiæ Ducis non possent resistere, quodque nullum de suo Principe haberent auxilium, quantuis sæpius implorassent; sub certis conditionibus Duci monasterium tradiderunt. Dux itaque monasterium introgressus potenter obtinuit, & eos qui fuerant de parte Comitis Palatini, iuxta condictum libere quo vellent abire permisit, susceptaque loci aduocatia Monachos reuocauit.

Inde progrediens fortissimum Knitlingensium agrum potenter subegit & Palatini oppidum Bretheim obsidione cinxit, castra ponens ab eius parte versus Aquilonem. Obsidione firmata, confestim muros & turres & ædificia oppidi quæque bombardarum ictibus fortiter cœpit impellere ad ruinam, & magno conabatur annisu potentiæ suæ viribus obtinere victoriam. Sed qui erant in oppido, & numero & audacia viri potentes, in papiliones Ducis machinas direxere tonantes, & se constanter & oppidum fortiter defensarunt. Erant enim pugnatores in oppido ad res p.101. bellicas instructi quos nec metus in fugam, nec pusillanimitas Mulbronnensium instar facile converteret in traditores. Vna namque dierum cum Wirtenbergenses bombo tonantes atque machinarum custodes, otio, vino, & somno dediti nihil minus quam oppidanorum suspicarentur excursum, Palatinenses de oppidulo erumpunt, otio homines memoratos vacantes quasi securos inueniunt, aggrediuntur, cæ-

dunt,

dunt, occiduntque, & bombardas hoſtium nonnullas violenter ſecum abducunt. Ingens fit ſubito clamor, & grandis ſub confuſione tumultus, dum præ gaudio Palatinenſes attollunt in aera voces: Wirtenbergenſes autem ex ſubita incurſione attoniti, vociferantes quid paterentur eorum ſonantes neſcirent. Ex quibus nonnulli poſt excurſum Palatinarum partium retrocedentes minus caute ſecuti, cum portam inueniſſent apertam introgreſſi ſunt, protinusque clauſis valuis crudeliter occiſi, ſed & plures in captiuitatem abducti.

Ceciderunt in eo tumultu ex vtraque parte viri ducenti & ſupra, plures tamen de Wirtenbergenſium exercitu quam Palatinorum. Sedatis poſtremo tumultibus Sueui mortuos ſuos in cœmiterio quodam non longe poſito ſepelierunt.

Durauit iſta oppidi Bretheim per Ducem Vdalricum obſidio diebus vno atque viginti, quibus effluxis venit in papiliones Ludouicus filius Philippi Comitis Palatini primogenitus, quem Dux Vdalricus de Wirtenberg cum honore ſuſcepit, & in tentorium ſuum lætanter introduxit. Quid inter ſe tractauerint, aut quas conditiones pacis dederint & acceperint, me latet vsque in præſentem diem. Solum hoc habeo compertum, quod Vdalricus Dux Wirtenbergenſis mox poſt Ludouici receſſum obſidionem amouit.

Bretheimiana obſidione ſoluta inde mouit exercitum Dux Vdalricus, & muniſtiſſimam arcem Palatini Comitis Bœſeckheim firmiſſima obſidione coarctauit, lapides ſine intermiſſione bombardarum violentia intromittens, quibus haud parum tribulauit obſeſſos. Qui cum impetum machinarum diutius ferre non poſſent, neque auxilium ſe ſcirent aliunde habituros, communi decreto munitionem Duci Vdalrico ſub conditione ſalutis tradiderunt. Dux autem oppidulo cum arce obtento victor ingreditur, & abire traditores permittuntur. *Beſickheim.*

Vltra progreſſus contra Ludouicum Comitem de Levvenſtein, qui erat in parte Comitis Palatini, qui ex patruo * nepos, omnem comitatum eius incendio & vaſtatione hoſtili deſtruxit, penitusque deſolauit. Caſtrum quoque memorati Comitis de Levvenſtein obſedit, & in quatuor diebus obtinuit ipſo Comite Ludouico in Bauaria cum Duce Ruperto exiſtente. Verum poſt annos quatuor Dux Vdalricus quorundam nobilium precibus ad miſericordiam flexus, Caſtellum Levvenſtein cum cæteris ablatis omnibus, ſub certis conditionibus ſæpe dicto Comiti reſtituit, vna villa duntaxat excepta, cuius incolæ nulla poterant ratione induci, vt iam deinceps conſentirent ſub ditione Comitis eſſe Ludouici, cauſas habentes varias. ** Friderich Pal.* *Lebbenſtein.*

Conſequenter Dux Vdalricus in Comitatum de Winsberg mouit exercitum & incenſis igne per circuitum villis, magnam terris intulit deſolationem. Poſt Comitatus hoſtilem vaſtationem, ipſum Caſtellum Winſpurg obſidione vallauit: quod ſimiliter expugnauit in paucis diebus, & per deditionem obtinuit. Rurſusque progrediens Nouam ciuitatem * Palatini Comitis oppidulum ſimili facilitate capiens, in ſuam redegit poteſtatem. *VVeinſperg.* ** Neuſtadt am Kocher.*

Deinde Meckmul oppidum cinxit obſidione, quod etiam breui ſuæ poteſtati ſubiecit. His per tempus quo inter regnum & Palatinum cœpta durauit contentio, per Ducem Vdalricum octauum decimum annum ætatis agentem, glorioſe imo nullo reſiſtente peractis, mandato regali ſubſecutæ ſunt treugæ, a bello ceſſatum, & tandem (ſicut dicemus) facta concordia. *Meckmul.*

Animus in adoleſcente fuit Principe magnus, cuius impetum niſi regia cohibuiſſet auctoritas, damna Palatinis grauiora intuliſſet. Laudamus eum, quoniam in ea parte Chriſtianum ſeruauit modum pugnandi, quo & monaſteriis & Eccleſiis Deo conſecratis pepercit, quippe qui neque incendio conſecrata Domino templa ſubuertit, neque ſeruorum Dei cœnobia ſpoliauit; ſed animo ſtrenuus, potentia virtuoſus, ac pius in Deum, quoad fieri potuit, Eccleſiæ miniſtris pepercit. *Vlricus VVirtenbergicus.* p.102.

Tertium contra Palatinum exercitum circumduxit Alexander Comes Palatinus, Bauariæque Dux & Comes in Veldentia Moſellanus, qui morabatur in Gemino

no ponte, filius Ludouici quondam Ducis cognomento nigri. Hic anno Dominicæ natiuitatis prænotato, in vigilia S. S. Petri & Pauli Apostolorum, capitaneum suum cum exercitu paruo rusticano, & magis ad prædam idoneo quam ad pugnam, in terras misit Palatini, Spanhemensi coniunctas & vicinas comitatui. Qui monasterium Wilhelmitarum, quod Mariæ porta nuncupatur, parum distans a Spanheim, intrantes crudeliter spoliarunt, abigentes pecora, & omnia quæ inuenire poterant secum in Meisenheim oppidum abduxerunt. Erat autem feria sexta, & vigilia (sicut diximus) Apostolorum, nihilominus quidam in exercitu petrones repertas, quæ præcedente vespere superauerant, carnes deuorabant.

Marienpforten.

Spoliato cœnobio retrocesserunt, & quasdam in itinere villas de Palatini dominio igne supposito incenderunt, Merxheim, Nosbavvm, & alias per circuitum oppidi Sobernheim. A Priore nihilominus & fratribus memorati cœnobii Wilhelmitarum CC. extorsere florenos, vt ab incendio quod minabantur, monasterio temperarent. Quis hic modus bellorum, vbi & Deo dicatis locis minetur incendium? Inde capitaneus exercitus Ducis Alexandri copias contra Palatinum duxit in partes VVestrasiæ, atque per prouinciam discurrens instabilis, villulas quasdam incendio cremauit, pecunias a monasteriis & Ecclesiis in Otterburg, Clingenmunster, Eusserstal, Hartvvichshusen, Sanct. Lamperti monialium, & aliis in circuitu ne incendio perirent, extorsit, spoliauit, & sine commiseratione grauiter afflixit.

Merxheim. Nursibaum. Sobernheim.

Posthæc Buleckheim villam Comitis Palatini, ab oppido Landavv Spirensis diœcesis vno duntaxat miliari distantem obsedit, & fortiter vt potuit impugnare cœpit. His autem qui fuerant in præsidio collocati, villam constanter defendentibus, omnes hostium defecere conatus. Interea Comes Palatinus exercitus sui partem in auxilium misit obsessis: quorum aduentu territus hostis obsidione soluta discessit, plura passus incommoda quam hostibus forsitan suis potuerit inferre. Dum hæc agerentur, Dux Alexander morbo laborans non fuit in exercitu, cuius absentia factum est, vt milites conducti prædam sitientes plus hostem spoliare contenderent quam vincere. Discurrentes enim per totam regionem in circuitu Nouæ ciuitatis oppidi, omnia per violentiam rapuerunt, non solum in domibus & possessionibus rusticorum, sed etiam in monasteriis & Ecclesiis sanctorum. Non tamen omnes qui fuerunt in exercitu, in hunc modum rapacitatis vitio intendebant, sed viri perditionis duntaxat, quibus nihil de timore Dei, nihil de publica honestate, sed totum de auaritia constabat. Quod timor Dei non fuerit ante oculos eorum, ex eo fecerunt manifestum, quod neque Deo dicatis locis pepercerunt, neque Monachis, neque Ecclesiæ ministris, vtpote qui auaritiæ facibus insatiabili desiderio inflammati sacrilegas manus in res diuino cultui consecratas temere miserunt, spoliando templa Dei ornatibus cunctis, altaria palliis & linteaminibus benedictis, & (quod eatenus in Christianorum publicis bellis nusquam reperi factum) linteos attactu Dominici pretiosi corporis sanctificatos, qui corporalia nuncupantur, rapuerunt de sacrosanctis Ecclesiis, & in suos vsus illicitos deputarunt, ex quibus alii suis vxoribus fecerunt pepla, alii sibi applicuerunt ad pectoralia.

Buleckheim.

Neustat.

Anno prænotato nona die mensis Augusti, pedites cum equitibus Alexandrinorum, qui erant in oppido Meisenheim, quod duobus ferme a monasterio Spanheim distat miliaribus, circa solis ortum mane irruerunt in villam Rudesheim iuxta oppidum Cruzenach inopinate, raptisque omnibus inuentis eam ignibus incenderunt. p.103.

Rudesheim.

Fumo per aera surgente in altum, Palatinenses qui erant in oppido iam dicto, turmatim contra hostes exiuerunt, vsque ad villam procedentes ardentem. Sed Alexandrini mox vt villam incenderant fugerunt, & abductis nonnullis ex Rudesheim,

heim, & Huffelsheim rusticis, vna cum inuentis pecoribus & spoliis ad Meisenheim præsidium suum reuersi sunt. *Huffelsheim.*

Vndecima die mensis Augusti capitaneus ducis Alexandri, Henricus de Svvartzenburg eques auratus, ruricolas villæ VVimesheim cœnobio Spanheimensi vicinæ pro centum viginti florenis ab incendio liberos dixit atque securos. Noluit enim incendere villam, quamuis sub ditione Palatini constitutam, propterea quod Dux Alexander patronus & collator esset Ecclesiæ parochialis. *VVimesheim.*

Villam quoque VValdenhusen, quæ iuris est nobilium de vicino castello Dalburg, pro trecentis florenis liberam ab incendio fore promiserunt Alexandrini. *VValdenhausen.*

Quarta die mensis Septembris mane ante Solis ortum exeuntes de Meisenheim Alexandrini, silenter intrauerunt Comitatum Spanheimensem, vaccasque centum viginti, & porcos ducentos iuxta villam Bickelheim, [illegible] abegerunt. Villam quidem capere nisi sunt, seu non potuerunt, quam [illegible], & propugnaculis [illegible] die & nocte diligentius [illegible], die autem sequente mane surgentes viri de Bickelheim numero viginti, auxilio [illegible] de oppido Sobernheim, ante Solis ortum se haud procul ab oppido Meisenheim in nemore absconderunt, donec pecora [illegible]: quibus more [illegible], erumpunt de insidiis qui latuerant viri, pecora non suspicantibus Alexandrinis abigunt, & Bickelnheim velociter introducunt.

Vndenona die mensis [illegible] memorati Septembris Alexandrini rursus de oppido Meisenheim turmatim exeunt: & circa nonam horam de mane in agrum Sobernheimensis [illegible], omnia quæ [illegible] pecora, nullo percipiente in oppido [illegible] ad Meisenheim [illegible].

Est autem inter Sobernheim & Meisenheim vnius duntaxat miliaris distantia.

Vicesima post hæc die mensis Septembris, quæ fuit sexta feria post exaltationis Sanct Crucis, Alexandrini mane [illegible] in nemore situm, quod Sonus nominatur a Spanheimensibus, a Treuirensibus autem & Mosellanis Hidorus, donec egrederentur ad pascendum pecora, latuerant. *Zosch.*

Est autem nemus hoc in maiori parte latitudinis vnius Teutonici milliaris, in minori [illegible]: cuius initium a Rheno inter Bingiones & Bacheracios captans per comitatum Spanheimensem Cynonotosque Treuirenses, & [illegible] porrigitur, continuatum sine intercapedine [illegible]. Ea pars nemoris memorati quæ sub Moguntina continetur diœcesi, nuncupatur Sonus. *Sahne.*

Illa vero quam diœcesis comprehendit Treuirica, Hidorus nominatur, Silua certe quercubus, pascuis, & glandibus diues. [illegible] more Alexandrini, mox vt pecora de castello viderant [illegible] in [illegible] rusticano viros antea dispositos, qui portas ne clauderentur [illegible]. [illegible] rum confestim secuti vestigia, ceperunt nullo resistente castellum, ipsumque [illegible] *Ider.*

p.1041 cellum Iohannem de Hohenstein adhuc dormientem in lecto ceperunt, abducentes captiuum. Deinde omnem scrutantes supellectilem, in prædam iumentes [illegible] cunt, & castrum igne supposito redigunt in fauillam. Non enim [illegible] integrum se posse retinere castellum, propterea quod [illegible] iure [illegible] Archiepiscopi [illegible] ficeretur Treuirorum, & Ioannes de Hohenstein [illegible] castelli neque Palatino neque alteri alicui hac durante guerra seruiret. Vnde cunctis [illegible] intelligentibus visum est, Alexandrinos viro grauem & non dissimulandam fecisse iniuriam. Sed quid? Non iudex iudicat. Transeamus. *Iohan. de Hohenstein.*

Vicesima

Vicesima octaua die Mensis Septembris Alexandrini de Oppido Meisenheim rursum egressi, Merxheim villam (vt supra diximus) sub tuitione Philippi Comitis Palatini positam, quæ iuris erat immediati Svvidegeri de Sickingen equitis aurati, qui tunc in exercitu Ducis Ruperti fuerat personaliter occupatus in Bauaria, & Ioannis Captiui de Hohenstein memorati, spoliauerunt, & igne submisso quod reliquum fuerat à priore incendio, funditus destruentes in fauillam redegerunt, magno cum damno incolarum.

Sbbicker de Sickingen.

Seyn.

Eodem quoque die pars vna exercitus Alexandrinorum villam & castellum Seyn Svvidigeri militis de Sickingen iam dicti spoliauerunt, & per incendium funditus destruxerunt, irruentes more suo per turmas.

Dum hæc omnia quæ diximus fierent, & quædam alia plura memoriæ non occurrentia nostræ, mandato Ducis Alexandrini contra Philippum Comitem Palatinum, tempus mensium quinque consumebatur, quo bellum durauit: intereaque agebantur quæ sunt dicta prius, de Maximiliani Regis in Bauaria exercitu, Ducis quoque Vdalrici de VVirtenberg, & quæ sumus dicturi de crudeli vastatione VVilhelmi Landgrauii prouinciæ Hassianorum. Verum quia breuiter descripsimus Alexandri Ducis memorati gesta contra Philippum Comitem Palatinum, sicut nostræ occurrebant memoriæ; ordo iam postulat rationis, vt quid Palatinenses auserint aduersum partes ipsius Ducis Alexandrini, quantum nobis constare poterit, breuiter dicamus.

Nic. Brun. de Smidperg.

In primis autem Nicolaus Brunonis, vel (vt propius accedam) Brunus de Schmitdeberg, ex parte Palatini capitaneus eorum, qui apud Stauronesum erant in præsidio, vir audax, fortis, & bellicosus, in vigilia natiuitatis Sancti Ioannis Baptistæ contractis ex Stauroneso * copiis Alexandri Ducis villas duas circa Nahum fluuium in vicino positas, Husen videlicet inferius & superius, inuasit, spoliauit, incendit, ac præter Ecclesiam funditus destruxit. Viros ruricolas quotquot inuenire potuit, cum pecoribus & præda captiuos abduxit: quos pecunia interueniente postea liberos abire permisit. Sequenti die festo D. Baptistæ Ioannis villam Rode simili vastatione deprædatus incendit, & nonnullos ex rusticis captiuos abduxit. Reliquas etiam in circuitu villas, curtes, & quicquid sub tuitione fuerat Ducis Alexandri, hostili incursione deuastans spoliauit, incendit ac funditus destruxit.

** Creuzenach. Ober und nieder Hausen.*

Rode.

Ioh. Landschad.

Posthæc XIX. die mensis Iulii venit ab Heidelberga Ioannes Landschad de Steinach eques auratus, Palatini capitaneus & Dux exercitus, cum armatorum copiis ad oppidum Cruzenach, & manserunt ibi diebus sex, incrementum sui & machinas bombardarum expectantes. Quibus interea cum bombitonantibus aduectis, vicesima sexta die mensis Iulii Stauronesum in magna multitudine exiuerunt per ordinem, primo pedites ac deinde pulchro apparatu dispositi equites: iter contra Ducis Alexandri Comitatum dirigentes. Erat autem mane circa horam septimam, quando primi exire cœperunt, & ordine sequentes alii continuo, paulo post nonam horam vltimi exiuerunt: fuit enim copiosus exercitus.

Disibodenberg.

Eodem die venerunt cum festinatione ad planitiem quæ est inter montem Sancti Disibodi & Odernhem Ducis Alexandri oppidulum, & ibi castra fixerunt. Erant autem in ipso monasterio montis S. Disibodi, quinquaginta stratiotæ pro cu- p.105.
stodia loci ab Alexandro deputati: qui cum vidissent exercitum Palatinensium aduenire, confestim relicto præsidio fugerunt ingressi monasterium. Palatinenses duos vel tres Monachos duntaxat inuenerunt, cæteris cum abbate hostium metu iam pridem ad loca tutiora translatis. Magnam petrones crudelitatem in eo cœnobio exercuerunt, quam veritatis amore transire non possumus. Vini plaustra non minus quinquaginta in cellario repererunt: quo si modeste fuissent vsi, exercitui multis diebus potuissent sufficere. Sed passim omnes qui volebant irruentes sine ordine,

ne, sine modestia, sine discretione, vinum potabant, & multo plus effundebatur super terram, quam in vsum verteretur humanum. Enimuero cum instrumenta non haberent, vel ad perforandum opercula vasorum, vel in quibus possent recipere vinum, lanceis & pugionibus aperuerunt foramina; & bibentes quantum poterant, reliquum defluere in terram permittebant.

Quidquid in monasterio repererunt, sine timore Dei totum rapuerunt: non relinquentes vel cochlear vnum, vel aliud quidquam minimum. Nam plumbum de tectis atque fenestris, clauos ferreos de ligneis parietibus, pallas de altaribus, simul & corporalia furtiue sustulerunt. Non milites, non nobiles, non equites ista fecerunt; sed nudi pedites & rustici petrones, qui vel iussi vel vltronei se coniunxerunt exercitui. Nihil reliquerunt intactum, nihil integrum, nihil non violatum. Verum Abbas prouidus futurorum, calices, priuilegia, libros, & quæque quæ monasterii pretiosa clenodia tempestiue ad Meisenheim fecerat transferri.

Fuerunt tamen nonnulli ex eorum numero, qui de nobilitate gloriantur, in Sobernheim oppido Palatini domicilium habentes, qui sublata publice de monasterio torcularia, vasa quoque vinaria, lectisternia, scamna, mensas, fœnum, stramina, & quidquid inuenerunt vtensilium seu rerum domesticarum, impune rapuerunt, & curribus multiplicatis in sua nullo contradicente fecerunt abduci.

Eodem quoque die S. videlicet matris Annæ, Palatinenses oppidum ante dictum Odernheim (quod *Cotirodunum* veteres nuncuparunt) obsidione cinxerunt, & machinis bellicis siue bombardis acriter impugnarunt. *Odernheim.* Nec minus qui erant in oppidulo, viri & mulieres, turribus & muris conscensis, balistis, bombardis, & lapidum eiectione se fortiter defensare conati sunt. Superati tandem multitudine impugnantium Odernheimenses cum se nec defensare possent diutius, nec aliunde sperarent auxilium; & se & oppidum sub certis quibusdam conditionibus in manus Palatinensium tradiderunt, die scilicet XXVIII. mensis Iulii, quæ fuit dominica, & martyrio Sanct. Pantaleonis festiua, circa quintam horam post meridiem, obsidionis die tertia. Oppidum Palatinenses ingressi, & per domos discurrentes, quicquid inuenire poterant diripiebant. Oppidani autem cum vxoribus & liberis suis ad Ecclesiam confugerant parochialem, in quam etiam res suas quasque meliores ante biduum comportauerant, in qua & saluæ manserunt. Ioannes etenim Landschad miles & capitaneus Palatini memorabilis cum esset Christianæ pietatis amator, simul & iustitiæ cultor, nulla potuit ratione persuaderi vt quempiam suorum Ecclesiam permitteret ingredi. Omnia ergo salua manserunt, quæ in Ecclesiam fuerant reposita; nec minimum quid ex eis fuit ablatum, positis iussu capitanei ad ianuam custodibus, qui nulli concederent introitum.

Deinde conuocati ad forum oppidani (vt moris est) in verba Palatini Comitis omnes iurauerunt. Erat quidem paruum oppidum, sed muris, turribus, & fossatis optime munitum: habens ab oriente Glanum fluuium non facile transmeabilem. Propterea confisi de firmitate loci per triduum oppidani, quamuis pauci essent numero, fortiter steterunt, promissum a Duce præstolantes auxilium. Quo non veniente, bello præposuerunt salutem. Capto autem oppidulo, Palatinenses muros & turres per gyrum deiicientes impleuerunt fossata, ne relinqueretur Alexan-
p.106 drinis occasio vel spes aliqua recuperationis. Perierunt ab vtraque parte nonnulli, bombardarum lapidibus miserabiliter obruti.

Inde mouentes exercitum Palatinenses per Alexandri Ducis terras, iter versus Luteram Palatini oppidum instituerunt, plures in medio villas aduersariorum deprædantes incendio vastauerunt. *Lautern.* Procedentes autem ordine cœpto vlterius, Alexandrinos ab obsidione villæ Bicklenheim (de qua diximus) fugauerunt. Pepercit in his omnibus Philippus Comes Palatinus Alexandro nepoti, quem indubitan-

ter perdere potuiſſet, ſi ambo æquali odio laboraſſent, quorum alter plus voluit quam potuit, alter noluit quantum inferre mali potuit inimico.

Poſt hæc XVIII.die Septembris Nicolaus Brunus de Smidberg capitaneus Palatini Comitis, in Stauroneſo contractis oppidanorum copiis, terram Ducis Alexandrini rurſus intrauit. *Moſcheln.* Moſchelen inferius cum aliis quibuſdam villis per circuitum ſpolians incendit, ruſticos nonnullos abduxit captiuos, pecora quoque multa abegerunt, qui cum eo fuerant ſtratiotæ. Tanta fuit in oppido Stauroneſo equorum, boum, & ouium copia, ex Principatu Ducis Alexandri raptorum, quantam prius in his terris nemo viderat vnquam. Vidimus tunc oues quingentas venundari pro florenis quinque atque viginti, equos, vaccas, porcos, pro viliſſimo comparari pretio. Emptoribus tamen quibuſdam, quod de rapina comparauerant Tholoſanum verſum eſt in aurum, vt pœnas auaritiæ luerent, qui ſcienter iniuſte acquiſita vili pretio ſibi vſurparunt.

Quartum contra Philippum Comitem Palatinum duxit exercitum VVilhelmus Haſſiorum Landgrauius, ſecum habens propriis in perſonis Heinricum Ducem Brunſvvicenſem, Heinricum quoque Ducem Mekelnburgenſem, Emichonem Comitem de Liningen, Comitem de Lippia, Comitem de Koenigsſtein, aliosque plures nobiles & Comites, quorum aliqui odio Palatini laborantes, vt proprias cauſas prætendentes, ſpontanea voluntate militabant, alii ſtipendio fuerant ab eo conducti.

Contractis itaque ſuorum copiis, princeps memoratus de Haſſia egrediens, cum magno exercitu venit ad Francofurdiam. Quem Francofurdenſes mandato compulſi regio per oppidum & pontem Mogani tranſire permiſerant. Qui mouens *Bensheim.* exercitum in terram Palatini, Bensheim oppidum in ſtrata montana ſitum firmiſſima obſidione vallauit. Verum Palatinenſium exercitus ab Heidelberga miſſus cum machinis & bombardis in auxilium obſeſſorum vſque adeo terruit hoſtem, quod mox obſidione ſoluta ſine effectu receſſit, & omnes in circuitu villas Comitis Palatini *Lors.* iuris ſpoliauit, incendit ac funditus euertens deſtruxit. Monaſterium Laurenſe Præmonſtratenſis ordinis, quod aliquando fuit ordinis noſtri, & vna de quatuor Abbatiis regalibus Germanici regni, cunctis rebus & bonis inuentis ſpoliauit, frumen*Gerabb.*ta & vinum in proximas munitiones ſuas territorii de Geravv, (quæ fuerunt aliquando Philippi Comitis vltimi de Kazenellenbogen) fecit abduci, non ſine iniuria Dei, & incommodo fratrum grauiſſimo. Nouum caſtrum, quod Fridericus Comes Palatinus tutor quondam Philippi, & patruus, in nemore conſtruxit, ad ſiniſtram de *Friderichsburg.* VVormatia pergentibus ad Laudenburgum, ex ſuo nomine *Friderichspurg* nomina*Lampertheim.*uit, pulchrum & amœniſſimum igne ſubmiſſo in fauillam redegit. Lamperten, & omnes in circuitu villas ſpolians incendit, & inuentos ruricolas captiuos abduxit.

Stein. Deinde caſtellum Stein nuncupatum, haud procul a VVormatia, traditione caſtellani obtinuit. Cumque omnia deſolaſſet ab iſta parte Rheni, quæ potuit, a VVormatienſibus tranſitum nauigio per Rhenum in aliam partem Rheni ſibi concedi poſtulauit. Sed VVormatienſes iura vicinitatis illæſa cuſtodire volentes, non permiſerunt.

Interea dum hæc agerentur, Philippus Comes Palatinus in ſua munitione p.107. *Heidelberg.* fortiſſima reſidebat Heidelbergæ, finem & exitum rei expectans. Caſtrum eius reſidentiæ muris, turribus, montibus & ſitu fortiſſimum eſt, nec facilis patet acceſſus: in quo tot machinas repoſuit bellicas atque bombardas, numero & magnitudine ingentes, quantas vel quales antehac apud vnum Principem non vidimus in Germania. Oppidum quoque Heidelberg ſatis ante munierat, & victualia pro triennio ſuffi-

ſufficientia præparauerat. Viros etiam audaces atque fortitudine potentes pro loci defenſione in præſidio habuit, & hoſtium aduentum ſecurus expectauit.

Hæc non ignorans Landgrauius, in terminis Stratæ montenſis lancea pugnat & ludit: ſed oppido Heidelberg metu bombardarum appropinquare non valuit neque fluuium Neckarum ad ſuperiora Comitis Palatini villagia tranſiuit. Et cauſa forſitan erat etiam alia, quod bombardas tantæ molis & fortitudinis ſecum de Haſſia non adduxerat, propter locorum diſtantiam, quibus vel muros potuiſſet deiicere, vel impugnare ciuitates. In argumentum adiungo veritatis, quod in toto calamitatis huius tempore nec oppidum aliquod munitum cepit violenter, neque caſtellum, niſi per deditionem eorum voluntariam, qui ad defenſionem poſiti animis defecerunt, cuſtodiæ propoſitum abiicientes.

Videns ergo Princeps Landgrauius, quod per VVormatienſes non poſſet ad vltra Rhenana Palatini habere commeatum, neque aliunde conquirere naues quæ tantam exercitus multitudinem ſine periculo per Rheni flumina transducerent; deſcendit ad Moguntiam, & conſenſu (vt dicebatur) eorum, qui locum & vices tenebant Archiepiſcopi, tunc in Haſchaffenburg ſedentis quieti, contractis vndique nauibus apud VViſſenavv villam, de oppoſito Sancti Victoris extra Moguntiam, transduxit exercitum. *VVeiſſenavv.* Venerat iam tunc hora, in qua Clerus Moguntinus vicem rependit Comiti Palatino pro damnis, iniuriis, & contumeliis; quibus per annos decem & amplius ab officialibus eius in Alzen & Cruzenach non mediocriter fuerat læſus & grauatus, quemadmodum in ſuperioribus ex parte iam diximus. Non ſunt incognita nobis mala, pericula & damna, quæ omnis in Moguntia clerus in cenſibus, in decimis, in reditibus annuis & libertatibus paſſus eſt, per diſſimulationem memorati Principis & per eius in vicino miniſteriales; iuſtene an iniuſte, nihil ad nos.

Erant quidem ex nobilium genere, qui cauſas & querelas contra Moguntinam Eccleſiam prætendentes aduerſus Bertholdum Archiepiſcopum, & omnem per totam diœceſin clerum multis annis incurſus fecerunt hoſtiles; frumenta decimarum, curtium & aliarum poſſeſſionum, ſi pecunia interpoſita non redimerentur clericorum, in agris & horreis igne concremantes. Quid loquar de teſtipremis, parricidis, & ſacerdotum detentoribus? quorum tanta fuit noſtris diebus crudelitas in comitatu Spanheimenſi. & circumcirca, vt nec monachi cœnobia, nec presbyteri villagia quaquam tuto ingredi poſſent. Parco autem, ne hiſtoriam nimium exaggerando etiam cum veritate videar exceſſiſſe.

VVilhelmus itaque Haſſiorum Landgrauius poſtquam conſenſu, permiſſione & auxilio Moguntinenſium nauigio traduxiſſet exercitum, caſtra poſuit in villa Schornsheim, haud longe a Moguntia: *Schornsheim.* omniaque in circuitu vsque ad Oppenheim, quæ iuris erant Palatini, deuaſtauit, villas ſpoliauit, incendit, ac funditus deſtruxit. Magna fuit in exercitu eius quorundam impiorum crudelitas, eorum maxime, quos incendio præfectos, *Brantmeiſter* vulgo nuncuparunt: qui Eccleſias non ſolum villagiis contiguas, ſed etiam aliquantulum remotas, cum ſeruare potuiſſent, ex induſtria propria igne ſuppoſito vna cum viculis & villis incenderunt & deſtruxerunt.

A Schornsheim Landgrauius mouens exercitum per terras circumduxit Comitis Palatini vsque ad Alzen, & ibi non procul ab oppido caſtra metatus eſt. *Alzey.* Poſitis autem papilionibus cuncta per gyrum in agris frumenta, quæ iam erant maturitati proxima, equorum multitudine conſumpſit, & reliqua conculcando deſtruxit. Villas incendio dedit, ſpolia rapuit, & nec Domino conſecratis Eccleſiis pepercit.

p. 108.

Quicquid enim rerum aut ſubſtantiæ pauperum ruſticorum in Eccleſias propter maiorem fuerat ſecuritatem repoſitum, tutum ceſſit in prædam exercitui Haſſiorum. Omnia etiam vaſa & ornamenta Eccleſiarum, quas incenderant, diripuerant. *Gaub-Odernheim.* Eſt oppidum inter Oppenheim & Alzen, Gauiodorum nuncupatum, regni Germanici antiquiſſimum, quod a multis annis Palatinatui dignoſcitur impignoratum. Ad hoc oppidum Landgrauius exercitum vbi admouet, nimio pauore conterriti ciues in occurſum eius properant, portarumque ei claues præſentant, & ſe ſuosque & oppidum eius ditioni ſubmittunt. Quorum leuitatem, ne dicam perfidiam, etiam hoſtis ipſe deteſtabatur, quod oppidum habentes, muris, turribus, atque foſſatis muniti, tradidiſſent nulla adhuc neceſſitate compulſi. Vnde in pœnam perfidiæ cunctis traditores bonis ſpoliauit, dimiſſoque oppido retroceſſit, & viros *der Gaw.* omnes in eo repertos ſecum captiuos abduxit. Omnes in circuitu Gauii villas ſpoliauit & incendit, quæ ad dominium pertinebant Comitis Palatini, his duntaxat exceptis, in quibus clerus Moguntinus vel curtes habuit vel decimationes, quibus rogatus ab eis libenter pepercit.

Multam in Gauio tam Oppenheimenſi quam Wormatienſi circa Alzen & Stauroneſum (qui *Nahagavv* appellatur) prædam in frumento, in vino, & in variis vſus humani rebus Landgrauius reperit, cepit, & in ſua ſecum abduxit. In duabus *Saulheim. VVeſtbouen.* namque villis Savvlheim & Weſthofen plus quam mille vini optimi plauſtra inuenit. Quid vel quantum in aliis tam multis & magnis putandum eſt reperiſſe villis atque caſtellis per meticuloſam deditionem obtentis.

Interea cum hæc Landgrauius poſitis circa Oppidum Alceia caſtris, omnia (ſicut diximus) deuaſtaret, compaſſus, nec immerito ſui Comes Palatinus diſperſum conuocauit exercitum, & miſit eum ſub manu capitanei ſui Iohannis Landſchad contra Haſſios ad Alzeiam. Quorum aduentu Landgrauius cognito, non duxit eorum exſpectare præſentiam: ſed mouens inde per tria fere miliaria noſtra diſceſſit, *Blenich. Gentzingen.* inter duo villagia Blenieh & Genzingen, iuxta Naham fluuium, ſpatio dimidii miliaris a Stauroneſo ſiue Creuzenach oppido, caſtra locans, quinque ibidem diebus in papilione remanſit. Ad quem venit in caſtra Dux Alexander cum mille ducentis viris, qui dudum ei contra Philippum Comitem Palatinum fuerat confœderatus, & habuerunt inter ſe diutius optata colloquia. Riſerunt Ducem primores Haſſiorum, quod Princeps tam inclyti nominis contra potentiſſimum aduerſarium, Comitem videlicet Palatinum, maiorem non haberet exercitum. Dux vero Alexander peractis his pro quibus venerat, in Meiſenheim reuerſus eſt.

Non vacabant otio in ea ſtatione Haſſii, ſed more ſuo circumcurrentes per totam regionem, omnia diripientes, villas cum Eccleſiis crudeli malignitate incende- *Brandmeiſter.* runt. Habebant enim conuenientes moribus ſuis flammarum præpoſitos, qui nec Deum timebant, nec hominem reuerebantur: de quibus nemo dubitet, quoniam omnipotens Deus & ſuas & pauperum ſuorum aliquando vindicabit iniurias. Si non in hac vita, in futura tamen, & forſitan in vtraque.

Armesheim. In primis autem ſpoliauerunt Armesheim villam, & incendio ſubuerterunt, quæ non longe diſtat a Flanheim, in via euntibus de Bingen & Alzeiam, Eccleſiam quoque in ea nouam pretioſam atque pulcherrimam, quæ ante paucos annos in memoria hominum & oblationibus fidelium ad memoriam Dominici ſanguinis illo concurrentium fuerat conſtructa, ſpoliatam vaſis & ornatibus cunctis, incenderunt funditus deſtruentes, ſacerdotibus aſtantibus & lachrymantibus. Deinde villam *VVanſheim. Baſenheim. Lamsheim.* quæ Wanſheim dicitur; ſpoliatam ſimiliter incenderunt. Baſenheim quoque villam & eccleſiam ſimili væſania ſpoliantes concremarunt. Lamsheim quoque villam p. 109.

magnam,

magnam, cum Ecclesia pulchra & campanis, funditus incendio destruxerunt, omnia diripientes quæcunque inuenerunt. Viri eius loci audientes videntesque inimicorum aduentum, in nemus vicinum secesserant. Hedesheim villam iuxta riuulum sitam, qui aurea ripa nominatur ab incolis terræ, cunctis bonis spoliatam igne submisso totaliter euerterunt. Villas etiam Kappelsleubersheim Erbsbudesheim curtem nouam, & plures per circuitum Nahagavii & Stauronesi, quarum omnium nomina memoriæ hac vice non occurrunt, cum Ecclesiis spoliauerunt, incenderunt, & penitus desolarunt. Brizenheim, Gentzingen, Bleinich, & Winzenheim cum nonnullis aliis villis magnis non incenderunt ad preces quorundam, simul & interueniente pecunia, quam *Brandschatzung* nuncuparunt. Spoliarunt tamen pauperes omnibus quæ reperire potuerunt, aut secum abducere. *Hedesheim. Guldenbach. Labersheim. Budesheim.*

Est villa milliario distans a Cruzenach, fossatis, muro, sæpibus, & propugnaculis admodum satis munita, nomine Sprenglingen, cuius incolæ iam bello instante, rogauerunt Palatinum, vt eos bombardis tantum cum pulueribus & aliis necessariis prouideret, asserentes se & numero & fortitudine ad defensionem villagii sufficere, nec stratiotarum indigere suffragio. *Sprenglingen*

Fecit Palatinus sicut petierant, noluitque grauare alienigenarum insolentia, vires tam audacter promittentes domesticas. Est enim villa non parui momenti. Veniente in regionem illam exercitu Hassiorum, solo eius auditu territi nimium viri omnes relicto villagio, bombardis, rebus, mulieribus, & liberis, ad Alzeiam oppidum fugerunt. Sic rusticorum stetit præsumptio, quæ grandia proponit in hostem dum procul est & fugit ante præsentem.

Reperit in illo villagio multam Landgrauius prædam, vini plaustra quater centum, frumentorum ingentem copiam, bombardas, & variam in domibus rusticorum supellectilem. Erant enim homines admodum locupletes, sub ditione Comitis Palatini & Ducis Ioannis in Siemern habitantis indiuisibili dominio constituti, quibus annue contribuunt quingentos auri florenos pro taxa, quam ipsi *precariam* nuncupant subuentionem. Villam ne incendio periret, destinata consuetudine Hassiorum accepta pecunia Landgrauius immunem fecit. *Beede.*

Cœnobium est fratrum Canonicorum regularium Sancti Augustini de Windesheimensium obseruantia patrum, quod Comites de Spanheim olim fundarunt, non longe ab eo loco situm, vbi inter Stauronesum & Sprenglingen castra posuerant Hassii: in quod cum impetu irruentes non parua seruis Dei damna fecerunt & incommoda. Iussu tamen Principis temperatum est ne desolaretur in toto, pro qua liberatione ab incendio Prior loci ducentos auri nummos Landgrauio dare compulsus est, non attenta paupertate seu inopia qua fratres premebantur.

Interim vero quo Landgrauius apud Blenhim villam in papilionibus traxerat moram, & plures de exercitu hinc inde vagantes omnia (sicut dictum est) per anteriorem comitatum Spanheimensem, deuastarent, spoliarent & incenderent; nonnulli illorum extra ordinem discurrentes a Palatinensibus prærepti fuerunt, quorum aliqui mox in campis occidebantur, plures etiam ad oppidum Cruzenach ducebantur captiui, homines Hassii pauperes & rusticani, qui mandato Landgrauii (cuius & subditi erant) venire in hanc necessitatem fuerunt compulsi. *Creuzenach.*

Nobiles vero & equites Stauroneso minime appropinquarunt, Landgrauio autem præfato in loco qer quinque dies cum exercitu commanente fama exiit Ioannem Landschad Capitaneum Palatini cum toto exercitu ad oppidum Cruzenach

 contra

contra Hassios esse venturum, sicuti & post biduum venit. Quod vbi Hassiorum innotuit Principi, summo mane diei sequentis castra incendit, & exercitum versus Bingen adduxit. Tanta subito nebula siue caligo ex incensione castrorum surrexit, quod omnem circa regionem fumo & fœtore impleuit, vsque adeo quod Palatinenses in oppido nihil pene viderent.

Munster. In eo transitu de loco papilionum ad Bingen Landgrauius villam Monasterium dictam Bingiis proximam, quam Philippus Comes Palatinus ante paucos annos emerat a Comitibus Rheni (vt supra dictum est) vna cum ecclesia satis pulchra iussit incendi, ac penitus in fauillam desolari. Omnes autem de villa rustici metu Hassiorum prius fugerant, mulieribus duntaxat relictis cum paruulis. Sed & presbyter loci parochianus simili pauore correptus discesserat. Ministris iniquitatis iussa perficientibus, stetit iam villa in mediis flammis.

Landgrauius vero cum Ducibus de vico Brunonis, & Megaloburgensi, totoque suorum exercitu, ab alia parte Nahi fluminis parui & vbique transmeabilis, equo insidens interitum villagii simul & ecclesiæ male gaudens prospectabat, intuebaturque. Ardente iam in parte superiori Ecclesia, cum nullus adesset sacerdos, præter Magistrum Heinricum plebanum ecclesiæ Bingiorum virum doctum, morumque honestate integerrimum, & verbi Dei præconem infatigabilem, qui ad hoc venerat, vt precibus incendium, si posset apud Principem obtinere, impediret: sed non potuit. Is ergo cum videret ardere templum, Christiana pietate commotus accurrit, & sacrosanctum corporis Domini sacramentum de hagiotheca manibus cum vasculo extraxit, flexisque in terram genibus cum multis lacrymis dixit: *Heu, heu, heu, Domine Deus, siccine permittis humanam praualere nequitiam, vt te de sanctuario tuo eiiciat, domum tuam incendat, teque migrare quasi hominem in aliena compellat.*

Surgensque confestim de terra, quoniam incendium ab omni parte vrgebat, & portans in manibus dominicum corpus, iter cum eo versus Bingen incepit. Inter multa quæ dixit mœrore plenus, & amaritudine magna perturbatus, sic fertur increpasse malignos: *O scelestissimi hominum, quando parceretis hominibus, qui creatori vestro non nouistis, quem hodie persequimini, aut cui maiorem infertis contumeliam? Contra dominum vniuersorum pugnatis, omnipotenti Deo bellum indicitis, saluatorem vestrum de mansione sua fugere compellitis, eius templum cum pauperum domiciliis concrematis. Credite Principes, credite Duces, credite omnes, quoniam iustus est omnipotens conditor & rector totius vniuersitatis, qui tantam hodie a vobis perfert iniuriam in longinquum non differet vindictam.* Hæc dicens, cum lachrimis iter continuauit inceptum, & portauit in Ecclesiam Bingiorum venerabile Sacramentum. Fuerunt qui dicerent, Landgrauium ad preces Bingiorum hanc in Monasterium exercuisse sæuitiam, qui optarent villam semel destructam non amplius restaurari, memores iniuriarum quas ante duodecim annos (vt supra diximus) ablato eis per triennium emporio sustinuerunt: quod Albertus Göler de Rauenspurg Palatini Comitis apud Stauronesum præfectus transtulerat.

Bingen. Monasteriensi villa cum ecclesia succensa, & ardente, Landgrauius cum suis oppidum Bingiorum intrauit, quem Bingii magno cum honore suscipientes, vt hostis victorem communis, ingenti lætitia salutarunt. Mansit in eo loco die vno, quo interim capta milites diuiderent, & venderent spolia.

Erant sane tunc temporis Bingiorum corda Palatinensibus haud mediocriter infensa, & tam aperte tamque manifeste, vt latere nec possent nec vellent. Si Moguntinos & maxime clerum, si denique Ringauios, (de cæteris tacebo) adscribam, certe

certe non errauero. Quid enim? Omnes qui Palatino Comiti Philippo in hac turbatione fuerunt contrarii, etiam subditis eius proculdubio extiterunt inimici. Ego autem qui prælo (si dici fas est) harum tribulationum omnium sum positus, nihil aut parum causarum siue occasionum ignoro saltem eorum malorum quæ sumus perpessi duro sub genere vindicandi, possem si expediret dicere multa, quibus nota paucis fierent manifesta. Sed in quem finem? Vt nulli fieret vulgari æstimatione iniuria.
p. III. Transeo tamen consulto, ne aut in altera parte vindictam, aut in altera videar quæsiuisse adulationem.

Igitur Princeps Hassiorum Landgrauius ab oppido Bingiorum postera die mouens exercitum strata publica per terram versus Moguntiam iter assumpsit. Cum- *Ingelnheim* que ad regiam villam Ingelnheim, in qua Magnus Carolus olim perhibetur nascendi suscepisse principium, quæ tunc sub ditione extitit Comitis Palatini, perueniſſet; Castra inter Rhenum & Salissam riuulum ad meridionalem villæ plagam locauit, non dubius animo, quin aulam Caroli regiam (quæ hodie cœnobium canonicorum est Sanct. Augustini) nullo contradicente cum spoliis posset obtinere.

Est autem locus ipse muris, turribus, & fossatis per gyrum bene munitus, in quo & multæ sunt mansiones rusticorum, in quem viri & mulieres villagii omnes cum liberis & rebus suis confugerant, & ordinatis machinis præparauerant se ad defensionem contra venientem Palatini hostem. Sicut enim longe supra diximus, temporibus Caroli IV. Ingelnheim ambæ villæ regales, cum oppidis Lutern, Oppenheim, & Gauodernheim, a Regno impignoratæ sunt Palatinatui vsque in præsens. Positis itaque castris Landgrauius in loco memorato copias misit, qui aulam in villa Ingelnheim inferiori aut primo si possent incursu caperent, aut si reniterentur, qui fuerant interius obsiderent.

Villani autem qui erant in Aula, videntes e turribus & muris exercitum appropinquare hostilem, portas demiserunt apertas, ordinatis hinc inde bombardis in occulto, non solum intrinsecus post valuas, sed etiam in turribus & super muros, tantoque omnia silentio peregerunt, quod neque vox audiebatur cuiusquam, nec vllus tumultus. Accedentes vero Hassii, agminibus ordinatis contra portam Aulæ exteriorem, cum eam reperissent apertam, & neminem viderent vel audirent, putabant metu fugisse omnes, & præ festinatione nimia valuas dimisisse reseratas. Cumque iam primi secundæ approximarent portæ, qui latuerant Palatinenses subito præordinatas incendunt ex omni parte bombardas, quarum facies in turmam obuiam fuerant omnes directæ. Fit mox clamor ab vtraque parte magnus, & ingens tumultus, cadunt Hassii plures bombardarum ictibus tacti, retrocedere vel declinare medii, ad partem ceteri tutiorem festinarunt. Clausis deinde portis ad muros villani conscendunt & turres, iacula vibrant in hostes, & multos eorum occidunt. Hac strage suorum accepta, Landgrauius iussit admoueri machinas, & Aulam a plaga meridionali obsidione vallari. Hi vero qui fuerunt in munitione, videntes quorsum res tenderet, cum tanto impetu lapides bombardarum miserunt in hostes, quod obsidionem nullo ingenio poterant firmare, sed abire compulsi sunt necessitate. Multi Hasiorum in hoc tumultu perierunt, quorum cadauera Landgrauius in vicino præcepit sepeliri, denique incendio quam plures interierunt quibus sepulturam ignis præbuit. Enimuero Landgrauio cum exercitu villagio approximante, mulieres iussu virorum de Aula progressæ, omnes villæ domos igne supposito incenderunt, quod alioquin hostes non dubitabant esse facturos. Cum ergo Hassii peruenissent ad locum, & putarent quod suorum quipiam vicum succendissent, cœperunt quidam spoliorum auidi per domos ardentes discurrere, & si quid esset relictum, quod raperent, diligentius inuestigare: quorum plures cadentibus super se domibus in cellariis, &

alibi

alibi sub igne miserabili morte perierunt, spe lucri frustra decepti, cum prius omnia per villanos in Aulam fuerint deportata. Videns autem Landgrauius, quod sine magna suorum clade nihil mali posset inferre Palatinis in aula conclusis, remouit castra, & cum toto exercitu suo ad Moguntiam ascendit, & paucis in vrbe Moguntina diebus peractis, copias nauigio per Rhenum traduxit, indeque progressus castellum *Hohenburg.* quoddam Hohenburg nuncupatum, quod erat Comitis de Hanavve, partes Comitis Palatini defendentis, obsidione cinxit, expugnauit, & postremo per deditionem eorum qui intus erant, obtinuit. *p. 112.* Per dies igitur aliquot impugnando prædictum Comitem de Hanavve, & alios Palatini fautores, ab ista parte Rheni Landgrauius moram traxit. Et quia mente concluserat, Rheno transmisso copias reducere in terram Palatini, & cuius iam villas spoliauerat, & incenderat non munitas, etiam castella & oppida munita, quæ prius contingere non potuit, machinis & bombardis debellare; cum magno labore ac multis impensis, quicquid instrumentorum aut machinarum habere potuit, ad se adduci fecit, bombardas videlicet & numero multas & satis ingentes. Venit internuntius ad Stauronesium, vbi tum eramus, qui certissima exploratione præmissa nunciabat, Landgrauium in via constitutum cum exercitu suorum magno, habentem bombardas & machinas bellicas multas, & apparatum terribilem, illiusque esse propositi quod copias Rheno iterum apud Moguntiam transmisso in terras Palatini velit reducere, & munitiones per Gauium omnes violenter expugnare.

Iam enim non paruam machinarum partem per Franckfordianos, & Mogani partem ad Russelsheim castellum suum traduci fecerat. Audientes hæc, qui erant in Crucenach Palatinarum partium defensores, contractis sine mora copiis, in *VVeissenavv.* manu valida transierunt versus Moguntiam, & villam Wisenavv, simul & montem *S. Victersberg.* Sancti Victoris præoccuparunt, Landgrauio interdicturi commeatum. Non enim alio Rhenum transire potuit loco quam ibidem, propter pondus machinarum, quas per Moganum traducere ad castellum in opposito Moguntiæ villam non potuit. Displicuit Moguntinensibus non mediocriter, quod montem Sancti Victoris & villam subiectam præoccuparent Palatinenses, quamuis nihil in contrarium præter indignationem vacuam verius possent opponere.

Landgrauius autem cum didicisset, quod Stauronesii montem præoccupassent, & vadum, substitit & procedere vlterius dissimulauit. Misit tamen pedites quosdam, ad tentandum si nauigio Rhenum transire quoquo modo potuissent illæsi. Qui cum venissent ad vadum, & iam naues intrassent, cœpissentque alteram remigare in partem, bombardas ordinatas in eos soluerunt igne Palatinenses, & retrocedere compulerunt. Retraxit itaque pedem Landgrauius, & propositum reuocauit.

Quinta die mensis Augusti anno prænotato, Palatinenses venerunt in magna multitudine ad montem Sancti Victoris, & manserunt in eo sex diebus, non sine damno & incommodo clericorum, qui prius ad ciuitatem omnes confugerant aduentu eorum perterriti, nec prius inde volebant recedere, quam Canonici Moguntinenses vna cum ciuibus, & Archiepiscopi locum tenentibus promitterent, ac literis cautionibusque necessariis firmarent, quod Landgrauio transitum deinceps vltra Rhenum nullatenus essent concessuri. His promissionibus cum sufficienti cautela susceptis, Palatinenses duodecima die mensis Augusti ad sua redierunt.

Cernens autem Landgrauius, quod per Moguntinos transitum habere non posset, aliud in Palatinum destructionis non paruæ medium adinuenit. Est oppi- *Caub.* dulum cum adiacente in monticulo castro nomine Cuba, in descensu Rheni ad dextram, parum distans ab oppido Baccherach, satis pingue habens telonium, quod

vtrumque

Vtrumque iuris & dominii est Comitis Palatini. Existimans vero Landgrauius rebus suis optime fore prospectum, si hoc oppidum cum telonio posset acquirere, contractum prius illuc mouit exercitum, & octaua decima die Mensis Augusti castra in monte contra oppidum locauit, ab eadem videlicet parte fluminis, quasi ex opposito Baccherach. Non enim potuit exercitum propius locare, propterea quod oppidum naturali situ munitum non sit accessibile multitudini, habens ab Oriente præruptos & altissimos montes, a meridie vero flumen Rheni, ab vtraque parte montibus conclusum.

p.113 Mons vero in quo Landgrauius castra posuerat, inter Orientem & meridiem sic manet dispositus, quod obsessores in arcem & in oppidum cum volebant poterant habere prospectum, si paululum ad eius cacumen propius accessissent, Bombardarum tamen iacula haud facile in oppidum traiicere poterant, propter altitudinem montis: a cuius si parum descendissent cacumine, facilius ab his qui vel in arce fuerant, vel in oppido, lædi machinis potuissent, quam lædere, pro eo quod Bombardarum iacula certius diriguntur aliquantulum eleuata, quam omnino in bassum depressa. Vnde plures Hassiorum qui cum bombardis a montis cacumine aliquantum descenderant, Cubanorum iaculis perierunt, cum ipsi nullum aut rarum ex illis possent attingere, lapidibus proiectis in Rhenum cadentibus.

Durauit ista Cubana obsidio triginta nouem diebus, in quibus Landgrauius arcem & oppidum continuis pene machinarum ictibus pulsauit. Et licet partem turris & muri de castello tandem vi bombardarum deiecerit, arcem tamen propter inaccessum montis non potuit inuadere, his qui fuerant intus viriliter obsistentibus. Erant in Cuba quingenti & mille viri pugnatores, qui Hassiorum insultibus fortiter reluctantes, multos eorum ad legendas vuas, quæ iam cœperant maturescere, in vineta descendentes, bombardarum iaculis occiderunt.

Vicesima octaua die mensis Augusti, Joannes Landschad Comitis Palatini ductor exercitus, a Stauroneso cum trecentis equitibus & populo terræ in multitudine magna exiens in auxilium Cubanorum contra Hassios, venit ad Baccharach, & postera die Castra metatus est in monte iuxta oppidum iam dictum directe in opposito papilionum Landgrauii, eratque inter duos exercitus istos grande satis interuallum, simul & præterfluens Rhenus, & nihilominus bombardarum se iaculis impetebant. Audiebatur strepitus machinarum vtriusque partis in alterutrum fulminantium, apud Staurohesum in arce, cum tamen sit non minus quatuor milliarium nostrorum distantia. Partem vero copiarum præfatus Capitaneus noctu misit in Cubam, quod in die non satis tuto fieri potuit propter Hassiorum prospectum, qui lapides instrumentis de monte proiiciebant in Rhenum. Nemo potuerat in die nauigio vel terra intrare vel exire Cubam, quem Hassiorum in montis cacumine bombotannales non viderent. In nocte autem liberum Cubani habebant accessum, & recessum, cum eos Hassii neque videre possent, neque fulminibus impedire aut lædere vel impetere bombardarum.

Multa ingeniose tentauit in ea obsidione Landgrauius, & pro variis machinis pecuniam & instrumentis bellicis profudit ingentem. Vasa impleuit pice, sulphure simul & aliis rebus ardentibus multa, quæ de summitate montis, qui Cubæ supereminet, emittens in oppidum volubili cursu ardentia præcipitauit. Sed omnia frustra, omnia casso labore consumpsit, & non paruum rerum suarum dispendium recepit. Nam omnia pene vasa bellica vel bombardæ in castris ad vsum habitæ, quam primum semel aut bis officio seruierant suo, rumpebantur. Quæ vtrum fortuito casu, seu maleficii alicuius interpositione contigerint, ignoramus: licet in Cuba fuerit vnus ex stratiotis, quem nouimus gloriantem, quasi arte quadam occul-

tiſſima (ne dicam vaniſſima) ipſe cunctas nouerit confringere bombardas etiam non præſens, modo eas videat vel a longe, vel audiat ſtrepitum facientes.

Quarta die menſis Septembris, anno prænotato, cum propter montis altitudinem, in quem Landgrauius caſtra poſuerat, machinarum præfecti non præualerent iaculis attingere caſtellum, & multo minus oppidum quod erat inferius, ſed maior pars globorum in altum euadens nimium caderet in Rhenum factis nocte foſſatis, bombardas maiores, quas Capitales appellant atque Carthunas, per decliuum montis ſubmiſere catenis, arbitrantes locum ad opus machinarum ſe reperiſſe magis idoneum & aptiorem. Mane autem cernentes Cubani, Haſſios in decliuo montis cum machinis laborantes, confeſtim e caſtro ſimul & oppido tam fortiter & ſine intermiſſione iacula in eos direxerunt, quod neceſſitate compulſi, relictis in loco bombardis, retroceſſerunt. Manſerunt in loco bombardæ ſine vſu, ad quas nec Haſſii in die acceſſum habere potuerunt, nec Palatinenſes, alternis inter ſe iaculis prohibiti. Sed neque in nocte licuit Haſſiis vel cuſtodire illas, vel ſurſum retrahere, tum quod Cubani etiam in tenebris certum iam in eos ſcopum nouerant, tum vero quod magnitudo ponderis retractum non permiſit. Poſtremo tamen machinæ in manus Cubanorum peruenerunt. Exeuntes enim nocte quadam viri audaces de oppido cum ſilentio, non ſentientibus Haſſiis bombardas facili conatu per deſcenſum montis traxerunt ad littus Rheni, & vlterius in Cubam, quos etiamſi hoſtes vidiſſent, prohibere tamen minime potuiſſent.

Cartaunen. p. 114

Nocte diem quartam menſis Septembris ſequente, circa vndecimam poſt meridiem horam, ortum eſt in oppido Cuba caſuale incendium per negligentiam vnius hominis, qui puluerem incenſorium male cuſtodiuit ab igne, in quo viri vndecim miſerabili morte perierunt ex Stauroneſo illuc deſtinati, qui dormientes in ſuperioribus domicilii, priusquam euigilarent, ab igne fuerant præoccupati. Domos viginti flamma conſumpſit, cunctis metu hoſtium confluentibus ad muros.

Ludouicus Philippi F. Pal.

Sexta die menſis Septembris, Ludouicus Philippi Comitis primogenitus, cum quinquaginta equitibus, & ſexcentis peditibus venit ab Heydelberg ad Stauroneſum, quæ eſt Cruzenach oppidum, & ſequenti proceſſit ad Baccherach in auxilium Cubanorum, qui annum tunc agebat ſextum ſupra viceſimum ætatis ſuæ, Princeps animo & viribus conſtans, pauci ſermonis, ſed verax, & ſtabilis.

Eodem quoque die venit ad Landgrauium obſidentem Cubanos in caſtra Heinricus Brunſuicenſium Dux, ſecum habens Comitem de Lippia Weſtgallum, cum duobus pugnatorum millibus, bombardas adducens & machinas belli varias.

Anno Domini ſupra notato, XXV. die menſis Septembris, conſiderans Landgrauius poſt multos labores & grauiſſimas impenſas, quod Cubam obtinere non poſſet, poſteaquam nouem & triginta diebus eam obſediſſet, maioraque accepiſſet ab hoſtibus damna quam intulerat, mane ſoluta obſidione receſſit. Multa enim ſua ſponte (vt ita dixerim) in ea obſidione ſuſcepit incommoda, tam in fractis pene omnibus bombardis, quam in variis machinis fruſtra compoſitis. Globos bombardarum ferreos non concauos ſed ſolidos, plures quam ſexcentos, aduerſum Cubanos inutiliter proiectos amiſit, quorum maior pars in Rhenum cadens ſubmerſa fuit.

ADDITIO.

ADDITIO.

HIC LVBET APPONERE POSITVM AD REI MEMORIAM SERVATAE CVBAE MONVMENTVM, QVOD IN RIPA RHENI IVXTA DOMVM TELONEI VISITVR, AVREIS LITTERIS NIGRAE TABVLAE INSCRIPTVM.

DIE iar von Christ geburt man zalt
Funffzehenhundert und vier alt,
Von Sontag nach Mari himmelfehrt,
Wart Cub sechsthalb vvochen belegert
Mit ganzer macht und heres crafft
Durch Hessen die Landtgrafffschafft
P. 119. *Neunhundert Stein gebavven,*
Als ihr die gros hie vvol schauvven,
Vnd neunhundert dreissig acht gegossen,
Sind funden vvorden von den verschossen,
Zu die verbrochen vnd verlohren sin,
Auch etlich versuncken in den Ryn.
Vnd vvievvol das Schloss nit vvar erbavven,
Als es sit der Zyt hier von navven
Von Pfaltzgraue Ludvvig vvorden befest,
Noch dannoch muesten die frembde Gest
Cub by der Pfaltz lassen bleiben.
Das vvir Gottes Gnaden zuschreiben,
Vnd auch der vverhafften Hand,
Dirs behelt all Vatterlandt.

Et hic finis Hassiorum belli contra Palatini Comitem extitit, in quo vterque non parum detrimenti accepit, quanquam congressi ad pugnam non fuerint. Tertio enim Landgrauius a facie Palatini declinauit exercitus, primo videlicet apud Bensheim, secundo prope Alzen, tertio iuxta Genzingen: quod ideo forsitan fecit, quia tunc secum non habuit machinas bombardarum.

Eodem anno Philippus Comes Palatinus in monasterium Lympurgense, nostri ordinis, Spirensis diœcesis, præsidium quadringentorum virorum locauit contra Emichonem Comitem de Liningen, qui dudum (vt supra dictum est) Landgrauio confœderatus aduersum Principem animos gessit hostiles. Erat nihilominus inter Macarium dicti cœnobii Abbatem, & memoratum Comitem vasallum eius iuratum, grauissima quædam dissensio pro quibusdam in Dureckheim iurisdictionibus & aliis in nemoribus & aquarum decursibus bonis temporalibus, quæ causam præstitisse videbantur, vt præsidio monasterium contra insolentiam hostis muniretur, quanquam id nec postulante, nec volente sit factum Abbate, qui tunc apud Spiram febribus grauiter æstuabat infirmus, in cœnobio existente conuentu cum Priore, non sine inopia victualium, quia carnibus non vescebantur. Limpurg.

Vicesima tertia die mensis Iulii præsidium intrauit monasterium, & mansit in eo diebus nouem atque triginta, non sine graui læsione & iactura vtriusque status monasterii. Interea præcipiente Macario Abbate, libri, calices, ornamenta ecclesiæ, priuilegia, & clinodia monasterii successiue ad Spiram sunt deportata. Remanserant autem plura domus vtensilia, lectisternia, vasa coquinæ, tabulæ siue imagines in ecclesia, & alia sine certo numero monachorum instrumenta, quæ cum frater

Gerhardus Badevvini de Odmersheim tunc loci Prior (qui nunc mecum est apud S. Iacobum iuxta Herbipolim) in Spiram transferre disponeret. Fridericus de Sarmsheim præsidii capitaneus restitit, asserens non expedire hanc rerum monasterii translationem, propterea quod rusticis in vicino manentibus cunctis timiditatem simul & fugam incuteret. Cessit necessitati prior imperanti, & contra voluntatem in monasterio dimisit omnia & amisit.

Vicesima nona die mensis Augusti, quæ fuit decollatione S. Iohannis Baptistæ solennis, fratres diuinum ex more celebrauerunt officium, & in medio tumultu armorum, quantum licuit, suum canonem Prioris sub directione custodiuerunt. Erat enim Gerhardus prior memoratus regularis disciplinæ studiosus amator, qui a teneris vnguiculis in cœnobio Lacensi optime institutus, abbate Macario postulante, Simone quoque de Petra in Lacu pastore consentiente, ac me vt visitatore vtriusque loci procurante, de memorato cœnobio ante quinquennium translatus in Lympurg, ibique secundum ordinis nostri consuetudinem sub obedientia stabilitus, quantum in ipso fuit regularis disciplinæ obseruantiam in se & in fratribus integerrime custodiuit. Interea vero quod præsidium Comitis Palatini Limpurgensi manebat in monasterio, incolæ villæ Dureckheim viri omnes ad vicinum castellum Comitis Emmichonis de Liningen, Duroburgum nomine, non minus hostium metu quam arcis ipsius defensandæ gratia declinarunt. Hi autem qui erant in monte Lympurg nomine Comitis Palatini, ne tempus in otio viderentur consumere, sæpius excursione facta, hostium pecora, & quicquid inuenire poterant rapientes, abduxerunt. In Dureckheim (vt ferunt) rapinas exercentes, incendendi monasterii causam, quemadmodum accusantur ab æmulis, non minimam dicuntur præstitisse.

Zum Loich.

Dureckheim.

p. 116.

Hartenburg.

Vicesima nona die Mensis Augusti, circa horam vndecimam in nocte, Fridericus de Sanesheim capitaneus Palatini iussu ipsius Principis amouit de monasterio præsidium, & in alia loca, vt sibi mandatum fuerat, traduxit. Latuit omnes fratres, præter cellarium, Palatinensium de monte recessus, & tamen, eos qui erant in Duroburgo latere non potuit, qui suos exploratores vbique in nemore & itineribus cautissime habebant dispositos. Post recessum præsidii suscitauit œconomus Priorem & fratres, dixitque omnes a loco discessisse custodes, & si quid audiuit aliud metuendum eis fore, produxit in medium. His Prior & fratres recognitis, & multis ante comminationibus hostium in proximo commanentium territi, vnanimi votatione statuerunt, loco fore cedendum: animas cupientes suas a periculo saluare potius quam perire. Conuenientes igitur in Chorum nocte media, omnes matutinale iuxta morem persoluerunt officium; deinde vnusquisque prout potuit, arrepta sarcinula sua, flexisque in gradibus presbyteri genibus orationem itinerantium (vt regula iubet sanctissimi patris nostri Benedicti) cum timore dixerunt, valedicentesque non sine multis lachrymis templo circa tertiam post medium noctis horam monasterium exiuerunt, & coniunctim ad Spiram, vbi tunc (sicut diximus) Abbas iacebat infirmus, profecti sunt. Erant autem numero Monachi & conuersi sedecim, qui non leuitate reliquere cœnobium, sed hostium metu, quorum furor iuramento se (vt ferunt) constrinxerant, monasterium cum habitatoribus, si qui reperirentur, incensurum: quod facti crudelitas etiam demonstrauit. Igitur penultima die Mensis Augusti post recessum Palatini præsidii, & monachorum de cœnobio discessum (sicut diximus) ad Spiram, exeuntes mane de Duroburgo Comitis de Liningen supra dicti castello, quod est in proximo, stratiotæ simul & rustici Durekheimenses, nonnulli monasterium Lymburg armati, & pleni furore intrarunt, rapientes & deportantes omnia quæ inuenerunt, cum bona mora nullo penitus resistente. Enimuero (sicut diximus) multa remanserant in loco, quæ præ temporis angustia fratres Spiram non poterant deferre, præsertim contra prohibitionem eorum qui monasterium

Monachorum fuga.

rium occuparunt. Vini etenim plaustra inuenerunt quinque aut sex, frumenta quoque nonnulla, calicem vnum, ornamenta ecclesiæ, libros nonnullos in Bibliotheca dimissos, lectisternia, & vtensilia domus, coquinæ simul & cellariæ plura, quæ omnia rapuerunt.

Anno igitur dominicæ natiuitatis prænotato, die Mensis Augusti penultima, siue XXX. filii Belial & iniquitatis ministri, ex Duroburgo (sicut diximus) turmatim procedentes, Lymburg monasterium hominibus vacuum intrauerunt, incenderunt, & domicilia Monachorum cuncta, vna cum Ecclesia pulcherrima & amplissima, cremantes igne in cinerem redegerunt. Fuit autem Ecclesia valde insignis, a Conrado Imperatore quondam secundo circa annum dominicæ natiuitatis tricesimum supra millesimum constructa, & in honorem viuificæ Crucis domini nostri Iesu Christi, eiusque intactæ genitricis virginis Mariæ memoriam consecrata, & pro sustentatione monachorum, sub norma D. patris nostri Benedicti Deo seruientium copiose dotata, multisque decorata priuilegiis, & ornata libertatibus. *Lymburg fundatur. M CCC.* Erat sane templum Dei pretiosum, quo maiora in ordine nostro vidi pauca, cuius latera duo intrinsecus inter Ecclesiæ corpus, & absides, viginti erant subnixa columnis ex solido lapide præcisis, quarum vnaquæque in altitudine pedes habebat viginti, in circumferentia vero spissitudinis pedes ferme duodecim, stabantque singulæ supra bases singulas artificiosa pulchritudine formatas, habentes in summitate singula capitolia, non paruæ nec separatæ magnitudinis, super quibus arcuati parietes in altum sustentabantur. Longitudo huius Ecclesiæ pedes continebat trecentos quinquaginta, latitudo vero centum
p. 117. quadraginta. Capellæ fuerunt in ea quatuor, altaria viginti. Turres habebat in fine versus Orientem tres in quibus campanæ sex numero pendebant, quarum duæ maiores non paruæ fuerunt æstimationis & pretii. In Ecclesia quoque stabant imagines Sanctorum, ex ligno sculptæ in altaribus, & tabulæ depictæ plures atque pulcherrimæ, & alia non pauca in Dei ministerium deputata, quæ omnia per incendiarios illos aut deportata sunt, aut in cinerem resoluta. Campanæ omnes incendii magnitudine perierunt, columnæ quoque ruptæ sunt, & nihil integrum, nihil non destructum in toto cœnobio remansit. Fugientibus de monasterio cunctis, senex quidam grandæuus nomine Iohannes, artificio scriniator, præbendatus amore Dei, impotens fugere in loco solus remansit. Is cum Diaboli ministros ex Duroburgo cerneret aduenire, in Ecclesiam declinauit, qua per illos incensa & ipse flamma consumptus est. Per duodecim dies & noctes continue durauit incendium, ministris impietatis quotidie sine alicuius hominis prohibitione vel metu de Duroburgo excurrentibus, & ne quid remaneret integrum in Ecclesia & Monasterio toto, ignem renouantibus, tam vehemens incendium extitit, quod non solum omnia structurarum ligna consumpsit, sed etiam muros, lapides, & solidissimas (de quibus diximus) columnas pro maiori parte disrupit. Maior etiam turris Ecclesiæ ardoris vehementia in terram corruit deiecta. Denique priusquam incenderetur Ecclesia, satellites Diaboli omnia perfregerunt altaria, sigillis manu sacrilegia ruptis, Diuorum reliquias quo voluerant deportarunt. Quod vtrum pro honore & reuerentia Sanctorum fecerint, aut (sicut raptorum consuetudo est) pecuniam se reperturos sperauerint, nobis manet incertum. Duæ fuerunt absides ab vtraque parte seu latere chori, quibus in modum crucis more veterum constabat Ecclesia, in quarum sinistra fuit sepultura loci Abbatum, in dextera vero Comitum de Liningen, quorum cadauera sub eleuatis a terra lapidibus pausabant sepulchris concauatis interius atque muratis. Nescio quæ mouerit sacrilegos causa, quia hæc ipsa mortuorum sepulchra temerantes aperuerunt, & inter alia corpus Emichonis Comitis, qui pater fuit huius Emichonis, integrum extraxerunt, quod filius postea translatum ad Dureckheim in Ecclesia parrochiali fecit tumulari. Sacramentum Dominici corporis imminente iam Ecclesiæ incendio, Paulus pastor in Dureckheim, non vltimus in consilio malignantium, suam

 depor-

deportauerat in Ecclesiam. Satis hinc constat manifeste, quod operarii iniquitatis Ecclesiam animo deliberato vna cum monasterio statuerunt concremare, quippe qui priusquam ignem supponerent, sacramentum deportari fecerunt, altaria violarunt, Sanctorum reliquias pollutis manibus extraxerunt, sepulchra Comitum aperuerunt, cadauera eiecerunt, res sacras cum tabulis & ornamentis rapientes deportarunt, ignemque in multis locis Ecclesiæ proprium supposuerunt. Hic finis & consummatio tam in signis monasterii fuit, quod a prima fundatione sua steterat annis CCCCLXXIV. & nunc hodie iacet incensum, destructum, & penitus desolatum annum ferme in decimum, nec dum restitui cœptum. Quando, quo tempore, quo medio, quibus impensis vel per quos homines restaurari debeat aut possit, soli Deo est cognitum, qui solus omnia nouit & potest. Enimuero quantum ego intelligere possum, qui monasterium cum staret optime noui, si adessent florenorum sexaginta millia, non sufficerent vt restaurari posset in eam conditionem, in qua viguit priusquam ab impiis hominibus incenderetur.

Omnia quæ scripsimus annua sub serie prænotata mala, in ea concertatione Regni & Principum Germaniæ aduersus Philippum Comitem Palatinum facta sunt, quæ mensibus ferme quinque durauit, quatuor videlicet per inæquales exercitus, quorum primum duxit in Bauaria Maximilianus Rex, & certi cum eo Principes. Secundum in Sueuia præcessit Vdalricus Dux Wirtenbergensium, & ambo satis nocuere Palatino. Tertius vero paruus, & minus nocens exercitus fuit Ducis Alexandri. Quartus autem crudelis & nimium hostilis, incendio & rapina plus nocuit multis, qui sub manibus Wilhelmi ducebantur, Landgrauii Hassiorum. Hos quatuor impugnantium exercitus quia descripsimus, nunc pacem requiramus.

Exitiabilis Belli finis. Adlzreiter lib. 9 n. 93.

His ergo quæ memorauimus, & multis aliis in perturbatione tumultuose p. 118. peractis, tandem circa festum S. Archangeli Michaelis Maximilianus Rex pacem cunctis indixit communem, præcepitque iam deinceps a bello cessandum. Et ne cuiquam videretur subtraxisse patrocinium iuris, conuentum Principibus statuit in mense Iulio sequentis anni apud Coloniam celebrandum, in quo si quis aliquid iustæ querelæ aduersus alium, communi procerum iudicio definiretur. Interea mandauit ab omni tumultu quiescendum.

Ruperti Pal. obitus.

Anno prænotato XX. die mensis Augusti obiit Rupertus Comes Palatinus, Bauariæque Dux, Philippi Palatini Principis Electoris tertio genitus filius, & gener Ducis Georgii diuitis auunculi sui, bello in se adhuc durante, anno ætatis suæ vicesimo tertio, filium relinquens & filiam cum vxore iam vidua, Ducis Georgii quondam filia, quæ & ipsa post dies paucos moriens secuta est.

Eodem fere tempore mortuus est etiam Ludouicus de Helmstat Episcopus Spirensis, anno Pontificatus sui vicesimo septimo non completo, cuius corpus Spiræ in maiori ecclesia sepelitur, vir maturus, integer, & honestissimæ semper conuersationis, de quo nihil turpitudinis aut lasciuiæ auditum est vnquam. Sub hoc Pontifice Klingenmünster, Odenheim & Sunsheim ordinis S. Benedicti, Abbatibus cum Monachis apostatantibus, in seculares Ecclesias clericorum translatæ sunt. Huic electione Canonicorum in episcopatu successit Philippus de Rosenberg maioris Ecclesiæ cantor, & præfuit annis fere nouem, podagra & sciatica atque continua infirmitate laborans. Hic transtulit collegium Canonicorum ex monachis nouum de Odenheim in oppidum Bruchsal, cum omnibus rebus, priuilegiis, & prouentibus suis.

Klingenmunster. Odenheim. Sunsheim.

Brusal.

Anno M D V. Circa medium quadragesimæ Philippus Comes Palatinus ad se Budoras conuocauit Prælatos, Comites, Nobiles, & communitates Principatus sui, quibus

quibus in aula maiori comparentibus plura cum eis tractauit super conditionibus pacis reformandæ inter ipsum & Regnum, cæterosque Principes quorum fecimus mentionem.

Eodem anno mortuus est Bertholdus ex Comitibus de Henneberg, Archiepiscopus Moguntinus, anno pontificatus sui vicesimo primo, & in Metropolitana Ecclesia Moguntina cum patribus suis antecessoribus sepelitur, qui fuit in principatu suo vir magnæ authoritatis & prudentiæ, ingenio subtilis, & promptus eloquio, experientiæ multæ, patientissimusque laborum, & ecclesiam Moguntinam, quam ære alieno grauatam reperit, vt plurimum ex oneribus debitorum tempore sui regiminis liberauit. Verum in his clerum & claustrales in consuetis subuentionibus multoties grauauit. Post hunc Iacobus de Liuenstein, patria Sueuus, maioris Ecclesiæ decanus, in archiepiscopum electus præfuit annis ferme quatuor, homo bonæ conditionis, vita & moribus integer, qui morbo calculi & vesicæ laborans, quasi continue, non ita rebus ecclesiæ suæ prodesse valuit, quemadmodum ratio temporum postulare videbatur.

Anno prænotato in principio mensis Iulii conuenerunt ad Regem Maximilianum ad Coloniam multi Principes regni, quemadmodum anno fuerant iussi transacto, inter quos isti fuerunt præcipui. Hermannus archiepiscopus Coloniensis, Iacobus archiepiscopus Treuirorum, Laurentius episcopus Herbipolensis, Duxque Francorum, Georgius episcopus Bambergensis, Conradus episcopus Monasteriensis, Christophorus episcopus Kempseensis, Petrus episcopus Tergestinus, Christophorus episcopus Laubacensis, Matthæus episcopus Gurcensis, Philippus Comes Palatinus Rheni, Princeps Elector, Fridericus Dux Saxoniæ, Princeps Elector, Ioachim Marchio Brandenburgensis, Princeps Elector, Fridericus Marchio Brandenburgensis, patruus eius, Iohannes Dux Saxoniæ, Germanus Friderici, Heinricus Dux Brunsuicensis, Ericus Dux Brunsuicensis, Henricus Dux Lavvenburgensis, Wilhelmus Dux Iuliacensis & Montensis, Heinricus Dux de Megaloburgo, Ludouicus Palatinus, Philippi primogenitus, Adolphus Comes de Nassavv, Fridericus Comes de Zolra, Philippus Comes de Waldeck, Wilhelmus Landgrauius Hassiæ, Emichio Comes de Liningen, Iohannes Comes de Holstein, Reinhardus Comes de Reineck, Sigismun-
p. 119. dus Comes de Lupfen, Felix Comes de Werdenberg, & plures alii, quorum nomina memoriæ non occurrunt, Comites, Barones, milites & nobiles affuerunt. *Conuentus Principum apud Coloniam.*

In eo conuentu Principum Maximilianus Rex inter discordantes Duces pacem reformauit, conditiones pacis in medium proposuit, quas seruari & custodiri ab omnibus inuiolabiliter sub pœna criminis læsæ Maiestatis partibus mandauit. Summa conditionum in eo fixit sententiam, vt qui tempore guerrarum plura perdidit, careret amissis; & qui multa fuerat lucratus, non compelleretur saltem in foro contentioso ad restitutionem. *Decisio controuersiæ.* Quod ita fuerit res acta, demonstrant consequentia, quoniam vsque in præsentem diem Palatino nihil aut parum intelleximus restitutum. In eodem conuentu Principum Macarius abbas exusti monasterii Lympurgensis, coram Maximiliano Rege querelam detulit contra Emichonem Comitem de Liningen, accusans eum & proclamans vt authorem incendii, simul & spoliatorem memorati cœnobii sui. *Querimonia Abb. Lympurgensis.* Verum Rex aliis negotiis regni plurimum occupatus, Iacobo archiepiscopo Moguntino causam per literas commisit absenti, inter alia præcipiens, vt post cognitionem causæ tentaret inter partes pro concordia, quod si eas concordare non posset, negotium cum actis remitteret.

Assumpsit commissionem Pontifex, & partibus citatis ad inquisitionem rei processit. Accusabat Comitem Abbas super incendio monasterii reum. Negabat

Comes sua voluntate vel scientia commissum, dicens se illo tempore apud Gresenberg Castellum laborasse febribus, & procul a Lymburg fuisse absentem. Abbas vero pollicebatur se probaturum, quod ministri & famuli Comitis de Castello eius Duroburgo turmatim exierint, atque per dies duodecim quotidie ad montem redierint, & si quid non ardebat, iterum cum bona deliberatione igne supposito concremauerint. Respondebat Comes, quod nihil eorum quæ dixerat Abbas, factum sit de suo vel scitu vel consensu; sed si nouerit incendiarios monasterii sui, conueniat illos, & iure ad restitutionem compellat, quanquam & illos excusare nitebatur dicens, *Quod speluncam incenderint latronum, & non monasterium*, vtpote in qua Palatinenses aduersarii & rebelles totius Regni mansionem habuerint, de qua rapinas & incendia pauperum in circuitu fecerint, mulieres & virgines introduxerint, vim eis contra omnem honestatem Christianam intulerint, aliaque plura commiserint mala quæ fieri non soleant ex cœnobiis Monachorum, sed ex castellis, & speluncis latronum. Nec dubium se fore dicebat, si monasterium reperissent, vt monasterium honorassent, & nec spoliassent illud, nec incendissent. Durauit inter Abbatem & Comitem ista coram Archiepiscopo contentio per triennium, quousque tandem morte sublato Abbate Macario, Wernherus in abbatia successit, qui cum sit homo quietis amator & pacis, actionem causæ intermisit, vsque in præsentem diem. Macarius autem post incensum monasterium cupiens locum habere, in quo manere possit cum fratribus suis, Ecclesiam parochialem in oppido Wachenheim a præposito & conuentu Luterensi obtinuit, apud quem cœnobium ædificare nouum de consensu Palatini Comitis animo cogitauit. Mansit ergo cum quatuor Monachis apud eandem Ecclesiam in domo presbyteri, cæteris ad diuersa loca inde transpositis, vbi & hodie manet Abbas Wernherus cum paucis, qui monasterium non ibi, sed in priori loco restaurare proponit.

Wachenheim.

Anno quoque prænotato, octaua decima die mensis Iulii, Maximilianus Rex Germanorum, cum Principibus multis ex his quod apud Coloniam conuenisse diximus, nauigio descendit in Geldriam, Brabantinis qui eius iussu Arnheim oppidum Ducis Geldriæ obsidebant, laturus auxilium. Cumque peruenisset ad locum destinatum, in multitudine pugnatorum graui, Arnheimb sub certis conditionibus per deditionem obtinuit, & oppidanis neque in corporibus neque in rebus, damnum aliquod inferri permisit. Ducem etiam interuentu Principum orantem, pactis etiam nonnullis interpositis ad gratiam recepit, qui tamen in promissa fide diu non permansit.

Arnheim.

Vicesima octaua die mensis Iulii Maximilianus Rex cum eisdem Principibus, Comitibus, atque nobilibus, eo quo exierant ordine Coloniam ingressi sunt, & epulis pene tota nocte vacauerunt. Omnes denique per ciuitatem campanæ, sequenti die, in signum triumphi & gaudii, quod pax esset data Gelrensibus, pulsabantur.

Durante Principum conuentu, Canonicus quidam Ecclesiæ Coloniensis, Hermanno Archiepiscopo multum familiaris & dilectus, cum quadam die apud eum cænasset in curia eius, & iam noctis sub vmbra comitantibus seruis duobus redire pararet ad domum, in publica vrbis strata per quosdam sicarios præordinatos occisus est. Fuerunt eo tempore graues inter memoratum Archiepiscopum & ciues discordiæ, quæ tamen sequenti anno fuerunt extinctæ, quarum occasione multi Senatum vrbis habebant suspectum, quod sub ordinatione ipsius hoc homicidium fuerit perpetratum, quem post octennium excusabimus, cum sceleris dicemus auctores.

Anno item præsignato Maximilianus Rex Germaniæ contractis vndique copiis pugnatorum, expeditionem mouit in Vngariam, suo regnum domino subiecturus. Verum interuenientibus Episcopis & primoribus regni, pacem dedit Vngaris sub conditionibus certis, & populo saluo in propria reuersus est.

HVL-

HVLDERICI ZWINGLII RELATIO
DE PROELIO AD RAVENNAM.

ALOYSII MARLIANI ORATIO.

IACOBI ZIEGLERI
ATTENTATA CHRISTIERNI II. IN SVECIAM.

LECTORI SALVTEM!
BURCARD GOTTHELF STRUVE.



Nſignis Tigurinorum Theologus erat Huldericus Zvvinglius, cuius vitam inter alios deſcribit Melchior Adami. Hic familiaris admodum Ioachimo Vadiano, Medico atque Conſuli Sangallenſi, qui ipſi antea Arbogaſti Strubii, Glaronenſis poemata inſcripſerat. Proelium ad Rauennam deſcribit, quod inter Gallos victores & Iulii II. Pontificis, atque Ferdinandi Catholici copias XI Aprilis 1512. ipſo Paſchatos die factum. Breuibus hanc rem exponit Gerbardus a Roo, * *ſcribens:* Rex alienatum abs ſe Maximiliani animum videns, vti cum hoſte, antequam ille aperte cum eo ſe coniungat, debellaret, aut operæ precium aliquod inſigne faceret, Gaſtoni Foiſſeo, qui Brixium per eos dies ceperat, vti hoſtem aggrederetur, ſcripſit. Foiſſeius Rauenna nequicquam tentata, ad Pontificis exercitum aduenientem conuerſus, memorabili proelio victoriam adeptus, ab Hiſpanis, quibus, abire volentibus, fugam permittere noluit, occiſus eſt. Cecidere vtrinque fortiſſimi quique ad decem millia, quorum trientem ex Gallis, reliquos ex Italis & Hiſpanis fuiſſe memorant. Victoria penes Gallos ſtetit luctuoſa, propter ducis & nobilium quorundam cædem; lætior futura ſi ille fugienti hoſti, ne deſperatio in fortitudinem vertatur, vel argenteum pontem eſſe ſubſternendum meminiſſet. Incedit hoc proelium in ſolemnem dominicæ reſurrectionis diem, qui eo anno Aprilis erat vndecimus. Rauenna victoribus ſe dedidit, a quibus direpta eſt. *Prolixius hoc proelium deſcribunt Guicciardinus, ** Heuterus, *** Io. Mariana, **** Fuggerus, ***** P. Iuſtiniani ****** & P. Bembus. ******* Inter literas etiam Ludouici XII ******** de hoc proelio agitur, iisdemque Catalogus etiam mortuorum inſeritur.*

Subiun-

* *Hiſt. Auſtr. lib. XII p. 588.*
** *lib. X p. 1012.*
*** *rer. Auſtr. lib. VII c. XII.*
**** *rer. Hiſpan. lib. XXX c. IX.*
***** *lib. VI c. XV n. 5.*
****** *lib. XI p. 237.*
******* *rer. Venet. lib. XII p. 509.*
******** *Tom. III p. 227. 232. 233. 241.*

Subiungitur ALOYSII MARLIANI *Oratio, in Comitiis Ordinum Aurei Velleris a. 1512. Bruxellis habita. Mediolanensis hic erat, qui in Conuentu Imperii VVormatiensi a. 1521 obiit. Diuersa scripsit, atque inter hæc epistolam, qua Calamitosa Hispaniæ Regis in Hispaniam nauigatio describitur, quæ Argentinæ a. 1514 est impressa. Scripsit etiam quædam contra Lutherum, & de fortuna, prout in Bibliotheca sua testatur Gesnerus. De dictis Comitiis vero sic loquitur Heuterus:** Interea Octobris die vigesimo septimo, Princeps Carolus, vt Burgundiæ Dux, primum sua auctoritate Bruxellæ Brabantiæ numerum Equitum Aurei Velleris complet.

Sequuntur demum IACOBI ZIEGLERI attentata Christierni II in Sueciæ Regnum. *Zieglerus, Landauia, Bauariæ oppido oriundus, perperam quibusdam dicitur Lindauia Acronianus. Insigne est elogium, quod de ipso habet Thuanus, ** dum ita loquitur:* eodem anno in Norico in viuis esse desiit Iacobus Zieglerus, Lindauus, vir exquisitæ doctrinæ, qui diutius Viennæ Austriacæ docuit, & Turcicorum armorum terrore sparso, apud VVolfgangum episcopum Patauiensem, ex illustri comitum Salmensium familia receptum habuit: qui in otio multa commentatus est: ex quibus quædam in selectiores S. Scripturæ locos, cum contrariis Candidi Ariani & Marii Victorini rhetoris de diuina generatione epistolis, Io. Iacobi Fuggeri studio publicata sunt. *Paulus Iouius *** ipsum male in terra Gothica natum esse dicit, dum inquit:* Iacobus Zieglerus in terra Gothica natus & educatus, exacte pariter & facunde Christierni, Daniæ & Norvvegiæ R. immanitatem perscripsit; vt eruditis gentibus pudori esse possit, quod latinæ facundiæ fruges sub Cimmerio coelo pene felicius ac vberius quam in Italia proueniant. *Reliqua eius scripta recenset Iosias Simlerus & Teisserius. Historiam alias exercitæ a Christierno II crudelitatis ex Danis descripserunt Haraldus Huitfeldus, Io. Meursius. Ex Suecis Loccenius plane cum nostro Zieglero conuenit. Christiernum vero contra Zieglerum defendit Cornelius Duplicius Scepperus Nouoportuensis, regis Vice-Cancellarius, qui edidit illustrissimi & Potentissimi Daniæ, Sueciæ, Norvvegiæ Regis responsionem ad duas epistolas Friderici, patrui sui ad Pontificem Romanum, Clementem VII Angliæ Regem. Ferdinandum Austriacum, omnesque Reges & Principes. Sic etiam Io. Baazius in Historia Ecclesiastica Suecorum omnem culpam in Episcopos reiicit,*

* *rer. Austr. lib. VII c. XIV.*
** *lib. VI p. 176 ad a. 1549.*

*iicit, atque Auctor obſeruationis Tertiæ Tomi ſecundi Obſeruationum Germanicarum Halenſium. Inſeruit talem Hiſtoriam etiam Tomo ſecundo Scriptorum Rerum Germanicarum Schardius, * licet præfationem ſaltim contineat, eandem, quam apud Freherum videmus. Hanc apud Schardium ſequitur rerum geſtarum ſuccincta narratio, quæ ab anno 1510 ad 1520 ſub Chriſtierno II geſta fuere, qua Chriſtiani II coronatio, atque ea, quæ lanienam Holmienſem anteceſſerunt recenſentur.*

* *p. 83.*



DE

p. 121.

DE GESTIS INTER GALLOS ET HELVETIOS AD RAVENNAM, PAPIAM, ALIISQVE LOCIS;

CONVENTV APVD THERMAS HELVETICAS, ANNO M D XII. RELATIO VDALRICI ZVVINGLII.

HVLDERYCH ZVVINGLI IOACHIMO VADIANO. S. D. P.

Fecisti, mi Ioachime, rem te satis, me haud dignam, quando suaues nostri Arbogasti Musulas sub nostro nomine publicasti. Sed ita te facere benignissima humilitas docuit. De hoc satis. Præsentium ostensor frater mihi germanus est, non rusticæ admodum indolis: quem quo Philosophiæ sacris initiandum mitterem, cum mecum ipse volutarem, tu semper occurris. Eum igitur runcinis, asciis, rutabulis, per amicitiæ dulcedinem precor, expolias, edoles, læuiges. Habebis scio obsequentissimum. Quod si recalcitrare fuerit ausus, nihil impediente religione carceri mancipa, donec petulantia deferueat. Habet per annos duos L. aureos: vnde & parsimoniam seruet oportet. Venit & alius ad te, Margarethæ Scilinen filius, puer impuber, & ille item optimæ indolis. Tu in omnibus eis boni semper consule. Nouas res ad te scribere molienti negotia interueniunt. Tu his breuissimis contentus esto. Iamiam enim cum hæc scribo, ex officina abeo. Vale & me dilige. Claronæ IV. Nonas Octobr. MDXII.

Hæc explicatioribus, quando oportunitas dabitur, supplebo. Volui multa, sed non potui.





VONIAM Omæchmorum diffamia noſtrorum velocibus ſem- p. 118.
per euolat alis, idque quod ſancte & iuſte factum euentus ipſe comprobat, vitilitigatorum maledicentia Iniquiſſimo peruertitur; ſtatui veritatem ſtatus noſtræ reipublicæ, quo breuiorem, eo integriorem, tibi Laconicωs perſtringere. Primo igitur quibus conditionibus inter beatiſſimum Chriſti vicarium Iulium ſecundum, noſtroſque confœderatos (quos eo libentius & *Omæchmos & Fœderatos* vocito, quod neſcio quem vappam aut ſtolidum, cui Pythagoreorum ferula incutienda, quod præcocibus armis linguæ officium exercere eſt auſus, aiunt *Proditores Conſpiratoresque* nos quam confœderatos verius dici debere, memoriæ commendaſſe. Cui vel hæc Balbanticulo offa obiicienda, quoniam ſi a ſingulari conſequium ad commune vniuerſaleue probat: Dicam ego, ſequitur nec ne? Quendam ſuæ patriæ matricidam effeciſſe, vt omnes eius conuicani matricidæ & ſint & dici debeant. Quo quid vanius dici poſſet?) initum ictumque ſit fœdus omittens, id ſatis commonſtraſſe fuerit, vt Francorum Rex (cui perquam impertinenter Chriſtianiſſimo, quoniam Chriſti Eccleſiam oppugnauit, honorarium adiectitium hactenus adulatum eſt) Venetos diuturno bello, præliis plurimis & iis minime ludicris fatigarit, vicerit, vrbes aut diripuerit aut abſtulerit: vt dein cum beatiſſimo Chriſtianorum antiſtite comminus manum conſerere, Antipapamque (vt aiunt) Cacodæmonis inſtinctu creare; vt Bononiam ſtudiorum matrem, iuris Pontificii nutricem, cæteraſque nobiles vrbes auferre ſit auſus. Præterito Paſchate quum Electiſſimus (quem nunc Chriſtianiſſimum ſcribunt) Hiſpaniarum Rex Petri Lembulum fluctibus iactari, vt ſaluti eius timendum ſit, cerneret: tum eum Eccleſiæ tanto commiſeritum eſt, vt quem tumultuarie congregare potuit, exercitum extemplo Iulianis manipulis, qui adhuc in Italia interiore poſt hyberna morabantur, ſubſidio mitteret. Is (vt eſt gens auida gnaraque belli) proximis Rauennam itineribus contendit. Id vbi Francorum tyrannus reſcit, ingentes illico copias, quas Hiſpanis eorumque ſociis Venetis opponat, contrahit, Rauennam mittit. Quibus poſtquam in conſpectum venerunt, Hiſpani minime detrectarunt pugnam, adiuuante animum aſtu architecti cuiuſdam Archimedicæ Dædaliæque indolis; carrulos qui falcatos leues excogitauit, quibus bombardulæ ſingulis ſingulæ immittebantur: eos vel manibus vel pedibus præ ſe agebant. Præerat Gallorum exercitui Grandis Magiſter (Inſubrium is eſt magiſtratus) qui prima acie lanceatos, Sueuos, Vaſcones ſubinde collocat, quos equitatus haud ignobilis alarum in modum circumſtat. Ipſe cum triariis in ſubſidiis manet. Hiſpanorum exercitus minus erat Venetis, quoniam pauci crebris præliis attriti ſuperarent, mixtus ſcilicet iis acribus iuuenibuſque: amborum tamen numerum vnus exercitus triginta millium implebat. Qui quum pugnæ ſignum datum eſſet, præ ſe actus bombardulas igne torquentes glandes pluunt. Ibi cunctantibus lanceatis Gramactrum inclamaſſe ferunt: *Ecquid morarentur? Poſitos ne illo, vt metæ in modum ferreas excipiant glandes? O vtinam incunctantes confœderati nunc vos eſſetis, qui viſo hoſte in ſæuorum modum Leonum rugiunt, incurrunt, impetunt. Age miles, age, victoriæ ne te tædeat, qui tam diu vincere conſueſti, vinci non didiciſti, fugata ſæpe confunde ſigna, ordines turba, gladios, ſariſſas, geſſa pro glandibus inde.* Qui, quum iam glandium impluuium aliquantiſper exaruiſſet, pedem addunt. Hiſpani truſatiles ad id concinnatos canos incenſos toto niſu in medios hoſtes detrudunt, quod maximo terriculo lanceatis, Hiſpanis ſpei, potiundæ victoriæ

ctoriæ erat. Hinc primum manus tam ardenter, intrepide, statimque conferunt, vt neutra cedens, vtraque respirare sæpius acies compulsa sit. Tum iterum atque iterum nouis ordines substruunt, fessos subducunt, ac vulnera dando accipiendoque, solem ab ortu in occasum comitantur. Laborandum videntes Hispani se ingerunt tam atrociter, vt gladiis, vbi Mars est atrocissimus, cerneretur. Vascones equitesque mutilant, cædunt, truncant (nam lanceati dudum magna pars cæci, minor elapsi fuga erant) vt octo millia hominum cæsa sint. Quod vbi Gramaeter vidit, cœlum aspicere, infrendere, dicere: *Aut hic me vltimus videbit dies, aut Hispanis tam incruentam non esse patiar victoriam.* simulque equum concitat, cuncti sequuntur triarii: inque hostes temerius inuectus, egregie pugnans obtruncatur: reliqui in exordinatos fugientesque, nil minus quam nouum exercitum timentes, pugnant, vi-
p. 123. ctoriaque cum vrbe exclusis longius progressis Hispanis Venetisque potiuntur. Nox prælium diremit. Maiorem haud Hannibal Italiæ metum post Cannensem cladem Romanis Italisque incussit. Ita passim lugere imminens Gallorum capiti imperium, misericordiam, suppetias, solatia precari. Hunc itaque Christianorum matris statum intuentes confœderati, malo periculosoque exemplo futurum existimant, si cuilibet Tyrannorum pro rabie communem Christi fidelium matrem impune permittant incessere, sedulo raptim habitis conuentibus, strenue accisas Ecclesiæ Italiæque res resarcire statuunt. Interuenit consultationi Cardinalis S. Potentianæ a latere Legatus, orans ac vigore fœderis obtestans, extemplo accingantur. In militem non plus aureo nummo dispertit. Res dictu incredibilis, sex diebus viginti millium electissimorum peditum exercitus scribitur, armatusque per Rhetios perque Athesim (nam & transitus clam a Cæsare, quam Treuerenses reliquias vt recte fierent curaret, concessus erat) & eius promontoria munitionesue (*Clausas* nominitant.) Veronam lanceatis Gallisque paribus insessam contendunt. Galli, prius Omæchmi eo deuenerunt, vrbem deserunt. Itaque Cæsar obiter, nec tamen præter intentionem ducenties millena scuta (*Coronas* vocant) Gallorum Regi (tantum enim Cæsar mutuo acceperat) suorum fuga rependit. Perquirente hostem exercitu Cardinalis S. Potentianæ (Episcopus Sedunensis is est) magno honore suscipitur. Ibi de Venetorum exercitu certiores facti consultant: veniunt post breui septingentis equitibus cataphractis, velitibus pene quingentis. Rasciii erant, Veneti, tantoque gaudio nostrorum copias aspiciunt, vt iam nescio quid prosperitatis animus præsagiret. Pergunt igitur ad flumen (nomen quoniam non audiui, non scio) trans quod Francorum castra formidinis plena. Pons amni superstructus dissimiles ripas coniungebat, vlterior Vallesia dicitur, turres tres validissimas in ore pontis armatorum oppletas habebat, Monticulusque vicinus arcem validam valido præsidio munitam, castra tutiora reddebat. Ibi aliquandiu glandibus vltro citroque trajectis Venetorum machinæ superiores fuere. Galli arce, turribus, castris pulsi esculentorum copiam militi administrarunt. Inde cum procederent, ad locum qui *Ponteuin* dicitur, Gallis præoccupatum veniunt. Arx in fluenti medio duplici ponte vtramque ripam contingit: ibi ea pontis parte præcipitata, qua exercitus veniebant, difficilem expugnationem reddebant. Ibi (vt Omæchmorum iuuentus ad quæque munia obeunda impigra est) in conspectu hostium tranaturos pontemque structuros simulant, protegentibus eos bombardis Venetis: pars Exemiorum per fluuii crepidinem descendunt, ibique nullo prohibente tranatant, naues deducunt, pontem extemplo structum transeunt: nec tamen hostem prius elapsum consecuti, præter eum quem procul agentibus machinis legerunt. Itaque post hunc locum, captum & alium accipio firmum satis viribus, nec tamen animis. Iniustam enim causam habentibus Gallis facile lababant animi; tum quod Germanorum viribus destituti fuerant, tum quod qualem contra hostem facturi essent, modo in certamen descenderent, sciebant. Loco æquo nusquam se tuto committere prospicientes, Papiam includuntur, periclitaturi quid sors occasioque ferant. Eo quem possunt commeatum conuehunt.

hunt. Tunc confœderatorum impigerrimi adoleſcentes ingentem boum ſaginatorum copiam intercipiunt: quæ non paucis diebus omnem exercitum carnibus aluit. Huldrych de Saxo Omæchmorum exercitus Dux, vir ad cuncta tam prouidens quam animoſus, vrbem obſidere, quoniam oppugnatio iniqua videbatur, ſtatuit. Iamque ad Padi ripam ventum erat, vbi iterum Galli tranſitum prohibere tentant. Sed laboranti nihil inſuperabile. Scribenda hic eſt res, quæ quum creditu difficilis ſit, vera tamen eſt & ludicra. Erant inter Gallos octingenti lanceatorum, reliquiæ Rauennæ cladis acceptæ. Ii cum quidam noſtratium Padum transnataſſent, vt prima ligamina pontis conficiundi vlteriori ripæ innecterent, erumpunt opus prohibituri. Interim autem vt omnis Omæchmorum iuuentus nandi, currendi, ſaliendi exercitatiſſima eſt, amictu repoſito nudi, ſariſſis innixi, Padum tranant; congreſſuri cum eo hoſte quem ad bellicæ artis perpetuum exercitium datum a Deo exiſtimant. Bellico enim riſu, quoties cum lanceatis congrediendum, mouentur: nec ideo quoniam imbelles nullo labore vincantur, ſed quoniam ſæpius eos vicerunt p.124 quam ab eis victi ſunt, ſemperque earum partium ſunt quæ Omæchmis aduerſantur. Lanceati licet albicantia nuditate corpora videant, pedem tamen ſtruunt, inque vrbem ſeſe recipiunt: ſicque libere Padus tranſitus eſt. Vrbem inde obſidere accinguntur. Paucis diebus obſeſſa in eum vt ſequitur modum capitur. Prouocationes paucæ quid futurum ſit, indicant male ſuſpicacibus animis. Franci vna ſex quatuor Omæchmos prouocantes confeſſi: duo inde (res auditu iucunda) vnum & eum Claroneſium euocant. Is vt homo eſt ferarum montanarum inſecutor, bombardulam geſtilem humero portabat, qua torta glande alterius morte Martem æquat, gladio alterum aggreditur: ibi inter dimicandum alter Omæchmus superueniens pene ſuperatum Gallum conficit. Galli non mœniis, non viribus, non ſatis animis fidentes effugium meditantur, oportunamque occaſionem per lanceatos id poſſe fieri proſpiciunt: eos illiſce alloquuntur: *Videtis optimi commilitones, ſiue caſu, ſiue fato vrgente, rem Gallorum bellicam in dies langueſcere. Vnde fugæ, cum victoria non poteſt, conſulendum. Videtis ſpem omnem deſperatam. Videtis nil nos citra mortem, præter ſolam fugam manere. Eia quam ſtrenue ſemper nauaſtis operam hoc die vt herba vobis porrigatur. Vel vltimo virtutem virtuti addite: Nos quicunque grauis aut leuis armaturæ ſumus milites, dum ea vrbis pars quæ Mincium aſpicit, hoſte vacua eſt, viam ne egrediendi facultas præripiatur, ſollicitemus vt ſimul omnes ſaluti reſtituamur. Satis fuerit vincere non potentibus, vitam vt denuo* (Demoſthenis verbo vtar) *vincant, ſeruaſſe. Machinas omnes, ne quis ſe prodi exiſtimet, in veſtra manu dimittimus, ſalus vnde maxime nos reſpicere poteſt.* Creduli lanceati Gallos cum quibuslibet abire patiuntur, exiſtimantes verbis re fidem facturos. Illi vero mox vt Mincium traiiciunt, fugæ in modum acto exercitu, Lanceatos relinquunt. Quod vbi Papiani viderunt, militum cuilibet aut Veneto aut Omæchmo menſtruum ſtipendium pollicentur, ne diripiantur. Tenebat militem cum Lanceatis pugnandi deſiderium, quod & quibusdam cum ſudore ſatietatem attulit. Erant bombardæ in roborarium, aut viuarium, quod extra vrbem eſt, collocatæ. Ad eas ſeruandas centum ex quibuscunque partibus deſtinati: nec dum meridies erat quum mulieres & ciues ſeniores, qui lanceatis minime ſuſpicaces erant prius haberentur, ſcalis in muros expoſitis introitum militi annuunt. Accurrunt, temere ſatis, centum ii qui cuſtodiendis machinis præditi fuerant, cum paucis aliis ſcalas conſcendunt, muros tranſiliunt, inque ordinem inter vrbem toto exercitu inſcio componuntur. Pugnandi enim auiditas quemque plus vt pugnaret, quam renunciaret, afficiebat. Ibi ad vnum omnes, niſi Lanceatis propter platearum anguſtiam ſimul pugnandi poteſtas ablata fuiſſet, trucidati eſſent. Hi machinas, illi nihil præter portalitia arma & ardentes animos habebant; ſæpeque in aliquod diuerticulum inclinare, dum glandes torquerentur, compulſi ſunt. Maxime nitentes machinas ſi quas eripere poſſent, eripiunt: mox duas iam ad torquendum concinnatas, quibus inuerſis glandes in hoſtem

ſtem eiaculantur, retroque pedem ferre magis ac magis compellunt. Tum quidam murum conſcendens inclamat victoriam, vrbemque in manu eſſe. Exercitus verò manipularii nihil credere, prohibere ne quis muro propius accedat: actum eſſe: non ſcire quempiam amicorum in vrbe eſſe. Demum Stentorea fracti quidam voce muros ſuperant, Lanceatos nequicquam contra nitentes macerant, inque fluentum agunt. Quinquaginta ſolum viui ex octingentis capti ſunt. Interim exercitus Omæchmorum per portas intromittitur. Veneti equites perniciter, ſi quospiam tardius incedentes contingere queant, inſequuntur, pauci retenti. Ibi clamor tota vrbe exortus, Iulium victorem profitens & Suitzer. Tenebatur & arx, quæ tertio deinde die capitur. Bombardæ murifragæ octo, longæ (quas *Dracones* vocant) decem, campeſtres decem captæ, e quibus aliquæ Venetorum fuerant; quas vbi vident, amplectuntur, lacrimis rigant, S. Marci ſignum oſculantur: ita male eos diu paſſa ignominia habuerat. Reliquæ dein non deditæ vrbes, miſſis legatis, ſeſe dedunt in Cardinalis fœderatorumque poteſtatem. Interim Ianua capitur Hiſpanis oppugnantibus, & Aſta velatis manibus pacem poſcens deditur ſancto fœderi. Ita omnis Italia, Liguſtica ora, Inſubres, per Omæchmos liberati, tantum ſe eis debere profitentur, quantum T. Quintio Græcia liberata. Paſſim per vrbes, per oppida, per agrum, tuba clangere, campanis inſonare, docti, religioſi, concionatores omnes
p.125. in ſuggeſta elati, Confœderatos dicere *Populum Dei eſſe, qui Crucifixi Sponſæ inimicos vindicet.* Nobilium vulgus vndequaque vt victorem exercitum videant, confluere, dona mittere, vina, frumenta, gaudere omnes, tripudiare, gratiamque ingentem oſtendere. Aliquot diebus victor exercitus Papiæ moratus ſeditionem ſubortam ſopiuit: quæ quod quieto fine clauſa eſt, omittitur. Tum legati vltro citroque, qui Mediolanenſium res componant, mittuntur. Florentinorum trecenti qui cum Gallis erant, poſtquam ii trans Euiſium montem fuga diſſipati ſunt, a Cardinale Huldrichoque de Saxo libere abeundi copiam impetrauerunt. Sed poſtquam neſcio quid ſpei nacti Gallos iterum nouaturos rem exiſtimant, iuriiurando contraeuntes eos iterum ſequuntur: vbi per Venetos tractuum eius oræ ſocios viui omnes capiuntur. Tenentur arces aliquot Gallorum adhuc præſidiis; quæ (vt ſperatur) paucis diebus exturbabuntur, vbi ſpei nihil in eorum Tyranno repoſitum viderint. Conuentus inde Thermas, * commune Fœderatorum municipium, indicitur. Ibi Legationes hæ conueniunt. S. domini Papæ Iulii II. Imperatoris, Cardinalis S. Potentianæ a latere legati, Hiſpaniarum Regis, Gallorum Regis (ſed hæc occultior erat) Ducis Sabatiorum, Ducis Lotharingiæ, Venetorum, Mediolanenſium: ſingulæ ſingulum quid petentes. Ibi videres hominum prouidentiam aſtumque: vt illi alia aliis implicant, vt impetrent e diuerſo: alii contraria aſſerunt, quoniam propria alterius domini obfutura ſunt vt impediant. Maxime tamen Cæſar ipſe perturbat: Qui vt clanculum conſultum erat, exturbati Ducis Ludouici Sphortiæ filium Maximilianum in Principatum reſtituendum, iam cum magna admiratione omnium affert, *Inſubres, Imperii Cameram, a nemine quam ab Imperio Principem accipere oportere.* Confœderati ægre ferre: dicere *Cæſarem pollicitum equites miſſurum, verbotenus tantum fidem ſoluiſſe; pondus belli ſe, Papam, Venetos tuliſſe: Eum manducare, cum nil laborarit, velle.* Diſceptationes tamen eæ non in contentiones deuenerunt. Aduenit alia dein legatio S. Patris Iulii & Cardinalium, Omæchmos in liberatorum Eccleſiæ album relatos. Res grata, quidquid petant, ſanctiſſimum conceſſurum. Maior pars, imo omnes, Crucifixi arma petunt, Claronenſes reſurrectionis imaginem. Vltimo conuentu decretum, Maximilianum Ludouici filium debere in Principatum paternum reſtitui, &c. Scripſiſſem plurima (hæc enim non centena pars ſunt) dulciſſime Ioachime, ni me vrgentia negotia alio diſtraxiſſent. Velim tamen ea fronte legas, qua nos ſcripſimus, nobisque parcas, quoniam certe trium horarum ſpacio non ornatius, non copioſius, ſcribere conceſſum eſt.

T [illegible] ALOY-

* Baden Heluetorum conuentibus oppidum deſtinatum.

ALOYSII MARLIANI ORATIO HABITA IN COMITIIS ORDINIS AVREI VELLERIS SERENISSIMI CAROLI REGIS CATHOLICI, ETC. ANNO MDXVI.

p.126.



QVI veritati religionis nostræ opinione propius accessere Philosophi, ex vno Deo omnia fluxisse putant. Qui vero cum Deo æterna omnia fuisse credunt, vnum Deum præesse omnibus affirmant. Vnus igitur omnium consensu aut Dominus est omnium, aut author. In hocque discordes concordauere: credidere igitur vnum esse Deum. Videre etiam vnum Solem diei præesse, vnamque Lunam nocti. Hinc excogitauere, fore in terris optimo ordine cuncta disposita, si Deum vnum (quem credebant) Solemque vnum, Lunam vnam (quos videbant) imitarentur. Præcipue cum etiam muta animantia viderent vnum sibi ducem deligere, tanquam vnum, Principium sit omnium; nautas nautam vnum, milites vnum Imperatorem: tantamque esse vnius perfectionem vt nec commode ordinari nec esse entia possint sine vno. Ne quid igitur in Republica deesset, cum sit homo natura animal sociabile & politicum, cœpit ex pagis ciuitates, ex ciuitatibus regna condere: primumque in terris dignitatis nomen Regium fuit, si Philosophis, si historiographis credimus: quum regnum in terris non minus foret necessarium quam vtile. Cuncta autem composita erant ex vno & multis: vno Rege qui imperabat, multis qui parebant. Animaduertere postea seditionum & discordiarum matrem inæqualitatem esse, nec sine æqualitate stare orbem posse aut rempublicam. Nam profecto iniquus Rex esset, si sint paria omnia: quum nec gratia nec merita apud illum possent. Excogitauere idcirco homines vt Musicam artem imitarentur, quæ ex diuersis vocibus, grauibus, acutis, mediis, vnum concentum & consonam harmoniam efficiat: æqualitatemque quandam, quum id excogitassent, in inæqualitate inuenere, quæ suo numero & ordine constaret: sorsque cuique esset quæ conueniret, quæ quemque deceret. Idem post Reges (quum & ipsum Deum viderent, qui nullius officio egeat nisi suo, intelligentiarum cœli, fortunæ, temporis seruitio vti) ciuitates & regna ita partiti sunt, vt hi qui vel maiorum gestis & antiqua nobilitate virtuteque nobilitati coniuncta cæteros præstarent, aut aliquo recenti & admirabili virtutis experimento excellerent Regesque iuuissent, hi Regibus propinquiores essent, quorum consilio & officio Rex vteretur. Proceres inde hi, Patres, Senatores appellati sunt: equestris post hos locatus est ordo: plebeii & qui in agris degunt, demum. Æquales Patribus equestris ordinis viri esse non debebant, neque plebeii aut equestres viri equestribus, nisi ea æqualitate quæ honesta, vtilis, decora, conueniens cuique ordini esset. Proceres igitur & Patres cum rebus & belli studia & pacis officia tractabant, prout quisque aptior erat: cæteri mandata excipiebant. Exortum autem dubium certamen est inter mortales, consilione an viribus & armis res magis procederet? Vsu tandem & periculo compertum est, alterum alterius officio egere, cum sit & consilio & facto opus. Cumque id exploratum esset, tribusque hominum generibus non minus Regum opes crescant, quam fluminibus maria, senatoribus scilicet, Oratoribus, Imperatoribus: nescio quid tamen plus sibi arma vindicauere quam togæ: hocque nisi eis concederetur, vim illatura videbantur. Etenim quia victoria armis quæritur, Victoriæ autem & artes, & opes, & omnium omnia parent; præstantius putauere, quod victoriam maxime pariat, scilicet militarem disciplinam, quæ profecto omnibus artibus mascula magis & virilis esse videtur. Maiores idcirco nostri, quo ab aliis viriles hi viri dignoscerentur, qui Regibus propinquiores erant, purpura primum honestauere, vnde purpurati dicti. Alexander vero Magnus argenteis clypeis suos ornauit, Argyraspidasque vocauit. Romani pro cuiusque merito & coronis quemque decorauere, ciuicis, muralibus, naualibus:

vt neclatere virtus vnquam potuerit, nec cuiusquam meritum. Eoque Reges maiores fuisse experimento compertum est, quo maior apud illos magnorum virorum copia fuit. Alexandro Magno prona omnia fuisse Curtius minime miratur, cum p.117. viderit tot Reges eum quot socios habuisse, Perdicas, Eumenes, Ptolemæos, Antigonos, Seleucos, Lysimachos, Pyrrhos. Asinius autem Pollio præstans & bello Dux & Orator, Cæsarem Pompeio præstasse vel hoc vno opinatur, quod veram Ducum sobolem secum habuerit, Antonios, Dolabellas, Hircios, Pansas, Labienos, Scæuas. Cicerones. Occurrere mihi hi duo tantum quos in medium afferrem, non quod innumeri non occurrant hoc exemplo celebres. Verum tam clara horum apud omnes sunt nomina, vt se ille ignoret, qui hos nesciat. Ad summum, siue Reges ipsi magnos hos viros efficiunt, aut hi magni viri magnos Reges, incertum est, siue vtrosque cœlum, vt qualia velit tempora, tales effingat homines. Cum sit exploratum sine magno Rege magnos viros, nec sine magnis viris magnos Reges fuisse; credendum tamen ex Regibus id potissimum emanasse. Sunt namque Deo proximiores Reges, nisi sua culpa a gradu suo labantur. At nullum antiquius augustius honestate virtutis monumentum extat, quam de quo acturi sumus: siue illud ex Gedeone,* siue ex Iasone maiores nostri repetant. Gedeone, qui Dei auxilio (ne dicam auspicio) quem Deum religione & fide nouerat, cum paucis ea gessit, quæ fieri non posse putentur: certissima victoriæ signa a vellere auspicatus, & a militibus qui non manu flumen libauere, sed proni tanquam flumen epotaturi essent, procubuere. Pauci enim cum innumeros fugassent, & mille fugerent vno sequente, ostendere Deum secum esse. Hinc Gedeon Regibus monstrauit, vt omnibus in rebus religionem colerent, cum a Deo & Reges regnent, & teneant terram. Et profecto is Rex errat & in nocte versatur, qui sibi Deum tanquam solem non proponit, dum cogitat, dum consulit, dum agit. Cum sint obscura sine Deo omnia: fiunt namque a Deo omnia, & sine ipso nihil. Maiores igitur tui CAROLE, duce eo, qui omnia potest cum vult, freti, & insignes aureo vellere, & paucis his militibus qui flumina epotaturi virtutis fidei & famæ videbantur, medii inter Germanos, Gallos & Anglos parua manu toties de tot & tantis hostibus spolia victores reportauere: dum ipsi in Deum tales sunt, quales in se subditos suos esse cupiunt. Hæc enim compendiosa est Regibus ad virtutem; ad recte, bene, beateque regendum imperium via. Cumque ex Deo large accepissent, tales in suos fuere qualem in se Deum esse sensere; iustum scilicet, misericordem, munera gratiarum in homines vltro effundentem, & amore suo cuncta ambientem & complectentem. A subditis autem responsum est fide, obseruantia, officio, & eo etiam officio quod citra mortem fieri non possit. Arduum autem quidquam Regibus esse non potest, vbi Regum amor & subditorum fides ita conueniunt, vt nec amor Principum aliquid omittat, aut fides subditorum timeat. Argunautarum autem monumento neque quidquam antiquius est, neque nobilius. Conuenere in vnum principes Græciæ, qui crediti aut Diis geniti sunt, aut quadam excellenti virtute præditi ipsi Dii videbantur. Argo tunc primum nauis inuenta est, sulcata insolita & nauim admirata maria. Vellus aureum tam longe per tot maria & pericula petitum, virtute duce, comite fortuna, vrgentibus acrioribus gloriæ & honoris stimulis. Onusta ferebat Argo, quæ terris surripuerat lumina, prudentem Iasonem, quem cæteri comitati sunt, temperatum Nestorem, ex cuius ore melle suauior fluebat oratio, vt contexta florida verba orationem tanquam flores coronam necterent; sapientem Orpheum, iustum Æacum, fortem Herculem, Theseum, Telamonem, Peleum, Castorem, Pollucem, Zetum, Calaym, cæterosque fortiores, vt ostenderent desiderari plurium ad agendum operam & fortitudinem, quam ad consulendum sa-

Gedeon. *Iason.* *Argonauta.*

 pientiam.

* Dubitatur quidem, an hic ordo a Vellere Gideonis an vero a vellere Iasonis nomen habeat. Iacobus Marchantius vero in Flandria *lib. III p. 285* a vellere Gideonis ducit.

pientiam. Rarior namque ſapientia eſt quam fortitudo. His freti, quidquam eis difficile non fuit. Nam cum eo perueniſſent, quo perueniri nondum inuenta naue non poſſe putabant, & ſpirantes ignes indomitos & rebelles tauros domuere, & peruigilem Draconem ſopitum occidere, ſatiſque dentibus obortam ſegetem illam militum coegere, vt rueret in mutua vulnera & periret. Geſtis his oſtendere nihil virtuti inuium aut impoſſibile eſſe, ſi vires & fortitudinem prudentia temperauerit, in-
Aureum Vellus. tenta tumque alias vellus aureum ex Colchide in Græciam tranſtulere omnipotentis Martis præmium. Quod nunc familiæ tuæ & eorum Regum & Principum qui cum ea ſentiunt, inſigne eſt. Conueniebat autem nulli genti id potius, quam tuæ, quam tibi. Tuæ, ſi Burgundionum primum Ducum, vnde tibi origo eſt, & nobilitatem &
Burgundia. fortia facta numeremus. Repetunt namque illi originem ex Franciæ & Burgundiæ p. 128.
Regibus: qui cum a patre Franciæ Rege Burgundiam maternam hæreditatem accepiſſent, fortiſſimos Belgas Burgundionibus, & Batauos Belgis addidere. Tantumque poſt magnanimum Philippum, Ioannem & optimum Philippum, Burgundionum in Carolo opes & vires creuerant, vt poſt multas victorias eum fortuna non ferret. Animo namque Italiam & orbem concipiebat: ſolumque in eo aut malus euentus, aut nimia virtus culpari poteſt. Eſt enim etiam in virtute, *Ne quid nimis*, Aut
Auſtria domus. ſi ad Auſtriam reſpicimus gentem, quæ cum a Romanis, vel (vt quidam) ab Hercule originem ducat, vltra octingentos annos Heluetiæ inuictæ genti, cuius caput Habſpurgum, imperauit: Sueuiæ deinde partem occupauit: demum Noricum, Pannoniam inferiorem, Auſtriam, Dalmatas, Illyricos, Rhætos; eoque deuenit, vt Vngarorum & Bohemorum regna teneret. Tot Imperatorum, Regum, Ducum mater, & altrix familia. Regnum demum tuum Burgundionum & Belgarum auus tuus matrimonio obtinuit: & pater tuus Hiſpaniæ regnum. Cumque ſuperſtes patri tuo auus eo loco conſederit, vt nec Imperator nomine aut rebus geſtis maior eſſe poſſit; quotidie tamen tam alta concipit, vt fieri non poſſe putentur. Rebus autem ſuis nihil vnquam minus defuit quam virtus. Hæreo & totus pendeo, cum mecum reputo Auſtriæ familiæ curſum, vt de ea vna cogitaſſe Deum ſint qui credant: cum videant primum Heluetiæ genti imperaſſe, demum Sueuis, Noricis, Pannonibus, Dalmatis, Illyricis, Rhætis, Burgundionibus, Belgis, Hiſpanis, Italis, Aphris, Indis: peneque euerſam maiores caſu vires reſumpſiſſe. O rem quæ ſine Deo auctore fieri non potuit, vt tam diuerſæ & diuiſæ penitus in toto orbe nationes in vnum coirent. Vel ſi ad maternum tuum genus reſpicimus, Hiſpanum equidem genus, Gothicam profecto bellicoſiſſimam gentem, quæ Scythica Italiam occupauerit, Galliæ portio-
Ferdinand. Eliſabeth. nem poſſederit, & Hiſpaniam per tam longam Regum ſeriem tenuerit. Quorum vltimus auus tuus cum Elizabetha Regina, muliere nunquam ſatis laudata, non contentus regnis feliciter in Europa quæſitis, quieſcere Aphricam & Aſiam non eſt paſſus. Siue igitur inuictam Burgundionum gentem repetimus, ſiue ſupra omnem laudem Auſtriam gentem, vel Gothicam incomparabilem: nulli genti Aureum vellus magis debebatur quam tuæ. Rectius enim tibi, in quo vno horum omnium ſunt o-
Caroli potentia mnia. O te beatum, Carole, pro quo omnia fata laborare videntur. O te terque quaterque beatum, pro cuius magnitudine fortuna & natura contendunt. Si virtutem, quam indoles tua refert, & quam quotidie e tenui nube tanquam Solem erumpere videmus, addideris: tuque Hiſpaniarum dominus, inſularum Balearium, Sardiniæ, Siciliæ, regni Neapolitani, Burgundionum, Belgarum, partis Aphricæ & Indiæ: tanquam Iaſon non exiguæ Græciæ, ſed maximos maximæ Europæ Reges prouocaueris: vt tandem ſopitis domi rebus pro quibus componendis tantum (nec, vt puto, fruſtra,) laboras, arma pro reparanda Aphrica & Aſia coniungant; vt ea concordia Chriſtianæ Reipublicæ reddat, quæ diſcordia abſtulerit. Hocque profecto aut nunc fore, aut nunquam fore ſperamus: cum orbis Chriſtiani ſumma ad paucos peruenerit, faciliusque pauci deliberent. Ætas præterea orbis Chriſtiani Regibus eſt ea, quæ ſurgens ad res gerendas maxime oportuna ſit. Iuuenem Pontificem

tificem nunc primum hæc nostra ætas protulit, Franciæ Regem iuuenem, te Carolum, Anglorum Regem, Hungarorum, Dacarum, Lusitaniæ: vnum Cæsarem grandiorem hæc ætas fato seruauit. Feruida autem ætas, si honoris, si famæ stimulos non sentit, quid sentiet? Auctore te, Carole, hoc fieri omen accipimus. Nam non sine Dei numine tantam tibi magnitudinem ab incunabilis ipsis natam putamus, quæ nulli nascenti contigerit: nisi vt hæc magnitudo stabilis & mole constans sua, alios Reges & tibi & inuicem sibi coniungeret, quod fore speramus. Cæsarem namque patrem habes: Franciæ Regem eo in te esse animo audimus quo in filium pater: eo enim nomine semper appellaris. Auunculus tibi est Angliæ Rex, non minus necessitate quadam coniunctæ fortunæ, quam necessitudine coniunctus. Sororius Hungarorum, sororius Dacarum, auunculus Lusitaniæ Rex. O miram orbis Christiani & tuam etiam Carole felicitatem, cui nascenti plura oblata sunt quam peti possent. Verum vt te his parem ostendas, oportet: virtuteque tua tantam orbis molem nouus Hercules & Atlas sustineas, teque ipsum & magnitudinem cognoscas tuam. Virtus tibi famam pariet: quæ in fide tua multas nationes, quas nunquam accedes, ipsa
p. 129. accedens detinebit: cum illis ostendet, nec sperare maiorem, nec habere te meliorem posse. Animo præterea voluas necesse est, turpius esse parta non seruare, quam gloriosum quærere. Repetasque sæpe Cæsaris dictum: *Difficilius esse ex primo secundum, quam ex secundo fieri vltimum*. Facillime autem & parta seruabis, & fortunam etiam vota tua præuenire coges, si post religionem & iustitiam fortitudinem prudentiæ coniungas. Non enim sola prudentia regna reguntur neque sola fortitudine seruantur; sed prudentia & fortitudine. Nam nec sine fortitudine tuta est auctoritas aut prudentia, nec fortitudo sine prudentia moderata. Armis igitur & consilio opus est. Repetam iterum, Armis & consilio est opus, si eam dignitatem & magnitudinem quæ tibi a Deo, a natura, a fortuna donata est, aut retinere cupis, aut augere. Res etenim iisdem ferme artibus seruantur, quibus & quæruntur. At nunc res nos admonet, vt Imperatoribus, Regibus, Ducibus, & fortissimis viris, qui huius Ordinis fuere, & fato functi sunt, hodie parentemus: cras autem eos substituamus, vnde in æternum tam nobilis ordo propagetur.

p. 130. CHRISTIERNI SECVNDI REGIS DANIAE ATTENTATA IN SVECIAE REGNVM, ET CRVDELITAS PERPETRATA IN PROCERES EIVS ET POPVLVM HOLMENSEM.

ANNO DOMINI MDXVII.

IACOBO ZIEGLERO LANDAVO BAVARO SCRIPTORE.



RBIVM & populorum clades ab hostili manu perpessas, & Tyrannorum iniurias in ciues, multas & memorabiles legimus per omnem Historiam, tam magna miseratione erga afflictos, quam summo odio in illos, qui suo scelere maleficia in obnoxios exercuerunt. Sed nulla atrocior a memoria historiæ accidit, quam his annis Suecis, & Stokholmiæ regiæ eius gentis vrbi. Aliis inter obsidendum induciæ profuerunt, mutui congressus liberi fuerunt, sine maleficio: si pacta inita, si icta fœdera, hæc sancte seruata sunt: si vrbs autem expugnata, sæuitum in fortunas iure victoris fuit, & in ætatem præcipue quæ arma ferret, & nocere parata esset, neque quietura donec incolumis foret, videlicet repensum fuit quod passuri erant victores fortuna inclinante. Quod si incendio & cæde omnia miscerentur, hic aut proditio, aut defectio, aut graue aliud flagitium obsessorum præcesserit, quod hostem irritaret, & faceret

pene iustum. Tyrannorum etiam violentia (de exemplis dico gentilis historiæ) in paucos ciues, qui inculpata vndiquaque vita essent, ita deliquit, vt sine venia debeant criminari. Qui enim pœnis subiecti fuerunt, si in eadem statione ipsi fuissent, quo erant ingenio, similia aut funestiora ædidissent in ciues. Repetamus a Tyberio ad Maxentium, quem Constantinus Imperio depulit, historiam Romanam. Quicunque in capitis discrimen adducti sunt, iidem fere sub alio domino capita ciuium detulerunt, siue palatinos fumos vendiderunt, siue iudicia corruperunt, vel vbi scelere publice carerent, tamen domi in seruitia supra barbarum morem sæuierunt, seruitia diurna opera in agro attrita in ergastulis habuerunt, nuditate & fame afflixerunt, infirmos tecto protruderunt, in vias abiecerunt, alios ob leuem offensam barbaricis notis inusserunt, in arenam produxerunt, feris laniandos obiecerunt, totis theatris voluptatem domesticorum sanguine præbuerunt. Tale quid crudelissimi tormenti exciperent a Tyberio, & Caligula, & Domitiano, quod non essent meriti propter admissum alias scelus in humanum genus? Innocentes vero habiti sunt, eatenus qui præsentis accusationis rei non essent, Tyrannique sub hoc in inuidiam crudelitatis adducti sunt, quia non ob conscientiam nocentioris vitæ vendicandæ, sed per scelus ipsi quoque cædem facerent. In cætera, ei patellæ hoc operculum congruebat. Populus victor, frequens sedit totis theatris, exhibuit sibi sub eodem spectaculorum die paria CCC. gladiatorum, feras, leones, vrsos, pantheras, & indomitos boues eodem numero, quos se mutuis vulneribus conficientes videret ad voluptatem, captiuos quoque adductos ex deuictis prouinciis, domi honeste natos, suis fortunis præter cuiuspiam iniuriam fruentes, iure autem gentium pro libertate patriæ, incolumitate fortunarum, saluteque parentum, vxorum & liberorum pugnantes, & triumphatos circumduxit in catena, attraxit in arenam, obiecit cruentis feris, aut coegit in mutuas cædes. Hic ille populus spectator, qui humanum sensum exuit, seque ad omnem immanitatem obfirmauit, neque satis pœnarum sumptum sibi a victis credidit, per considerationem, quod miseri patria carerent, fortunis exuti, exarmati & ad reliqua innocui essent, qui in graui catena constricti male præterea cruciarentur pro vxore & liberis distractis, pro pudicitia violata, pro salute omnium desperata, quoniam & vitæ & necis ius situm penes alienum dominum nossent. Idem qui nihil tantorum malorum recordatione ad miserationem in reliquum moueretur, quin imperaret, magis laniationem fœdum in morem; quid immeritum & sua indignum virtute sustineret sub Caligulæ quamuis atroci voce? vel sub Commodi milite prætoriano; quin in Theatrum immissus populum funestæ & iuxta barbaræ a- p. 131.
renæ spectatorum propulsauit, terrore & fuga tumultuantem inuoluit, vt plurimi obtererentur? Fatebitur, quicunque mores pro æquo expendet, crudelitatem omnem Tyrannorum fuisse mitiorem obliuione tanta naturalis iuris, & carnificina, communia applausu theatri, admissa in genus humanum. Ista commemorarim non equidem pro voluptate insectandi, sed necessario exemplo, vnde inter populos etiam eadem passos, interque Tyrannos eadem agentes discrimen fieret atrocitatis facti. Non enim conueniat; ita factum referri, vt arbitrio legentis stet, qui immerentis casum, ex nocentis exemplo spectatum æque leuiter ferat. Ergo is intelligat, populum vnum Holmensem, purum sceleris, nihil in vita admittentem in genus humanum, non in ipsum hostem Danum, vt quem se obsidentem pauit in dura fame, quo cum fœdera icit, quem vltro in vrbem admisit, Regem prope constituit, eum populum sub Dano sacramenti, & religionis desertore, dextræ datæ & syngraphi conscripti, iuris diuini & humani euersore, pertulisse mala, qualia nullus præterea populus omnia simul, sed alius aliud malum, & idem aliud alio tempore passus sit. Huius calamitatis ordinem narrare institui, existimans idem solatio futurum populo Holmensi, si is videat Danum, qui hæc perpetrauit, ferre infamiæ suæ notam ad posteritatem: vsui etiam plurimum reliquis profuturum, si qui similia facere in obnoxios possunt, iidem vnius publica exsecratione deterreantur: cum viderint Tyrannidis memo-

memoriam durare post funus, referreque acclamationem, vt humani generis hostes, Deo & homine approbante, æternum damnentur.

REGES Danmarchiæ sæpe alias Regnum Sueciæ armis tentarunt cupiditatem faciente ipsis vicina Norduegia, quam olim factione & armis oppressissent, pulcherrimum fieri existimantes, si totam continentem, quam Schondiam dicunt, sub vnum imperium contraxissent. Inuitabant præterea eadem, quæ cæteros mortales, domi opes minime insignes, Norduegia a se exhausta, Suecia autem & Gothia integræ adhuc, plenæque argenti & æris. Ita aliena fœlicitas magnum his studium miecerat quærendi opes ex alieno. Hoc domesticum exemplum sequutus Christiernus secundus Rex Danmarchiæ, Sueciam armis occupare annixus fuit. Verum vbi Suecis in eadem consilia hostis propulsandi concordibus, videt bellum futurum multo grauius suis viribus, ad artes conuersus, quales illi vbique superant, factionibus dissociare Suecos laborauit. Ergo solicitat quoslibet seditiosos, qui genere, opibus & ingenio improbo valerent. In his se principem gessit Gostauus, titulo quidem Archiepiscopus Vpsaliensis, verum neque ætate, neque integritate vitæ par ei professioni. Is anno a nata salute Christiana M D XVII. partes Dani curare aggressus aperte fuit, tantisque animis, vt opes domesticas, gratiam apud ciues, pietatem in patriam, religionis statum ipsamque vitam suam proderet pro peregrino domino constituendo. In eum euentum munit arces, cogit occulta consilia consciorum, plures ad defectionem perducit. Huius conatus persentiens illustris princeps Steno Sture, idemque præses regni Sueciæ per interregnum, Archiepiscopum compellat, monet, & maiorum malorum timore deterret, vt desistat inceptis. Sed is neque iustis postulationibus, neque reuerentia in patriam dimoueri a sententia potuit. Quam hominis peruersitatem Steno cognoscens, mouet arma, & obsidet Episcopum in arce Stecho. Danus cum per nuncios intellexisset, quanto in periculo esset socius, legit domi militem, & nauigatione celeriter confecta, properabat impedire obsidionem. Quo loco pugnans cum Stenone, superatur. Ita concisis copiis, & deserto Episcopo, rediit in Daniam. Episcopus cernens res suas desperatas, Stenonem in colloquium vocat, permittit se arbitrio Ducis, se Ecclesia Vpsaliensi, & publica functione cessurum, se priuatum posthac futurum, & quaslibet conditiones admissurum, spondet, tantum vt sibi patria ignoscat. Videbatur illud ex animo velle, & atrocitas proditionis ea fuerat, vt omni profligatæ conscientiæ posse inducere pœnitentiam videretur. Sed erat (quod sequens historia ostendet) fictio ex præsentis periculi necessitate adornata. Ergo annuit Princeps supplici, eatenus, quod omittit oppugnationem: verum causam permittit integram cognitioni Conuentus regni. Hic cognitum fuit. *Archiepiscopum per leges patrias excidisse fortunis & vita.* Tamen per publicam indulgentiam vtrumque illi donatum, in cætera autem ita decretum fuit. *Ecclesia Vpsaliensi abstineat, reliquamque ætatem apud agrum paternum*
p. 132. *priuatus viuat.* Danus hoc secundum incommodum accipiens, videlicet, caput totius factionis suæ exarmatum, nec superesse alium qui vicarium bellum administret, rem gerere apertis viribus cœpit, conscribit magnum exercitum ex milite domestico & peregrino, & in Sueciam transportat & obsidione cingit Holmiam regiam. Vrbs est insignis magnitudine, ad sinum Finnonicum (quem paulum deflexa voce Vennedicum veteres dicunt) in circumfluentibus paludibus sita. Mare etiam ei se multa parte infundit, ita vt situm assimilem habeat Venetiarum. Ergo hanc natura & munitionibus, ciueque & conducto ex agro milite munitissimam expugnare, obsidionem quoque diu sustinere posse desperabat. A pabulatione enim prohibebatur per militem Suecum, etiam laborabat miles fame tam acerbe, vt ad cibos infames fuerit compulsus. Duo prope menses transierant ab aduentu in Sueciam, quod omnibus incommodis conflictabatur, nec reditus in Daniam dabatur aduersantibus ventis. Ergo omnibus consiliis exclusus, quæ manu & virtute impetrasset, conuersus

Christiernus II R. Danorum.

Gostauus Archiep. Vpsaliens.

Steno Sture præses.

Holmia. Venedicus sinus.

ſus ad dolos, petit inducias bello. Steno vt excelſo animo erat, concedit inducias: facit præterea exemplum clementiæ & munificentiæ in hoſtem, prope ſingulare in omni hiſtoria. Mittit in caſtra multa iuga boum, vnde confectum fame hoſtem ſubleuaret. Danus ſane exiſtimans hominem qui tam benigno affectu tanquam indulgenti natura eſſet, eundem & eſſe ingenio ſimplici & minime ſuſpicaci, ſimulat præcipuum fauorem in Stenonem, & ſe oſtendit percupidum viſendi Principis, & colloquendi: ad hocque impetrandum mittit in vrbem obſides, atque eo prætextu euocat in caſtra Stenonem ad colloquium. Is plane venit in ſententiam Dano colloquendi, haudquaquam ſatis exercitatus ad eiusmodi fraudes deprehendendum. Iamque properabat ad manifeſtum exitium, niſi ſenatus Holmenſis interceſſiſſet. Danus vt vidit hac non ſucceſſiſſe dolos: aliam fraudem confingit. Se ait acceſſurum in vrbem, modo impetret obſides ſalutis ſuæ. Hic vero Steno perſuaſus, deligit nobiliſſimos ex iuuentute. In quibus fuit illuſtris Goſtauus Erichſon, quem hodie feliciſſimum Regem Suecia habet. Hi ſe permittentes fidei & ſyngraphis Dani, ad naues veniunt: quos is comprehenſos in vincula coniicit, atque mox in altum profectus, in Daniam cum præda enauigat. Illic Goſtauus vnus illuſtriſſimus obſidum, furcam ante hoſpitium paratam ſibi, & plures mortis imagines comperit, vitamque habuit in omne momentum ſuſpenſam. Tamen clariſſimis hiſtoriæ exemplis, quibus maximi ſæpe Reges per deſperatos caſus venerunt ad Regna, iisdem & Goſtauus ſeruatus Dei prouidentia venit ad Regnum.

Goſtauus Erichſon.

Poſt hanc fugam quieuit Danus annos quatuor, quibus opes & militum confirmauit. Quibus vbi curatum ſatis putauit, mittit exercitum in Sueciam. Steno celeriter occurrit paratis copiis ſuis pugnaturus, priusquam hoſtis a iactatione maris confirmaretur. Fit pugna, in qua dum Præſes primas in acie partes obiret, occiditur, corpusque refertur Holmiam. Fuit tanti principis cædes patriæ quam ſuo maiore detrimento. Tunc enim factiones inter primates Sueciæ recruduerunt, & ſub diſcordia potentiſſimus Suecorum exercitus diſſipatus eſt, & Danus ad interiora Sueciæ ex ſententia penetrauit: tunc etiam Goſtauus Epiſcopus occiſo proditionis ſuæ vindice prouolauit ex latebris, in quas damnatus fuerat, Eccleſiam Vpſalienſem repetit, huius opibus ſe confirmat contra patriam. Quos ſuorum ſucceſſus vt Danus accepit, venit etiam ipſe ad exercitum, & contractis omnibus viribus pergit rurſus Holmiam obſidere: non quia capiendam armis ſperaret, ſed expectaret occaſionem vnde illam inſidiis circumueniret. Erat in vrbe Chriſtiana, vidua ab interfecto marito Stenone: hæc principem locum adhuc retinebat. Hanc hoſtis ſollicitat ad honeſtas conditiones, nihil non ſuſcepturus, quodcunque pactorum proponeretur. Chriſtiana & Senatus Holmenſis reſpondent, populo Holmenſi non opus eſſe aliquibus conditionibus, qui liber ſit, & ſuo iure viuat, ſitque armis longo potentior. Tamen ſe admittere conditiones æquas, quo pax in reliquum ſit. Deinde capita proponunt conuentæ pacis: *Rex patrias leges ſibi inuiolabiles ſeruet, ciuium libertatem infractam velit, offenſas remittat omnium qui arma contra ſuſceperunt.* Danus vt fidem certiſſimam faceret, ſe hæc capita rata habiturum, addit longe etiam plura, plena moderationis & clementiæ in populum Holmenſem. Itaque conuenit, interponitur religio ſacramenti, ſyngrapha conſcribuntur, & adhibentur omnia inſtrumenta, quibus pacta & fœdera publice ſuſcepta ad poſteritatem communiuntur. p.133.
His artibus perſuaſi ciues, hoſtem intra mœnia recipiunt, autoritatemque vrbis ſequuta eſt multa pars regni. Hactenus eſſe legitimus Rex credebatur, & Danus in ſuſcepta diſſimulatione durauit, donec ſe & militem recrearet, & arcem communiret. Nec diutius moratus, vocat ad conſilium Danos, aperit eis voluntatem cædis patrandæ in ciues: rationem quærit, quemadmodum cædes facta putetur ſe ignaro & inuito. Fuerunt quibus placeret, ſeditionem quaſi militarem excitari in vrbe: ſic poſſe cenſebant fortunas diripi, necari ciues, vt integrum Regi ſit diſſimulare imperatum

Chriſtiana Stenonis vidua.

Holma ſub conditionibus dedita.

ratum

ratum ſcelus. Non placuit ea ſententia multis, nam per ſeditionem excitatam liberum fieri aiebant etiam ciui reſumere arma, quod ſi fieret, Danos primos futuros in deſperatione ſalutis. Magis id placere, vt Rex publice conuiuia inſtituat per omnes ordines, eos vero, qui potentia & nobilitate præirent, vocarent in arcem, ita ſpecie beneuolentiæ coactos & hoſpitali iure ſecuros ſibi fieri, obiectos arbitrio Regis. Probauit Danus conſilium, & ſi a Diſſimulatione priori excludebatur ſceleris imperati. Inſtruit conuiuium pro regio luxu, ipſe ſe effingit ad omnem ſpeciem comitatis & hilaritatis. Sueci idem & ex animo faciunt, ignari qui impenſas forent hoſpiti ſanguine ſuo ſoluturi. Triduo toto excepit conuiuas eodem apparatu, iamque aderat dies cædi deſtinatus, cum immittuntur ſatellites, & comprehendunt conuiuas, coniiciuntque in carcerem. In diem ſequentem portæ vrbis communiuntur, præſidiaque intus per regiones diſponuntur contra ciuilem vim, tubicines autem a prima aurora iuſſi ædere terrificum clangorem per totam vrbem, milites iuſſi adeſſe, graues armis, & qui ſtudioſe efferarent in truces vultus, deinde hoſtili fremitu, & armorum concuſſione timorem omnibus incuterent perdendæ vrbis. Videre etiam erat tormenta ænea diſpoſita tota via, quæ ab arce ad forum, quaſi priuata & publica continuo deiectura, mixturaque ruinas cum ciuibus. Species erat plena rerum mortalis formidinis, & omnes pendebant dubii ad imperium Dani. Cum regia repente aperitur, & producuntur duo Epiſcopi, Vincentius Scharenſis, & Matthias Strengenenſis inter medios carnifices, non quidem quiete vt poſſent meminiſſe (quod ait Poeta) *quæ ſit fiducia capto*. Sed velluntur, truduntur & retruduntur. Hi vero, vt viros graues, & ſua dignos profeſſione decebat, nequaquam gerebant vultum abiectum, ſed modeſtum & venerandum oris habitum. Vbi ad ſupplicii locum ventum eſt, (hæc area erat ante Conſularem domum) Epiſcopi orant fieri ſibi poteſtatem Sacerdotis cui faciant exhomologeſin. Qui his negatus eſt: ſed abiiciuntur carnificum manibus in pauimentum, atque proſtrati truncantur capite, pleni ſancti deſiderii offerendi animas ſuas expiatas Deo. Poſt hos, proceres producuntur, quicunque pro patria aſſerenda ſe ſtrenue geſſiſſent. Inde ab arce trahitur Senatus Holmenſis, & totus trucidatur. Proponitur poſtea tabula proſcriptionum, hic ſatellites diſcurrunt per vrbem, & proſcriptos perquirunt: qui omnes protracti fuerunt. Nam in vrbe clauſa remedium fugæ nullum erat. Trucidatis omnibus qui deſignati erant, fit impetus per militem in promiſcuam plebem, quæ ad crudele ſpectaculum confluxerat & paſſim cæditur. Inuaduntur quoque domus & inermia corpora ad carnificinam attrahuntur. Cum vero ad hunc tumultum plurima pars ciuium ſeſe in obſcura loca abieciſſent, & ſentiret Danus plurimum deeſſe crudelitati ſuæ, proponit edictum e domo conſulari, quo continebatur impunitas omnium. Ibi infelices ciues, toties quamuis decepti, ſe credunt mendacibus edictis, & prodeunt in publicum. In quos priore exemplo immittit ſatellites, & fit cædes toto die, & vsque in noctem, ſequentibus etiam diebus continuis reliquiæ ceduntur. Et ne nullus nouo mortis genere abſumeretur (hoc enim ſtatuerat animo ſuo Danus, vt perfidia & ſæuitia ſuperaret omnes, & qui fuiſſent, & qui poſt futuri eſſent) corripit quendam Ioannem Magnum, quem ſuffixit cruci, nudum membris omnibus. Is diu de cruce loquutus, ſuam innocentiam Deo permiſit, multa etiam ad ciues queſtus de ſtatu rerum; quo Danum irritauit. Quare miſit ſatellites, qui virilia abſcinderent, quæ abſciſſa proiecta ſunt in faciem pendentis. Latus poſtea eſt transverberatum tam vaſto vulnere, vt manibus rimarentur cor, quod extractum, & ipſum abiectum eſt in faciem mortui. Nulla humani ingenii vena tam diues eſt, nullaque oratio appoſita ſatis reperiri poteſt, quæ hanc ſaltem ex omni reliqua crudelitate particulam digne in-
p.134. ſectetur. Tyrannus ſupplicium, quod conſenſu humani generis abolitum ob Chriſti ſeruatoris reuerentiam, qui id tormentum conſpiratione impiorum pertuliſſet; quod ignoratum mille annis fuit, quod Turca, Chriſti quamuis implacabilis perſecutor, vix vno & altero exemplo in Chriſtianos hac ætate in imaginum exprobrationem expen-

Epiſcopi duo necati. *Proceres.* *Senatus.* *Proſcripti.* *Rathaus.* *Ioh. Magnum.* *Crucis ſupplicium.*

dit, idem supplicium Tyrannus (qui dici hactenus Christianus voluit) reuocet ad pœnam innocentum, nihil in religionem & leges delinquentes, pugnantes autem sub imperio patriæ contra hostem alienam possessionem inuadentem? Et quod ipsum is nunc ignorauerat: quod ipsum & ciues nouo merito deditionis redemerant, si, quod benefactum, si quod syngraphum, sacramentum, si qua dextra data plus perfidia, sæuitia & contemptu religionis apud Tyrannum valuissent. Is Ribingam familiam præcipue est persecutus, adeo vt cum deesset iam cædi firma ætas, ad impuberes sit conuersus, quos comprehendit, & coma constricta in nodum suspendit a catasta, & immisit spiculatores, qui ceruices puerorum præscinderent, truncis corporibus decidentibus in terram. Corpora omnia occisorum comportari in forum iussit, subiecitque oculis, & satiauit ferum animum suo immani scelere. Triduo iacuerunt trunca corpora, volutata & fœdata cruore suo horrendum in modum. Post iussit per cloacarios eiici extra vrbem. Cadauer Stenonis (quem pugnantem pro ciuibus diximus occubuisse) extraxit sepulchro, quo cadauere sub oculos reddito, tanta rabie Tyrannus correptus est, vt illud morsu appetiuerit, canis sepulchralis more. Posthumum etiam Stenonis, eodem mense natum, sepultumque erui iussit. Omnia cadauera congesta cremata fuerunt, & cineres dissipati. Exhausta ad hunc modum vrbe viris, ad rapinas conuersus fuit: & viduas, & orbos parentibus liberos omnibus fortunis spoliauit, nulli rei prophanæ & sacræ parsum fuit. Quanto tempore Tyrannus ista perpetrauit, portas vrbis tenuit clausas, ne qua fama cædis ad prouinciam perueniret, & bellum moueretur pro scelere vindicando. Incendio etiam abstinuit, credo ex illa causa, quia latere non potuisset. Secura enim omnia & quieta esse voluit sibi nunc in fugam spectanti: quod vnum videbat præsidium superesse impunitati sceleris perpetrati. In itinere in Monasterium diuertit: Ei Nouæ Valli nomen est. Monachi loci Tyrannum benigne excipiunt. & omnia ministrant pro facultate. Simulabat etiam Tyrannus gratam sibi esse eam promptitudinem. Die quin etiam festo (is erat purificationis Virginis) adiuerat templum, sacrum more Christiano spectauerat, nullum vbique indicium maleficii quod tractabat fecerat. Cum vix digressos ab altaribus monachos iubet comprehendi, iniici vincula, & in profluentem abiici. Abbas forte liberauerat manus, & enatabat, cum ministri sceleris adnauigantes hominem vulneribus appetunt, donec is sanguine & viribus defectis mergitur, sic Tyrannus cæde & præda opimus in Daniam venit. Præsidium, quod is vrbi Holmensi imposuerat, quodque solum fuit virilis sexus in perdita vrbe, excursionibus, rapinis, cædibus. & omni genere maleficiorum, afflixit Sueciam, satagens modis omnibus animo Tyranni & præscriptæ formulæ sæuitiæ, quam is reliquerat. Gostauus quoque Pseudo-Episcopus, parricida autem in patriam, militarem furorem æmulatus, possessiones Ecclesiasticas exturbabat. Quibus malis patriæ excitatus illustris adolescens Gostauus Erichson, quem obsidem diximus, quique ex custodia nuper perfugerat; rem supra ætatem; sed magnitudini sui animi respondentem ausus vindicem se profitetur patriæ pereuntis; & quarto demum anno post initum bellum, mutato habitu, & plebei hominis veste sumpta, circuit Sueciam, & popularibus exponit, in quantis malis versentur, nihilque omnium omisit rerum, quibus ciues ad arma capienda excitaret. Addebant orationi gratiam egregiæ corporis dotes, & index singularis animi vigor. Itaque eligitur in vindicem libertatis, is militem legit ex Dalekarlis bellicosissima totius Sueciæ gente. Montes enim habitant, qua Suecia ad Norduegiam collimat: apud quos & fodinæ sunt argenti & æris, itaque sub officinis metalli fodiendi conflandique exerciti, indurantur ad præcipuum robur, quod denique peperit ipsis nomen, vt *Dalekarli* vocentur. *Dale* enim vallem dicit, *Karli* autem viros cum emphasi eos, qui præsenti animi vigore præstent, Addunt Dalekarlis præterea ingentes spiritus opes, quas plurimas habent, suntque ad iniuriam propulsandam supra omnes irritabiles. Hoc milite vsus Gostauus aggreditur præsidium Danorum quod Arosiæ ciuitati impositum erat, atque deturbat. Quo p. 135.

Ribingi.

Neuthal.

Præsidium. Holmense.

Dalekarli.

Arosia.

nouo casu exterritus Episcopus, vehementer turbatur ad cladem Danorum. Ergo exercitum a præsidiis deducit, cogitque oppressurus inter initia surgentem vindicem. Is volens a se auertere Episcopum conscientia potius rerum quam armis, mittit nuncium ad hunc cum Epistola, hortaturque hominem, vt resipiscat, satis flagitii hactenus admissum, parcat sibi & relinquat locum veniæ, & patriæ quam Tyranni fortunas potius constituat, addit præmia si in sententiam veniat. Veniam admissi delicti, constructionem de publico arcis ditionis Vpsaliensis, quæ initio belli, quod firmissima erat, ne perditorum hominum receptaculum esset, disiecta fuerat. Addit immunitates alias se permissurum Ecclesiæ pro initæ societatis præmio. Episcopus bene monentem superbe adeo accepit, vt literas abiecerit & pede attriuerit. Et certe non erat causa, vt si ab ea Episcopus depelleretur, ferociret. Neque is erat Gostauus, qui, non dicam ab homine noxio: sed alio sanctissimo contemneretur, vel ob præsens studium in ciues, vel quod illustris generis erat, & nepos eorum qui regnum Sueciæ habuissent, & suo iure patriam a vastatore repetebat. Is ergo iritatior etiam contumelia factus, ducit Dalekarlum militem contra Episcopum, & præsidia, & superat. Episcopus ex fuga prolapsus, Holmiam venit ad reliquias Danorum; vidensque Suecos in diem fieri confirmatiores, consilium capit noui militis adducendi, hocque voto in Danmarchiam ad Tyrannum nauigat. Multa hic conueniunt quæ obstare molienti ista debuerunt: Dei timor, conscientia religionis, sanctitas professionis, miseratio patriæ, sui existimatio integra, quæ omnia is per crimen nunquam deprecabile violauit. Sed hæc non attingam, qualia nemo secum non colligit: domestica illa recensebo. Nouerat Tyranni institutum priusquam suspicio belli aliqua haberetur. Is pirata erat; maria vexabat suo terrore. Eo prohibuerat commoda Schondiæ exerceri, nouerat genuinum odium Danorum in Suecos, & Gentis hæreditariam crudelitatem, Norduegia in oculis illi erat, florentissima olim, nunc afflicta maleficio Danorum. Videbat, amplissimas eius vrbes, in vici formam per vexatos ciues, per vectigalium & publicorum onerum acerbitatem redactas: quo admoneri debuit, quid patriæ mali conciliaret sub imperio externo. Non etiam deerant domi principes Rege digni.

Quod si cupiditati suæ Ecclesiam vnam Vpsaliensem sufficere non putabat, & sub Dano se explere cupiebat, nulla commoda tanta a peregrino, a Dano, a pirata referre, quanta a domestico Rege poterat. Ergo ei multo sanctius consilio & manu (quando & hoc decere Episcopum, vt bellator esset, arbitrabatur) adesset quem faceret non Sueciæ & Gothiæ tantum, sed quoque Norduegiæ Regem, essetque hoc suum Episcopi, beneficium æternum apud Norduegianos, si reuocarentur sub domesticum & idem æquissimum imperium sub quo post longam oppressionem respirarent, seseque instaurarent. Verum siue hæc eum rerum optio per ætatem & insolentiam fugiebat, siue simultates ad æquales vlcisci volebat, siue iratus patriæ erat, & vltionem sumere sub alienis armis quærebat, aderat socius Tyranno, proscriptionem cum eodem ex arbitrio composuerat, spectatorque fuerat sceleris Holmensis; satis sibi pœnarum dedisse arbitraretur, quos in bellum ad spoliationem fortunarum, & atrocem cædem attraxisset, detestaretur in reliquum & desereret crudeles partes: verum etiam malorum magis incentor esset, Tyranno ipso implacabilior. Quo loco sane licet animaduertere, quam sint detestabiles recessus humanorum animorum, vbi hi malitia deplorati in præceps ruerint, nulla cæcitas æque in abruptum abit, atque hi in scelus aguntur, efferata crudelitate, neque se ab impetu reuocant ante exitium.

Sed ad narrationem redimus. Episcopus vbi in Daniam venit, neque splendide neque benigne exceptus est, neque postea in aliqua habitus authoritate apud Tyrannum fuit. Ita ingentes eius minæ intra ferociam resederunt. Prænoscens quoque domi paratam sibi pœnam pro scelere admisso, & timens priuatus redire, desperatione salutis exilium in Danmarchia sibi dixit: vbi hodie inglorius degit. Sed qua ratione potuerit socius a Tyranno in communi re deseri, causæ sunt: vna, perfi-

ſidia qua in omnes erat æqualiter Danus: altera domeſtica agitatio, qua rediens exceptus fuit, non paulo poſt regno excidit. Ferunt diſcedentem ex arcibus corraſiſſe aulici inſtrumenti quælibet etiam vilia, tam auare, vt ſi quis apex æneus inauratus ædiculæ eſſet, hunc conuulſerit, & ad ſarcinas coniecerit. Vxorem quam habet, aiunt omnem prædam in poteſtatem recepiſſe, adſeruareque ſibi & filio. Tyrannus domeſtica etiam præda excluſus, vagusque & inops fatigat hodie alienas aulas, & habet adhuc qui eum miſeratione dignantur, hoſpitium indulgent, quam bono exemplo, apud præſentes & poſteros, quamque illuſtri domeſticæ conſcientiæ teſtimonio, neſcio. Exemplo, quia ſuperſunt patroni adhuc qui obſtant, quominus vindictam deuolui in ſe toto malorum cumulo experiantur infamiæ illæ naturæ. Teſtimonio autem, qui tantorum ſcelerum ſenſum minus integrum habere videntur, verum putant tanto intra modum illa adhuc ſtare, quanto ſunt in artificem eorum indulgentiores. Tyrannus eſt ſtatura iuſta, corpore amplo, truci vultu, ſed quem in congreſſibus præcipua comitate contegat, adeo vt hæc pluris quam indicium vultus valere ſemper ſit exiſtimata, vnde de moribus hominis iudicaretur. Qui etiam mentitus habitus Suecis toties impoſuit, donec eos ad extrema mala pertraxit. Filium ferunt referre indolem patris, & quamuis puerum, nunc eſſe minaci animo, & iactare atroces; *Seſe effecturum, vt qui nunc voluptatem ſibi capiunt & exultant ſuper eiecto patre, defleant olim ſuam acerbam ſortem.* Qualem profecto vocem non conueniat ordine, & communem ſtatum regni Sueciæ ignorare, diſſimulare, & putare vnam: imo longe ante habere conſilia parata quibus præuertat vindictam agitatam, neque infirmus putandus eſt, qui puer, qui exul ſit. Puer ſenes celerius habebit, qui conatus adiuuent, propinquitates potentiſſimas habet, qui Regem, quam exulem videre potius velint. Nec expenditur hodie, qua culpa exciderint poſſeſſione, quam bonam de ſe ſpem præbeant, quam integros in admiratione futuros exiſtiment, quos ſuſceperint tuendos. Vna cauſa ſatis fuerit, propinquus eſt. Rex natus eſt, repetit natiuum titulum. Denique in poſtremis habetur cui popularis ſtatus afflicti atque reipublicæ funditus collabentis culpa imputetur.

p. 136. — *Deſcriptio Chriſtierni.* — *Filius eius.*

Tyranno eiecto, & maioris belli ſuſpicione ſublata, Illuſtris Princeps Goſtauus contrahit iuſtas copias ex Dalekarlis, ſed & Suecis & Gothis, Lubecenſes quoque veteres ſocios in partem belli vocat: qui adeo cupide venerunt, vt non modo ex ſorte hominum, vnde hoc tempore mercenarii milites fere ſcribuntur, ſed viri graues, & in dignitate conſtituti, quique prudentia rerum & opibus pollerent, venerint, in belli ſocietatem. Quibus copiis reliquias Danorum, quæ in Schondia reſederant, perſequitur, Holmiam etiam obſedit. Intus nihil virorum erat præter præſidium Danicum. Hoc pro maleficio ſuo in Suecos, extrema omnia ſibi inſtare, metuebat. Ergo deſperatione & munitione loci pariter obfirmatum difficilem reddebat oppugnationem. Tamen ducis & ciuium virtute expugnatum in poteſtatem venit, atque vrbs recepta fuit. Dux re bene geſta, confectoque vbique bello, dat militibus & ſociis ampliſſimum donatiuum; adeoque liberalitas hæc inſignis fuit, vt ad calones & remiges poſtremos perueniret. Cum reliquis etiam Germaniæ ciuitatibus vetera fœdera renouat. Mare rurſus aperit, & ſecuritatem facit omnibus nauigandi. Ob quæ merita in omnes, patria concordibus omnium ordinum Sueciæ & Gothiæ ſuffragiis inuictum principem Goſtauum ſibi Regem legit. Pro cuius Maieſtate vt ea incolumis diu maneat, vota hodie ad Deum faciunt, vt Regi domi perpetua rerum tranquillitas, foris pax & victoria, vtroque ſtatu ſaluus principatus ſit: etiam Rex in omni vita ita virtutibus omnibus præſtet, vt maximorum principum exemplo & merito Fœliciſſimus Optimusque fauſta acclamatione æternum ſalutetur.

Holma recepta. — *Goſtauus Rex electus.*

ACTA

ACTA ELECTIONIS CAROLI V.

LECTORI SALVTEM!
BURCARD GOTTHELF STRUVE.



Ontinentur hoc fasciculo varia scripta, quæ ad historiam faciunt Electionis Caroli V. Primum locum occupant Leonis X Papæ Epistolæ tres ad Ludouicum, Electorem Palatinum, super obitu Maximiliani I Imperatoris. Erant enim, *inquit Sleidanus,** tum Electores, Albertus Moguntinus, Hermannus Coloniensis, Richardus Treuericus, archiepiscopi: Ludouicus Palatinus, Fridericus Saxoniæ dux, Ioachimus Brandeburgicus Marchio: Bohemiæ principatum obtinebat Ludouicus Vngariæ rex. *Inter hos vero præcipuæ auctoritatis erat Ludouicus, ad quem Leo X Papa has epistolas direxit, petens, vt talem eligi curaret Imp. qui sedi pontificiæ addictus, quod ex verbis patet:* fidei sanctæ faueat, sanctam sedem Apostolicam, vt filius matrem, vereatur. *Has excipiunt* Litteræ Hispanorum Principum & legatorum ad Electores, *vna cum eorum responsione, quas ad supplendam hanc historiam ex Goldasto*** hic inseruimus, vna cum* litteris Galliæ Regis *legatorum, quibus saluum conductum petebant perueniendi Francofurtum, quod tamen ipsis in litteris Electorum responsoriis fuit denegatum. Sequitur* Galliæ legatorum Oratio, *qua Franciscum I Regem suum ad Imperii dignitatem commendant, quam cum præsentes non admitterentur, Confluentia vbi substiterunt, miserunt ad Collegium Electorale. Faciunt huc verba Sleidani:**** ambiebant Imperii dignitatem duo, Carolus Austriacus, qui ante annum tertium, Hispaniæ Regi Ferdinando, auo materno successerat, vt Franciscus Galliæ rex, qui ante annum quartum deuictis Heluetiis ad Marignanum Mediolanensem principatum tenebat. Et Caroli quidem legati sub hoc tempus Moguntiam vsque venerunt, quod Francofurto quinque milliaribus abest: vero Confluentiæ substiterunt, quod est archiepiscopi Treuirensis oppidum, ad Rheni & Mosellæ confluentem: vtrique per literas & internuncios, principem quique suum electoribus commendant, & quæcunque possunt adhibent argumenta, quibus persuadeant: Galli cumprimis, qui suam causam non tam esse gratiosam facile intelligebant, eo quod lingua, moribus, institutis a Germania differrent. *Huic Orationi ex Goldasto iterum subiecimus Electorum responsio-*

* *lib. I p. 18.*
** *Polit. Reichshandel p. 31.*
*** *lib. I p. 19.*

ſponſionem, qua ſaltim legatis gratias agunt, pro bono, quem erga Germanos teſtentur, adfectu. Addidimus demum ex eodem Goldaſto Thomæ, Cardinalis S. Sixti, aliorumque Legatorum Papalium litteras ad Electores, *qua ipſis Carolum commendant, non obſtante iure Papæ in Regnum Neapolitanum, quas etiam Electores ſingulari reſponſione exceperunt. Fuerat enim ab initio Papa a Franciſci I partibus, ideoque Caroli electionem impedire conabatur, hac ex ratione, quod Reges Neapolitani ob fidem ſemel datam, Imperium minime poſſint adpetere. Faciunt huc verba Sleidani, * de Heluetiis dicentis:* Sed & Leoni decimo ſcribunt, & quoniam ſit ipſius inaugurare & confirmare deſignatum Cæſarem, petunt, eo totus incumbat, ne munus hoc ad externum aliquem principem deferatur. Ad hæc illi, audire ſe, quendam ad hunc honorem aſpirare, cui per leges non liceat: nam reges Neapolitanos eſſe pontificis Rom. beneficiarios, & fide data iam olim ſic eſſe pactum, ne Romanum Imperium appetant, ſed vt alterutro ſint contenti: huius etiam rei ſe commonefeciſſe iam principes electores. Hac oratione deſignabat Carolum Auſtriacum. poſt deuictos enim Heluetios ab rege, quod fuit anno ſalutis humanæ MDXV. Idib. Septembr. & abductum in Galliam Maximilianum Sfortiam principem, Leo Pontifex, fortunam ſecutus, Decembr. menſe Bononiam venerat, & ibi cum Franciſco rege victore diu multumque collocutus amicitiam firmauerat: & hæc quidem cauſa fuit inter alias, quamobrem in ipſius partes magis iam inclinaret. Quod autem de regno Neapolitano dicit, ſic habet. Cum Manfredus, Friderici ſecundi Cæſaris filius nothus, Eccleſiam Romanam vexaret armis, Clemens IIII pontifex, qui præfuit anno ſalutis MCCLXV. vt illum reprimeret, fecit id, quod eius anteceſſor Vrbanus IIII erat facturus, vti quidem memoriæ proditum eſt, & Carolum prouinciæ Galliæ ac Andegauiæ comitem, cum in Italiam vocatus veniſſet, Siciliæ regem atque Neapolis pronunciat, ea conditione tamen primum, vt accepti beneficii nomine, quotannis Eccleſiæ Romanæ perſoluat aureorum millia XL. deinde, ne Romani Imperii dignitatem vllo tempore vel ambiat, vel oblatam vltro ſuſcipiat. *Quam ſimulate autem Papa egerit, in Caroli electionem conſentiens, docet Guicciardinus:* ** Pontificis vero, *ait*, mens ſimulationibus artibusque recondita, quamuis potius, quod id niſi eius animo grauiter offenſo denegandi occaſionem non haberet, quam libera voluntate, Carolo contra regni Neapolitani diplomatis leges, quibus veterum diplomatum forma id ei expreſſe interdicebatur, Imperii ad ſe delati accipiendi poteſtatem conceſſiſſet, nemini erat nota, ac ne ipſi quidem forte ſemper conſtabat.

Has litteras excipit Hermanni, *Comitis de* Nuenar, *ſiue de noua aquila* Oratio ſuaſoria ad Electores, *pro Carolo eligendo. Illuſtris hic Comes erat, & vltra morem eruditus, Præpoſitus Colonienſis, qui hac ipſa oratione*

---

* *c. l.*

** *lib. XIII p. 393.* Belcarius *rer. Gallicarum lib. XVI p. 477.* P. Daniel *Hiſt. de France Tom. III p. 68.*

tione zelum ſuum pro Carolo ſatis fuit teſtatus. Idem Carolum iam electum Imp. nomine ſtudioſorum Germaniæ ſingulari oratione excepit: qua potisſimum Iacobum Hochſtratum, flagellum eruditorum increpat.

Subſequitur IACOBI SOBII exhortatio nobilium Germaniæ, *ſiue Oratio poſt electum Carolum, Francofurti habita. Hic Colonienſis erat patria, Iuris Doctor, qui ad commendationem Petri Moſellani, iuuentuti erudiendæ Freybergæ Miſniæ vacauit, poſtea etiam Coloniæ docuit cum Cæſario, de quo Bocerus.**

Tu quoque clare Sobi, cui magna Colonia primum
Vitales auras & lucis præbuit vſum,
Tu quoque magnanimi rellinquens littera Rheni
Freibergæ gaudes ſtudiis clareſcere in Vrbe.

Sequuntur demum Acta Legationis ad Carolum V in Hiſpaniam, *qua ipſi delatum fuit Imperium, & primo quidem oratio Bernhardi Wurmſeri, inſignis Iureconſulti, nomine Friderici Palatini a Collegio Electorali ad Carolum miſſi, qui ipſi electionem factam nuntiaret, habita, vna cum reſponſione Mercurini Gattinarii, qui Caroli ſummus erat Cancellarius, & litteris, quibus Electoribus de facta electione agit gratias. Omnem rem illuſtrat Sleidanus,** dicens :* poſtea datis ad Carolum literis, electores, & miſſa legatione, rem omnem denunciant: legatis his erat princeps, Fridericus Palatinus: verum interea nonnulli priuatim in Hiſpaniam contendunt eius rei nuncii, quos inter vnus, Francofurto dicitur nona die Barchinonem veniſſe. Palatinus ad exitum Nouembris appulit, & ſeptemuirorum literas reddit: Earum hæc erat ſumma, vt delatum Imperium accipiat, & omni poſtpoſita mora, quamprimum in Germaniam accedat. Carolus per Mercurinum Gattinarium liberaliter reſpondet, ac licet grauiſſimi videantur impendere motus, hinc a Gallis, illinc a Turcis, tamen non ſe poſſe dicit neque velle deeſſe communi patriæ, præſertim, cum tanti principes tale de ſe iudicium fecerint & hoc ab ſe requirant: itaque delatum honorem atque munus habere gratum, & primo quoque tempore velle facturum, vt ad Imperii fines perueniat. In eadem prope verba reſcribit electoribus, atque ita Fridericum honorifice donatum ab ſe dimittit. ***

Sequitur Leonis X epiſtola, *qua Carolo de Imperio gratulatur, &* Flandriæ legatorum, *qui ad Carolum in Hiſpaniam miſſi fuerant,* Oratio, *qua ipſum partim de Maximiliani morte conſolantur, partim etiam de regimine, quod adeptus, gratulantur.*

Subnectitur Caroli V proclamatio *Francofurti publice facta, eademque ex Henningi Gœdeni, Iureconſulti Brandenburgici Conſiliis deſumta.*

Agmen tandem claudunt STEPHANI, Comitis BELLOCASSII, *aliorumque* Carmina in obitum Maximiliani & electionem Caroli. *Hic vero Stephanus,**** Comes Bellocaſſius, natus in Caſſelenſi, Flandriæ oppido, (a quo & pago vicino Belle ſibi cognomen hoc gentile ingenioſe formauit,) Acuti ingenii Poeta fuit, & ab Actis ſeu Secretis Capituli S. Donatiani Brugenſis. Edidit iſte ſyluulam Carminum & Sanctiolegion Flandriæ, moriensque hoc ſibi fecit teſtamentum :*

Cœlo animam, do corpus humo, do cætera mundo,
Vt capiat partem quilibet inde ſuam.

TRES

* apud Mollerum *Freiberg. Theatri Chronici c. IX p. 290.*

** *lib. I p. 26.*

*** Eadem habet. Heuterus *rer. Auſtr. lib. VIII. c. II* Sabinus *Hiſt, elect. p. 14* Goldaſtus *Reichshandlungen p. 49.*

**** Val. Andreæ *Bibl. Belgica.*



p. 137.

TRES EPISTOLAE
AD
LVDOVICVM COMITEM PALATINVM
SACRI ROM. IMP. PRINCIPEM ELECTOREM.
SVPER OBITV MAXIMILIANI IMPERATORIS, ET NOVI CAESARIS ELECTIONE. MDXIX.
LEO PAPA X.



ILECTE fili, salutem & Apostolicam benedictionem. Cum post eum animi dolorem, quem ex obitu claræ memoriæ Maximiliani electi Imperatoris non mediocrem acceperamus, propter & nostram singularem in illum beneuolentiam, & commune incommodum quod tanti Principis optimique Ducis morte Christiana passa erat respublica, illa cogitatio nos ad animi æquitatem reuocauisset, quod illius eximias Christianissimasque virtutes, mitem imprimis clementemque naturam, animum Deo ac Dei religioni deditum, per Dei misericordiam donatum in mortalitate, multoque maiora & beatiora præmia cœlestis vitæ illi comparata esse confidebamus; etiam iudicauimus hanc rationem eandem apud Nobilitatem tuam esse valituram, de cuius prudentia eam semper, quam decuit, habuimus opinionem. Cum autem & boni nos pastoris cura sollicitum haberet & hoc non minus ad Nobilitatis tuæ officium pertineret, has ad te summo animi studio scribendas duximus, te impensius hortantes; vt post pietatis officia in mortuum, te nobiscum vna ad eam curam ac diligentiam velis conuertere, in qua omnis maxime salus Christianæ Reipublicæ consistit, vt illi defuncto par aut etiam superior, si fieri potest, eligatur Imperator. Communis hæc nobis tecum cogitatio: sed opera & sententia tua huic facto coniunctior est. Non arbitramur Nobilitatem tuam præstantem prudentia, egere consilio: sed tamen nostra dignitas ac persona requirit, vt quod optimum factu videatur esse in medium consulamus. Etenim si vllum vnquam tempus post Romani Imperii nomen extitit, quod tuam postularet & Collegarum tuorum fidem, vigilantiam, religionem, sapientiam, hoc illud est, in quo omnis industria adhibenda, vt in Imperatore deligendo, Dei redemptoris honori, Imperatoriæ auctoritati, Christianæ Reipublicæ quieti, vestræ quoque ipsorum qui electuri estis, saluti consulatur. Nunquam (quod tibi in oculis esse certo scimus) habuit fides Christi potentiores hostes, nunquam aduersus eam animo infestiores, crudelitate efferatiores. Horum igitur faucibus atque immanitati tota exposita sit necesse est Dei respublica, nisi is deligatur Imperator, qui pari potentia illorum retundere insolentiam, & auctoritatis nominisque sui magnitudine salutem tegere Christianitatis queat. Hoc igitur imprimis Nobilitas tua, positis ante oculos & pensitatis hostium viribus, vt prouideat, rogamus, per quem maxime illorum nefariæ crudelitati resisti possit. Atque hæc necessaria est cogitatio, illa vero ad dignitatem Imperii atque decus spectans, quod sine eximia potentia nec auctoritatem habere potest, nec maiestatem Imperator. Capite autem labefactato & de-

& debili, quid ex cæteris sperandum in bono publico sit, tuam profecto non latet prudentiam. Ergo quod petimus a te, Nobilitati tuæ vt curæ & cordi sit, in Domino nostro IEsu Christo obtestamur, id est, vt cum Nobilitas tua ad suam dicendam sententiam suumque dandum suffragium accesserit, ponat sibi ante oculos & salutem & dignitatem Christianæ fidei. Salutem, vt quoniam graue ab impiis hostibus discrimen & prope suprema imminet pernicies, in eam partem studium suum conuertat, vt par tantis rebus ac negotiis & nomine, & genere, & animo, & potentia eligatur Imperator. Dignitatem, vt cum post hanc sanctam sedem, quæ ex Deo est, summum sit in seculo Imperii culmen, qui tuo & Collegarum tuorum iudicio in id ascensurus est, ea habeat ornamenta, quæ in tanto principe, requiruntur potissima. Sit grauis auctoritate, prudens consilio, maximarum rerum peritus, animo excellens sit, qui diuinam erga se liberalitatem agnoscat, fidei sanctæ faueat, sanctam sedem Apostolicam, vt filius matrem, vereatur: qui pacem inter Christianos populos teneat, bella & minas & terrores transferat contra impios: sub quo sperare & confidere possit Christiana Respublica, se in maiorem suorum decus & possessionem veteris Imperii esse peruenturam. Hæc nos, dilecte fili, a Nobilitate tua postulamus, tuo quidem honori & officio debita, præclaroque generi & tuæ maiorumque tuorum virtuti conuenientia: sed vt præterea Nobilitas tua aliquid nobis bene consulentibus, atque hoc in magni beneficii loco pro communi salute abs te expectantibus, * tribuere debeat. Quod si effeceris, quod te non dubitamus facturum, cum Deo ac nobis rem gratissimam, tum vero publicæ saluti, in qua & tua continetur, admodum vtilem feceris: sicut de omnibus latius Tecum dilecti filii nostri, Thomas tituli Sixti Presbyter Cardinalis, noster & Apostolicæ sedis de latere Legatus, & Marinus Carraciolus Notarius & Nuncius referent, quibus Nobilitas tua fidem amplam adhibebit. Datum Pali Portuensis diœceseos, sub annulo piscatoris, die X. Februarii. M D XIX. Pontificatus nostri anno sexto.

p. 138.

Dilecto filio, nobili viro, Ludouico Comiti Palatino, Sacri Romani Imperii principi Electori.

Ia. Sadoletus.

HAE LITTERAE PROXIMO MENSE POSTEA TOTIDEM VERBIS REPETITAE FVERVNT ET ITERATAE, HAC TANTVM SVB FINEM CLAVSVLA ADDITA.

* tribuere debeat. Quod si forte aliqua ratione vel caussa, qualem nos cupimus, & respublica postulat, Imperatorem omnino habere non licitum fuerit; at illud saltem pro tua in communem pacem vtilitatemque Christianæ fidei egregia voluntate, cogitandum atque agendum tibi est, vt is eligatur, in quo nulla sit vel caussa vel voluntas aut vniuersalis Christianæ Reipublicæ quietis, aut sanctæ huius sedis Apostolicæ perturbandæ. In quo Nobilitatem tuam non dubitamus suum singulare ingenium adhibituram. Quod Deo nobisque gratissimum, tuæ Nobilitati imprimis honorificum, ac publicæ vtilitati, in qua & tua & omnium salus continetur, perquam erit oportunum. Datum Romæ apud S. Petrum, sub annulo piscatoris, die 11. Martii. M D XIX. Pontificatus nostri Anno sexto.

Ia. Sadoletus.

LEO

LEO PAPA X.

DILECTE fili, ſalutem & Apoſtolicam benedictionem. Perfertur ad nos, Nobilitatem tuam optimo animo & præſtanti in Rempublicam Chriſtianam ſtudio bene promptam eſſe in hac proxima creatione futuri Imperatoris id conſilii capere, quod eam nos totiens iam hortati ſumus, cum iudicaremus, ſanctæ Chriſtianæ fidei & huic ſedi Apoſtolicæ maxime expedire hoc tempore, vt is in tantum gradum vocaretur, qui pacem firmare inter Chriſtianos, bellum transferre in impios hoſtes Dei noſtri, & virtute & prudentia, & opum ſuarum potentia imprimis poſſet: quique eſſet in maximis rebus cum laude verſatus, ætate integer, animo excellens, in gratificando largus, in bonos liberalis. Sic enim ſalus communis poſtulat, quo immanium Turcarum furori & crudelitati obſiſtatur, vt ſimilis princeps & par illis potentia, ſuperior virtute eligatur Imperator. Nos vero hoc de Nobilitate tua audientes, quamquam eſſemus certi te pro religione & ſapientia tua non ſolum præclara omnia cogitaſſe, ſed etiam quæ præclare a te eſſent cogitata, ea ad effectum perducturum eſſe: tamen has ad te ſcribere voluimus, quæ & gratiam tibi afferrent de præterito, & hortarentur in futurum, vt priſtinas admonitiones, ſuaſioneſque noſtras,
p. 139. quibus te ad reſpectum vniuerſæ rei Chriſtianæ & huius S. ſedis, pro honore & gradu & præſtanti virtute tua vocauimus, & quibus te multum tribuiſſe cognouimus, haberes ſemper ante oculos, ageresque id, quod agis, vt ex tua ſententia, tuoque ſuffragio, in creatione noui Cæſaris, & nos & fides Chriſtiana, & ſancta ſedes Apoſtolica maxime lætaremur. Diceremus quantum hoc conueniat generi, nominique tuo, & ei, quæ de tua prudentia ac bonitate eſt, opinioni: niſi & alias dixiſſemus, & Teipſum intelligere confideremus. Illud quod ad nos pertinet, debemus ſæpe & ſæpius commemorare, ſi tua Nobilitas in hoc munere fungendo eam ſe nobis præbuerit, quam ſperamus, rationemque noſtri voti ac deſiderii, quod cum vtilitate publica coniunctum eſt, ſe habuiſſe oſtenderit, præter conſcientiam & gloriam clariſſimi facti, nos etiam curaturos, vt te nobis morem geſſiſſe nullo tempore pœniteat. Sicut latius tecum dilectus filius noſter, Thomas tituli S. Sixti Presbyter Cardinalis, Legatus noſter & R. Archiepiſcopus Rhegienſis, & Martinus Caracciolus, nuncii noſtri agent; quibus & eorum cuique fidem habebis. Datum Romæ apud S. Petrum, ſub annulo piſcatoris, die XIII. Maii, M D XIX, Pontificatus noſtri anno ſeptimo.

Dilecto filio, nobili viro, Ludouico Comiti Palatino, Sacri Roman. Imperii Principi Electori.

Iac. Sadoletus.

LITTERAE PRINCIPVM ET EPISCOPORVM HISPANIAE AD ELECTORES.

REuerendiſſimis in Chriſto Paſtoribus & Illuſtriſſimis Dominis ſacri Romani Imperii Principibus Electoribus &c. Nos inferius nominati & ſubſcripti Cardinales, Archiepiſcopi, Prælati ac Duces, Marchiones, Comites & Magnates regnorum Hiſpaniæ, nunc in curia ſereniſſimi ac catholici regis domini noſtri clementiſſimi perſonaliter exiſtentes, noſtris & aliorum abſentium nominibus, quos hæc rata habituros non ambigimus, prout per oratores noſtros propediem deſtinandos audire licebit, ſalutem & debitam commendationem. Etſi non nihil nouum & inſolitum reuerendiſſimis ac illuſtriſſimis dominationibus veſtris futurum putamus, quod nos qui tanto iſthinc locorum interuallo diſtamus, ad easdem literas dandas duximus, cum tamen Deo optimo maximo, a quo cuncta procedere certum eſt, placuerit,

eundem Sereniſſimum ac potentiſſimum Principem Dominum Carolum, dominum noſtrum clementiſſimum regem nobis dare qui & ſanguine & natione germanus eſſet, videmus hoc quaſi firmiſſimo vinculo neceſſitudinis & voluntatis Reuerendiſſimis ac Illuſtriſſimis dominationibus noſtris perpetuo adſtruitur, & in animis noſtris ita ſtatuimus, vt quicquid vni nationi gloriæ ſiue detrimenti acceſſerit, id vno eodemque tempore alterius quoque euenire putemus. Sed cum intelligamus, Catholicum regem Dominum noſtrum, non ambitione, ſeu quouis priuato commodo ductum, verum pro communi bono Reip. Chriſtianæ, & ſacri Rom. Imperii, & Germanicæ & noſtræ Hiſpanicæ nationis exaltatione & laude perpetua, cupere electionem Regis Romanorum de ſe fieri, de ea re mirifice gauiſi & lætati ſumus. Nam quid Nationi Hiſpanicæ iocundius & glorioſius eſſe debet, quam Regem ſuum fortuna & ætate florentem, ac magnitudine animi, iuſtitia, æquitate, clementia & liberalitate inſignem, & tot opibus tantisque regnis præpotentem Imperiali quoque Diademate & Romanorum Imperio, quo nil vnquam maius aut excellentius fuit, decoratum, & ad ſummum Regale ſolium euectum conſpicere. Et quamuis non dubitemus, Reuerendisſimas & Illuſtrisſimas Dominationes veſtras pro ſumma ſua prudentia facile animaduerſuras, quam Reip. & ſacro Romano Imperio & vtile & decorum futurum ſit, eum Romanorum Regem eligere, qui & natione Germanus ſit, & cuius maiores tamdiu hoc Imperium ſumma cum æquitate adminiſtrauerint, & qui Regnis & Dominiis ſuis ab occidente orientem ipſum contingere videtur, volumus tamen easdem pro noſtra obſeruantia & amore, quo ſacrum Romanum Imperium & nationem Germanicam complectimur, etiam atque etiam rogare & hortari, vt in re electionis Catholici Regis domini noſtri rationem habere dignentur. Nam ſi Reuerendisſimæ & Illuſtrisſimæ Dominationes veſtræ Regem noſtrum & ſui ſanguinis florentisſimum & optimum Principem elegerint, continuo illam nos magnifico & ſplendido Procerum noſtrorum comitatu in Germaniam aſſociabimus, & omnes vires atque opes noſtras pro dignitate Sacri Romani Imperii & Germanicæ nationis impendere non dubitabimus, ſperamusque aliquando ea tempora futura, vt victrices Aquilas & Hiſpanica ſigna concordibus animis, armis & auſpiciis, fidei noſtræ hoſtibus inferamus, Chriſtianum orbem propagemus, & optima ſpolia reportemus. Quæ quidem Reuerendisſimis ac Illuſtrisſimis Dominationibus Veſtris ſignificare voluimus, vt exploratum haberent, ſi hoc honore & Romana Corona Regem noſtrum donauerint, cunctam Hiſpanicam nationem, & nos adeo coniunctos fore, vt nulla vnquam temporis vetuſtate diſſolui aut dirimi poterimus, quibus nos maxime offerimus & commendamus. Datum in ciuitate Barchinona die quindecimo menſis Martii, anno Domini M D XIX.

A. Cardinalis, Epiſcopus Dertuſienſis
Petrus Antonius Princeps Biſtiniani.
Henricus de Cordona Archiepiſcopus Montis Regis.
I. P. Epiſcopus Perenſis.
Epiſcopus Sequatinenſis.
Helenenſis Epiſcopus.
Epiſcopus Tudenſis.
& plures alii.

Reuerendiſſimis in Chriſto Patribus & Illuſtriſſimis Dominis, ſacri Romani Imperii Principibus Electoribus, amicis noſtris colendiſſimis.

RESPONSIO ELECTORVM AD HISPANIAE PRINCIPVM ET EPISCOPORVM LITTERAS.

QVia dubium eſſe Reuerendisſimis ac Illuſtrisſimis Dominationibus Veſtris, qua animorum gratitudine complecti ſoleant Germani eos, qui ſibi bene aut fecerint aut voluerint, nullum ſcimus, ſolemni aut aliqua aut curioſe adhibita noſtræ erga

ga Reuerendisſimas ac Illuſtrisſimas Dominationes veſtras voluntatis teſtificatione, ob eam quam nobis optatis fortunam, quamque pollicemini opem veſtram, & quod offertis conſilium, opus eſſe minime putamus. At ſi ſe occaſio dederit, vt animorum vicisſim noſtrorum beneuolentiam, oſtendere liceat, non obſcure noſtri ſpecimen dabimus. Nam vel idcirco bene de vobis opinamur, ſperamusque optime, quod Moderatorem optatis Imperio huic, qui cum animi virtutibus fortunæ ſplendorem coniunctum habeat, qui non ambitioſe dignitatem hanc affectet, ſe quo de ſpes ſit, quod feliciter tenere posſit: Cui eæ ſint opes, vt vnus hæc ſuſtineat; ea animi magnitudo, vt fortunam hanc ferat, ea prudentia, vt tanti conſilii capax ſit, deinde talis, vt non aliunde accerſitus, ſed a nationis huius corpore delectus videatur. Quo posſet enim argumento dilucidius aliquis oſtendere beneuolentiam erga nos ſuam? Noſtra igitur cura erit, vt quod velle ReuerendisſimasDominationes veſtras videmus, vt in re ſumma, & quæ publicam Chriſtiani orbis dignitatem pariter ac ſalutem concernit, ſuggerente nobis diuina prouidentia nihil temere, nihil leuiter, nihil præter morem geramus, rationemque & noſtræ famæ & publicæ in nos expectationis habeamus. Nam illud quod optatis, vt victrices aliquando Germanorum Aquilæ cum adiunctis Hiſpanorum ſignis optimo terrarum orbem ſucceſſu peruagentur, vtque ita coniunctis ſint duæ hæ nationes conſiliis pariter ac viribus, & quod vtrique aut acceſſerit aut decreuerit, id vtriusque lucro aut damno æſtimetur, ſicut momenti putamus haud parui, ita ſolatii loco & præſidii ponimus ingentis: Reuerendisſimisque ac illuſtrisſimis Dominationibus veſtris gratias agimus quantum licet maximas, quod ſic erga nos adfectæ ſint, ſicque nobis precentur: non ſegniter interim, cum occaſio emerſerit, aut ſi qua fortuna poſtulauerit, facturi, ne quem poeniteat benignitate cum Germanis certaſſe priorem. Reuerendisſimis vero & Illuſtrisſimis Dominationibus Veſtris in præſentia optamus felicitatem omnem. Quæ bene valeant, & diu ſuperſint. Datum &c.

Sacri Romani Imperii Principes Electores &c.

Reuerendiſſimis, ac Illuſtrisſimis Prælatis & Principibus Hiſpaniarum, &c.

LITTERAE GALLIAE LEGATORVM AD ELECTORES.

Reuerendisſimi, Illuſtrisſimi ac Magnificentisſimi Domini Principes, Domini noſtri colendisſimi, deditisſimis paratisſimisque obſequiis præmisſis, Illuſtrisſimis Dominationibus veſtris humiliter exponimus, & harum tenore ſignificamus. Etſi præteritis diebus, cum intelligeremus Illuſtrisſimas Excellentias veſtras Francofordiæ pro electione noui Romanorum Regis conuenire, ſcripſimus honorabilibus proconſuli & conſulibus prædicti opidi Francofordenſis, omni ſtudio rogantes, vt nobis, ſicuti, ſerenisſimi, potentisſimi & Chriſtianisſimi Domini, Domini Franciſci Francorum Regis, Mediolani Ducis, & Ianuæ Domini, Ambaſiatoribus, Oratoribus & Nunciis velint dare ſufficientem debitum ſaluum conductum, quo Illuſtrisſimis Dominationibus veſtris poſſemus referre ea, quæ a Chriſtianisſimo Rege noſtro in mandatis accepimus, & ſuper eisdem reſponſum debitum accipere quod hactenus a præfatis Proconſule & Conſulibus fuit nobis, & (quantum nobis videtur) ſatis inciuiliter & indebite denegatum: quoniam nunquam meminimus huiusmodi petitiones Oratorum Chriſtianorum Regum & Principum, & maxime Chriſtianiſſimi Regis nomine, fuiſſe ita reiectos. Quare Illuſtriſſimas Dominationes veſtras diligentiſſime rogamus & obteſtamur, quatenus dignentur nobis quam primum clementem in referendis noſtris nomine Chriſtianiſſimi regis præbere audientiam: & vt tute ac ſecure per Ducatus, Principatus, Dominia & terras Illuſtriſſimarum Dominationum veſtrarum ac aliorum Principum, Comitum & Dominorum in perſonis noſtris, ac etiam in familia, rebus, & equis noſtris ire poterimus, & etiam per easdem ſecure redire, ſuffi-

ſufficientem ſaluum conductum per patentes literas Excellentiarum veſtrarum nobis impartiri & præbere atque ſæpe dictis Proconſuli & Conſulibus Franckfordianis iniungere, vt illi etiam ſaluum conductum eorum nobis præbeant, illisque & omnibus aliis ſerioſius committere, vt nos & noſtros ad hoſpitia acceptent & aſſignent, & pro parata ſolutione noſtra omnia neceſſaria nobis amice & fauoroſe adminiſtrare velint. In hoc facient Illuſtriſſimæ Dominationes veſtræ rem Regiæ Celſitudini admodum gratam, omni amicabili ſtudio compenſandam; quod & nos omni officio atque diligentia demereri curabimus. Datæ ex Confluentia, decima octaua die menſis Iunii M D XIX.

Chriſtianiſſimi & Potentiſſimi Regis Francorum
Ambaſiatores & Oratores,

D. Albret Boninuet.
C. Guillart.

Reuerendiſſimis, Illuſtriſſimis & Excellentiſſimis Dominis, Dominis Principibus Electoribus ſacri Romani Imperii nunc Franckfordiæ congregatis, Dominis noſtris colendiſſimis.

RESPONSIO ELECTORVM AD LITTERAS GALLIAE LEGATORVM.

MAgnifici Domini Oratores, ſalutem & complacendi affectum. Ex litteris veſtris, quas iſtinc ad nos XVII. præſentis dediſtis, cognouimus, Magnificentias veſtras haud æquo animo accepiſſe, eaſdem tanquam Chriſtianiſſimi Regis ſui Oratoribus & Ambaſiatoribus expetitum ab huius vrbis Proconſule & Magiſtratu ſaluum conductum nunc vsque fuiſſe denegatum: rogantes ex animo cum ſint vobis ex mandatis eiusdem Regis veſtri nonnulla nobis communicanda, vt & nos per ditiones noſtras peculiares, tum per aliorum dominia & loca, pro vobis veſtrisque familiaribus atque rebus, tam adeundo quam redeundo eiusmodi liberam & expeditum a quouis onere ſaluum præſtemus conductum, idemque a præfatis Proconſule atque Magiſtratu fieri demandemus. Nobis quidem, Magnifici Oratores, certo perſuaſum eſt, vobis hanc, vt dicitis, repulſam eſſe admodum moleſtam, vt qui Regiis mandatis magnopere parere cupiatis. At ſi eædem Magnificentiæ veſtræ ad huius temporis arctam nimis legem reſpexerint, quam ſacroſancto Maiorum noſtrorum inſtituto, non ſolum Magiſtratus prædictus, ſed & nos ipſi, penes quos eſt poteſtas Romanorum Regem deligendi, in nos transmiſſam iureiurando ad aram præſtito conſtringimur vltro citroque conſeruare, profecto (vt veſtro vtamur verbo) hanc repulſam æquiori poſthac feretis animo. Hortamur igitur Excellentias veſtras, vt id faciant, bonique conſulentes, quod neceſſitate accidit. Ita eis omnem abdicauit dictus Magiſtratus ſub hoc tempore poteſtatem dandi copiam cuiuis externo, hanc ingrediendi vrbem, donec Electorio perfuncti munere ſimus; palam eſt eos non eſſe nobis integrum impulſare poſſe in diuerſis noſtris nobis obſtantibus ſacramentis. Nec minus apud ſe Excellentiæ veſtræ pro ſua ſingulari prudentia expendere poſſunt, etiamſi nos in abnegatum hoc vobis officium inclinaremus, illud longe plus eis periculi afferre, quam pro explendo vtcunque voto ſuo accidere poſſe, cum paſſim receptum ſit, nos hoc tempore non habere vllam facultatem etiam noſtros proprios ſubditos aſtringendi ad eiusmodi ſaluum conductum. Placuit ergo nobis, potius nunc erga vos optimorum monitorum agere partes, quam quicquam perperam ſtatuere, illiberalique officio vos veſtrosque dedere exponereque periculis. Meminimus, quan-

quantum Sereniſſimo Regi veſtro tribuendum ſit, rurſus ad hunc temporis ſtatum reſpicientes, quo nobis Electorum munus peragendum incumbit, admonemur nihil licere nobis iure innouandum quod a legibus, conceptis verbis iuratis Deo immortali, alienum cognoſcitur. Cætera quæque in noſtra manu ſita officioſe atque amice a nobis Magnificentiæ veſtræ expectare debent, quas bene valere cupimus. Ex Francofordia XXV. Iunii M D XIX.

Sacri Romani Imperii vtriusque ſtatus
Principes Electores, &c.

Magnificis Dominis Oratoribus & Legatis Chriſtianisſimi Regis Francorum, &c.

p.140. ORATIO A LEGATIS FRANCISCI REGIS GALLORVM, PRO FAVORE SVO REGI, VT IMPERATOR DESIGNARETVR, CONCILIANDO, AD PRINCIPES ELECTORES FRANCKFORDIAM MISSA.

Reuerendiſſimi Illuſtriſſimique Domini, ac Potentiſſimi Principes, ſacri Romani Imperii oculatiſſimi, ac ſapientiſſimi electores, poſt ſummiſſam humilemque commendationem ac Salutem, Ioannes Dalbret Drocorum Comes, dominus aureæ vallis, Guilhelmus Goufier, dominus de Bonruet, aurati equites ChriſtianiſſimiFrancorum Regis ordinis, & Carolus Guillart, præſes Senatus Pariſienſis, ipſius Chriſtianiſſimi Regis Oratores, ab eodem prouinciam expreſſumque mandatum ſuperioribus diebus acceperunt, commonefaciendarum cum omni reuerentia, ac debita veneratione Reuerendiſſimarum, ac Illuſtriſſimarum dominationum veſtrarum, earundemque ſuppliciter obſecrandarum, atque obteſtandarum, ſuper quibusdam rebus, quæ ad communem Chriſtianæ Reipublicæ vtilitatem, honorem, gloriam, ac libertatem ſacri Romani Imperii videntur imprimis pertinere. Cum itaque exploratum habeant ſibi facultatem ſuppetere non poſſe conueniendi Reuerendisſimas excellentisſimasque dominationes veſtras, & iisdem in publico ac celebri omnium veſtrum conſeſſu (quemadmodum & ſperauerunt & vehementer optarunt) publica oratione congrediendi. Idcirco rogant, ſupplicant, obteſtantur, vt tam ob reuerentiam, atque honorem ipſius Chriſtianisſimi Regis, quam ſuſcepti muneris, ac demandatæ ſibi prouinciæ executionem ſinere velitis, immo ſi opus fuerit iubere in auſpicatisſimo atque fœlicisſimo veſtro conuentu ita perlegi haſce admonitiunculas breui oratione contentas, vt omnibus audire liceat, ac liquide intelligere quæcunque in ipſis comprehenduntur. Eas nimirum præfati orationes ad Reuerendisſimas excellentisſimas dominationes veſtras mittendas eſſe operæ pretium duxerunt, & cum omni humilitate, impenſaque vobis debite reuerentia, legendas offerre. Quas ſi liberali atque ingenuo vultu, pro inſita vobis incredibili, ac prope diuina bonitate atque facultate admittitis, rem plane feceritis & omnium ſententia, iudicioque probandam, & tam grauium tamque excellentium Principum gloriæ & decori imprimis conſentaneam. Reuerendisſimi excellentisſimi Principes ac domini Deus optimus maximus vobis, ac ſecundis rebus veſtris benignisſime fœlicisſimeque fauere dignetur, easdemque ſemper tueri. Ex Confluentia quinta Iunii.

Reuerendisſimarum excellentisſimarumque ac potentisſimarum dominationum veſtrarum obſequentisſimi atque humiles obſeruatores, Chriſtianisſimi Francorum Regis Oratores ac Legati.

Quanto

QVanto maiores nostri consilio, quanta in rebus gerendis prouidentia excelluerint, quantam subsequentium longo tractu sæculorum, vacaturæque posteritatis rationem habuerint, vel hoc vno liquidissime vobis compertum esse reor Reuerendissimi Illustrissimi domini Excellentissimi ac potentissimi Principes, quod sublata omni discordiarum seditionumque occasione, pacatum ac tranquillum, pro viribus suis, Christianæ Reipublicæ statum relinquere curauerunt. Nunquam sane auspicatius, nunquam fortunatius, nunquam melius, fœliciusue consultum, prospectumque fuisse Augustissimæ Imperatoriæ maiestatis Culmini animaduertimus, quam vbi deligendi creandique Romani Regis, ac subinde Imperatoris potestas atque auctoritas, omnium Principum Christianorum consensu, vobis septem viris Principibus credita est. Nunquam enim cædes immensæ, nunquam atrocissimæ strages, orbi vniuerso defuerunt, quamdiu inter procellas militares, turbinesque bellicos, exercitui licuit Imperatorem designare, qui sæpenumero, quem nuper, vt sibi iucundissimum atque gratissimum concordi suffragio delegerat, mox facto impetu irruens, maximo fauore, in acerbissima odia, leuissimis plerunque ex causis repente commutato, trucidare non verebatur. Sic Sergius Galba, sic Otto, sic Aulus Vitellius, sic Alexan- p.141.
der, sic plærique alii Rom. Principes atque Imperatores, partim a suis, partim ab aduersariorum militibus truculentissime cæsi, non sine magno totius Imperii dedecore, atque iactura occubueruut. Cum itaque non sit consilium in vulgo, non ratio, non discrimen, non diligentia, sapientissime cautum fuit superioribus sæculis, vt Septemuiratu creato res ad paucos integritate, sapientia, omni denique virtute insignes deuolueretur, qui meritis ac virtutibus iustissimo ac rectissimo prudentiæ suæ examine, accuratissime circumspectissimeque appensis, & pace, & bello, idoneum ex omnibus Principem designarent. Vos inquam septem Principes, qui veluti septemtriones in cœlo, reliquas splendore atque ordine stellas antecedunt, ita vos in terris auctoritate, potentia, viribus, consilio, generositate, sapientia, non modo Germaniæ, sed aliarum quoque gentium proceribus, ac Principibus prælucetis. Nec in hoc munere designandi Imperatoris vobis propediem obeundo, ex animorum vestrorum candore, ac generositate, vos quicquam admissuros plane intueor, quo maxima de vobis apud omnes populos, ac cæteros orbis terrarum Principes, integritas æstimatioque minuatur. Grandem sane prouinciam, ac prope viribus imparem mihi suscepisse videor, qui in tantum consessum magnis de rebus verba facturus prodii. Cæterum quia veritatis oratio soluta esse debet ac libera, perpauca de huiusmodi rebus eloquar, quæ nec a veritate abhorrere, nec forsitan iniucunda vobis fore perspexero. Non solum Reuerendissimi domini Illustrissimi Excellentissimi Principes, Christianitas, quæ Europæ sinu ambituque clauditur, sed Aphrica & Asia tota, vniuersusque terrarum orbis, ac penitissimæ illius nationes, gentes, populi, in vos conuersi, tanquam in sublimi quadam arce atque specula constitutos, intentis oculis, arrectisque auribus adstant, circumlustrantes ac explorantes, cui tantam rerum molem, cui totius orbis habenas sitis credituri, quem tantæ dignitati, tantisque administrationibus præfecturi. Tantopereque de vestra omnes integritate, virtute, constantia singulari confidunt, vt illum haud dubie vos augurentur Romanum Regem designaturos, qui inter idoneos sit maxime idoneus, quique virtute ac fortuna cæteros omnes antecellat. Quæ sane duo, ad res splendide fortiterqué gerendas, non tam commoda, quam necessaria esse videntur. Virtus suis ipsa viribus contenta, ex se quidem sola quamplurimum, fortuna sine virtute imbecilla, parum admodum ac propemódum nihil potest. Altera vero alterius ope sic adiuuatur, vt coniunctæ, arduissima quæque non modo aggredi sed & facile perficere queant. Porro si recti animi, syncerique iudicii perpendiculo rem ipsam demetimur, etiam rationis, non affectionis examine stateraque vti volumus, nemo tam socors, tamque a communi (vt aiunt) sensu alienus, qui non plane videat Christianissimum Regem Franciscum, cæteris tam fortuna, quam virtute eximia præstare, nullumque esse penitus, qui tam expedite,

pedite, tam efficaciter, quam ipse posſit, vel nutabundum ac ruinæ proximum Imperium ſuis viribus fulcire, vel ſocordia incuriaque maiorum iam lapſum erigere, vel ipſius maieſtatem ſublimitatemque depreſſam, in priſtinam auctoritatem gloriamque reſtituere. De cuius regis fortuna, viribus, potentia, quid nunc attinet dicere? quum vos ipſi ſatis ſuperque exploratum habeatis, quantas militum copias, quantos exercitus, ſuis ipſe ſumptibus alere conſueuerit, veſtire, amare, ac plærumque ſocios viribus hoſtium laceſſitos, armis, viris, equis, commeatibus iuuare, eiſdemque quam celerrime opitulari. Iam vero virtuti ipſius quæ poteſt facundia, quæ oratio, par inueniri? Quomodo hac obſecro tempeſtate inter Principes orbis terrarum reperias, qui ſit ætate, viribus, ingenio, potentia, opibus, ſtrenuitate, diligentia, cum eo conferendus? Aut in quo tot eximiæ dotes, atque ornamenta Imperatoriæ dignitati excellentiæque conſentanea inueniantur? Nullas profecto res ei deeſſe conſtat, quas ille Oratorum Princeps Tullius optimo cuique Imperatori neceſſarias eſſe profitetur, Scientiam rei militaris, virtutem, auctoritatem, fœlicitatem. Quanta enim eſt illius in tolerandis ſudoribus, algoribusque tam diurnis quam nocturnis patientia? Quanta in aggrediendis periculis, quamque intrepida virtus? Huius nimirum fortitudinem, robur, potentiam, ferocientes Heluetii, ab hinc paulo plus trienniūm apud Inſubres, collatis ex improuiſo ſignis, non tam cognouere, quam admirati ſunt. Qui
p.148. incautum adoriri, & cum exercitu per inſidias opprimere ſtudentes, ab eodem paucis admodum captis ac diffugientibus, magna vi atque incredibili virtute oppreſſi fuere. Nec tamen in ſtragis reliquias (quod perfacile poterat) deſæuire, graſſarique perrexit. Sed ea humanitate atque clementia vſus eſt, vt difficile dictu ſit, vtrum hoſtes magis virtutem eius pugnantes timuerint, an manſuetudinem victi dilexerint. Nec facile diſcernas, belli an pacis artibus melior. Quis eſt enim mortalium vel in compenſandis præmiandiſque militum laboribus, amicorumque obſequiis, munificentior ac largior? Quis in concilianda externorum Principum beneuolentia fœlicior? in eaque retinenda conſtantior, magiſque perſeuerans? Perpauci admodum Principes ſunt, qui cum eo vel iamdudum amicitiam non inierint, vel inire cupidiſſime non expetierint. Neminem plane veſtrum ignorare arbitror, quanto ipſum honore, quanta magnificentia Leo P. M. annis ſuperioribus in Bononiam, alterni colloquii gratia admiſerit, quantis muneribus, obſequiis, gratificationibus, cum eodem tunc Veneti certauerint. Cui ſeſe ſuaque ita deuouerunt, vt nihil ſit tam arduum, tamque difficile, quod non eius cauſa parati ſint aggredi, atque efficere. Qua demum fati benignitate, qua fœlicitate factum fuiſſe putatis, vt Rex Anglus, ſuperiore autumno, ex hoſte perniciosiſſimo, ſocius officioſiſſimus, ex inimico infeſtiſſimo, ſuauiſſimus amicus, hoc animo, hac lege effectus ſit, vt patriam, opes, liberos, ſalutem denique propriam, regiis obſequiis perpetuo addixerit; Singulis ſingula horum ſuppetere & partim adeſſe videas, in hoc vno affatim cumulateque cuncta coire maniſeſtiſſime iudices. Quisnam igitur dubitare poſſet, huiusmodi Principem maxime, ac præter cæteros idoneum ad ſuſcipienda Imperatoriæ dignitatis moderamina, quæ tametſi non poſceret, quin potius reſpueret ac refugeret oblata, ob tam præclaras tamen eius dotes ad ea ſuſcipienda, plæriſque aliis eadem ſibi committi efflagitantibus, a vobis Reuerendiſſimi Excellentiſſimi Principes exhortandus compellandusque veniret, ac demum reluctans, obnitensque ad Imperatorium faſtigium protrahendus. Ad quod efficiendum & quam ocyſsime præſtandum, ſi non ſua ipſius varia vos, multiplexque virtus allicit ac permouet, inuitet ſaltem. Tum vero id faciendum eſſe vobis perſuadent grauiſsima diſcrimina, religioni Chriſtianæ impendentia, quibus (niſi mature occurritur) omnia protinus peſſum itura ſunt. Animaduertite quæſo penſiculatius, & ante oculos veſtros paulo accuratius proponite velociſsimam, truculentiſsimamque Turcarum rabiem atque inſaniam, qui non contenti Aſiam quam maximam, eandemque & florentiſsimam, & opulentiſsimam orbis terrarum partem nefariis, atque ſpurciſsimis legibus ſuis iampridem ſubdidiſſe. Nihil hactenus a ſe

actum arbitrantur, nisi Europam (cuius iam superioribus annis bonam partem occuparunt) & totius Christianismi regna, prouincias, agros, ciuitates, oppida, non modo spoliare ac diuexare, sed etiam ferro ac flammis passim vastare, fœdissimeque depopulari pergant. Et quod est longe omnium miserrimum atque calamitosissimum, Christianam religionem funditus euertere, ruinamque ac Belluinam introducere moliuntur. Quis a vera religione? quis a pietate & diuino cultu tam auersus? quis tam clementiæ? quis tam humanitatis expers? cui cum hæc tam atrocia in mentem venerint, non solum non commoueatur animo, sed etiam non toto corpore perhorrescat. Non est opus rei atrocitatem, quam fœdissime in pleraque Christianorum oppida atque vrbes, effrænata Mahumetum licentia, insanaque cupiditas exercet, pluribus explicare, aut oculis vestris subiicere, cum vos ipsi & a summo nonnunquam Pontifice, & a plærisque aliis frequenter super his fueritis commonefacti. Quibus sane periculis quis vel celerius obuiam ire, vel tantos furoris incursus potentius, efficaciusue, quam Rex ipse Francus repellere coercereque potest? Nemo Reuerendissimi amplissimique Principes in mediis fluctibus, atque procellis (nisi mentis inops) iam imminente naufragii periculo, gubernatorem nauigationis ignarum eligendum, & gubernandæ naui præficiendum censet. Nemo quum pleno Marte dimicandum est, & iam instructa acie congrediendum, quempiam scientiæ militaris imperitum (ni modo desipiat) in ducem exercitus optandum, assumendumue arbitratur. Viderunt cæteri quid in quaque re diligenter cogitandum faciendumque sit. Ego (sic me Deus iuuet) nunquam mihi persuadere potui, vt vos magna prudentia, magno consilio, maxima experientia Principes quandoque summam rerum cogitaueritis eius manibus venire tradendam, qui non fortunæ ac naturæ commodis, atque p.143. animi dotibus omnes antecellens, optimi semper Imperatoris munia fœlicissime præstare posit. Nec vobis præterea Reuerendissimi Illustrissimi Principes cæterisque Germaniæ proceribus nouum, atque cuiquam inauditum esse debet, aliquot olim Reges Francos non minore populi Germanici, quam sua ipsorum & fœlicitate, & gloria administrando sacro Imperio præfuisse, qui Germaniam templis, cœnobiis, & tam publicis, quam priuatis ædificiis decorare, variisque ac pretiosis muneribus locupletare studuerunt. Quæ cum vulgo protrita sint, ac prope omnibus peruia, ea consulto præterire volui, ne illorum inculcatione molestiam vobis afferre viderer. Hoc vnum tamen nequaquam præterierim, Franciscum Regem, si Dei optimi maximi, ac vestro munere Imperii dignitatem adipiscitur, a maiorum suorum præstantia virtuteque minime degeneraturum. Qui non modo illam æmulari, verum etiam (si qua fata sinunt) vincere contendet, dabitque enixissime operam, vt neque in eo (superis adiuuantibus) Augusti fœlicitas, neque Titi humanitas, neque bonitas Neruæ, Traiani probitas atque iustitia, Constantini religio, Theodosii pietas, Caroli cognomento magni rerum fortiter magnificeque gestarum gloria, incredibilisque liberalitas atque magnificentia ab aliquo desideretur. Non vtique ignorat mores, naturamque Germanici populi, qui est libertatis suæ appetentissimus, eiusque tuendæ ac retinendæ studiosissimus atque acerrimus vindex. Tam profecto aberit vt eam minuat, profliget, eripiat, vt vel eandem semper augere ampliaremque reddere conetur. Eo circa non solum Germanicæ libertatis assertor erit ac propagator, verum etiam subditos omneis regia semper benignitate fouebit, & paterna quadam indulgentia ita complectetur, vt omnes aliquando Germani fœlicissimum illum sibi diem iudicent illuxisse, quo non tam humanis suffragiis, quam diuina quadam sorte tantum Imperatorem ac patrem patriæ nacti fuerint. Nec sane quicquam est, quod Germani Francorum amicitiam, coniunctionemque vel respuere debeant, vel auersari, qui & natura, & consuetudine, & disciplina sunt omnium mortalium lenissimi atque mitissimi, qui se quoque Germanis & hospitalissimos semper exhibuerunt, & amicissimos, si quando negotiationis, vel commercii causa peregrinantes ad illos diuerterunt. Quinetiam Germanorum, Francorumque vnam olim fuisse Rempublicam,

blicam, alterosque ab alteris mutuam traxisse originem, & antiquitates vestræ testantur, & nomina quondam vestris vrbibus indita, quæ in hodiernum vsque diem supersunt, manifestissime indicant. Hinc Franconia antiquissima florentissimaque prouincia. Hinc Francofordia de Francorum nomine appellata, celeberrimum totius Germaniæ emporium, oppidumque & nobilissimum & augustissimum. Multoque iam & nobilius, & augustius ex tantorum Principum, & procerum gloriosissimo, fœlicissimoque conuentu, designandi eligendique Romani Regis gratia facto. Proinde Reuerendissimi amplissimique domini, Illustrissimi ac potentissimi Principes, si humanis rebus, si communi omnium saluti consultum esse vultis, si imminentia Christianæ pietati discrimina penitus amoliri, si honorem vestrum, decus, amplitudinem, famam, gloriam, tueri, conseruare cumulareque expetitis, & in posteritatem transmittere. Si Imperii fines, atque ditionem propagari, si optimo cuique morem gerere, atque gratificari percupitis, quod auspicatum, beatum, bonum, faustum, fœlixque sit & vobis, & vniuersæ Reipubl. Christianæ, Christianissimum Regem Franciscum, Regem Romanum designate, consalutandumque Imperatorem communi suffragio decernite. Vestra porro laus, neque tenuis, neque obscura erit. Hoc ciuitates, hoc populi, hoc Principes (paucis forsitan exceptis) non loquuntur modo, verum etiam personant Franciscum Regem dignum esse Imperio, & ita dignum, vt nullus eo dignior hac tempestate reperiatur. Nihil vtique ab eo immaturum, nihil properum, nihil asperum formidandum est. Omnia seria, cuncta grauia, & quasi ipsa Respubl. iubeat auguranda sunt. Curabit, enitetur, efficiet ne vobis desint & fortia facta, & saltem vobis atque Imperatore digna consilia. Bonam partem rerum geret ex consilio & sententia vestra. Nec eum alioqui immutatura est fortunæ am-
p. 144 plitudo, nisi vt prodesse tantum possit, ac vult vobis. Ac populo Germanico prospiciet, & veluti præsens ac tutelare quoddam numen, ab omni periculo tueri liberareque conabitur. Sua perficiet opera, viribus, consilio, diligentia, vt nihil vnquam a vobis gestum fuisse auspicatius, gloriosius, fœlicius, mox intelligetis, quam cum Regem Romanum designasse. Qui omni cura, studio, industria elaboraturus est, vt tutam omni ex parte, ac tranquillam fortunam cum populis atque ciuitatibus vestris fœlicissime trahatis. Vt vestram denique, ac vestrorum salutem suo ipsius ac proprii capitis discrimine liberam ab omni assultu pernicieque hostili prospere & fœliciter tueatur. Nonis Iunii. M D XIX.

RESPONSIO ELECTORVM LEGATIS GALLICIS DATA.

Literas vestras vna cum mandatis & petitione, quam ad nos referendam hoc tempore dignum duxistis, accepimus, fuitque nobis non gratum modo, verum longe etiam suauissimum, quod intelleximus, si erga singulos nos, sic erga hanc nationem & Imperium hoc, adfectos esse animos vestros. Iam illud autem quantæ & quam non vulgaris beneuolentiæ loco habendum a nobis est, quod intelligimus optima omnia precari vos eidem Imperio, operamque vestram studium & opes polliceri abunde. Probamusque consilium inibi vestrum, quod nos in electione futuri Romani Regis, dignitatis nostræ & publici religionis huius & Christiani orbis commodi rationem habere cupitis. Quare etiam dabimus operam, ne qua nostra ibi diligentia, ne quod studium desiderari possit primum; deinde vt tale hoc in negotio consilium ineamus, cuius nos haud vllo in posterum tempore pœnitere possit. Quodsi (vt est humanum genus erroribus obnoxium) prudentia nobis deerit, fides tamen & integritas ne defuisse putari possit, adnitemur. Nam quod vos velle videmus, vt Imperatorem eligamus qui fortunæ dotibus pariter & animi virtutibus talis sit, vt eum optime obiturum Imperii munia sperare liceat, sic de nobis opinari vos iubemus, vt si

si talis non esset etiam Imperii hoc tempore status, vt moderatore ei opus sit, quanto vix ante, fortissimo, vigilantissimo & per omnia optimo, tamen haud aliter in medium consulturos fuisse, quam Christianos oportuerit, & quam Germanos eosque Principes oportuerit. Quamquam & nostra vos interim gratia, quam in hoc meremini, quam nationis finitimæ, quam Germanici nominis, quam communis Imperii etiam habere vos intellectum est, fraudabimus, debemusque eo nomine vobis & libenter debemus: aliquando relaturi, si animorum votis, fortunæ suffragabitur nutus. Quod vero opem nobis & operam pollicemini vestram, licet haud nouum sit hoc, Gallorum nationem propinquis suis Germanis fauere beneque affici, tamen præcipue hac tempestate magni instar solatii ac cuiusdam etiam præsidii ponimus, vobisque habemus gratiam, vt debemus iterum plurimam: rogantes, vt in ea sententia eoque proposito Christianissimum Regem vestrum Dominum, & amicum nostrum colendissimum, seruare & continere velitis, eique Imperium hoc & fortunas nostras commendetis, vt sicut curam ad hoc suam propensamque voluntatem adiecerit, ita perpetuo & immutabiliter retineat, quam inuicem, si quid nos quoque poterimus, non solum prompte & alacriter præstabimus, sed debere nos etiam vel hoc nomine fatebimur. Bene valete. Datum &c.

Sacri Romani Imperii vtriusque
Status Principes.

ORATORIBVS GALLORVM.

THOMAE, CARDINALIS TITVLI S. SIXTI ET PAPAE LEGATORVM LITTERAE AD ELECTORES.

Reuerendissimi ac Illustrissimi Principes: Leo Decimus Pontifex Maximus nuperrime nobis imposuit, vt significaremus Dominationibus Vestris Reuerendissimis ac Illustrissimis Sanctitatem suam nolle occasionem præbere scandalis aut bellis, sed quietem pacemque omnium cupere ac procurare. Eapropter & spe simul componendi negotium Romanæ Ecclesiæ cum Rege Catholico motus; sperans quoque Catholicum Regem futurum Apostolicæ sedis optimum & filium & defensorem, Dominationes vestras Reuerendissimas ac Illustrissimas certiores reddit: quod si placuerit illis eligere Serenissimum Carolum Catholicum Regem, in Regem Romanorum, non desistant de illius electione propter Romanæ Ecclesiæ iura circa Regni Neapolitani feudum, non obstantibus iis, quæ per nos in hac causa proposita alias sunt. Itaque nos obedientes (vt par est) Sanctissimi Domini nostri præceptis, statim hæc Dominationibus vestris Reuerendissimis ac Illustrissimis significanda duximus. Bene valete. Moguntiæ, die 24. Iunii, hora vespertina M D XIX.

Seruitores

Thomas Cardinalis S. Sixti
Legatus ad Germaniam.
M. Protonotarius.
Caracciolus Nuncius.

Illustrissimis ac Reuerendissimis Principibus Electoribus S. Rom. Imperii congregatis Francofordiæ, &c.

RESPON-

RESPONSIO ELECTORVM AD EASDEM.

REuerendisſimi & Reuerendi in Chriſto Patres, Domini & amici clarisſimi, ſalutem & obſequendi ſtudium & affectum. Litteras veſtras accepimus, quibus ſcribitis ſanctisſimum Dominum noſtrum, Dominum Leonem Pontificem Maximum vobis impoſuiſſe, vt nobis ſignificaretis, ſanctitatem ſuam nolle occaſionem præbere ſcandalis aut bellis, ſed pacem quietemque cupere & procurare. Ea propter & ſpe ſimul componendi negotium Romanæ Eccleſiæ cum Rege Catholico motus; ſperans quoque Catholicum Regem futurum Apoſtolicæ Sedis optimum & filium & defenſorem, ſanctitas ſua nos certiores reddit: quod ſi nobis placuerit, Serenisſimum Catholicum Regem Carolum eligere in Romanorum Regem, non deſiſtere debemus ab illius Electione propter Romanæ Eccleſiæ iura circa Regni Neapolitani feudum; non obſtantibus omnibus iis, quæ per Dilectiones veſtras in hac cauſa alias nobis propoſita ſint & nos quidem Serenisſimi Domini noſtri propoſitum in eo laudamus & gaudemus vehementer, quod ſanctitas ſua paci & quieti ſtudet, ſcandaliſque & bello viam præcludere deſiderat. Nos viciſſim omni vigilantia & ſtudio procuramus cupimusque, vt Imperio Romano is præficiatur, qui ſanctitati ſuæ, Eccleſiæ Romanæ & toti Reipublicæ Chriſtianæ vtilis & fidelis defenſor ſimul & protector futurus ſit. Et idcirco hactenus operam impendimus omnem, impendemusque in futurum. Sed quia omnia per Dilectiones veſtras nobis antea propoſita per breuia Apoſtolica oculatim oſtenſa fuerunt, rogamus vt Dilectiones veſtræ hac in re, vel per breues litteras, aus alias quouis modo veſtris Dilectionibus a ſanctiſſimo Domino noſtro transmiſſa & ſignificata; & ſi id vobis graue foret, ſaltem per copias fide dignas quantum huic rei attinet, nos quantocyus certiores reddere non dedignentur. Erit id nobis pergratum omni ſtudio & vigilantia compenſandum. Datum Franckfordiæ ſub Dominationum noſtrarum Sigillis die 25. Iunii, anno M D XIX.

Sacri Romani Imperii Principes
Electores.

N. Cardinali Tituli S. Sixti Legato & M. Carattiolo Nuncio Apoſtolico.

ORATIO AD REVERENDISSIM. ET ILLVSTRISSIMOS PRINCIPES ELECTORES, EDITA PER GENEROSVM COMITEM HERMANNVM NVENARIVM, IN IPSIS COMITIIS REGIS ROMANORVM, PRO INVICTISSIM. ET CHRISTIANISS. CAROLO ROMANOR. REGE ELECTO.

SI de Imperii Maieſtate, de gloria, de honore concertantibus, aliena laudatione vehementer opus eſſe perſpicerem, O Illuſtriſſ. atque potentisſimi Germaniæ Principes, ac Rom. Imperii Electores, profecto omnem meam induſtriam, omnes ingenii vires ad hoc iamdudum contuliſſem, vt accumulatis & congeſtis vndiquaque laudibus, Carolum inuictisſimum Hiſpaniarum Regem, a me diligenter vobis commendatum ſciretis. Non enim adeo omnem prorſus dicendi rationem a nobis alienam eſſe putamus, vt, ſi de Carolo Rege dicendum ſit, aut defuturas nobis res, aut verba metuere posſimus. Quocirca vos obnixe rogo Principes Illuſtriſſ. vt adoleſcentiæ noſtræ aliquid concedatis, ſimulque illud, quidquid eſt a me commiſſum apud vos audacius forte quam iſta ætas, & conditio mea tulerit, id ipſum meo in patriam

triam summo adfectui, & singulari erga Carolum Regem, illiusque diuinas virtutes amori condonetis. Quis enim non optimo iure succenseat, laudari cernens apud vos summo cum artificio, ac præferri eos, qui nihil vnquam in vos beneficii contulerunt? Illum vero, cuius extant in vos pulcherrima, atque præclarissima studia, passim contortis, obliquisque dictis traduci? Cum hunc potissimum vobis commendari, ac a vobis vnice & coli, & obseruari oportuit. Nam quem hoc tempore in tota Asia, aut Europa regnare creditis, tanto popularium consensu, tanto complausu omnium nationum, tanta cum imperii & dignitate, & amplitudine? Aut quem in toto orbe terrarum Regem esse existimatis, de quo vel materia amplior, vel historia ad immortalem gloriam excitandam copiosior suppetat? quamque nec æmulus extenuare, nec orator sua eloquentia magnificare posiit? Nos autem longe diuersum ab his sentimus, qui decorem Principis in laudatione constituunt. Immo maxime indecorum reputamus, si quis exquisitis rhetorum flosculis, se id consequuturum speret, quod non nisi excellentissimis virtutibus, & clarissimis ingeniis, peruium semper patuit. Namque illos maxima laude, veraque gloria excellere ducimus, quos non eloquentia rhetorum, non conflata ab oratoribus præconia commendarunt, verum quos egregia facinora, & eximiæ res gestæ apud mortales extollunt, atque illustrant. Hæc est verissima (vt ille summus orator putat) qua ad superos itur via. Hac prisci illi viri fortissimi certatim contenderunt, atque in tantum profecerunt, vt illis tum sæculis immortales honores, diuinosque cultus meruerint. Est & altera via multum etiam ad imperium acquirendum, & retinendum necessaria, gratia videlicet, ac fauor Populi Romani qui in deligendo Principe, per se sæpe plurimum valuit. Ipsæ enim virtutes, & si solæ satis munitum ad petendum principatum iter ostendant, tamen si gratia fulciantur, vix vnquam repulsam habituras existimo. Hæc quoties ipse mecum memoria repeto, non possum non vehementer admiratione duci, ita, vt perbeatum iudicem Carolum Regem, in quo nihil natura neglexerit, quod ad corporis, ac animi fœlicitatem pertineat. In hoc enim adeo conferta, & cumulata sunt omnia cum corporis, tum animi bona, vt neque priorem agnoscat, neque admittat parem. Quibus de rebus, si ante conspectum vestrum plenum & auctorita- p.145.
tis, & grauitatis, ipse verba facturus essem, pertimescerem sane, ne me in ipso orationis medio cursu, copia rerum obrueret. Atque ita obrueret, vt omnem prorsus recte dicendi modum, confundere necessarium fuerit. Mihi vero animus nunquam fuit Illustriss. Principes, vt Carolum Regem (cuius vobis exploratæ sunt, & compertæ virtutes) apud vos laudare vellem. Neque enim tam sum excors, vt non intelligam hunc locum, & hæc tempora, aliud longe maius, ac dignius quiddam expostulare, id quod a principio & dixi, atque professus sum. Ac etiam nunc libere & ingenue fateor, non licere cuiquam habere comitiorum eiusmodi rationem, vt in laudatione cuiusquam versari patrum voluntates, ac sententiam Senatus ab oratoris deliberatione pendere credat, quasi non magis ad fortia facta, quam egregia, & bona verba spectare oporteat. Vnde postquam vestrum istud amplissimum, ac illustrissimum collegium, septenaria perfectione absolutum, diuina prouidentia, ad futuri Romani Regis habenda comitia, Franckofurdium conuocatum est, vt vniuerso orbi Christiano, suo capite iamdudum orbato, veluti quendam solem terris, adsignare debeat, Principem, profecto non est, vt dubitare quispiam possit, quin vobis abunde omnia superfluant, quæ ad absolutissimam sapientiam, animorum constantiam, æquitatemque requiruntur. Ita, vt nullo monitore, quantumuis etiam ingenii, aut eloquentiæ facultate præstanti, sed sola vestra prudentia freti, cum sitis Regem Romanum vestris suffragiis declaraturi, quem ad id muneris obeundum, sufficere cognoueritis. Nec ego sum vsque adeo perfrictæ frontis, aut proculcati pudoris, vt præscribere vobis, quem vos eligere debeatis, temere præsumam, aut quenquam ita vobis proponere audeam, vt in eo deligendo, non multo plus vestris acerrimis iudiciis, quam meæ opinioni concedendum putem. Tametsi multis sane argumentis, haud obscure probare

bare poſſum, Carolum Regem, omnibus, qui in hunc vsque diem a vobis imperium petierunt, non modo venire præferendum, verum etiam competitorum a vobis nullam omnino rationem eſſe habendam. Quicquid enim iſti ſibi vtcunque vſurpant, hoc ille ſumma cum æquitate poſſidet. Et vt paucis multa concludam. Solus hic, omnium ante ſe regum fœlicitatem ex æquo ſuperare videtur. Non modo quæ ei natura inſunt, vel ex induſtria, & exercitatione prouenerunt, verum etiam hæ quoque res, quæ tantum ex arbitrio fortunæ, vt vulgus putat, ſeu fatorum, vt philoſophi opinantur, dependent, hæc omnia tam peculiaria haber, vt non ei collata, ſed cum eo nata fuiſſe videantur. Cum hoc ſi optimos quosque conferre libet, comperiens magnam obſcuritatem clariſſimos alioqui viros, huius ſplendore obiecto, contracturos. Cedat opibus & diuitiis Crœſus. Cedat prudentia Philippus, Alexander proſperitate, potentia Xerxes, magnanimitate Leonidas, liberalitate Ageſilaus, gratia Alcibiades. Ea propter neminem exiſtimo fore, qui huius auguſtiſſimi imperii molem, tam facile extollere, collapſum vero, ac iam fœdari cœptum, tam potenter reſtaurare, in angulos Germaniæ coarctatum, tam longe lateque propagare poſſit. Quis enim neſciat quantas militum copias, tam pacis, quam belli temporibus paratas ſemper habere conſueuerit? Quantam etiam, & quam numeroſam claſſem, tum in Mediterraneo mari, tum in Occidentali oceano conſtituerit? quibus non magis ſua ac ſociorum regna, quam totam ipſam Chriſtianam Rempublicam ab incurſu barbarorum & hoſtium, ſtrenuiſſime tutatur. Atque hoc ſolo nomine vel maxime commendandus, quod publicam ſalutem, ſuo periculo ſemper anteponendam duxerit. Qua in re quanta modeſtia ac temperantia ſemper vſus ſit, ex hoc conſiderare poteſtis, quod in tanto ſumptu circa curam præſidiorum, & copiarum, nemini incolarum importune moleſtus eſt. Neque ita agit, vt illi, qui paganorum, ac villanorum ſuorum ſudoribus, & ſanguine, militum rapacitatem, libidinem, ingluuiemque quotannis explent, & heu dictu miſerabile, plus ipſi calamitatis, & nocumenti ſuis ſubditis inferunt, quam vel infenſiſſimi hoſtes excogitare, nedum inferre, poſſent. Sed noſter hic, ſine ſuorum iactura, ſine priuatorum magno incommodo, e regiis vectigalibus ſtipendia militibus copioſe ſuppeditat. Satis locupletem ſeſe exiſtimans, ſi ſui penuria, & calamitate non opprimantur, ſatis fœlicem, ſi p.146. ſuos ab infœliciſſima tyrannide defendat. Nolo ego hoc loco recenſere egregiam illam corporis habitudinem, ac illa pulcherrima naturæ lineamenta, quæ hunc plane coarguunt vere Germanicum illum ſplendorem referre. Nolo inquam recenſere illa tam vulgata, & ferme protrita, ne veſtris auribus, plus iuſto moleſtus fiam, ea inculcans atque in medium proferens, quæ etiam gladiatoribus, & athletis communia ſunt. Tamen hoc vnum breuiter admonere operæ pretium eſſe duxi, hanc ſcilicet ætatem, & has vires, quæ huic natura largita eſt, tolerandis ſudoribus, algoribus, vigiliis; aliisque incommodis accommodatiſſimam eſſe. Partim etiam vt vos commonerem imprudentiſſimi cuiusdam hominis, nuper Gallica legatione functi, ad Eburonum ciuitatem prouinciamque, qui, ſiue ex mandato ita dixerit, ſiue Gallicam leuitatem, impudentiamque coercere non potuerit, in huius noſtri Illuſtriſsimi & Inuictiſsimi Regis contumeliam, nihil aliud cum adferre potuiſſet homo ſceleratus, auſus eſt ſatis contumelioſe Regulum appellare, ſtatura forte puſillum ſuggillans; quaſi vel id vitium cenſeri poſsit, ſi vere obiiciatur, aut mox puſillus ſit, qui non æquauerit corpore cyclopem. Sed faceſſat temerarius homo cum ſua Gallica leuitate, nos ſat magnum eum iudicamus, quem maximi quique maiorem ſeſe fateri coguntur, & ſi idipſum forte inuitisſimi faciant. Non debet etiam vos commouere, quod toties per cuniculos oppugnatur Carolus Rex, quaſi qui nondum fortunæ vices expertus ſit. Illi enim conſtanter adfirmant, imperium decernendum non fore ei, qui belli diſcrimina, & euentus iniquisſimos, dubiosque lubricæ ſortis nondum ſubierit. Ad quod cum dici permulta & grauiter, & ornate posſint, ego paucis agere malo, propterea, quod eiusmodi ſit iſta cauſa, vt nequaquam indigeat accurata defenſione. Quippe, quando eandem poſſumus longe fortius retorquere in eum, cuius gratia iſta dicuntur:

tur. At nos aliena oppugnare non decreuimus, verum noſtra defendere. Idque tam licere cuiuis opinamur, vt nemo ob id læſum ſe iure queri poſſit. Belli ergo fortunam qui ſæpius experti ſunt, eos ad Rempublic. adminiſtrandam aptos eſſe adfirmabimus? Abſit hoc illuſtriſſimi Principes. Qui enim tum aptiores cenſendi forent, quam vulgus iſtud perditiſſimorum hominum, quos Germania ad publicam calamitatem heu nimis diu aluit. Nam hoc & calonibus atque lixis, ac etiam proſtitutis illis mulieribus, quæ caſtra ſequuntur, prope peculiare eſt, ita vt aſſidue a fortuna verſentur. Modo victores, modo victi circumambulent. Iam triumphantes, mox in triumphum ducti. Aliquando direptis opibus, exuſtis ciuitatibus, occiſis, aut deſpoliatis habitatoribus opulentiſſimi, mox profligatis prioribus fortunis infœliciſſimi, ac omnium maxime miſerrimi. Hæc idcirco dicere volui, vt ſciatis, huius cauſæ caput, longe nimis imbecillum eſſe, vt etiam ſi aduerſarius verum diceret, propterea ab imperio ſecludi is debeat, in quem illud ſophiſma torquetur. Quis enim vnquam Alexandro magno in rebus gerendis fortunatior? Quis Publio Scipione Africano & fortior, & melior? Quis Octauiano fœlicior, aut potentior? At hi omnes pueri prope ad imperium admiſſi ſunt, ita, vt nullis antea bellis propter ætatem intereſſe potuerint. Cum imperio enim exercitantur Imperatores, non ſecus quam nos cum noſtris ſtudiis. Quanquam omnino credere non debetis militaris diſciplinæ expertem eſſe eum Regem, cum quo, quicunque ſunt in orbe Chriſtiano egregii, ac famoſi bellatores, familiariſſime conuerſantur. His artibus a puero imbutus eſt, ad eas perdiſcendas non tam ſponte acceſſit, quam vi quadam naturæ pertractus fuit. Hæc auita ſunt inſignia, quæ hæreditaria quadam ſucceſſione, in hunc propagata fuerunt. Ita, vt audaciam, & robur, ex ipſis maternis vberibus ſuxiſſe videatur. Solent huiusmodi confugia quærere Oratores perplexi, dum non habent vel quod aduerſario obiiciant, vel quod pro ſe dicant. Quemadmodum ſi quis cum ſanitatem reprehendere non poſſit, laudaret febrem quartanam. Ita qui paci inuident, belli gloriam extollunt. Quibus nos reſpondebimus, duo eſſe bellorum genera. Quoddam enim ſola Imperatorum libidine, ac petulantia quadam ferocientium animorum leuibus ex cauſis concitari, ac ſæpe cum maximo diſcrimine Reipublicæ in fortunæ arbitrio dubium, & anceps verſari. Alterum vero pro Patriæ tuitione, pro liberis, pro fortunis, neceſſario geri oportere. Idque tale eſſe, vt ſiue bene, ſiue male cedat, ipſo nihilominus duci gloriam ſemper, ac laudem conferat. p.147.
Ad hæc perpaucos comperiri, qui in bellis gerendis, non multo magis ſuis affectionibus ducantur, & obtemperent, quam publicæ vtilitati conſulant. Vtpote qui pro nihilo pendant iuſtitiam, pietatem, cæteraſque virtutes. Verum, contemptis religionibus, ac iure gentium ſpreto, aliena quidem per maximas iniurias deuaſtando, contra ſocios ac vicinos crudeliſſime graſſando; ſe bellica virtute, ac militari diſciplina, cæteris mortalibus præpollere gloriantur. Sed nos omni præconio efferendos; omnique laude proſequendos arbitramur, qui ſic regnum inſtituerunt, vt malint ſuos fines tueri, quam aliena diripere, pacem fouere, quam excitare bella, optare potius opulentam patriam vt habeant ſuis terminis coarctatam, quam expilatam ac miſeram, etiam ſi vsque ad Indos protendatur. Quid autem refert, ſi bella omnino faceſſant, dummodo patria prudenter, & ordinate gubernetur. Immo omnibus votis exoptare Principem debemus, cuius conſilio, & auctoritate, bellica rabies, in pacis lenitatem, & manſuetudinem vertatur. Hoc ſancta Eccleſia quotidie piis precibus efflagitat. Hoc Euangelia Chriſti, quæ fidei noſtræ indiſſolubile fundamentum exiſtunt, toties nobis inculcant. Memineritis ſanctum Regem Dauid ad extruendum Deo templum, indignum fuiſſe reputatum, eo quod vir ſanguinum eſſet, Moſen proinde legis diuinæ promulgatorem, a promiſſionis patria Deo iubente ſecluſum; Regem vero noſtrum Chriſtum, quem Ieſoſue nobis deſignabat, in ciuitatem ſanctam veniſſe pacificum. Quapropter de Chriſtianorum cæde non debet gloriari Chriſtianus Princeps. Inanis eſt enim gloria, quæ in Reip. perniciem vertitur.

titur. Omnes quippe vnius ciuitatis municipes sumus, præsidem habentes Opt. Maxim. Deum. In hac qui seditiosi deprehenduntur, expedit Reipubl. vt a regimine præcipites deturbentur, ne labefactetur status immaculatæ, & incorruptæ matris Ecclesiæ. Videte Ethnicum illum M. Catonem, quanta grauitate ciuilem discordiam execratus fuerit. Fuisse enim traditur vir ille summæ integritatis, & egregium Rom. probitatis exemplar. Is post illam memorabilem cladem Pop. Rom. in Pharsalia confectam, cum interfectorum ciuium cadauera circumlustrasset, manibus obtexisse oculos fertur, ne Reipublic. calamitatem diutius contueretur. Nemo certe tam est mentis, aut rationis expers, qui non longe præferat sanguinolentis bellorum tumultibus, florentissima tempora pacis, cum in istis omnia & diuina, & humana, optime ac tranquillissime regantur, in illis autem, interrumpantur non modo hominum voluptates, verum etiam Deorum immortalium cultus, religionesque pessum eant, ac turpissime polluantur. Et si diligenter introspicitis, reperietis hic multum relinqui solidæ & non fucatæ laudis, illic vero mendaciis omnia fere obnoxia circumferri. Quis enim iactabundo, ac gloriæ iam spe inflato, de sua vtcunque sese victoria extollenti, credat? Quis non vel pro media parte confictum putet, egregium illud bellicum poema, vbi omnia ad laudem victoris cantantur? quodque (si rem aliunde perconteris) obscurum subito fieri videas, ac tale, vt iam huiusmodi schematis pudere te vehementer possit. Constat ergo belli imperitiam nemini merito imputandam, qui sua dexteritate, atque prudentia, sic disposuit regni statum, vt ei bellum inferre non ausit quispiam, nisi fuerit ille extrema dementia, aut ingenti temeritate correptus. Quod si quis omnino quietis impatiens, ac belli plus iusto adpetens, inuitum ac reluctantem temere armis lacessierit, in hunc demum ac turbatorem publicæ commoditatis, omnes neruos, omnemque potentiam expendat, vt tandem optimi imperatoris officium, non segniter exercuisse comperiatur. Iam dicendum videtur de his rebus, quæ ad imperii amplitudinem summopere desiderari consueuerunt. Inter quas summo fere loco constitui solet mutuus adfectus, atque beneuolentia, non solum Principis erga Rempublic. verum etiam erga vicinas gentes, sociosque & necessarios. Qua in re si adhuc aliquid est quod a Carolo Rege exigendum, aut etiam extorquendum putetis, idipsum sponte sua lubens ipse vobis præstabit. Nam cum tam sit præclara, ac vere regia indole præditus, vt etiam hostibus suis vltro parcere, nedum charissimis, ac amicissimis bene facere gloriosum esse iudicet, qua occasione induci illum, aut certe permoueri posse existimatis, vt charissi-
p 148 mam patriam suam non prosequatur maxima cum pietate, & summa gratitudine. Neque vestrum esse quenquam credo, qui nesciat qua religione, quibus officiis, qua necessitudine, potentissimi prope omnes Europæ Reges, cum illo pacta firmauerint, Societatem inierint, affinitatemque contraxerint, Angliæ videlicet, Vngariæ, Poloniæ, Daciæ, ac Portugalliæ. Ferox insuper bellicosaque Heluetiorum gens, ac populosa Sueuorum coniuratio, nec non Eburonum præpotens ille, ac inter prudentissimos merito connumerandus Princeps Erhardus, vna cum tota Marcensium familia. Omnes profecto Carolum Regem sanctissime colunt, nec est quisquam sociorum, aut necessariorum, qui non præstitæ fidei reum illum facere ausit. Iusiurandum nullis conditionibus vt violaret impelli vnquam potuit, fidem etiam hostibus constantissime semper seruauit. Culpam autem quam in aliis damnare sæpius potuerat, ipse nunquam admisit, honorem suum integrum, & illæsum seruare malens, quam alienam perfidiam, vel vindicando detegere, vel compensando adæquare. Quo vero clarius dilucidiusque ipsius Caroli Regis erga sacrum hoc imperium, fidem perspicere, & diiudicare possitis, considerate quæso, ac animo diligenter perpendite, an aliquando aut palam, aut clanculo aduersus imperii maiestatem machinatus sit, an pecuniis, fauore, potentia, contumaces fouerit, rebelles susceperit, diffidentes rebus suis Imperii hostes ingentibus spebus erexerit. Quam demum ob causam contemnere illum Venetorum amicitiam creditis, nisi quia perpetuos hostes

Rom. Imperii, vestræque nationi infensissimos esse cognouit? Quocirca si penes me horum comitiorum summa staret, fidem meam ac honorem mehercle grauiter acerrimeque læsum putarem, si contra meam conscientiam, contra publicam omnium expectationem, alium quenquam isti præferendum statuerem. Vos ipsi Illustrissimi Principes, iamdudum conspexistis, quam sancte, quam sincere, quam pure ad imperium aspiret. Non ambitione rapitur, neque tumet arrogantia. Non popularis auræ tempestatibus iactatur. Sed id tantum a vobis officiosissime petit, quod sui parentes sanctissime possederunt, quodque, si ipse non peteret, vos illi sponte fueritis oblaturi, cum eis rebus abundare illum cerneretis, quæ vos a rege Romanorum expetenda iudicatis. Prudentissime quidem a maioribus nostris constitutum est, vt ambitus e Republ. tolleretur, ne his qui boni in ciuitate versantur, cum perditis nonnunquam, flagitiosisque in competendo communis, ac par esset conditio. At viris fortibus hac lege nequaquam honoris aditum percludi voluerunt, ita, vt coercendos illos censuerint, qui sua vel dexteritate, vel prudentia, reipub. periculis, necessitatibusque consulere possent. Istis enim qualibet in vrbe præmia debentur virtutis. Ad quam incitare, ac etiam inflammare mortalium animos solet insitus ille (nescio quis) gloriæ igniculus, quem vix etiam sapientissimi restinguere potuerunt. Vnde nec vestræ voluntati Carolus Rex reluctabitur, si vestro candidissimo iudicio huic imperium decernendum duxeritis. Plus nempe vestræ pietati, prudentiæ, liberalitati, quam suæ modestiæ dandum intelliget. Nam si sapientem mutare sententiam quandoque expedit, minimeque indecorum habetur, etiam in his, quæ sub controuersia, & disputatione relinquuntur, quanto magis vbi de Reipubl. dignitate, de salute omnium agitur, ibi pertinacem esse non licebit? Qui enim ad id quod ei gratuito affertur, morosum se præstat, non caret certe turpissimo ingratitudinis, aut simulationis crimine. Quare enim vt candidatus petit, si sponte oblatum, non alacriter amplectitur? Hæc idcirco dixi, ne quis Carolum Regem ex illorum numero esse credat, qui aliud in fronte, aliud in pectore gerunt. Ille sese aperte imperatorium candidatum profitetur, eaque in re vestros calculos, ac vestrum æquissimum iudicium expectat. Quid autem attinet exhortari vos, vt eum vobis imperatorem deligatis, qui a Christianorum ceruicibus, ab aris, ac templis Dei Opt. Max. sine vestro incommodo, truculentissimos ac nefarios hostes depellere tam facile possit, quam lubens velit? Sciunt omnes immanitatem, rabiem, ferocitatemque Turcarum. Obtenta Asia, in Africam moliuntur exercitum, breui quod eis adhuc in Asia deesse videbatur, ferro, ac flamma subegerunt. Syriam videlicet omnem, Arabiam denique totam, vniuersamque Ægyptum. Nolo exaggerare verbis Turcarum potentiam, quandoquidem hanc ipsam rem accurate satis proximo Augustensi Principum conuentu, Legati Roman. pontificis effinxerunt. p.149. Quibus si fidem adhibendam censetis, mea industria nihil addi, nihil excogitari potest, quod his tam ornatis, ac magnificis buccinatoribus respondeat. Sed per Deum immortalem o illustriss. Princ. nolite credere quenquam mortalium timeri hoc tempore a Turcis, nisi Carolum Regem. Nolite opinari præter hunc superesse quenquam, qui huius tam periculosi, & ancipitis belli pondus sustinere queat. Hunc missis epistolis, de pace atque induciis sollicitant. Hunc totius Europæ potentissimum esse palam fatentur. Huius iam vires in Africa magna suorum clade experti sunt. Huius classem in mediterraneo mari obuiam semper habent. Cum hoc sibi rem esse conficiendam vident. Siciliam, Sardiniam, Corsicam, Calabriam, Apuliamque ex Epiro, ac tota proinde Græcia procul despiciunt, suoque furori obiectas esse vehementissime dolent. Peruiis autem Pannoniis, quantum itineris spatium interiacere putatis, si ex Mæsia aut Macedonia in Germaniam Turca expeditionem paret? Verum ibi quoque Croaciam, Austriam, Charinthiamque, velut quendam Germaniæ clypeum obtrudi sibi conspicit. Nemo igitur persuadeat vobis o Princ. illustriss. quenquam mortalium esse, qui maiore desiderio ad hoc bellum teneatur, aut qui idipsum pro

ſua gloria, & fidei honore, celerius ad rectum finem perducere poſſit. Si ſunt qui de ſe magnifica pollicentur, & fidem ſuam ingentibus promiſſis onerant, cum nihil adhuc admiratione dignum nauauerint, hi (vt fieri ſolet) tranquillo flumine nauim ducentes, bonos ac peritos ſe naucleros putant. Quantoque abſunt remotius ab hoſtium conſpectu, tanto audaciores apparere geſtiunt. Qui vero manum admouerit, illum obſeruare vos oportet. Hic ille eſt Carolus Rex, quem iam ſæpius honoris cauſa nominandum putauimus. Ille inquam, qui ad iſta fata, Deorum immortalium nutu, reſeruatur. Huic, qui fortunam tacite obiiciunt, ipſi ſuam fortunam nondum a tergo inſpexerunt. Nunquam deerit fortuna, ſi ſapientia vtamur. Multoque præſtat, fortunæ non ſubiacuiſſe, quam ſapientia caruiſſe. Sapientia vero ad Principem ſpectat, a quo hæc fere deſiderantur, vt regno ſuo optime præſit, vt ſeniorum & prudentium conſilio Rempubl. adminiſtret, vt a regimine pueros, mulierculas, & effœminatos homines excludat, vt in corrigendo, ſeueritatem iuſtitiæ, cum humanitate coniungat, vt erga bene meritos munificus, & liberalis exiſtat, vt regni opes non facile profundat, vt patriam immoderatis quæſtubus non expilet, vt iura libertatemque patriæ, nulla ſpe lucri, aut gratia cuiusquam flexus diuendat, imminuiue permittat, vt ſeſe omnibus exemplum continentiæ & integritatis exhibeat. Hæc ſunt, quæ bonum imperatorem, ſtrenuumque ducem reddunt, non ea, quæ vulgo magna, & præclara putantur, corporis robor, audacia (quæ & temeritas dicitur) vſus belli, impatientia quietis, tollerantia laborum, & ſi qua alia ſunt, quæ hominibus admiranda videntur. Cum ad alias virtutes comparata, ſtatim euaneſcant, atque obſcura fiant. Reſtat iam vt de priuilegio Germanicæ nationis in deſignando imperatore, pauca diſſeramus. Et licet iſta pars apud vos multum ponderis, atque exiſtimationis habere merito debeat, a nobis tamen multis verbis pertractanda non videtur. Quantum enim ad Carolum Regem attinet, omnibus credo abunde ſatisfactum eſſe. Interim tamen quid ego de hac re ſentiam, & quid vos ſentire ac ſtatuere velim, breuiter explicabo. Requiritur eligendus a vobis imperator, qui ex Germanica natione ſit oriundus, neque hoc ſolum, verum etiam qui ipſam linguam, moresque, ac illum magnanimum & generoſum ſpiritum ex incunabulis hauſerit. Id ego non ſolum prudenter, & caute, a veſtris maioribus conſtitutum fuiſſe, verum etiam a vobis diligenter obſeruandum eſſe pronuntio. Si enim veſtri honoris, ac publicæ libertatis memores eſſe vultis, nunquam admittetis, vt Germanica natio per vos ſeſe diſpoliatam ſuis priuilegiis lamentari merito poſſit. Ea profecto longo iam vſu apud nos conſenuerunt, & in hunc vsque diem inuiolata perdurant. Nam DCCCC. fere exacti ſunt anni ex quo Rom. Imperium, maxima gloria noſtra occupamus. Ab illo videlicet die, quo, inclinante Græcorum fortuna, ad Francos Germanos rerum ſumma translata fuit. Non libet hoc loco veterem illam controuerſiam mouere, quæ ſæpius eſt ab eruditiſſimis retractata, quinam priſci illi extiterint
p.150. Franci. Sed hoc vnum dico, longe a veritate alienos eſſe, qui hos ad Galliam trahere conantur. Quippe cum ante Chlodouei Regis tempora, in Galliis habitaſſe Francos nullis hiſtoriis comprobari poſſe certum ſit, at tum Germaniam illos inhabitaſſe conſtat. Et licet Galliis dominarentur, Germaniam tamen aliquando deſeruiſſe, qui affirmat impudentiſſimus eſt. Id namque & Francorum annales teſtantur, & innumera in ipſorum legibus prodita memoriæ vocabula, quæ Germanicam redolent originem. Huiusmodi permulta comperiet, ſi quis mihi credere noluerit, in lege Salica, & Ripuariorum, deinde in conſtitutionibus Carolii magni, Ludouici, Chlotarii, ac Caroli iunioris. Teſtatur præterea frequens, & prope continua illorum apud Germanos conuerſatio, conſeſſusque. Belgicam enim a Germania non ſeiungimus, moti præter alias cum fortiſſimas, tum efficaciſſimas rationes, auctoritate præclariſſimorum, & ampliſſimorum virorum, P. Cornelii Taciti, Clau. Ptolomæi, Strabonis, Eutropii ac aliorum, qui etiam Neruios, Eburones, ac Atrabatas Germaniæ adſcribunt. Quod ſi nulla alia prorſus ratio ſuppeteret, ſatis (vt opinor)

pinor) fuerit, Germanorum in Gallos mutuum, & inextinguibile odium. Cuius inter priſcos rerum geſtarum ſcriptores, non ſemel C. Cæſar, Tacitus atque Suetonius meminerunt. Vnde quum & lingua, & moribus, tum etiam conuerſatione a Germanis nihil diſſimiles, ſed arctiſſime copulati fuerint, ſatis probatum puto, hos non modo præiudicium vobis nullum facere, verum etiam magnum ſplendorem, atque ornamentum noſtræ nationi adferre. Quare ceſſent Galli de iſtis ſeſe iactitare, tam claris & inuictis Principibus; ſola hæc gloria Germanicæ nationi, ac veſtris dignitatibus debetur. Nolite ergo veſtram libertatem, veſtra priuilegia, extranei Regis libidini exponere. Cauete quæſo, ne alium Imperatorem pronuncietis, quam e veſtra natione, & Germano ſanguine propagatum. Quomodo enim vos liberos eſſe ſinent, qui ſuis ſubditis inſolentiſſime & ſuperbiſſime dominantur? Quod ſi vobis in animum venerit (id quod nos vnice a Deo optimo, maximo poſtulamus) Carolum Regem, vt ſacro Romano Imperio Regem Comitiis Franckofurdienſibus decernere velitis, non dubitamus, quin id toti Chriſtianæ Reipublicæ, bene fœliciterque ceſſurum ſit. Veſtris denique dignitatibus, cunctis Germaniæ prouinciis, ciuitatibus, oppidis, gratiſſimum aliquando fructum ſit allaturum. Quandoquidem Regem habituri ſitis, quem natura ad id effinxiſſe videtur, vt mortalibus Imperio dominetur, conſilio præſit, manſuetudine ac æquitate adiumento ſit. De quo vere prædicari poteſt, id quod Cyrus Perſarum Rex dicere ſolitus fertur, Imperium ei deberi, qui quibus imperet melior ſit. Nam præter eas virtutes, quæ egregium imperatorem efficiunt, omnibus fortunæ dotibus, omnibus naturæ ornamentis, præditus eſt. Paternam enim originem, trium Imperatorum ſanguine decoratam, Maternam vero ex illuſtriſſimis & potentiſſimis Hiſpaniarum Regibus deriuatam, ſuo ingenito fulgore, velut quoddam luculentiſſimum ſydus illuſtrat. A quibus hæreditario iure ſuperioris, atque inferioris Germaniæ angulos regendos accepit, ita vt intra illos non tam incluſa, quam munitiſſimo quodam vallo ſepta Germania videri poſſit. Qui triplici etiam Hiſpaniæ, latiſſimæ, & opulentiſſimæ Prouinciæ, iuſtiſſime dominatur, atque auguſtiſſime præeſt. Qui mediterraneum mare, ex Hiſpaniis vſque ad Creten Aſiæ inſulam, ſuis claſſibus nauigat. Qui Sardiniam, Corſicam, Siciliam, Neapolim, Calabriam, Apuliam, Mauris Turciſque oppoſitas, ſumma virtute tuetur. Qui maximam Africæ partem, iuxta Atlantem montem, a columnis Herculis, & initio Gadium, vſque ad Tripolim, atque Carthaginem tributariam poſſidet. Qui tanta eſt fœlicitate, vt huic plus vno die terrarum fortuna contulerit, quam potentiſſimi aliquando Reges, & expertiſſimi Duces, bello ſubiugare longo tempore, ac diuturno labore potuerint. Qui in ea eſt ætate conſtitutus, quæ & vires, & animum cum tempore ipſo ſolet augere. Qui gratia tantum apud Germanos valet, quantum ante hunc nemo alius. Hunc itaque ſi delegeritis Regem Romanorum, vobis, totique Chriſtianæ Reipubl. optime conſultum eſſe ſentietis. Imperii fines ampliari, veſtros perpetuos hoſtes profligari, poſtremo infideles, ac barbaros ad fidei profeſſionem venire ſupplices conſpicietis. Quod ita vobis inſpirare dignetur Opt. Max. Deus. Amen. DIXI.

HERMANNI NVENARII COMITIS INCLYTI EPIGRAMMA. IN DEFECTIONEM SOLIS, ET ELECTIONEM CAROLI REGIS ROMANORVM. p. 135.

Delituit, nuper cœli ſub vertice Phoebus,
Occuluitque ſuum Delius ipſe iubar.
Emerſit ſubito diuinum Cæſaris aſtrum,
Cumque nouo rediit Cæſare Phoebus ouans.

Ergo

Ergo hoc iam constat, quo pacto regnet vterque,
Phoebus apud superos, Caesar in orbe regit.

EIVSDEM EPIGRAMMA IN CAESAREM ET ATLANTEM.

MAgnus Atlas humeris gestare putatur olympum,
Quamuis Herculea sit releuatus ope.
Magnus item Caesar terrarum sustinet orbem
Solus, & ex alto pectore cuncta gerit.
Fortior est igitur robusto Caesar Atlante,
Ille caput socium, renuit iste parem.

EIVSDEM AD CAROLVM REGEM ROMANORVM DISTICHON.

DEnt superi sanum te vincere Nestoris annos,
Carole, iam nequeunt hi dare plura tibi.

INVICTISSIMO ATQVE CHRISTIANISSIMO CAROLO ROM. REGI DESIGNATO, HISPANIARVM INSVPER, AC VTRIVSQVE SICILIAE REGI, AVSTRIAE BVRGVNDIAEQVAE PRINCIPI POTENTISSIMO, HERMANNVS DE NVENAR COMES, NOMINE STVDIOSORVM GERMANIAE, SALVTEM ATQVE FELICITATEM PERPETVAM OPTAT.

POstea quam apud Germanos increbuit augustiss. Rex Carole, te, Dei optimi maximique nutu beneficioque, Christianae Reipublicae principem ac moderatorem designatum esse, incredibile est, quanta fuerit omnium Germanorum laetitia, plausus & exultatio. Et potissimum illorum, qui sub patrocinio aui tui gloriosissimi Maximiliani Augusti bonis studiis operam suam locauerunt. Ii quippe cum pientissimo principe, ac studiorum suorum defensore spoliatos se iamdudum viderent, non iniuria acerbissimo luctu, & ingenti moerore perculsi torquebantur. Sed hunc subito leniuit foelicissima fatorum series, neque leniuit tanquam, verumetiam cumulatissimo gaudio commutauit. Fuere tunc inter hos aliquot ornatissimi viri, qui me tacite adhortabantur, vt ad te stylum conuerterem, & hoc, quantulumcunque est, literarum negotium. nomine studiosorum Germaniae mihi desumerem. Quibus (vt verum fatear) parui haud inuitus, cum quod officii mei id esse ratus sim, tum etiam quod occulte me stimularet, immo impelleret, nuper inflicta, non mihi tantum, sed etiam doctissimis & honestissimis viris, contumelia, quorum nonnulli fuerunt, qui mihi magna necessitudine deuincti tenebantur, ita vt non paruam contumeliae partem in me redundare cernerem. Quapropter cum hanc omnes in te Carole Caesar spem, fiduciamque coniecerimus, vt studiorum nostrorum futurum te haud dubio & patronum, & vindicem putemus, rogant te studiosi omnes, atque eruditissimi totius Germaniae literarum professores obtestantur, vt renascentium iampridem bonarum artium curam habere velis. Ipsa quoque Germania florentissimis, atque pul-
p.152. cherrimis ingeniis vndique excultam sese conspiciens, summo desiderio, summoque affectu optat, vt tuo augusto auspicio foedissimam sophistarum barbariem e suis finibus exterminare velis, quae iam annos plusquam octingentos, magno cum dedecore, atque iactura omnium artium perdurat. Has nobis reliquias abominabiles barbarorum

rorum tumultus inuexerunt Gotti, Longobardi, Vuandali, Slaui, Huni, Nordmanni. Hos itidem defæcare, & excutere tuo candore perfacile poteris. Qua in re non opus est vt multum laboris insumas. Iacta sunt fundamenta, nihil restat, nisi vt vel tuo, vel optimatum tuorum patrocinio structura fulciatur. Dignum profecto principe, dignum illustribus viris patrocinium. Magnus enim Rex fuisse Dionysius ille Tyrannus perhibetur, sed non parum ornamenti contulit huic Platonis, & Aristippi familiaritas. Quantum vero laudis Cyro Regi ficta Xenophontis historia comparauit? Quid esset iam Mecœnas, nisi Vergilium sortitus esset præconem? Quid de Alexandro Rege dicam? nescio certe an huic plus profuerit dignitas Aristotelis, quam subiugata Asia, & cæsus Darius potentissimus alioqui Persarum Dominus. Nam inter alias eius laudes quasi amplissimam hanc refert Plutarchus in eo libello, quem περὶ τῆς τοῦ Ἀλεξάνδρου τύχης καὶ ἀρετῆς inscripsit, cuius verba subiiciam: τὸν μὲν ἁρμονιακὸν Ἀνάξαρχον ἐντιμώτατον τῶν φίλων ἐνόμιζε. Πύῤῥωνι δὲ τῷ Ἠλείῳ πρῶτον ἐντυχόντι μυρίους χρυσοῦς ἔδωκε, Ξενοκράτει δὲ τῷ Πλάτωνος συνήθει πεντήκοντα τάλαντα δωρεὰν ἔπεμψε. Ὀνησίκριτον δὲ τὸν Διογένους τοῦ κυνὸς μαθητὴν ὅτι ἄρχοντα τῶν κυβερνητῶν κατέστησεν. Sed non suntnobis longe repetenda exempla, ante oculos obuersatur gloriosissimus auus tuus Maximilianus, quo nemo vnquam fuit in prosequendis doctis hominibus liberalior, munificentiorque. Et fieri nequaquam potest, vt huic tu virtutibus, & egregiis factis cedere velis. Imperium Romanum obtines, idipsum Humanitatis artibus tutelare quoddam numen semper fuit. Te igitur alterum Antoninum nobis exhibe, quem inter optimos principes merito consecrauit vetustas, & eidem gloriæ palmam tradidit, ita, vt singulari hoc ἐπιθέτῳ appellaretur φιλόσοφος. Redde itaque sua præmia bene merentibus, foue studiosa ingenia, & breui videbis in Germania renasci Athenas. Coerce quæso imperiosum, & violentum genus quorundam sophistarum, qui ad perniciem literarum nati sunt, Theologistas dico numero non admodum multos. Et vt rem totam intelligas, fraterculos quosdam magnis titulis insanientes, iube suorum cœnobiorum curam gerere, iube domi fratribus suis regendis operam impendere, sacris faciendis inuigilare, populum Christianum diuino verbo & euangelica doctrina reficere, non decoquere rem familiarem, non excitare turbas in ecclesia, non spargere rumores, non seminare linguæ suæ venena in vulgus, non labefactare famam bonorum virorum, non vendicare sibi in alios imperium, qui omnium debent & vita & exemplo esse humilimi. De quibus, & si apud te iure conqueri possem vtpote quos senserim famæ meæ grauissimos hostes, tamen malo hoc tempore communem causam agere, quam me ipsum vindicare. Vnica, crede mihi, pestis est in Germania IACOBVS HOSTRATVS, * quam si restrinxeris ἔσται πάντα καλῶς, homo præter ingentem suam audaciam insigniter impudens, atque temerarius. Nolo equidem mihi tantum

---

* Hochstratus iste Monachus Dominicanus, & Prior Monasterii Coloniensis, Doctor & Professor Theologiæ atque Inquisitor in terris Electorum Ecclesiasticorum. Homo ineptus erat, acerrimus Lutheranorum insectator, eorumque, qui bonas amabant litteras, a quibus plane erat alienus, ideoque in epistolis obscurorum virorum facete notatur. Hinc etiam iniquus erat in Hermannum, Comitem Nuenarium, qui ipsum tamen ad palinodiam coegit, de quo Erasmus Roterodamus lib. XIX ep. XXIX. *Hermannus comes a Noua Aquila, indigne tulerat se notatum ab Iacobo Hochstrato Dominicano, is erat Rabinus, Prior monasterii quod Coloniæ sane quam magnificum est & opulentum. Non potuit homines incompescere, donec illius cognati denunciarint Dominicanis, ne posthac colligerent caseos in vlla ditione vel Comitis vel cognatorum illius. Illi rati minas esse inanes, clam tentarunt solito more venire ad oua & caseos. Factus est in illos impetus terribilis. Hoc damno totum annum mulctati sunt; itaque factum est, vt Iacobus a suis coactus pacis leges acceperit. Habeo illius palinodiam, in qua cum recitet verba plena contumeliæ quæ scripserat in Comitem, tamen affirmat ac propemodum deierat, se semper de Comite præclare sensisse. Bella palinodia, scurra quam Theologo dignior.*

tantum vt fidem adhibeas. Omnes interroga (si libet) per Germaniam doctos viros. Omnes læsit, omnibus æque infestus est. Quid multa? studiosorum publicus ex professo est hostis, καὶ τῆς φιλανθρωπίας. Quare te iterum atque iterum rogant, hunc vt tua auctoritate compescas, & vt vel tacere omnino, vel melius loqui præcipias, censorem sui, non aliorum agat, domui suæ consulat, & iuxta Apostolicam doctrinam, non sit verbosus, non detractor, sit sobrius. Quod si ita, vt speramus, effeceris, polliceor tibi, quod omnes, qui in studiis literarum aliquid consecuti sunt, idipsum gratissimo, & iucundissimo animo acceptum tibi referent. Omni denique studio, diligentia, industriaque suas opes in te certatim effundent, sua studia tibi addicent, seipsos tibi perpetuo deuouebunt. Teque cum totius orbis commodo, Nestoriam senectam superare optant, vt hostibus tuis fœlicissime domineris, vt fidei Christianæ vtilissime præsis. Vale, & hanc legationem nostram pro tua clementia boni consulas.

EXHORTATIO NOBILIVM GERMANIAE PER DOCTISSIMVM INGENIOSISSIMVMQVE VIRVM IACOBVM SOBIVM, INSIGNIIS DOCTORATVS LL. DECORATVM, AD ILLVSTRISS. CAROLVM HISPANIARVM REGEM; AC ROMANVM SEMPER AVGVSTVM DESIGNATVM.

p. 153.

NON miraberis Christianorum Regum florentissime potentissimeque Carole, si nos nostræ anxii cum dignitatis, tum salutis etiam, conamur admonere, quomodo, nostra sponte ac omnium expectationes mortalium in te congestum, nostrum, Romanique populi, atque adeo orbis terrarum, imperium, fœliciter gerere, ac prudenter administrare & velis & possis. Siquidem cum tantam molem imperii ipse, summis plenam curarum solicitudinumque fluctibus, teneris adhuc tuis imposueris humeris. Nec nos etiam sine ingenti omnium nostrum periculo principatum, ac habenas totius Christianæ Reipubl. tibi commisisse iudicaremur, si alius esses, quam te omnes esse sciant, atque pertinacissime asserunt. Quippe cum totum id, quod tibi vel officio, vel gratia moti, contulerimus, in nostram culpam redundaret. Cum non facili momento, si quod erratum fuerit resarciatur, nec rursus sine orbis commodo, quod bene inde prouenerit, numeretur. Quod ergo faciendum, si ætas suppeteret, nequaquam fuerat, id si modo omiserimus, temeritate potius, quam consilio prouexisse te ad tantum imperii culmen, certe post Dei immortalis opes maximum, iudicaremur. Æquo ergo Carole, vnica Christianorum spes omnium, animo feres, si nos nostrarum solliciti rerum, quid e re vtilitateque nostra; quidque ex tua dignitate fuerit, paucis ceu digito commonstrauerimus, quo tu bene fœliciterque imperitasse nobis, nos recte dicto audientes fuisse, præclarumque tibi Imperatoris fecisse nomen posteritati dicamur. Neque verebimur ob id male audiendum tibi, quando tua ea est ætas, ea præclara indoles, id virtutis specimen, vt cuique bene monenti potius, quam perniciose blandienti aurem præbeas, cum alioqui adolescentia proprio affectuum agitata malo, non facile inter vitia, virtutesque discrimen habeat abiiciendaque eligat sæpe, ac respuat eligenda. Paucis his ante actis diebus, cum Romanum imperium suo gubernatore Maximiliano clarissimo auo tuo, non sine ingenti omnium dolore, ac totius orbis incommodo, orbatum esset, summa excitata animorum sunt studia, aliis alio imperium trahentibus, intenti tamen omnes in septemuiros illos delectos Heroas, quem tandem suis designaturi essent suffragiis, cui summa imperii, ceu dignissimo, excellentissimoque imperatori, concredenda veniret. Mirum quanto desiderio, quam vnanimi popularium voto postulabaris. Te senes auebant te expectabat viridior ætas, te proceres canebant, te prædicabant plebei. Nulla præterea non fuit Respublica quæ non libens, ac gratulabunda tuum vi-

debatur subitura iugum. Nec minus fuere propensæ voluntates in Carolum, nobilis illius Sueuici exercitus, egregii Germanicæ libertatis vindicis, impotentis tyrannidis pulchri punitoris. Vixdum enim illi alium videbantur passuri Romanum regem, quam te Carolum, trium clarissimorum vna serie Romanorum imperatorum nepotem, fœlicissimum ante se regum omnium, vt cui sine bellis, sine sanguine, sine cladibus, tot incruenta contigerint imperia, tot subditæ sint nationes, tot pareant populi. Quippe qui ad orientem Danubium teneat, in meridie Ionium mare, ac Siculum fretum, cum ipsa Trinacria, ac non exigua Italiæ parte, possideat. Qui in Hispaniis Africaque cum Herculis columnis occidentem custodiat solem. Postremo in Oceano ac mari Germanico septemtriones conspiciat. Nec quietiores etiam Heluetii bello geniti, videbantur, qui vt te regem conspicerent Christiano imperantem circulo, non laboribus, non sanguini, non vitæ denique se parsuros polliciti. Quod ergo bonum, fœlix, faustumque sit, tibi, nobisque omnibus, tete inclyte Carole, desiderate mortalibus, libero Germanorum nate stirpe, designatum Rom. regem. IV. Kal. Iulii, cum votis, ac precationibus in Deum opt. max. plausu, & gaudio erumpentibus lachrymis, concordi cœlestium voluntate, septem virorum suffragio, p. 154. suscepimus, dantes accipientesque vltro ac citro beneficiorum cumulos. Abs te scilicet, vbi, vt pius patriæ pater, ac princeps nostræ Reip. temonem recte gubernaueris. Contra, vbi nos pro incolumitate, ac salute optimi principis, non sæui domini, opes, sanguinem, spiritus, profuderimus. Memineris ergo obtestamur, te ascitum in principatum, non tyrannidem, quem ita demum rectissime, diutissimeque sustinueris, si plus virium tibi in amore nostrum, quam timore posueris. Amor siquidem perpetuum fert principem, timor vero inuisum e medio tollit. Sint Phalarides tibi, sint Dionysii, sint superbi Tarquinii, sint Nerones, sint Caligulæ, sint nostra etiam tempestate ceruina illa cornua recenti exemplo. Sed quomodo nos id de te timere in animum ducere poterimus? qui auos habueris paternos Augustorum, atque adeo mortalium omnium clementiam longe superantes. Vnde impetrare nihil æque, atque delictorum summam impunitatem facile fuit. Nec tamen vt conniueas volumus, verum clementiæ mixtam seueritatem exposcimus. Sonteis, ne scelera superent, punias, sua cuique cum discrimine des præmia. Non iis, qui quæcunque dixeris, fecerisque laudauerint, qui te a peditibus semper secuti fuerint, qui cum admiratione quæ ore, vel leuissima quæque, temere lapsa, exceperint, qui fiscum tuum locupletare, miserorum flentiumque ratione non habita, studuerint, qui iocularia exercuerint, qui maiora expiscaturi, munusculis onerauerint, qui oratoriis phaleris te deum fecerint. Sed qui aliquando errantem serio increpauerint, qui domi potius, forisque salutem tuam quæsierint, qui salubria tibi, tuæque Reipublicæ sapienter libereque admonuerint, qui bono modo diuitias tibi conquisierint, qui in ciues eas auidius contulerint, quam inde emunxerint. qui morum grauitatem disciplinis coniunxerint, qui proprio relicto, tuum patriæque commodum amauerint. Ea vero quam optime fient, quando quæ vere maximo facienda principi, ipse feceris, adulatorem videlicet, principum communem pestem, ab amico discreueris; cognitumque abs te reieceris, vel maxime præeunte ac iter commonstrante grauissimo, doctissimoque Plutarcho, Imperatoris optimi Traiani optimo præceptore. Tuis item præceperis, suis contenti stipendiis, abeant, non eos, qui tuam implorauerint opem, qui ad te non aliter, quam ad sacram anchoram, & parentem communem, & protectorem confugerint, spolient mutilentque, vt satius etiam fuerit, vel omnia perdere, vel patria exulare, vel ad hostes confugere, quam tantis laboribus, tantis impendiis, tantis periculis, saltem principis frustra toties & tam diu poscere congressum, id quod profecto maxime vulgi animum a principe auertit. Adeo Regem, vel malum, comem saltem, plebs æquiore tolerat animo. Ita apud Syracusas arreptam tyrannidem, constans Populi Romani amicus & socius Hieron in mite legitimumque conuertit imperium, cum ipse habitu, benignitateque a cæteris ciuibus nihilo videretur differre.

Pateat

Pateat ad te aditus, pateat cuique sua tibi adperiendi facultas, da supplicantibus digna responsa principe, aut si id per occupationes nequis, eos ordinato, non qui pecuniam tuorum quærant, sed salutem. Audi obsecramus quid Philippo Macedoni contigerit, ad quem cum anus quædam confugisset, sui negotii audiendi postulans locum, illo non vacare sibi respondente, inquit, ergo nec regnum quidem dignum habet principem, qui tuos non audias. Sed quid hoc? non petimus vt nobis æqueris. Tuam sustine, ac auge potius dignitatem maiestatemque, inter mortales plane diuinam, modo cogitaueris tantum velle prodesse, quantum possis, vt sentiat patria non maiestatis fuco duci te, sed ope iuuari. Id etenim, quod alioqui a cœlesti, immortalique petimus deo incolumitatem videlicet & fœlicitatem, id & a te tanquam DEI vices in terris gerente, exposcimus. Non; vt paupertate nostra tuas opes auctas arbitraueris, non, vt fœlicitate, aut potius opulentia, tuæ detractum potentiæ credideris, verum iudicaueris, potius nos tuarum diuitiarum custodes esse, & quæstores, nostraque omnia in tua, vbi opus fuerit, necessitasque postulauerit, futura potestate. Lycurgus ille Lacon Cyro Persarum Regi, videre cupienti gazam regiam, ciues eius asseruatores ostendit. Crœsus etiam victus, cum interrogasset, quid sibi militum ille in capta vrbe tumultus vellet, Cyro respondente, vrbem eos belli iure diripere, quare, inquit, tua diripiunt? & Rege,
p. 155. & vrbe in tua existente potestate? Hic animum adiicias obtestamur o Carole, o patriæ pater, o fausto nominate Augusti nomine, atque tandem amoueas, obliteres, quibus, tua parens Germania, tua alumna, quæ nato primum vitam, deinde & benigna alimentum præbuit, quæque modo vt se tuearis, vt sibi præsis, ad te confugit potissimum, male diu audiuit, maleque infamis fuit, latrocinia videlicet, & rapinas. Rara enim hucusque tuta itinera, rara peregrinantium protectio, non incolæ, non securi aduenæ. Atque adeo non plebeiorum id solum est facinus, verum solo nobilium nomine. Ii enim cum ignaui fuci sint, soli dediti inertiæ, soli crapulæ, soli sui patrimonii, decoctioni, congerentes alias apiculas & mella, & flores, vnde tandem sustineri Rex possit, prosternunt, spoliant, trucidant. Horrendum reuera facinus, nec cuique bono ferendum principi, per orbem tute peregrinatos, in sola spoliari, necarique Germania. Accessit ad hanc priuatam Germanorum insaniam publica totius Christiani orbis rabies, sua in semet ciuilia conuertentis arma, & quæ bella in hostem Christiani nominis vertisse debuissent, iis communi furia seipsos ad internetionem vsque confecerunt. Numeretur (heu dicendum nephas) princeps quisquam, numeretur natio, numeretur Respublica, numeretur vel pagus, qui non horrido atrocique bello ingentem senserit cladem. Alii ex nobis bonos amisimus principes, alii parentes, alii liberos, alii iocundos assuetosque penates, alii quicquid præterea charum antiquumque habuimus. Et quod (o dolor, o nephas, o dominandi fœda libido) detestandum fuit magis, principem religionis paucos ante annos IVLIVM * nacti, qui cum præter alia parum Apostolico digna commissa viro, Christo auctore pacis assertor esse debuisset, summæ esse sibi gloriæ putauit, si Christianos ipse omnes in mutuam concitasset cladem. Sed quid hæc modo? ipse scis generosissime Carole, quam bene consuluisset nauiculæ turbulentus ille, ac temerarius gubernator, si tranquillo potius quam æstuanti eam commisisset freto. Putauit homo ille, pietatem esse maximam, si Romanam ecclesiam perniciosis diuitiis, profanis ditionibus, per fas, nefas, fracta, discissa, rupta fœdera, gladios, sanguinem, mortem Christianorum, contemerasset potius, quam collocupletasset. Quo nihil impium magis Christianum, vel ethnicum etiam pectus potuisset concipere. Tu vero si nobis, tibique consultum esse volueris, nihil pace credes antiquius, nihil pulchrius, nihil melius. Illa enim te fouit, illa tot tibi incruenta tradidit impe-

 ria;

* Iulium II. Papam intelligit.

ria; illa vnanimi omnium voto paulo ante te Regem moderatoremque orbis constituit. Quibus ergo artibus imperium id custodire melius, quam pace potueris? Nemo profecto nemo, qui inficias eat, iis artibus optime seruari imperia, quibus parantur, nimirum pace. Mala reuera bestia bellum, efferatum initium, tristem, ac vere tragicum exitum habet, nec victori grata, nec victo, dulce saltem inexpertis. Ea solet mortalium esse cupiditas, vt nunquam expleatur. Habenti adiiciendum semper, maxime in imperiis. Tu vero præclarissime egeris, si id cogitaueris, quod tritum vsu habet prouerbium, Spartam adeptus eam adorna. In alienis occupandi, inuadendisque ditionibus, ipse tuas, ceu ludo, deponas oportet. Si alea recte, & ad votum ceciderit bene est, iam victor, iam triumphator appellaris. Sin contra, id quod plerumque solet, euenerit, is qui paulo ante nationibus, gentibus, regibus imperasti, alieno cum summa & clade, & ignominia, seruies victori domino. Et vt inconstans bellum fortuna versat, bene saltem ageretur, si non mors quoque cum vita commutanda veniret, ac ita demum, patria suo orba principe in medio hostibus diripienda, deuastandaque relinqueretur. Nec hic exempla quęrenda. Omnes historiæ, omnes annales, ipsa etiam nostra ætas innumera suppeditabit. Ex quibus tamen vnici ac eiusdem domestici, auitique memineris. Carolus Burgundionum Dux, auiæ tuæ Diui Maximiliani coniugis pater, si suis contentus, aliena oppugnare destitisset, laudatissimus profecto princeps, infœlicem non oppetiisset mortem. Inuidebunt tibi aliqui, grauemque credent te sibi imminere. Satius tecum agitur, malumus inuidia vrgeri te, quam commiseratione deplorari. Illa fortunæ, hæc miseriæ comes est. Quod si per illos necessario bellum gerendum tibi, si is hostis propulsandus finibus, tu quam potes minimo tuorum malo minima Christiani sanguinis profusione, quam ocyssime finias, nec caussas ex causis, nec ex bellis bella cumulaueris.

Porro si bellica gloria feruido, ac iuuenili consederit pectori, si generosum p.156 animum iniuriæ stimulauerint, si dilatasse fines pulchrum duxeris, recte egeris, si non in tuorum viscera arma conuerteris, non in tuæ Reipublicæ principes discordiarum semina conieceris, quo nihil potest esse fœdius, ac perniciosius, magisque, a patriæ patre alienum. Habes alicunde satis vberem gloriæ campum. Vrgent semper infesti Aphri ad occiduum versi solem, vrunt Scythæ, insultant Thraces, minatur grauissimus Asiæ dominus, truculenti omnes Christiani nominis hostes, quos nisi composita prius inter tuos pace absterrueris, breui in penetralibus tuorum senties regnorum. Et quoniam illo necessario bellum sit traducendum, satius fuerit, illorum vri agros, abduci pecora, diripi prædas, dirui munitiones, incendi ciuitates, quam ea omnia, atque his indigniora multo, in nostris sentire finibus.

Habes duces sagacissimos, promtissimos milites, nec minus bello peritos. Neque nos, vbi signa occinuerint conabimur, quin te alacres sequemur, sanguinem simul cum vita posituri. Nec te hoc loco sollicitet, quis in hos vsus pecuniam belli neruos sit administraturus, non opus fuerit nostris, hoc est, Germanorum, Hispanorum sumptibus id geri bellum, cum tot annis, immo sæculis, immensam pecuniarum molem in eum vsum Romam certatim contulerimus. Cum multarum, opulentissimarumque ditionum imperium, ob id Pontifex maximus paulatim occupauerit, atque possideat, qui alioqui Petri, hoc est, Christi vicarii, ac eius, cui neque argentum, neque aurum fuit vnquam, hæres extiterit. Is tibi rationem subducat Annatarum, indulgentiarum, vectigalium, quæ omnia summi Pontifices hoc saltem prætextu, ac in nullum alium vsum, præterquam hospitalitatem, misericordiæque opera, Cæsaribus conniuentibus, custodientium nomine subleuarunt. Iis ergo acceptis pecuniis, Pontifice ad altaria sua gerente, (quando incruentum penitus Petrum in horto dominus, condito ad vaginam gladio esse voluit, agnoscereque lingue tantum mucronem, quo per spiritum, ac Dei verbum credentium in do-

domino corda feriret) bellum fœliciter fortunateque aggredere, expleturus tandem nepos, quod tantopere desiderauit Auus. Quod si eam distractam apud Pontificem inueneris pecuniam, neque in hos vel conuersam, vel seruatum vsus, quid obstat: cur ipse tuo, hoc est, Romano imperio, tuis ditionibus manus iniicere non possis? atque ad te reducto Italico (vnde potissimum nomen Germanica partum virtute habes, Augustusque appellaris) imperio, expeditionem ingredi? Male siquidem depositum illic concreditur, vnde nihil redditum iri speraueris. Sperabimus enim tum, Christo Iesv auctore fœliciter glorioseque Christiani sanguinis hostes, tuæ subdituros manus ferulæ, aperturosque triumphanti tibi, Triumphatoris Christi sacra sepulchri adyta. Agnituros quoque Iesu Christi, veluti piæ oues, piam pastoris & vocem, & stabulum. Nec hoc male Pontificem habere debet, si nos paulo liberius loquamur, id quod e re Germaniæ fuerit. Quippe cum videamus, indoleamusque tandem ad viuum exugi pecunias nobis, emungi miris artibus substantiam pauperum, nec quidpiam, quod equidem sciamus, interea vel in Christiani nominis hostes expendi, vel ad augenda pietatis opera conuerti, sed heu absurdum dictu, nostrorum opibus, quas multis sæpe sudoribus partas constat, Itali homines in suas voluptates abutuntur, quantoque iam quisque Pontificum pluribus oneratus est necessariis, tanto plus venit expilanda Germania, quasi ea sola ad explendam Italorum famem exposita esse debeat. Et quod omnium maxime indignum putamus, eum nomine quoties in Italiam venimus, pessime audire cogimur, tanquam stolidi ebriique, non absque magna nostra contumelia, sed quam nostra stultitia optime promeretur. Verum hæc omnia immeritis nobis a Pontifice imponi dolemus, cui supra alias nationes semper fuimus fidelissimi, quo factum est, vt feramus vtcunque eo processisse tuorum maiorum humilitatem, vt quoties Imperatorem accipiendæ coronæ gratia Romam accedere contigerit, eum iniecta ad frænum manu, Pontificis mulam * ducere oporteat, quod quidam etiam ausi sunt libris commendare. Feramus etiam vt Imperii coronam Pontificiis pedibus suscipias, ** quanquam id nonnihil indignum videri possit de Imperato-

* Impp. enim Pontifici equum vel mulam adscendenti frenum & strepam dextram tenebant. Exinde dum Fridericus I. strepam sinistram teneret, eum ideo criminabatur Papa, quod officio suo minus satisfecisset, cum dextram strepam tenere debuisset. Verum, Rex aliquantisper motus, dicebat: *vellem melius instrui, vnde mos iste inoleuerit; ex beneuolentia an ex debito*, prout tradit Helmoldus *Chron. Slau. lib. I. c LXXX. & Alb. stad. ad a. 1555.* Vid. etiam Sim. Schardii Tractatus de *perfidia insolentia & tyrannide Pontificum Romanorum erga Impp. Germanicos p. 46.*

** Romani enim Lotharium Imp. in genua coram Papa procumbentem in Palatio Lateranensi pingebant, hac addita inscriptione.

Rex venit ante fores, iurans prius vrbis honores,
post homo fit Papæ, sumit, quo dante coronam.

Radeuicus *lib. I. c. X.* Singulare est, quod de Henrici VI. Imp. coronatione narrat Rogerius Houedenus Arn. Angl. p. post. ad a. 1191. p. 689. *deinde introduxit eos* (Cæsarem cum Coniuge) *Dominus Papa in Ecclesiam, & ynxit eum in Imperatorem, & vxorem suam in Imperatricem. Sedebat autem Dominus Papa in Cathedra Pontificali, tenens coronam auream Imperialem inter pedes suos, & Imperator, inclinato capite, recepit coronam, & Imperatrix similiter de pedibus Domini Papæ, Dominus autem Papa statim percussit cum pede suo coronam Imperatoris, & deiecit eam in terram, significans, quod ipse potestatem eiiciendi eum ab Imperio habere, si ille demeruerit. Sed Cardinales, statim accipientes coronam, imposuerunt eam capiti Imperatoris.* Idem dicit Henricus Knygthonus *de euent. Angl. lib. II. c. XIII.* Baronius *ad a. 1191.* ex quo habet Lehmann *Chron. Spirensi lib. V. c. LXVI.* Licet nec Otto de S. Blasio qui *c. XXXIII,* nec Arnoldus Lubecensis *lib. IV. c. IV,* nec Albertus Stadensis *ad an. 1192.* nec Godefridus Monachus *ad a. 1191.* aliique qui Henrici coronationem describunt, huius facti faciunt mentionem. Potius in Chronico Reichersbergensi *ad a. 1191.* dicitur, quod honorabiliter Romæ fuerit coronatus. Anglici potius scriptores, ista ætate Papæ denoti, ob captiuitatem Richardi Regis Henricum exosum habentes, hæc ita effinxisse videntur. Vid. Synt. Hist. Germ. *diss. XVIII. §. IV.*

re, vt sine cuius auctoritate olim nulli creabantur Pontifices, cui etiam, veluti Pontificis collegæ, alterum commiserit dominus gladium. Cum & sanctus Sa- p. 157
muel a Deo electus propheta diuina iussione super caput Dauid Regis, oleum benedictionis, manibus infuderit, non pedibus. Feramus item vt osculeris eius pedes, qui vicarius est, & imitator illius, qui suorum discipulorum pedes & lauerit, & osculatus fuerit, quique illius successor est, qui corruentem ad pedes suos Cornelium centurionem, tum etiam ethnicum, surgere iusserit, inquiens, homo sum quemadmodum & tu. Ferenda hæc omnia, maxime, quia speciem habent pietatis, & debetur hoc Christo, debetur Christi vicario; quanquam neque diuina lege iubetur, neque ecclesiastica sanctione, aut sanctorum patrum communi auctoritate statuitur, sed potius tolerantia quadam tuorum maiorum (qui dignissimorum virorum sanctimoniam vitęque integritatem admirati in tantum se summiserunt) in consuetudinem irrepsit. Atque eo quoque æquiori animo, quod hæc corporis & sensualium incommoda censentur. Verum quod infestius nobis, maleque nobiliorem hominis partem habet, nullo deinceps pacto (si omnium saluti consultum volueris) ferendum. Vt quod ab Italis in nostra grassatum sit sacerdotia, in nostras, nostrorumque sæuitum animas. Parentum siquidem nostrorum in Deum Optimum Maximum pietate, quo multæ Christo lucrifierent animæ, sacerdotia magno per Germaniam constituta numero, ac dotata egregie, vidimus modo cum irrecuperabili iactura, pessimis, indoctissimisue agasonibus, lenonibusque in prædam venire, ita, vt nulla salutis vel minima habetur ratio. Solumque id æstimetur quantum redituum habeant, quantumque pendere quotannis beneficia possint. Quo factum est, vt vnus arripiat omnia, vnus deglubat pessimus per fenestram ingressus latro, diuinus relinquatur cultus, non suo pane inops pascatur plebecula, exempla introducantur pessima, intereant miserorum animæ. Quibus demum omnibus nulla alia obuenire ratione poteris, nisi tandem auctore Leone decimo seuerum diu intermissum, indicas concilium, quo vno adhuc habenti Reipublicæ subveniri potest, alioqui deploratæ. Sed illa o Carole pene prætererieramus, quæ summam in hac parte tenent, vt legibus scilicet pulcherrimo pacis operi animum adiicias. O si videres quot technæ, quot limæ absolutissimo iuris corpori perniciose, ac calumniæ tantum causa sint adiectæ, ac improbe indies sine modo confingantur, adeo, vt cuique satius fuerit causa cadere, quæ habeat amittere, in nexum corpus tradere, quam lites sequi in quartum traductas hæredem, ac tum demum summi iuris summam expectare malitiam. Iustinianus Cæsar, qui in pandectarum libros, veterum cum delectu digessit leges, iam tum suo tempore nimium cumulatas questus, auctasque in immensam versuum multitudinem, quæ non tam iustitiæ, æquitatisque indicarent iter, quam quæ confusione inuoluerent, dissimilibus, dissentientibus, contrariisque etiam legibus, ipse ergo, suis dato negotio, vt quæ essent parum recte, eas tollerent, ac immutarent, quam optimas excogitarent, quæ bene constitutæ essent relinquerent. In leges conquirerent, quæ & iustæ essent, & Reipublicæ conducibiles, & inter se consentientes, quæ lites parerent paucissimas, exortas vero ocyssime finirent. Nulli deinde mortalium ius esse voluit, commentarios in leges conscribendi, interpretandique eas, nisi Imperatori, neminem rectius interpretari leges posse, quam illum, vnde profectæ fuissent iudicans. Si qui vero præter Imperatoris edictum id temere conarentur, ipsos crimini falsi, libros vero ignibus voluit esse obnoxios. Quod si modo, in corpus reducta anima, Iustinianus in vitam rediret, indicta e vestigio causa, non aliquot tantum versuum millia, verum libros plurimos ineptissimos, falsissimosque cum ipsis auctoribus ignibus concremandos mandaret. Tui ergo muneris erit Inclyte Auguste, plebi tuæ prospicere, sacratissimasque leges, sine quibus iustitia coli, Respublicæ durare, humana societas tueri nullo pacto potest perpurgare, quæ superflua abiicere, quæ vana ac futilia antiquare, quæ obscura collu-

stra-

ſtrare, quæ recta eligere, controuerſias breui finire, nec ad gratiam, aut odium iudicare, neque ſecum pugnanteis ſententias ferre, atque eos qui in iuſtitiam deliquerint iudices, ſuis ac meritis pœnis afficere. Quæ omnia te nobis, nos tibi addictos reddent ſubditos, firmabuntque ita omnia, vt non ſit periculum, quin
p. 158. breui florentiſſimum, firmiſſimumque habiturus ſis imperium, iuxta armis ac legibus pulchre ornatum, perpetuum tibi, ſanctum nobis, hoſtibus formidabile, gratum vicinis, memorabile poſteris. Quod ita regat & gubernet is, qui id tibi ſine clade ac ſanguine concredidit benedictus in ſæcula Deus. Amen.

Francofurdii interregno electoribus Rom. Imperii in demortui Diui Maximiliani Imperatoris locum, Carolum nepotem ex Philippo filio Hiſpaniarum Regem, Romanum Auguſtum deſignantibus, finito, iubentibus nobilibus. An. M. D. XIX. pridie Calendas Iulii.

LEGATIO AD CÆSAREM CAROLVM V. HISPANIARVM REGEM, A PRINCIPIBVS ELECTORIBVS ROMANVM IMPERIVM EI DEFERENS: QVA FUNCTVS EST ILLVSTRISS. PRINCEPS FEDERICVS COMES PALATINVS IN MOLENDINO REGIO, VLT. NOVEMB. ANNO MDXIX. DICENTE BERNHARDO WVRMSERO IC.

TRadunt Philoſophi ac ſapientes viri, ſacratiſſime Cæſar, Auguſte ſerenisſime, ac inuictisſime, Hiſpaniarum Rex Catholice, potentisſime Princeps, ita hominum naturam comparatam eſſe, vt alios imperare, alios parere, & obedire neceſſe ſit. Sed ad hos imperandi dignitas ſpectat, qui ingenii acumine, virtutisque præſtantia, & conſilii magnitudine cæteros antecellunt, qui iuſtitiam complectuntur, & nihil magis quam communem hominum, ac Reip. ſalutem ſequuntur. Qui belli gloria & pacis tranquillitate, ita gubernandi rationem moderantur, vt nihil ſit, quod ab eis non laudabiliter ſplendideque geratur. Tales ſacratisſimos Romanorum Imperatores progenitores tuos ſerenisſimos ac potentiſſimos Reges anteceſſores ſplendidiſſimi ac glorioſiſſimi tui generis auctores, ac præcipue diuum Maximilianum, ſacratiſſimum Rom. Imperat. Auum tuum clementiſſimum, piæ ac præclariſſimæ memoriæ, qui & Rempub. Chriſtianam optime fulſit, & auxit, procul dubio ſemper fuiſſe cognouimus, ſemper te, quantum in hunc vſque diem noſſe datum eſt, & animaduertimus, atque per omnes ætatis tuę gradus comperimus, & multo maxime poſthac fore ſine dubio confidimus. Nullas denique res tibi deeſſe conſtat, quas ille oratorum Princeps Tullius optimo cuique Imperatori neceſſarias eſſe profitetur, ſcientiam rei militaris, virtutem, auctoritatem fœlicitatemque. Adhæc accedant pulcherrima tuæ naturæ lineamenta, egregia corporis tui præſtantia, ac habitudo. Quapropter ſacratiſſime ac inuictiſſime Cæſar, cum poſt diui Maximiliani ſacratiſſimi Romanorum Imperatorum aui tui, piæ & fœliciſſimæ recordationis, quem DEVS optimus, maximus, a quo cuncta procedunt, ex hac vita ſuperiori anno ſuſtulit, proh dolor, vniuerſæ Reip. Chriſtianæ luctuoſam ac doloroſam mortem, ſub interregno de morte Francofordiæ comitiis debite indictis, de totius mundi, ac Imperii gubernatore deſignando tractaretur, Reuerendiſſimi ac Illuſtriſſimi Principes Septemuiri, ſacri Romani Imperii Electores, omni denique virtute inſignes diuina prouidentia, integritate, ſapientia, D E I optimi maximi nutu, beneficioque, non ſine dextro quodam numine, ac obuia quadam fatorum beniuolentia, meritis ac virtutibus tuis iuſtiſſimo rectiſſimoque prudentiæ ſuæ examine, accuratiſſime circumſpectiſſimeque appenſis, in ſua ampliſſima, Illuſtriſſimaque ſeptemuira perfectione, abſoluto collegio, te Germanum Principem, tanquam inter idoneos pace & bello maxime idoneum, quique virtute ac fortuna cæteros omnes antecellas, te (inquam)

quam) Regem Carolum Maximum, vnanimi atque concordi suffragio votoque, in Romanorum Regem, futurum Imperatorem, totius orbis moderatorem, & huiuscemodi augustissimi Imperii molem subeundam, tolerandamque, merito designarunt, sublimarunt, Electionisque decretum in tuam personam edixerunt. Quod vt tuę sacratissimæ Cæsareæ Maiestati exhibeatur, offeratur, ac insinuetur, Illustriss. Principem Fridericum, Comitem Palatinum Rheni, Bauariæ Ducem, de te & progenitoribus tuis quam optime meritum, magnificum Paulum de Armsdorff, auratæ militię equitem strenuissimum, ac me, celsitudinis tuæ deditissimos obsequentissi- p. 159. mosque humiles seruitores destinarunt, ac deputarunt. Ob cuius fastigii assumptionem, ac posteaquam apud Germanos increbuit, Diui Imperii Principes Electores, omnisque Germaniæ nationis status augustissime Cæsar, quando nunc gaudio, quam admirabili ac ingenti affecti sint animorum lætitia, nulla vis ingenii, nullius eloquentiæ copia, nullius ornatissimæ orationis splendor explicare valet. Tuæ igitur sacratissimæ Cæsaris maiestati, Imperii Electores plurimum gratulantur, ineffabilem omnipotentis Dei gratiam comprecantur, vt tibi longa annorum curricula, Nestoream senectam, fœlicitatis incrementum, ac prosperum tribuat vitæ cursum, vt diuino consilio, ac tua prudentia, cum totius orbis commodo, hostibus tuis fœlicissime domineris, Respublica Christiana optime gubernetur, augeatur, ac infidelium immanitas superetur. Quippe sacratissimam Cæsaream tuam Maiestatem, verum ac potentissimum orbis dominatorem, Catholicæ propugnatorem fidei, Regem regum, Christianæ Reipublicæ stabile firmamentum, ac singulare refugium, Reuerendissimi Illustrissimique principes Septemuiri, Sacri Romani Imperii electores, te non modo Carolum magnum, sed & ter maximum, vt optimos ac obsequentissimos Imperii Principes decet, venerantur, tibi debitam ac congruam fidem, obedientiam, humile obsequium, honorem, ac amoris sinceritatem exhibent, pollicentur, & vt sub tua iustissima protectione prorsus ab omni iniuria, ac violentia defendantur, magnopere efflagitant. Se, suaque dominia, principatus, opes, facultates, erga tuam sacratissimam Cæsaream Maiestatem, cum humilitate gratiosissime commendatas esse cupiunt, atque adoptant. Præterea sacratissime ac inuictissime Cæsar, cum iam dicti Principes Imperii Electores, te Germanum Principem, dignum Imperio & merito iudicarunt, tibi tantam molem totius orbis ac Imperii moderamina, habenasque tradiderunt: superest si Christianæ Reipublicæ, si sacri Romani Imperii, si dignitatis tuæ ac communi omnium Germanorum saluti, ac honori consultum esse velis, vt sine mora versus patrium solum Germaniam tuam nobilissimam, quantotius iter arripias, vt ea præsentia tua illustrata, libera ab omni insultu, pernicieque hostili, prospere, fœliciter, gubernetur ac tueatur. Ad quod peragendum, sacratissimam tuam Maiestatem Reuerendissimi ac Illustrissimi Principes, sacri Romani Imperii Electores, omnisque Germaniæ nationis status maximo cum desiderio exhortantur, efflagitantque. Tuæ igitur sacratissimæ Cæsareæ maiestati hoc D. Imperii Electorum decretum cum humilima ac debita nostri commendatione exhibemus, offerimus, atque præsentamus. DIXI.

Sacratissime Cæsar, Reuerendissimi, Illustrissimique Principes Imperii Electores, Illustrissimo Principi Friderico hic præsenti, ac nobis, quædam secreta Imperii maximæ importantiæ, coram sacratissima Cæsarea maiestate tua ad partem referenda commiserunt, quæ suo loco & tempore, eidem congruo & opportuno explicabimus.

RE-

p. 160. RESPONSIVA ORATIO EXCELLENTISSIMI ET MAGNIFICI D. MERCVRINI ALBONEN. DE GATTINARIA, CÆSAREAE ET CATHOLICAE MAIESTATIS SVPREMI CANCELLARII, VTRIVSQVE IVRIS DOCTORIS MILITIS, HABITA POST PRÆSENTATIONEM DECRETI ELECTIONIS PARTE PRINCIPVM ELECTORVM SACRI ROM. IMPERII, DIE S. ANDREÆ, VLTIMA NOVEMBRIS M. D. XIX. IN MOLINO REGIS PROPE BARCHINONAM

SAcratiſſima Cæſarea & catholica Maieſtas, ex iis quæ nunc tum verbo propoſita, tum ſcripto oſtenſa fuere, iam imperialis aquilæ effigiem cernit. Quemadmodum enim ipſa Imperialis Aquila biceps figuratur, velut orientem & occidentem ſpectans, ſic oratio hæc, parte Principum Electorum ſtylo elegantiſſimo perorata, ipſumque electionis decretum ſcripto æditum, bicipiti tamen quadam principaliori ſententia concepta ac diſtincta videntur. Altera quidem occidentes ſolis tenebras afferente, dum luctuoſum diui Maximiliani Cæſaris obitum recenſet, atque commemorat. Altera vero orientis ſolis radios deſignante, dum ſacri Imperii reſtaurationem per huiuſce electionis decretum enunciat, atque promulgat. Si igitur caput primum amplectentes occidentem ſolem, ipſiusque Maximiliani Cæſaris obitum iterum deflere tentabimus, priuatam ſimul ac publicam iacturam reminiſcentes, conſolidatum quaſi vulnus renouare videbimur. Iſtudque Vergilianum nobis occurret, *Ante diem clauſo componet veſper olympo.* Quis itaque mors ipſa lacrymis, ſuſpiriis, ſeu ſingultibus nequeat reparari, reſtabit bene actæ vitæ ſolatium qua ab huius ſæculi ærumnis, ad perennem vitam aſſumptus cenſeatur, vt ſic non mortuum Maximilianum, ſed perpetuo viuentem, nec per eum occidiſſe ſolem, ſed ſui orbis curriculo in nouam ac veram lucem tranſiuiſſe dicamus. Secundum autem orientis ſolis caput, hunc videlicet vniformem Electorum conſenſum, in perſonam ſuæ Maieſtatis nulla ambitione, ſed diuino quodam nutu collatum. Licet iam per ſuos omnes procuratores, & nuncios acceptatus dicatur, ita tamen Maieſtas ſua ſuſcipiendum, ac complectendum duxit, prout Diuus Cæſar Auguſtus, qui primus ad Imperium, ſenatus, populique Romani conſenſu, aſſumptus fuit. Dum enim per Valerium Meſſalam a ſenatu miſſum is ſalutaretur. *Quod* (inquit) *fœlix, fauſtumque ſit tibi, domuique tuæ Auguſtæ, conſentiens cum populo Romano, te patrem patriæ conſalutat.* Glorioſam hanc ſalutationem Auguſtus nequaquam inſolenter accepit, ſed illacrymans ob pietatem, & gratiam ſenatus erga ſe, reſpondit. *Compos factus votorum meorum, Patres conſcripti, quid habeo aliud quam Deos immortales precari, vt conſenſum veſtrum in Reipublicæ quiete, & ſalute ad vltimum vſque finem perficere liceat.* Sicque profecto Maieſtas ſua ſacratiſſima Deo Optimo, Maximo, ipſiſque Electoribus ad id diuinitus inſpiratis, pro tanto munere (ne dicam onere) in ſe collato, gratias agens, id ſolum ab altiſſimo gratiarum omnium exhibitore expoſcendum cenſet, vt huiusmodi Electorum decretum, ipſumque onus iniunctum ita explere liceat, vt diuino ſatisfiat obſequio, Reipublicæ conſulatur, ſacrum Imperium reſtauretur, Chriſtianæ Religioni incrementum accedat, Apoſtolica ſedes ſtabiliatur, ipſa Petri nauicula diu fluctuans, in ſalutis portum deducatur, perfidorum quoque Chriſtiani nominis hoſtivm exterminatio ſequatur. Hincque ipſa Saluatoris ſententia impleatur, vt fiat vnum ouile, & vnus paſtor. Cum autem ipſis ſacri Imperii Electoribus pro re tanta non ſolum meritas gratias agere, ſed & debitas referre laudes iubeamur, lapideo quaſi ac impenetrabili ſigno obiecto, proprio ictu repercutimur. Dum enim has Electorum laudes prædicare conamur, eorumque prudentiſſimum conſilium, diligentem præteritarum rerum cognitionem, ac examinationem, æquam præſentium moderationem, nec non perſpicaciſſimam futurorum conſiderationem oſtendere

dere cupimus: cogimur profecto has Electorum laudes ad ipsius Electi repercussionem maturare, vtpote ex quo tanquam ex vero lumine, ipsorum quoque laus collustretur. Quid enim maiori dignum præconio Electoribus ipsis tribui posset, quam quod suo prudentissimo consilio, eum in Cæsarem diligendum censuerunt, quo nullus in vniuerso orbe maior appareat. Non maior (inquam) animi & cor- P. 161. poris dotibus, non origine ac sanguine, non amicis & fautoribus, non regnis & dominiis, non potentia & diuitiis, non militibus, aliisque gentibus bellicosis ad arma cuiusuis generis capescenda paratis, non equis & armis, bellorumque machinis, sine quibus bella geri nequeunt. Quid præterea laudabilius iis adscribi posset, quam quod ex ipsa præteritarum, præsentium, & futurarum rerum animaduersione, eum Imperatorem futurum decernerent, qui diminutum, ac fere exhaustum Imperium restaurare posset, qui implumem aquilam refoueret, renouaret, ac ad propriam naturam deduceret, qui præteritos antecessorum defectus suppleret, præsentem statum illæsum conseruaret, futuris quoque successoribus oportune consuleret. Quid tandem maiori laude dignum iis retribui posset, quam quod diuino ipso spiritu meruerint informari, & vna voce, vnanimi consensu, vniformique sententia, eum ad Imperii gubernacula assumerent, quem cernerent origine & moribus conformem, Germanum natum, & a Germanis parentibus ortum, ex ipsaque imperatoria stirpe genitum, ætate florentem, corpore præstantem, ac ad quodlibet armorum genus aptissimum, agilem, robustum, fortem, magnanimum, iustum, clementem, ac liberalem, bonis moribus indutum, cæterisque omnibus virtutibus plene refertum, ac ab omni vitiorum labe penitus alienum, in quo vis est magni animi, simulque extare videntur seniles mores iuuenili in corpore siti, vt sic eius ministerio, vtrumque tempus & bellorum & pacis recte posit gubernari, illudque Dauidicum impleri, vt iustitia & pax se inuicem deosculentur. Quanto vero magis huius rei magnitudinem spectamus, tanto magis laudandi vires deficiunt, quasi id opus non humanum, sed diuinum censeatur, quandoquidem Imperium a solo Deo institutum iura omnia testantur, quod & a prophetis enunciatum, & a Saluatore Christo nascente & moriente approbatum, & ab Apostolis prædicatum, & ab ipsis sacris Canonibus sancitum legitur. Faxit itaque Deus Optimus, Maximus, vt huiusmodi Imperium sub Carolo magno diuisum, & plurimum a Christianæ religionis hostibus occupatum, sub Carolo maximo valeat instaurari, ad ipsiusque viui & veri pastoris obedientiam reduci. Sicque electus ipse Cæsar noster fœlicior Augusto, & Traiano melior, qui iam nil aliud concupiscit, nil ardet amplius & appetit quam ipsorum Electorum votis pro viribus satisfacere, iis personaliter pro meritis correspondere, cæteraque Imperii membra visitare & fouere. Ipsas quoque solennitates de more institutas quamprimum perficere & obseruare, quod fauente altissimo proximo vere futurum sperat. Restat nunc, vt ad te Illustrissimum Principem Fridericum Palatinum Rheni Comitem, in Bauaria Ducem, tuosque in hac parte collegas, hic adstantes sermonem conuertam, id duntaxat enunciaturus, nil gratius vestro hoc aduentu Cæsari nostro contingere potuisse, tum inspecta horum qualitate, a quibus hæc legatio est iniuncta, tum etiam perspecta negotii vobis commissi excellentia, tum demum ex illa erga te Illustrissimum Principem intima beneuolentia, familiarique conuersatione, quam sua maiestas ab ineunte ætate, ab ipsisque teneris annis, tecum habuisse dignoscitur, qua te semper benigne complexus est, ob tuam in se fidem & obseruantiam diutius expertam, aliasque virtutes innumeras, qui etiam apud diuæ memoriæ Philippum patrem, & Maximilianum auum optime claruisti. Eo igitur quo antea solebas familiaritatis priuilegio, deinceps cum sua Maiestate vti poteris. Cumque reliqua secretiora Imperii negotia tibi commissa tractare volueris, præbebit maiestas sua aures gratissimas, teque semper ea, qua solet benignitate & clementia acceptum, commendatumque suscipiet. DIXI.

p.162. LITERÆ QVIBVS REX CAROLVS ELECTORIBVS GRATIAS AGIT, QVOD EVM AVGVSTVM DESIGNAVERINT.

CArolus diuina fauente clementia electus Romanorum Rex, futurus Imperator semper Augustus, ac Hispaniarum, vtriusque Siciliæ & Hierusalem & cæt. Rex, Archidux Austriæ, Dux Burgundiæ, Brabantiæ &c. Comes Flandriæ, Tirolis &c. Dominus in Asia & Africa &c. Reuerendissimo in Christo Patri, Domino Alberto TT. S. Chrysogoni S. Rom. E. presbyte. Cardinali & Archiepiscopo Moguntino, Sacri Romani Imperii Archicancellario per Germaniam, Principi Electori, amico, & Consanguineo nostro charissimo Salut. & omnis boni incrementum. Reuerendissime in Christo Pater, amice & Consanguinee noster, venit ad nos Illustrissimus Fridericus Comes Palatinus ad Rhenum, Dux Bauariæ, Princeps & Consanguineus noster charissimus & nunciata nobis legatione sua, Decretum Electionis quo Reuerendissima paternitas vestra, reliquique Principes Electores, nos Augusti titulis decorarunt, nobis tradidit, quod cum summum nominis nostri ornamentum, firmissimum regnorum nostrorum præsidium, & æternum quendam dignitatis nostræ splendorem, denique maximum qui regi deferri posset, honorem censeamus decretum, illud summa animi alacritate, gaudio, lætitiaque suscepimus, fuitque nobis in eo præcipue gratum, quod communi omnium consensu nos Cæsarem designaueritis, quod tanta verborum & sententiarum grauitate, nos ad celsissimum Romani Imperii solium euexeritis, vt earum pondere rei magnitudinem prope adæquasse videamini. Nos autem in primis optauimus, vt omnipotenti, cui omnia accepta referenda sunt, meritam pro vestro hoc munere gratiam, iustis honoribus & memori mente persoluere possimus. Deinde eum comprecati sumus, vt hanc imperatoriam potestatem, tam Reip. Christianæ vtilem, quam nobis decoram esse velit. Reuerendissimæ vero P. V. cæterisque principibus electoribus maximas gratias agimus, sed ita vt maiores etiam habeamus, ac nos vobis memoria huius beneficii sempiterna obstrictos fateamur. Hoc autem nobis tam vnanimi assensu vestro obligatis, præcipuo studio, cura, adnitendum putamus, vt sacrum Romanum Imperium ea iustitia, fortitudine & continentia, temperemus, vt æquissima mansuetissimaque imperandi ratione, vestrum in nos collatum beneficium vniuersis gratum, atque probatum faciamus. Ita enim Reuerendissimæ P. V. & reliquis Electoribus maiores gratias relatum iri existimamus quam vnquam agere, habere, aut referre possimus. Cæterum cum inter reliqua ex ipso duce Friderico Reuerendissimam P. V. Collegasque suos, miro aduentus nostri desiderio teneri hocque omnes vno ore contendere intellexerimus, licet omnia alioquin ad iter nostrum necessaria parabamus, vestris tamen iis communibus votis inuitati, ita nostrum aduentum maturare statuimus, vt celeritate eius, & itineris nos longitudinem, atque difficultatem exuperasse, & vestram expectationem præoccupasse, nostramque magnitudinem nonnihil neglexisse visum iri arbitremur. Datum ex Molino Regio, die sexto Nouembris. Anno domini M. D. XIX. Regnorum nostrorum Romani, ac Imperii primo, aliorum vero quarto.

IN SIMILI FORMA, MVTATIS MVTANDIS, AD RELIQVOS ELECTORES SCRIPTVRA FVIT.

CHARISSIMO IN CHRISTO FILIO NOSTRO CAROLO ROM. ET HISPANIARVM REGI CATHOLICO, LEO PAPA DECIMVS.

CHarissime in Christo fili noster Salut. & Apostolicam bened. Literas maiestatis tuæ, quibus personam suam in Regem Rom. concordi vnanimique S. R. Imperii Electorum consensu, electam fuisse significabant, in consistorio nostro secreto,

coram venerabilibus fratribus nostris S. R. E. Cardinalibus legi fecimus, quæ talem prudentiam modestiamque præferebant, vt non solum a nobis, verum & omnibus Cardinalibus eadem maiestas tua plurimum laudata, & commendata fuit. Nouit ille, qui scrutator est cordium, & cognitor secretorum, quo animi gaudio, quanta cordis lætitia exultauerimus, gratias agentes gratiarum omnium largitori, qui cum sit magnus, nec magnis, magna gloriosus operatur in minimis, & superbos terræ humilians, vnde timentibus gratiam tribuit & honorem. Habita igitur super iis, cum vniuersis fratribus matura deliberatione, vt pro tam fausta fœlicique electione illius, auctori Deo gratias ageremus. Missam de Spiritu sancto, qui Electorum corda illuminare, ac in tuam Maiestatem dirigere dignatus fuit, in sacello nostro, in p.163.
quo nos & præfati Cardinales interfuimus, per vnum ex eisdem Cardinalibus solenniter celebrari, ac per almam Vrbem nostram ignes, & alia lætitiæ signa fieri iussimus, in eo, cuius vices in terris (licet immerite) gerimus, confidentes quod ipse cui omnia & futura præsentia sunt, eximias virtutes omnes quæ tam in materno, quam in paterno auo tuo fuerunt, in te vno clarissimas fore, præuidens te fidei suæ firmissimum futurum præsidium, vtriusque aui titulis ac honoribus decorare, eorundemque Imperii ac regnorum potentatum, & viribus augere merito voluerit. Sperantesque quod tu Euangelici dicti memor, quanto plura in hoc, & maiora in hoc mundo ab ipsius mundi creatore te adeptum fuisse cognoueris, tanto humiliorem te reddes, cogitabisque vna cum magnis honoribus, magna & laborum onera, ingentemque curarum molem subiisse, non solum pro Ecclesia matre tua cuius & sanctæ Apostolicæ sedis factus es aduocatus, omnisque Christianæ Reipublicæ quiete ac pacificatione conseruanda, & liga inter Maiestatem tuam & alios Reges ac Principes cuius nos caput esse voluistis, inuiolabiliter seruanda. Verum etiam Mahumetica secta penitus eliminanda, quæ omnia sane difficilia, atque ardua efficere, nostrasque & omnium spes de te conceptas, facile implere poteris, si vanis cupiditatibus posthabitis atque contemptis, tuos in dominum cogitatus direxeris eiusque præcepta & mandata præ oculis & animo semper habueris. Ille enim per quem reges regnant, & Principes imperant, principatus tui solium confirmabit, & dabit tibi virtutem & fortitudinem, quibus populos curæ tuæ creditos, tranquille regere & gubernare, inimicis autem resistere, Christianamque fidem sicut prædecessores tui fecerunt, non solum seruare, sed & propagare, & quæ semper nobis pollicitus fuisti, re ipsa præstare atque implere poteris. Tu ergo charissime fili noster, cuncta quæ habes, & posides a domino bonorum omnium largitore, vt par est, recognoscens teipsum præpara, vt tam pro claris continentibusque dignitatibus, & honoribus quibus præter cæteros elucescis, & micantissimi sideris instar coruscas, propriis virtutum meritis parem te reddas, illisque dignus iudiceris. Quod si (vt speramus) feceris, te in summo Maiestatis fastigio positum omnes admirabuntur. Indeque nomini tuo præconia veræ laudis accrescent, & ab altissimo Rege (cui puero Reges venientes de Saba plena deuotionis munera obtulerunt) remunerationis æternæ tibi corona proueniet. Nosque Maiestatis tuæ incrementa non spiritualibus tantum, sed temporalibus etiam fauoribus, & gratiis promouere studebimus, sperantes in domino, quod nostram, & dictæ sedis dilectionem, paternamque beneuolentiam, tu tanquam gratus ac deuotus filius, corde semper atque opere promereri curabis. Datum Romæ apud S. Petrum, sub annulo Piscatoris. Die XVI. Augusti. M. D. XIX. Pontificatus nostri anno septimo.

Euangelista.

REVE-



p.164. REVERENDI IN CHRISTO PATRIS DOMINI PETRI SVBMONTANI ABBATIS DVNENSIS VNA CVM CLARISSIMIS HEROIBVS DOMINO LODOYCO A FLANDRIA GANDAVORVM PRÆTORE, DOMINO GVIDONE BLASFELDO, ET NICOLAO BOVSINGO, IN HISPANIAM AD CATHOLICVM REGEM LEGATI,

ORATIO PARTIM CONSOLATORIA, PARTIM GRATVLATORIA.

LVDOYCO HERTALDIO AVDOMARENSI SVVS BELLOCASSIVS SALVTEM.



Onstitueram omnem vigiliarum nostrarum suppellectilem, publicum iam diu auentem, nomini tuo propediem consecrare. Verum ita voluere fata, vt iis adhuc in scrinio conclusis, aliud prodiret quidpiam nouum. Nouum certe, sed infelix: vt cui iam recens nato, nec vrsino more a parente lambi, nec absolutius a labente efformari per mortem licuit. Eatenus vero felix, quod pro patre optimo tu illi obtigeris tutor optimus. Tutor me hercle, qualem vel pupillus quiuis desideret. Acer scilicet atque pius: qui nec maiori pietate, nec acrimonia tuos ipsius fœtus quam alienos ames & defendas. Cæterum quo notior dilectiorque parens nobis fuerit, eo solet illius esse fœtura iucundior amatiorque. Iucundus tibi olim parens, sed iucundior illius erit fœtura: duplicem nimirum ex ea fructum percepturo, quod videlicet dum illam audies, patrem adhuc loquentem credes. Defensione porro strenuiore non vsque adeo opus erit: quum (vt audio) tam Celtiber quam nostrates vtroque laudarint pollice. Rabulas, Sycophantas, ardeliones, Ludimagistrum illum denique, quem mens intelligit, non facio pili, quibus indifferenter bona displicent & mala. Suffragia subinde nostra de Imperio Hispaniarum Regi designato, postridie lusa, quam nuncius ex Alemannia Barcinonem aduolitabat, precor vt eadem pietate, eadem seueritate tuteris. Nec me absterret, quod tu forsitan nunc mihi, qualiter olim Euripides respondit Alcestidi: Vno scilicet die lusa suffragia, vno die peritura. Ideo & enim lusa, vt si famam nomenque illustre merentur, id assequantur. Sin autem minus, vt nec dum credat me mutum, qui mutum fecisse gloriatur, quod secum amplius rixari noluerim. Quo cum (ita me Dii ament) in gratiam redisse semper sum arbitratus, donec iterum viderem dentes ex obliquo in me acuisse. Sed abeat, indignus cui Comes Dyonis gry respondeat. Vale. Brugis, Calend. Febr. anno M D XX.



Tsi omnis Gallia Belgica, Rex Catholice, dextera rerum tuarum foelicitate non parum gaudere ac lætari debet, id quoque asſidue & in ſinu & palam factitat: Flandria tamen tua non ſatis id eſſe rata, peculiari quadam & propria geſtiens lætitia, a ſedibus ſuis pene commota ſua tibi voce gratulatum venire niſa eſt. Verum enimuero quoniam id illi a natura negatum eſt, nos ad Celſitudinem tuam publicæ gratulationis Oratores, & ſui quo ad eius fieri poterit commendatores, horſum curauit transmittendos, vtpote qui munus hoc alacriter obeuntes totius patriæ vices adimpleremus. Sed quid imbecillus ego aggredior? Quid anteaquam meo me pede menſus ſum, imprudens attento? Quid adimplere polliceor, quod dum inceptare molior, in portu impingo? Non fuit certe huius loci authoritas homini in dicendo tam parum exercitato contingenda: quo nihil quam perfectum ingenio, & elaboratum induſtria afferri oportet: niſi benignitate tua, magis quam ingenio meo fretus, idipſum auderem. Grandes enim materias ingenia parua non ſufferunt, & in ipſo conatu ſubinde ſuccumbunt. Grandis imo ingens hæc eſt materia quam aggredior, vt quæ Tullianum eloquium & torrentem Demoſthenis exigit facundiam. Ingenium autem (ſi quid in me eſt) perquam exiguum id ſane, viresque tenuisſimæ. At in magnis ſat eſt voluiſſe, etiam ſi aſſequi nequiueris. Proinde auſa hæc noſtra, deficientibus etiam viribus, Maieſtas tua non improbabit. Cæterum non inceſſit mihi vnquam cupido laudum tuarum Panegyricum texere, & eas quaſi ab incunabulis ipſisque crepundiis auſpicari: non ſtemmata generoſisſimæ ſtirpis tuæ a ramo milleſimo deducere, non fortunas luculentisſimas, non dotes corporis excellentisſimas, neque ipſa denique animi bona, quæ in homine principalia ſunt, omnia ſigillatim enarrare: verum ſuperficie tenus & ſupremis duntaxat labris deguſtare. Porro vereor ne dum in ſpatioſisſimum laudum tuarum pelagus expasſis & plenis (vt aiunt) velis excurrerem, pudicas aures tuas multo magis læderem quam oblectarem: modeſtia enim tua virtutis actione contenta, bene agere mauult quam audire. Sed qui bene agit, bene audiat neceſſe eſt. Virtuti ſiquidem ſemper fuit Comes gloria, & quo magis ſpernitur eo magis inſequitur. Facile ergo amplitudo tua patietur in eo ſuperari, in quo vinci longe præclarius eſt, quam viciſſe. At ne dum præconiorum tuorum progymnaſmatis immoramur, gratulationis obliuiſci, & perturbato ordine omnia perſequi videamur, laudes dilaturi gratulationem aggredimur. Gratulamur itaque tibi, Rex Catholice, quod per tot vndantes marium fluctus, per tot immanes ſcopulos, per tot rerum diſcrimina Neptuno Æoloque ſecundis in Hiſpaniam feliciter adnauigaris. Quorum tametſi proſperitatem inuidens Vulcanus interturbauerit, effeciſſe arbitrandum eſt, vt ingenii tui periculum faceret. Explorauit equidem animum, non infregit: quum ſcilicet e Zelandia nauiganti ignem ſalnitro * ſollicitauit. At qui nemo vnquam tam felix, cui non aliquid contigerit in vita mali. Gratulamur & toti Hiſpaniæ, cunctiſque tuæ ditioni ſubiectis populis: quibus tu videlicet diuina prouidentia Rex datus, vt illos ab hoſtium quorumcunque incurſu ſecuros præſtiturus. Gratulamur quoque nobis ipſis, hoc eſt ipſi Flandriæ, priuatis quibusdam gratulandi cauſis. Quod ſcilicet in ea natus, ** naturæ tibi primordia acce-

p.165.

---

* Intelligit fatum illud, quod x. Auguſti, ex Selandia in Hiſpaniam ſoluens, fuit expertus, dum nauis fortuito caſu incenderetur. Deſcribit illud Petrus Martyr *ep. D X C I X. & D C III.* & Fugger *Spiegel der Ehren lib. VI. c. XIX.*

** Gandauum Caroli V. patria. Quare ipſi in foro ſtatua, cum hac inſcriptione fuit erecta, *D. Carolo V. Imp. Cæſ. Aug. Pio. felici. Turc. Germ. Gall. Ital. Hiſpan. Sicil. & Ind. Regi, Flandriæ Comiti, P. P. Sac. Imp. Vindici, quietis auſpici, D. N. Principi potentiſſ. victori ac triumphatori perpetuo Magno. Maximo vniuerſi Chriſtiani orbis bono, Deo volente, cælo fauente, huic vrbi ſuæ Flandr. Max. feliciter innato.* Ludi. Guicciardini *deſcr. Belg. pag.* 340.

ceperis, primos in ea vagitus emiseris: in ea quoque tenerrime educatus, in virum omnibus numeris absolutum excreueris. Quamobrem si verum est, quod natalis soli dulcedine cuncti allicimur, id de te sperare datur, quod in Vespasiano Cæsare completum videmus, cui Cosana villula, solum suum natalitium, *** adeo in deliciis fuit, vt ne Imperator quidem vnquam desierit frequentare: in qua itidem nihil mutare passus est, ne quid oculorum consuetudini deperiret: sat causæ ratus quare illum locum omnibus aliis anteponeret, quod illic primum vagiisset. At longe charior tua tibi Flandria, quam illi Cosana: quod ex ea omnium terrarum tuarum prima omne tibi aliud regnum quasi ex germine quodam pullularit. Hæc siquidem primum sola, tot sibi nunc Comitatus, aut Ducatus, tot regna hymenæo prosperiore asciuit: vt qui illius Princeps est, omnium fere Principum princeps sit: Cui scilicet sine controuersia ortus paret & Occasus, quem Hierosolymæ pariter nouerunt & Indi. Cuius etiam solum nomen formidant Ethnici, venerantur Christiani. Tanta nominis illic est formido, tanta nominis istic est

p.166. reuerentia. Sanguinis autem ingenuissimam stirpem non est qui non stupens suspiciat, amet, veneretur: vt qui hinc auo proauoque Cæsaribus, hinc Regibus nobilitatem profecto hereditatem ex Hispanica pariter & Austrica domo susceperis. Vnde si quis altius inquirat, tot Heroes prodiere, quod nec Iasonis Argos, nec equus ille Troianus profudit vnquam. At dum auum illum memoro, vulnus omnium acerbiter refrico. Eo quoque acerbius, quo inflictum est recentius. Verum neminem vnum esse arbitror, cui non sit Cæsaria memoria tam grata, quam vita fuit iucunda. Dolor subinde intus exhulcerans, velim nolim, in vocem erumpit. Quamobrem verissimum illud Tullianum est, Difficillimum tacere cum doleas. Eo quidem difficilius, quo doleas verius. Vere nos lugemus, vere dolemus, vere conquerimur. Maximilianum amisimus, Cæsarem amisimus, Patriæ patrem amisimus. Quo me hercle post Deum Optim. Maxim. nihil amabilius. Equidem nihil Deo similius quam Princeps bonus. Qui item non modo eorum hominum qui nunc sunt gloriam, sed etiam antiquitatis memoriam virtute superauit. Qui ea omnia quæ in summo Imperatore esse oportet, ita possidebat, vt nihil deesset. Cui scilicet rei militaris scientia, cui virtus, cui authoritas, cui felicitas: labor autem in negotiis, fortitudo in periculis, industria in agendo, celeritas in conficiendo, consilium in prouidendo, tanta in hoc vno fuere, quanta in omnibus reliquis Imperatoribus, quos aut vidimus, aut audiuimus, non fuerunt. Testis est Bohemia, testis Germania, testis Gallia, testis Italia; testis denique futura fuit infidelitas, nisi fatorum præmaturitas obstitisset. O fatorum atrocem properantiam. Excutiendum tamen istud animorum omnium vulnus, quandoquidem hæc conditionis humanæ sors est. Quæ quanto magis omnibus est æqualis, tanto fortiore animo perferenda. Quem quoque ex hac lachrymarum valle ademptum ploramus, pro summa sua pietate in Deorum numerum indubitanter est relatus, leuior subinde mors illius nobis esse debet, quod te, ornatissime Princeps, post se reliquerit, regnorum pariter & virtutum suarum ex æquo heredem: imo regnis regna, virtutibus virtutes adcumulantem. Perspicitur enim multis argumentis cœlestis quædam indoles animi tui: quæ nihil humile, nihil non eximium atque excelsum spectat: vt facile sit videre segetem illam quæ in hac ætate multipliciter pullulascit, maximam virtutum frugem productum ire: quas medius fidius quasi genuinas habere crederis, & quæ nimirum tanto nobiliores videntur, quanto nobilior ille est in quo enitescunt. Quas in te, Rex Catholice, tanto lucidiores, illustriores & augustiores existimamus, quanto inter reliquos Principes magis elucescis. Elucescis autem tantum, quantum inter ignes Luna minores. Tot siquidem virtutibus micas, vt si

*** Non tam solum fuit natalitium, quam quod ibidem educatus. Suetonius *Vespasiano cap. II.*

de vna dicere occipiam, omnes cateruatim ſeſe ſint ingeſturæ, & quaſi inuicem certaturæ quænam prima expromatur. Ita quælibet ſe feſtinabunda offeret, ita quælibet prima eſſe volet. Quod ſane hæſitantem me & cunctabundum facit. Namque ſi de prudentia dixero, grauiter feret iuſtitia ſe poſtponi. Si de liberalitate, dolebit frugalitas. Si de clementia, indignabitur ſeueritas. Denique quamcunque arripuero primam, primum illi locum cæteræ inuidebunt. Ita tamen elaborandum, vt ſingulis quod ſuum eſt aliquatenus tribuiſſe videamur: ita ordiendum vt quæ prima eſſe debet, primum prodeat. Prima igitur prodeat prudentia, cæterarum (vt ait Plato) virtutum Dux, quam adeo, Rex prudentiſſime, amplexaris, vt ipſa peculiaris amica tecum eat, tecum ambulet, tecum vigilet, tecum pernoctet, nunquam abs te tranſuerſum digitum recedat. Hæc regnorum auriga, & cunctarum rerum ductrix prudentiſſima: cuius lateri tam pertinaciter adhæret Germana ſua iuſtitia, vt alteram ab altera diuellere non poſſis. Qua ſine, Rex Regis nomen amittit, & in Tyranni nomen tranſgreditur: quæ procul dubio virtutum regina, & ad quam nos eſſe natos intelligere debemus, qua hortatrice ius ſanctiſſime dicis, omnia in æqua bilance penſitas, lites componis, negotia decidis, & citra cuiuſpiam odium aut amorem mortalium deſideriis abunde ſatisfacis. Fortitudinem autem tuam nemo eſt qui non facile vel ex hoc vno diiudicet, quod ſicut in rebus ſecundioribus nunquam ſuperbus aut inſolens viſus es, ita in aduerſis nunquam animo infractus. Quanto vero tibi temperantia, vt qui in mediis deliciis delicias non amplecteris, inter voluptates abſtines: Inter illecebras frugi & caſtus es, non poſſum p.671 vere fateri. Niſi Numam, Curios, Fabricios longe te dicam antecellere? Illi etenim in paupertate collocati voluptates neceſſario eliminabant. Tu autem Crœſo ditior frugaliter viuis, genium coerces, bellum titillantibus voluptatibus indicis. Quadriga itaque illa virtutum principalium vectaris, quam licet pauciſſimis Deus dederat, dedit tibi: Dedit itidem & alias quamuis minores, ornatum tamen & monſtrabilem faciunt poſſidentem. Clementia enim quæ nullum magis addecet, quam Regem, vt in te ſumma ita in omnes paratiſſima, liberalitate autem, qua in Principe nihil amabilius, tanta eniteſcis, vt alia magis virtute nulla. Reliquas plus mille virtutes quæ in te vno ſunt, ſi omnes ſigillatim referre pergam, arenam profecto numerare magisque adulatoris quam oratoris munus impleſſe fortaſſis incuſer: aut (quod plerunque vſu venire ſolet) nimia prolixitate auribus faſtidium ingenerem. Quare finem dicendi faciam, ſi prius Flandriam tuam deditiſsimam, devotiſsimamque tuis ſemper votis, cunctis animi & cordis viribus ſuppliciter commendauerim. Quæ parens & nutrix tua pro corporis regnorumque tuorum incolumitate ſanguinem & vitam ipſam profundere parata eſt, eo quidem paratior, quo ad eam tutandam es propenſior. Quid opes loquar, vt quæ ad extremum teruncium quicquid habet, volenti libens impendit: nihil ſiquidem ſuum, nihil priuatum ducit, quod non & ſui Regis ſit. Virorum autem, & quidem Martiorum tam ſpontanea & profuſa largitrix, vt ex vnius Flandriæ prouentu copioſiſsimam itidem & bellicoſiſsimam aciem inſtruere poſsis. Sed abſit vt his opus ſit: vigeſimus enim agitur annus, quo in Flandria tua prognatus; Pacem tecum orbi noſtro inuexeris, quum omnia paulo ante domeſtico & externo Marte diu multumq; concuſſa fuerint. Bonum te naſci fuit, melius autem in longum ſeruari. Te namque prognato, prognata pax, reiecta arma, reſumpta toga, ſedatum bellum, Iani Templum occluſum. Vt vere illud Athenienſium verbum *amneſtia*, quo in ſedandis diſcordiis vti conſueuerunt, vſurpare tunc potuerunt & Flandri. Omnium enim iniuriarum te nato facta fuit obliuio. Te autem ſeruato, pax eſt ſeruata. Quod vt ſummum in orbe mortalibus omnibus bonum, ita Regibus ad regni augmentum longe præſentisſimum. Tibi igitur, Rex Catholice, Flandriam tuam ſic commendatum iri ſupplicamus, vt tam diu illi fœlix ac ſalutaris eſſe velis, dum ipſa pia atque officioſa eſſet volet. Tamdiu autem volet quoad fœlicitatis ſuæ non pœnitebit. Beneficia porro nec mino-

ra

ra nec pauciora expectat, quam olim a patribus tuis accepit: quin potius multo ampliora & frequentiora, quippe qui cæteros omnes beneficentia antecellas. Quidquid & vicissim obsequii, quicquid amoris, quidquid officii patriæ patrem a patria sua expectare oportet; id omne tibi de ea polliceare confidenter. Reliquum est vt Deum Optimum Maximum precemur, vt felix faustumque sit quidquid agas, quid cogites: vti quoque in sublimi regia tua sedens atque imperans, Nestoris annos procul excedas: quo videlicet Clientuli tui sub patrocinio tuo protecti diutina securitate perfruantur. DIXI.

HENRICVS GOEDEN I. C.

CONSILIO I.

ANno Domini M.D. XIX. Die XXVIII. Iunii Carolus adolescens, nondum vigesimum agens annum, Hispaniarum, Siciliarum & Ierusalem Rex, Archidux Austriæ, & Dux Burgundiæ, nepos Maximiliani Cæsaris ex filio Philippo, fuit electus, vt Dux Austriæ & Germano parente procreatus, in Regem Romanorum concorditer, cuius electionis fere solus fuit author fœlicis memoriæ Fridericus tertius Saxoniæ Dux. Fuit etiam eodem die idem Carolus mox hora nona pomeridiana proclamatus per sequentia verba:

Vacante nuper Sacro Romano Imperio per obitum quondam inuictissimi & Serenissimi Principis, & domini, domini Maximiliani Electi Romanorum Imperatoris, eiusdem sacri Imperii reuerendissimi, Illustrissimique domini Principes Electores, domini mei Clementissimi gratiosissimique eorundemque nuncii deputati, iuxta tenorem constitutionum Imperialium desuper confectarum, & hactenus obseruatarum, ad Electionem Romani
p.168. *Regis, futuris capitis Christianorum procedentes, & in præsentiarum ad honorem & laudem Dei Optimi Max. commodum atque vtilitatem ipsius sacri Romani Imperii, ac vniuersæ etiam Christianæ Reipublicæ incrementum, coniunctim & vnanimiter super eiusmodi electione conuenientes & consentientes, Serenissimum potentissimumque Principem & dominum, dominum Carolum Archiducem Austriæ, Regem Hispaniarum & Neapolis, &c. Dominum, dominum nostrum gratiosissimum Romanorum Regem & futurum Imperatorem censuerunt, pronunciarunt & elegerunt, in nomine Dei Omnipotentis, quam electionem vnanimem ac concordem pronuncio, & publico ego Laurentius Truchses de Bomersfelden, Decanus Moguntinus, nomine præfatorum meorum dominorum gratiosissimorum Principum Electorum, præfatum Dominum Carolum in Romanorum Regem, & futurum Imperatorem deinceps obseruandum & honorandum.*

Laurentius Truchses de Bomersfelden, Decanus Moguntinus, nomine Alberti ex Marchionibus Brandenburgensibus, reuerendissimi Moguntinensis Archiepiscopi, ad populum recensuit.

IN MAXIMILIANI CÆSARIS AVG. FATVM, ELEGIA

STEPHANI COMITIS BELLOCASSII.

*HEptiduum * plorant alii corpusque deurunt*
Octauo, nono contumulantque die.
Funebres agitant per mœsta nouendia ludos,
Quos Hercles magno constituebat auo.
Indefleta alii sub aperto corpora cœlo.
*Proiiciunt ** canibus dilanianda feris.*
At quos extinxit Mauros, aut triste duellum,
Iis laus & magno fœnore crescit honos.

Magno

* *Septem diebus domi plorabantur, octauo vrebantur, nono sepeliebantur. Nouem diebus ludi fiebant, quos Hercules Pelopi atauo primus instituit.*

** *Massagetæ morbo pereuntes canibus proiiciunt, quoquomodo interfectos honorant.*

Magno alii liniunt, & odora opobalſama fundunt, p. 169.
Fragrantes foſſo cooperiuntque ſolo.
*Hic conductitium cantillat præfica *** carmen,*
Et reſonat triſti nænia mœſta domo.
*Illic ferales ſuſpendit porta cupreſſos, *****
Hic pullo, hic albo corpus inane tegunt.
Hic ludunt, ſpargunt flores, faciunt ſacra Diti: †
Atque epulum magno pulchriter ære parant. ††
At modo quis luctus, quæ nunc querimonia? quis mos?
Quis ritus? quæ nunc pompa ſat eſſe queat?
Heptiduum plorare parum eſt: heptennia ſeptem
Vix ſatis, ad tumulum nullaque pompa ſatis.
Heheu occurrit, vetat heu edicere mœror.
*Occubuit, plus fari * dolor ipſe vetat.*
*Ille (inquam) occubuit tetragoni ** gloria mundi.*
Ille Europeæ Rex dominusque plagæ.
*Nec mœror, nec Muſa ſinit mihi dicere nomen, ****
Ille (inquam) ſigno cui Iouis ales erat.
Qui Mariæ coniux, Caſtellanique Philippi
Progenitor, Carolique Arragonenſis auus.
Qui duro Mauorte ferox, qui pacis amator:
Qui ſtudioſus erat, relligioſus erat.
Ad ſummam, cuius laudi nil æmula lingua
*Demere, nil fautrix adcumulare queat. **
Occubuit tamen, & fatis conceſſit acerbis.
Nil Mars, Pax, Virtus, Religioque poteſt.
Omnibus hæc calcanda via eſt: morti omnia ſubſunt.
Poſt mortem Virtus Relligioque valent.

ORATIO AD DEVM PRO CÆSARE.

Hunc altis dignare tuis o Iupiter aſtris,
Qui tota in terris alite dignus erat.

QVOD AQVILA IN PARADISVM E NOSTRO ORDINE AVOLAVERIT, IUVENTVTEM RENOVATVRA.

Heroicum.

*SVrgit ** in eois hortus præruptior oris,*
Vndique Neptuno cinctus, longoque furentis
Oceani tractu noſtro ſemotus ab orbe.
Culmine contendens cœlo, qui Deucalionis

Allu-

*** *Præficarum & neniarum vſus apud Romanos.*
**** *Cupreſſus arbor Diti ſacra.*
† *Cadauera amiciebant viri atro femina albo*
†† *Tribus rebus Manibus ſacrificabant ſacrificando Diti, ſpargendo flores tumulo, ludos & epulum dando.*
* Plus fari *ſignat edictum, melius quoque quam* fari plus: *ut ſcilicet per abruptum ſaliat carmen & deſignetur fletus.*
** Mundus tetragonus *id eſt quadrangularis, oriens, occidens, borealis, meridionalis.*
*** Maximilianus, *integrum vocabulum hoc carmen ingredi non poteſt.*
* *Hoc fere de Virgilio Macrobius.*
** *Deſcriptio Paradiſi ex Auguſtino ad Oroſium.*

p.169.

Alluuio, atque itidem Noeis liber ab vndis.
Vi superum, irati nutu iussuque Tonantis
Protinus a primi morsu interclusus Adami.
Quo nulli fas ire hominum, nullique animantum: At
(Verius oraclo Phœbi est) vix roscida nonam
Quadrigis reuehit coniunx Tithonia lucem:
Cum rumor, cum fama citis circundata pennis:
Longe ex Germanis ad Flandros deuolat oris.
*Huc aquilam tentasse aditum, Vesemisque ** profectam*
Luce duodecima Iani, post aeris ingens
Emensum spatium rapido penetrasse volatu.
Propositi illa tenax, æuo quoque fessa senili
Compositis serie pennis subsidit in vmbra,
Fons vbi, vbi leni demurmurat vnda susurro.
*Hic sese vt trino *** volucris Ioue digna remersu*
Abluerat, robur rediit, rediitque iuuenta.
At Paradisiaco sic ales grata magistro,
Atque e diuerso sic gratus Iuppiter illi,
Vt neuter facilem concedat ad ima regressum.
Ergo ales quærenda noua est, quærendus & alter
Qui Romanorum pugnax aquilophorus hostes
Contundat, qui iura colat, patriosque penates
Ille (inquam) quem Ganda tulit, quem Hispania nutrit,
*Carolus **** occiduo magnus dominator in orbe.*
Qui virtutem æquet patris, præcellat auitam.

p.170.

CARMEN HEROICVM STEPH. COMITIS BELLOCASSII, DE SVFFRAGIIS CÆSARIS CAROLI AD IMPERIVM.

Libera Cæsarei recinam suffragia sceptri,
Quando apicem imperii nactus post funus auitum
Regum deligitur Princeps, mundique Monarches
Carolus, Hispani pellucens gloria Regni.
At tu o Calliope, doctarum prima sororum,
Propicia aduenias, præbensque in carmina vires,
Mentem Laurigero dones agitarier œstro.
Est locus Arctoi gelido sub sydere cœli,
Clarum mercatu emporium, sedesque vetusta
Teutonicæ gentis, nec adhuc indigna Tonantis
Hospitio: vt quæ magnificis suffulta domorum
Structuris opibus, & claro ciue relucet:
*Et quæ frigiduli alluuio celebratior Istri, **
Nobile nomen habet nostro Francfordia seclo.
Huc (cum defunctus Cæsar crudelibus vmbris
Occubat, & rapto mœret Germania patre)
Longe ex diuersis mundi concurritur oris.
Huc Treuerus, Bauarusque, & Brandenburgius heros
Atque alii: quorum votis, quorumque cadisco

 Impe-

** *Aquila a Vesenis vrbe. XII. Ianuarii versus paradisum.*
*** *Aquila iuuentus renouata post trinam fontis immersionem. Noua aquila quærenda.*
**** *Carolus Hispaniarum Princeps aquilophorus fiat.*
* Francofurdum non Ister adluit, qui & Danubius, sed Mœnus.

Imperialis apex, & Cæsar clauditur alter,
Conueniunt, nouus vt si tandem Aquiloforus orbi.
Quis ita sollicito suspiria pectore ducens
Orphana rugoso loquitur Germania vultu.
Vos, quibus imperii arbitrium est, omnisque potestas
Cæsarei sceptri, testor per sacra potentum
Numina diuorum, ne ne pernicibus Euris
Verba feram: quin vota mei exaudite precantis.
Respice infaustum, & nostræ miserescite sortis.
Menstrosæ quintus Luna iam labitur annus.
Pars extrema hyemis dura, totumque trimestre
Ver abiit, primamque canis parat vrere messem,
Quod mihi viuendum pupillæ, & Rege carendum est. **
Quo sine torpesco, veluti sine Apolline mundus,
Vt sine fruge seges, veluti sine pectore corpus.
Eia agedum supero Cæsar reuocetur ab orbe,
Aut alius nostris veniat successor in oris,
Non armis, nec pace impar Maxæmiliano,
Qui Romanorum pugnax Aquiloforus hostes
Contundat, qui iura colat, patriosque penates.
Eia Germanis tandem succurrite rebus.
Sic effata, abiit presso inter labra susurro.
Seque suamque iri pessum sine Cæsare sortem.
Interea Mydicum feruente cupidine Regem
Occupat ambitio; *** *sacrique iniusta libido*
Imperii: at quamuis tandem molimine vano,
Ille tamen diploma frequens, celeresque veredos
Expedit: & multo captat suffragia Sole,
Pollicitis alios & diuite munere tentans.
Cursatur: nec equis, nec auaro parcitur æri,
Notaque perflato resonant passim oppida cornu.
Et cum tota vno lustretur machina Sole
Orbis tergemini, recipit Germania tantos,
Mirum vt sit totam non cæcutiscere gentem.
Ast incorruptam seruans Alemannica mentem
Integritas, nullo vendit suffragia dono.
Quin recti memorem, atque æqui, patriæque querela,
Non vnguem a vero certum est abscedere puncto.
Quare interregni supremum imponere finem
Sex tandem patribus, quos est penes ipsa potestas
Imperii, visum est, & promere vota cadisco,
Quis nouus ad tantas dignetur Cæsar habenas.
Ecce incorrupti templum, sacrasque Deorum
Accedunt aras: non qualiter ipsa vetustas
Augurio confisa leui, aut fallentibus extis,
Nec demum oraclis, vano vel Apollinis ori.
Ast illapsurum diuini in pectore flatus.
Imploraturi numen, dextrumque fauorem.

Libat

** Maximilianus Cæsare vita migrauit in Austria die XII. Ianuarii 1519. Sleidanus lib. I. p. 18. Carolus V. demum mense Iunio electus.
*** Franciscum I. Galliæ Regem intelligit.

Libat deinde Joui corpus Christique cruorem,
Et peragit vero ritu pia sacra sacerdos.
Quis porro expletis mutum conclaue subintrant;
Illic consultant, & longo examine pendunt,
Quis patriæ Princeps potior, mundique Monarcha;
Quis vel in aduersos pugnet felicius hostes,
Vel quis iura colat, vel Diuos sanctius oret.
Vt tandem ad viua ventum est suffragia vocis,
Omnes stantur idem, fiunt concordia vota.
Consignant Aquilas Carolo: non aptior, aiunt,
Aut genere, aut æuo, fortuna, pace vel armis;
Omnia persimilis patri, patrisque parenti.
Scitum equidem est aquilas nunquam genuisse columbam,
Interea plebs omnis auens ruit agmine denso,
Scitatumque venit, data cui suffragia, quis nam
Romanas aquilas pictis gestaret in armis?
Num parere iugo decretum, cuius imago
p. 172. *Et falsus regni titulus concisus in ære.*
Quem spes Romanum nimium cito credula Regem
Effecit, non magnorum suffragia patrum.
An qui Belgarum Princeps, dominatur Iberis.
Tandem secreto penetrali publica prodit
Fama, peregrino prognatum sanguine Regem
Nunquam Romano leuiter succedere sceptro.
Verum Cæsareo Carolum qui nuper ab ortu
Venit, ad Imperii delectum culmen auitum,
Protinus exultant animi, pia cura recedit
Plebis sollicitæ, facies nitet omnibus vna
Lætitiæ: ceu cum noctem caligine densam
Roscida purpureo lustrat Pallantias ore.
Carole io, Germania io: nil concauus æther
Præter io resonat, resonando lassa fit Echo.
Mittitur Hispanas leuis inde veredus ad oras,
Ad Pyrenæos vbi regia Barcino montes
Irreflui * *portus Neptuni Rege superbit.*
Huc (medium emensus spacium, callesque viarum
Non vnquam somniue memor, placidæue quietis)
Sub galli cantum decurrit: quando profundo
Lumina adhuc conclusa iacent, & victa sopore.
Grata sed inflato perrumpens somnia cornu
Cancellum aduolitat: bulgam & diplomata tradit.
Mox ille augurians læti esse diplomata nuncii,
Pulsitat audaci digito Regale cubiclum.
Admissus diploma offert, diplomate lecto
Rumor per totam celeber circumuolat vrbem
Integris patrum votis, fatoque Deorum
Romanas aquilas vltro venisse potenti
Flandrorum Carolo. Læta omnis Barcino somnos
Excutit, acceptat ludos, Epinicia cantat,
Æmula Parthorum iactis certamina cannis

* Mare enim in portu Barcinonis non refluit.

Concelebrat, celeri pugnans fugiensque caballo
Ille inscendit equum, conclusoque arctius ore
Factitat Harpocraten, dum vota exoluit Olympo,
Et septemgeminam visu contingit heremum.
Mons vbi serratus contendit vertice cœlo,
Lucentes alius gaudens circumsilit ignes,
Cum Nymphis choreas nectens, choreasque renectent.
Inde ordo sexusque omnis conclamat ad auras,
Rex viuat, viuat Cæsar, Carolusque triumphet.

AQVILÆ IOVIS NVNCLÆ NVNCIVM.

Deportat cœlo lætans Iouis ales ab alto:
Carolus ima regat, Iuppiter alta reget.

CAROLI CÆSARIS AVGVSTIS. APOPHTHEGMA.

Vis vltra. ast vltra non est quo progrediaris. p. 43.
Nil vltra est aquilas Imperiique decus.
Vis vltra, vsque vltra vitam tibi proroget æther,
Virtutemque vltra Carole semper ames.

AD CAROLVM.

Vno conueniunt Aquila & Leo Carole signo,
Quos indiuiduus nascitur inter amor.
Nunc viuunt, regnant pariter, pariterque triumphant
Princeps & Princeps, aeris atque soli.

AD DOMINVM FIENNVM.

Barcino dum planis celebrabat Equiria campis,
Hinc laudis punctum clare Fienne refers.
Nunquam Romano luctatum ita Martis in agro,
Nec post, nec quando Romulus ipse fuit.
Immo si nostrum redeat Gradiuus in orbem,
Herbam Gradiuus porrigat ipse tibi.

AD STEPH. COMITEM BELLOCASS. CARMEN IOANNIS LACTEI LVDIMAGISTRI IN VALLE MONTIS ARENOSI GANDAVI.

Es doctus, lepidus, probus, disertus,
Facetus, generosus, elegansque:
Es vates: es homo omnium horularum.
Quid non? es Stephanus Comes, vel vltra
Notus sidera: vis ne plus honoris?
An non te Stephanus satis coronat,
An non laurea quæso laurearum,
Qui cum nomine lauream tulisti?
Ast te dissimulas, premis tegisque,
Infra deprimis infimosque vates.
Vere more hominum, sed elegantum
Paucorumque facis, Comes mi amice.
Vtut dissimules tamen premasque,
Nequicquam in patula area latebis.

PETRI

PETRI ÆGYDII
HYPOTHESES
SPECTACVLORVM
CAROLO IMP.
ANTWERPIÆ EXHIBITORVM.

LECTORI SALVTEM!
BURCARD GOTTHELF STRUVE



Etrus Ægidius, siue Gillius, vt verbis Valerii Andreæ vtar, I. C. nascitur Antwerpiæ circa annum a nato CHRISTO M. CCCC *LXXXVI patre Nicolao Ægidio, vrbis Quæstore. A teneris annis innutritus liberalium artium studiis, ductorem ac directorem habuit Des. Erasmum, cui familiarissimus vixit, vt &, Thoma Moro, Conr. Goclenio, aliisque. Erasmus certe eundem in Adagio* Ibyci grues, *hospitem ac Pyladem suum appellat; alibi a doctrina & humanitate commendat: & apud Erasmum Thomas Morus lib. II. Epist. XVI.* Hominis, *inquit*, tam docti, faceti, modesti ac vere amici, vt peream, nisi eius vnius conuictum libenter mihi velim bona mearum fortunarum parte redimere. *Idemque Vtopiæ initio:* Pet. Ægidius, *inquit*, Antvverpiæ natus, magna fide, & loco apud suos honesto, dignus honestissimo, quippe iuuenis haud scio doctior ne an moratior; est enim & optimus & literatissimus: adhæc animo in omnes candido, in amicos vero tam propenso pectore, amore, fide, adfectu tam syncero, vt vix vnum aut alterum vsquam inuenias, quem illi sentias omnibus amicitiæ numeris anteferendum. Rara illi modestia, nemini longius abest fucus, nulli simplicitas adest prudentior. Sermone lepidus, innoxie facetus. *Hæc Morus candido in amicum candidissimum adfectu. Facile igitur vel hisce nominibus, morumque inprimis probitate, suis se ciuibus ita probauit, vt anno* CIϽ IϽX *demortuo Adriano Blict, qui primus fuit S. P. Q. Antwerpiensi ab Actis, consentientibus Senatorum omnium suffragiis fuerit suffectus. Affectus porro Erasmiani tum alibi, non vno loco, tum inter colloquia familiaria extat monumentum* Epithalamium *Petri Ægidii, quo Musas IX. inducit, sponso sponsæque Corneliæ dulci modulamine accinentes. Moritur Ægidius an.* CIϽ IϽ XXXIII *III. Idus Nouembris, annos natus plus minus XLVI, quem etiamnum superstitem nobis repræsentant libri, siue ingenii monumenta ab eo relicta.* Threnodia in Funus Maximiliani Cæsaris, *cum Epitaphiis aliquot, & Epigrammatum libello, Antvverpiæ 1519. 4. apud Mich. Hillenium & Tomo II. rerum Germanicarum cum Notis Iac. Spiegelii.* Hypotheses, siue spectacula, Carolo V. Cæsari ab S. P. Q. *Antvverp. edita ibid. 4.* Enchiridion Principis ac Magistratus Christiani siue Præceptiones *quædam ad docendos Principes ac Magistratus, e veterum libris Coloniæ 1541. apud Ceruicomum. In quo opusculo concinnando subsidiarias operas contulit Corn. Scribonius. Primus quoque edidit* Titulos legum ex Cod. Theodosiano, *Louanii, typis Theodorici Martini 1517. fol. Hoc autem scripto solennia spectacula describuntur quæ Antvverpienses post reditum Caroli V. ex Hispania in Belgium an. 1520. exhibuerunt.*

HYPOTHESES SIVE ARGVMENTA SPECTACVLORVM, QVÆ SERENISS. ET INVICTISSIMO CÆS. CAROLO PIO, FELICI, INCLYTO SEMPER AVG. PRÆTER ALIA MVLTA ET VARIA FIDES ET AMOR CELEBRATISSIMÆ CIVITATIS ANTVERPIENS. ANTISTITES (SVPERIS FAVENTIBVS) SVNT EDITVRI.

CICERO.

FIRMAMENTVM AVTEM STABILITATIS CONSTANTIÆQVE EST EIVS, QVAM IN AMICITIA QVÆRIMVS FIDES. NIHIL ENIM STABILE EST, QVOD INFIDVM EST.

PETRVS ÆGIDIVS CANDIDIS LECTORIBVS SALVTEM.



Orati ſunt nos aliquot inſignes viri, vt non argumenta tantum oſtentaculorum, quæ Senatus Populusque Antverpienſis Maximo Imperat. Carolo ſemper Auguſt. tam ob fœlicem ex Hiſpaniis reditum, quam augurium appetentis coronationis (vt vocant) vice triumphi exhibere decreuit, compendiolo congereremus, verum etiam elogia, ſententias, epodas, & diſticha paſſim in pegmatum faſtigiis, arcubus, hemicyclis, abacis, tympanis, & tabulatorum porticuumque hypopodiis ac baſibus, partim græce, partim latine ſcripta, maiuſculis characteribus exarata, minuſculis formulis excudenda traderemus: atque id operæ precium fore dicebant quod videlicet ſcioli & moroſophi barbaris literis aſſueti, omnia damnantes quæ minime intelligunt occeperant cornicari (nam quidam cucullati iam viderant) Romanum eſſe Græcum, & quod Græcum eſſet nonnulli affirmarent eſſe Chaldaicum, aliqui Arabicum, plerique Ægyptiacum & Turcicum. Quo quid vel ineptius? vel indoctius? Nos vero tam abſurda & ebria iudicia (etiam in minutiis iſtis) non ferentes, maluimus occurrere iſtorum tenebroſis erroribus aliqua lucernula quam ſpectatores in tanta mentis caligine verſari. Quocirca lectores candidiſſimi nomina perſonarum, inſcriptiones, diſticha & quicquid vobis (ſuperis fortunantibus) edituri ſumus, nunc (velut vmbram quandam) hilari fronte accipite, bonique interim, dum alia paramus, conſulite. Quod ſi pulchre ſpectaculis noſtris fuerit applauſum, totam pompæ ſeriem, alioqui magnificentiſſimam ordine literis prodemus, additis figuris, allegoriis, hiſtoriis, exemplis, & hierogrammatis, vt non temere hæc in ſcenam producta, calumniatores intelligant. Valete fœliciter.



SEQVVNTVR ARGVMENTA SPECTACVLORVM. p. 175.

Ex eodem.

HYPOTHESIS PRIMI SPECTACVLI.

PRimum pegma variis & picturis & ornatibus erit decoratum, inſpicientium oculos mirum in modum oblectans, in cuius proſcenio Vrbis Antuerpienſis Genius tanquam ludorum exhibendorum præfectus, & (vt ſic dixerim) anteſignanus, aduenientes hoſpites comiter excipiet. Pone quem tres lepidæ & hilares virgunculæ, quas Charites ſiue Gratias vocant, ab Heſiodo & Homero vatibus vetuſtiſſimis celebratæ, diffluentibus ſinibus eleganter amictæ, dextris iunctis, ſe inuicem contemplantes, altera manu aurea mala porrigent. Quarum prima Πασιθέα quæ & Euphroſyne, altera Ἀγλαΐα, poſtrema Θαλία dicitur. Cæterum cur laxis & nitidis veſtibus, cur dextris complexis, hilariter ſe inuicem reſpiciant, cur virgines & quidem iuuenculæ, cur aurea mala offerant, profluentius aliquando explicabimus, ſi modo fauor afflarit, & Charites ipſæ in nos quoque beneficia exerceant, ac gratia (quod dici ſolet) gratiam pariat. Sub intercolumniis vero Πίςις καὶ Ἔρως, id eſt, Fides & Amor, tanquam totius triumphi fontes collocabuntur. Quarum nomina iterum atque iterum tabulatis & abacis Latine, Græce & Hebraice erunt inſcripta hoc modo : FIDES ET AMOR, ΠΊΣΤΙΣ ΚΑῚ ἜΡΩΣ, אמון : ואהבה vt prorſus declaretur Inuiolabilis Fides & Amor incredibilis, quo perpetuo ſuos Principes Antuerpia non tam coluit, quam obſeruauit, & intelligant vniuerſi quicquid eſt ſpectaculorum, Fidem & Amorem Antuerpienſem poſuiſſe. Poſtremo in pegmatis faſtigio, hoc quod ſequitur elogium Romanis literis graphice. In abaco pictum erit.

DIVO CAROLO IMP. CÆS. OPT. MAX. SEMPER AVG. P. P.
OPTATISS. FOELICIBVS AVIBVS EX HISPANIIS REDVCI S. P. Q.
ANTVERP. GRATVLABVNDI POSVERE.

In arcu pegmatis ſcriptum erit.

ΠΊΣΤΙΣ ΚΑῚ ἜΡΩΣ ταῦτα πάντα ἐποίσαν.
Id eſt, *Fides & Amor hæc omnia fecerunt.*

In Hypopodio ſcriptum erit.

Genius Vrbis Antuerpien. Ad ſpectatores.

Paſce tuos oculos hoſpes gratiſſime. Sunt hæc
Aequis luminibus conſpicienda tibi.
Quicquid enim poſuit vobis Antuerpia. Sanxit
Incorrupta Fides. Gratia, mirus Amor.

Perſonarum nomina & Interpretatio. Genius Vrbis.

Πασιθέα id eſt Paſithea, quæ & Euphroſyne dicitur & interpretatur (Bocatio teſte) attrahens.
Ἀγλαΐα Aglaia eſt ſplendor, claritudo vel lætitia.
Θαλία Thalia eſt celebritas ex iuuenibus.
Πίςις Fides.
Ἔρως Amor.

PEG-

PEGMATIS SECVNDI HYPOTHESIS.

SAlutato iam Cæſare, & a Charitatibus Fide & Amore gratanter accepto, mox Iuppiter ille Homericus Μητιέτης medius inter Themin & Cratos, ſtellato ſolio miro ſplendore quaquauerſum coruſcante, ſublimis ſedebit, cuius iuſſu aquila, quam fingunt Iouis eſſe armigeram & geſtatricem fulminis, Autocratori ſceptrum flammas vndique euomens, in manu dabit. Porro, Θέμις honeſtatis dea, quam latine fas poſſumus interpretari, enſem, Κράτος autem quæ latinis potentia eſt, diadema aureum largietur. Huius ſpectaculi mythologiam ſi quis ſpacioſius velit tractare, nihil erit pulchrius. Equidem, quid aliud ſignificat ſceptrum ab aquila Iouis conſilio tribui quam imperium & ius, non niſi a Deo dari? Id quod Homero viſum eſt cum ſcriberet:

p.176. Rex vnus cui ſceptra dedit venerandaque iura Iuppiter. Quod ſit antiquitas paſſim principes deorum eſſe diſcipulos & filios ſcribat. Quin a Menandro, Princeps dictus eſt *imago animata Dei.* Præterea & ethnicos omittimus, nos veritatis filii, nonne Deus noſter Opt. Max. poſt exactos Iſraeliticos iudices Saulum elegit Regem & poſtea Dauidem vt nobis declararet, reges, non niſi ſuo nutu, terris dari. Hinc magnus ille Paulus ad Romanos ſcribens inquit, Poteſtatem non niſi a Deo eſſe. Niti itaque debet ſumma ope princeps, vt qui ſimulachrum Dei in terra gerit, qui & conſtitutus eſt a Deo, vt illi quam ſimilimus efficiatur. Iam quod ſceptrum ſit fulmineum: quid aliud ſibi vult quam inuictum & ardentem animum omnia difficilia penetrantem, & quicquid a recto declinet amburentem. Cur vero Themis gladium porrigit? niſi vt princeps nihil agat præter id quod fas eſt, & iura permittunt. Quod autem Cratos coronam profert, ſignificat coronas id eſt ciuitates quæ turrium & mœnium figuram habent non poteſtate eſſe opprimendas, ſed legibus conſeruandas, ac ita agnoſcant Principis poteſtatem, vt & humanitatem ſentiant & benignitatem.

In arcu huius ſcriptum erit græce.

Σκῆπτρον βασιλείας παρὰ θεοῦ δεξάμενος, σκέπτου πῶς ἀρέσεις τῷ ταύτην σοι δεδωκότι. Ex Agapeto.

Sceptrum regni cum a Deo ſuſceperis, cogitato quomodo placebis ei, qui illud tibi dedit.

In baſi vero hoc vaticinium.

Imperium Carolo tribuit nunc Iuppiter Auſtro.
Nimirum in terris Iuppiter alter erit.

Perſonarum nomina & interpretatio.

Iuppiter Μητιέτης id eſt, Metietes conſiliator.
Θέμις Themis, id eſt, fas, ſiue licitum, & eſt honeſtatis dea.
Κράτος Cratos ſignificat imperium vel potentiam.
Ἀυτοκράτωρ Autocrator hoc eſt qui per ſe poteſt, ponitur pro Imperatore.

Aduertendum eſt in vaticiniis eſſe comprehenſum Sereniſſ. Caroli nomen, hoc modo:

IMPERATOR CAROLVS AVGVSTVS

HYPOTHESIS TERTII SPECTACVLI.

POſt hæc erit pegma artificioſa pictura elaboratum, quod & oculos veſtros ſpectatores exhilareſcet. Hic enim Autocrator mundi gubernaculi, a Deo præfectus Ἀσέβειαν Aſebiam aſſociata ſibi fidiſſima comite, Ἐυσέβεια Euſebia, vbiq; terrarum eiectam pedibus protrudet. Quantopere vero deceat principes pietas, nemo eſt qui non nouit. Hæc autem vt Deo cultum, ita amicis, ciuibus, & patriæ beneuolentiam tribuit, quæ ſi principi perpetuo adhæreat, vt maxime fœlix ſit neceſſe eſt. Cæterum addimus Euſebiæ ſceptrum quali olim vſi ſunt Reges Ægyptii in ſummo ciconiæ figuram, in imo vero hippopotamum exſculptum habens.

Nam quemadmodum ciconia in Ægyptiorum hieroglyphis pietatem ſignificabat, quod videlicet hæc auis ſit maxime pia, de cuius pietate ſcribit Plinius libro decimo, capite vigeſimo. Et Petronius arbiter in fragmentis libri Satyrici hanc pietatis cultricem vocat. Quin & diuus Ambroſius Romanis hanc pietatis nomine fuiſſe honeſtatam prodidit. Ita Hippopotamus de quo & Plinius & Dioſcorides meminere, animal eſt truculentum, & impium: quod vbi adoleuerit, periculũ facit, an patre fortius ſit: quod ſi viribus præcellat, deuorat patrem, & matrem inire appetit. Prudentes itaq; Ægyptii hoc ſceptro demonſtrabant Regibus ſemper pietatem tanquam monumentum quoddam præ oculis habendam eſſe, vim autem, iracundiam, vindictam, atque id genus animi motus cohercendos, ſupprimendosque.

In arcu huius pegmatis ſcriptum erit.

Ὑπὲρ πάντα τ̃ βασιλείας τὰ ἔνδοξα, τ̃ εὐσεβείας τὸ στέμμα τὸν βασιλέα κοσμεῖ.

Ex eodem. *Super omnia quæ in regno præclara ſunt, pietatis ſtemma regem exornat.*

In baſi hoc vaticinium, primam nominis Caroli literam referens. p. 177.

Cæſar cum Carolo pietas regnabit, & atrox
Impietas pedibus ſtrata iacebit humi.

Perſonarum nomina & declaratio.

Αὐτοκράτωρ Autocrator iam dictum eſt.
Εὐσέβεια Euſebia eſt Pietas.
Ἀσέβεια Aſebia eſt impietas.

QVARTI SPECTACVLI HYPOTHESIS.

Nihil poterat conuenientius locari poſt Euſebiam quam virginum omnium perſpicaciſſima & ſolertiſſima Φρόνησις, id eſt, Prudentia: hanc geminis faciebus (vt Palladem illam Homericam) effinximus, ſignificare volentes Prudentiam vndique debere eſſe occultam, vndique circumſpicientem, huic pro geſtamine ſceptrum dedimus, in cuius ſummo poſitus eſt oculus, quod videlicet Ægyptii in ſacerdotalibus notis, Regis imaginem exprimentes, hoc ſceptro vitæ rectitudinem prudentiamque cum vigilantia eſſe coniungendam demonſtrare voluerunt. Hæc virgo omnium ſagaciſſima, & a Salomone ſapientibusque omnibus tantopere prædicata, ſeſe lateri Autocratoris accommodabit, & cum eo cathedram occupabit. Ἀφροσύνη id eſt inſipientia omnium vitiorum immodeſtiſſima ac ſtultiſſima e ſubſelliis exturbata corruet.

In huius ſima pegmatis ſcriptum erit græce.

Ex eodem. *Ἴσον εἶναι χρὴ πάντοτε τοῦ βασιλέως τὸ Φρόνημα.*
Aequalem ſemper eſſe oportet regis prudentiam.

In baſi hoc vaticinium.

Attollet rutilas tandem ſapientia criſtas:
Aphroſyne e regno præcitata cadet.

Perſonarum nomina & expoſitio. Autocrator.
Φρόνησις Phroneſis id eſt, prudentia.
Ἀφροσύνη Aphroſyne, id eſt, inſipientia, ſtultitia.

QVINTI SPECTACVLI HYPOTHESIS.

Quandoquidem ſine iuſtitia (vt inquit Cicero) nihil valet prudentia, & diuus ille Ambroſius in Hexameron, Prudentiæ, fortitudini, temperantiæ, malitiam, iracundiam, impatientiam, atque huius generis vitia plerumque eſſet admixta ſcribat, ſolam vero iuſtitiam cæterarum virtutum concordiam fulcire, non ab re nos facturos arbitrati ſumus, ſi Autocratori Aſtræam cœleſtem plane virginem hoc ſpectaculo, violentam tyrannidem pedibus calcantem, adiungeremus. Nam quemadmodum Aſtrea olim ferreo ſæculo mortalium ſceleribus offenſa, in cœlum ad Iouem confugit, (vt credula finxit antiquitas) ita nunc ſperandum eſt

ſub

ſub noſtro Cæſare Aurea ſæcula reditura, & Aſtræam terris iterum dominaturam. Præferet enim hæc virgo labarum ſcipioni deaurato ad fixum, in quo ſymbolum iuſtitiæ erit depictum, gladius ſcilicet quem ambiet corona, in cuius cuſpide ſtatera lancibus vtrinque dependulis eminebit.

Quid gladius? quid corona? quid librile? indicent, latius in triumphi deſcriptione perſcribemus, nunc tantum obiter nudam rei imaginem adumbramus, Tyrannidem finximus peſſundatam, beluam omnium teterrimam, maximeque principibus deteſtandam, capite ſerpentibus, draconibus, viperis obuincto terribilem, ore hiulco, dentibusque auidiſſimis homines deuorantem, ſanguine pauperum ebriam, ventricoſam, inſatiabilem, vnguibus aduncis armatam, e leone denique, vrſo, lupo, & tigride, formatam, qua de Iſraelitarum ſapientiſſimus Salomon ſcribit hoc modo: Leo rugiens & vrſus eſuriens princeps impius in populum pauperem. Et Bias e Græcorum quoque ſapientibus vnus interrogatus, quænam fera eſſet pernicioſiſſima: ſilueſtrium, inquit, Tyrannus, domeſticarum adulator. (p. 177.) Ab hoc enim portento ſumme cauendum principibus: quod facile fiet, ſi Iuſtitiam virtutum omnium & fontem & parentem comitem habuerint, quam Ariſtoteles (p. 178.) libro topicorum ſecundo tam vtilem ſcribit eſſe ſubditis, quam vbertas temporis, & (vt præclare Cyprianus) Iuſtitia Regis, Pax eſt populorum, immunitas plebis, medela languidorum, gaudium mortalium, aeris temperies, ſerenitas maris, fœcunditas terræ, ſolatium pauperum, hæreditas filiorum, & Regi ſpes futuræ beatitudinis.

In pegmatis hemicyclo ſcriptum græce.

Ἴσως πρός τε φίλους καὶ ἐχθροὺς ποιοῦ τὰς κρίσεις.

Aequa erga amicos & inimicos iudicia facito.

In baſi.

Rurſus humum repetet ſplendens Aſtræa relictam,
Ad Stygias fugiet ſæua Tyrannis aquas.

Perſonarum nomina & declaratio. Autocrator.

Aſtræa, filia fuit Titanis gigantis, vel vt alii volunt Iouis & Themidis, quæ ob æquitatem in cœlum aſſumta eſt, & in Zodiaco locata ea in parte, quæ ab ea virgo eſt appellata, & pro iuſtitia ponitur.

Tyrannis quid ſignificet, ſatis notum eſt.

SEXTI PEGMATIS HYPOTHESIS.

Subſequetur in ſexto pegmate, quod & opere belliſſimum erit, virgo venuſtate & decore præpollens, ſolem & agniculum gerens pro inſignibus, cui nomen Clementia, quæ cum maxime deceat principes, Autocrator hanc ſuo contubernio apprime dignam cenſebit, & a latere ſuo non ſinet diſcedere, nec ſane immerito. Hæc eſt quæ principes viros faciles reddit, amabiles, benignos, hoſpitales, beneficos, fauorabiles, adeo vt Theodoſius Imperator Honorio filio (vt eſt apud Claudianum) præceperit imprimis dicens. Sis pius imprimis, nam cum vincamur ab omni Munere, ſola deos æquat clementia nobis. Nec tibi quod liceat, ſed quod feciſſe decebit, occurrat, mentemque domet reſpectus honeſti, &c. Inferne vero Crudelitas humi alliſa clementiæ pedibus premetur, & ad Tartarum tandem vnde egreſſa eſt remigrabit. Sub corona huius pegmatis erit cernere ſymbolum cordis Amorem erga Cæſarem repræſentantis.

In corona pegmatis ſcriptum erit græce.

Τοὺς φόβους ὦ βασιλεῦ ἐξαιροῦ τῶν πολιτῶν, καὶ μὴ βούλου φοβερὸς εἶναι τοῖς μηδὲν ἀδικοῦσιν. *Ex Iſocrate.*

Metum fac adimas tuis ciuibus, neque formidabilis eſſe velis nihil mali perpetrantibus.

In baſi.

Optima dos regum ſurget Clementia, Cædes
Succumbet, rabies concidet atque furor.

Nomina personarum.
Autocrator.
Clementia, vt inquit Seneca, est lenitas superioris aduersus inferiorem in constituendis pœnis, hanc Flauius Vopiscus primam dotem regum vocat.
Crudelitas atrocitas animi in pœnis exigendis.

HYPOTHESIS SEPTIMI SPECTACVLI.

COnuenire nobis visum est, vt septimo loco ἀλήθειαν id est, Veritatem Autocratori assidentem exhiberemus, cuius effigiem veteres Ægyptiorum reges, e collo pendentem gestare solebant, vt perpetuo obuersaretur animo, maxime enim refert vt Principes veritatem agnoscant, & verum a falso simulationeque discernant, nam κολακία id est, Assentatio ita huius imaginem, nunc hoc nunc illo fuco, modo aliis atque aliis sumptis personis mentitur, ita venena melle circumlinit, vt vix (nisi sis plane lynceus) queat dignosci, habet autem vt inquit Tullius adulatio principia iucunda, exitus vero amarissimos. Ab hac peste tanquam præsentaneo veneno cauendum est principibus, habeat igitur aures apertas veritati, assentatores & hypocritas tanquam scorpiones vitet, nihil enim periculosius principi, quam si aures adulatoribus accommodet. Plus enim (vt scribit p.179. Hieronymus) nocet lingua adulatoris, quam gladius hostis, Colaciam & Hypocrisin pedibus Autocratoris & Alethiæ subiecimus.

Ἀποςρέφου τῶν Κολάκων τοὺς ἀπατηλοὺς λόγους ὥςπερ τῶν Κοράκων ἁρπακτικοὺς τρόπους.
Ex Agapeto. *Auersare fallaces adulatorum sermones, vt coruorum rapaces mores.*

In basi hoc vaticinium.

Lumen Alethia telluri reddet, amarum
Mel, prostrata vomet subdola blandicies,

Personarum nomina & interpretatio.
Autocrator.
Ἀλήθεια Alethia id est veritas.
Κολακία Colacia id est, adulatio, blandicies.

HYPOTHESIS OCTAVI SPECTACVLI.

MUltorum enim animos conciliare solet Munificentia, quæ Principes maxime amabiles, cum e contrario Φιλαργυρία, id est auaritia maxime odibiles solet redere. Quid enim turpius illi? qui omnibus imperat quam si pecuniarum cupiditati ancilletur, quæ vt inquit Sallustius, est quasi materies omnium malorum, namque auaritia fidem, probitatem, cæterasque bonas artes euertit. Nos itaque in hoc ludicro Autocrator Munificentiam famulantem in suggestu spectandam proposuimus, addita illi arca liberalitatis, & fonte salutaribus vndis scatente. Philargyriam autem superatam, ventre inexplebili turgidam, manibus vncatis hamatisque metuendam, effinximus.

In huius pegmatis hemicyclo græce scriptum erit.

Ει τὴν ἐκ πάντων βούλει καρποῦσθαι τιμήν, γίνου τοῖς ἅπασιν εὐεργέτης κοινός.
Ex eodem *Si honore ex omnibus vis perfrui, præsta te communem omnibus benefactorem.*

In basi hoc vaticinium.

Virtutum largus fons Munificentia, dignis
Æra dabit, pœnas publica furta luent.

Personæ. Autocrator.
Munificentia, soror est liberalitatis.
Φιλαργυρία Philargyria est auaritia.

HYPO-

HYPOTHESIS NONI SPECTACVLI.

PHilologia tandem in ſcenam prodibit, fœmina reuerenda & maieſtatis plena, ſtipata Mercurio coniuge, eloquentiæ præſide, cæteriſque caſtiſſimis virginibus doctiſſimiſque ſororibus, de quarum laudibus nunc dicere ſuperſedemus, quod campus tam late pateat, vt nil ſit difficilius quam exitum inuenire, nos vero carptim duntaxat rerum vmbracula attingentes, ſolum ea nunc dicemus, quæ ad ludorum argumenta videntur ſpectare. Hanc quoque Philologiam Autocrator regio dignabitur ſolio, & inter præcipuas matronas venerabitur. Nam hæc eſt illa quam Plato dixit beatas efficere reſpublicas, qua Alexander magnus dicebat ſe malle antecellere quam diuitiis. Ob quam etiam Cæſar dictator, Octauius Auguſtus, Adrianus, Marcus Antoninus Philoſophus, non tam imperii titulis, quam eruditione poſteritati ſunt commendati. Equidem Barbaries improba quæ hactenus ſcholas ſua tyrannide afflixit & perdidit, victa & ſuperata tandem in nihilum redigetur, tum Apædeuſia humi proiecta, linguam exeret virulentam, & ſecundas intentiones, modos ſignificandi, relationes, quidditates, ecceitates & indocta ſophiſtarum ſomnia, atque id genus ſordes & rudera euomet. Denique quid ſibi velit vexillum Philologiæ, in quo picta eſt littera Y Pythagoræ, & quod in culmine pegmatis ſemipedalibus litteris ſcriptum eſt ESTO QVOD AVDIS alias explicabitur.

In pegmatis hemicyclo ſcriptum erit græce.

Οἱ βασιλεῖς σύνετε, παιδεύθητε οἱ κρίνοντες τὴν γῆν. Ex cantic. Dauidico.

Nunc reges intelligite, erudimini qui iudicatis terram.

p. 180 In baſi hoc vaticinium.

Suauis amor ſtudii gliſcet, gens craſſa Sophiſtæ
Pendeat vnde trabem quæret & inueniet.

Perſonarum nomina & interpretatio.

Autocrator.

Φιλολογία Philologia, amatrix ſermonis, verborum vel ſtudii, de hac multa apud Martianum Capellam. Cætera nomina artium liberalium clara ſunt.

Barbaries quid ſit, norunt ὑψιςερότω μαθηταί.

Apædeuſia id eſt procacitas linguæ qualem habent γλωχοτόρεννοι.

HYPOTHESIS DECIMI SPECTACVLI.

OStendetur decimo pegmate Autocrator qui ebrietate, luxu, illecebris, voluptatibus, contemptis, φιλοπονίαν, magnanimam viraginem Palladi perquam ſimilem amplectetur. Quæ ſane virgo licet tota armis horreat & vepres potius quam roſas calcet, talis tamen eſt, vt generoſos animos nutrire ſoleat præmio, honore, immortalitateque dignos. Ad huius ſpectaculi argumentum pertinet Hercules ille a Prodico Chio & Xenophonte celebratus, cuius etiam meminit Baſilius magnus. In libello cui titulus. De legendis antiquorum libris, ſcribit autem, quod Herculi adoleſcenti diu multumque ambigenti, vtram viam ingrederetur, duas enim ante ſe ſpectabat, vnam voluptatis, Virtutis alteram geminæ matronæ occurrerunt, quarum prior Virtus, poſterior Vicioſitas, hæc autem erat excultiſſima delicias, luxus, riſus, iocos, voluptates, ſecum trahens, nihil non illecebrarum oſtendens, nihil non præmiorum promittens, quo adoleſcentis animum allectaret. Illa vero horrida tota, laborique aſſueta, famem, ſitim, hymbres, ſudores, ærumnas, tam terra quam mari perferendas pollicita eſt, præmium vero illarum fore immortalem fieri, Hercules vero magno animo deſpecta voluptate, tandem virtutis viam ingreſſus eſt, vnde & in deorum catalogum relatum fuiſſe fabulata eſt antiquitas. Verum de his abunde ſatis. In corona huius pegmatis ſcriptum erit græce.

Ex Agapeto. Βασιλέα σε κατὰ ἀλήθειαν ὁρίζομαι, ὡς βασιλεύειν καὶ κρατεῖν τῶν ἡδονῶν δυνάμενον.
Imperatorem te reuera afferimus, quippe qui potes & vincere voluptates & regere.

In baſi hoc vaticinium.

Aula voluptates vincente labore fugabit,
Et cum prole Venus ſuppeditata gemet.

Perſonarum nomina, &c.

Autocrator.
Φιλοπονία Philoponia Amor laboris, vel ſpontaneus labor.
Ηδονή Hedone eſt voluptas,

HYPOTHESIS VNDECIMI SPECTACVLI.

IN vndecimo pegmate (vel vt verius dixerim palacio) quo nihil conſpicietur magnificentius, nihil pompabilius, id quod etiam veſtro iudicio ſpectatores relinquo, ἐυδοξία id eſt bona gloria, Victoria, honor, & Maieſtas, Autocratorem præmiis afficient, Quælibet enim munus dignum tantis heroinis largietur. Interea δυσφημία exploſa vndiquaque ſub pedibus Autocratoris & Eudoxiæ mortuæ ſimillima, iacebit. Moneo vos rurſus ſpectatores candidiſſimi vt oculis minime conniuentibus hoc oſtentaculum intueamini, erunt haud dubie multa quæ oculos veſtros remorabuntur. Quid vero lauri? Quid palmæ? Quid diadema? Quid ſceptrum? Quid nomina perſonarum? Quid reliqua omnia ſignificent, ſeruamus alio libello. In corona pegmatis ſcriptum erit græce.

Ex ſenariis. Καλῶς ὦ Βασιλεῦ ἀκούειν μᾶλλον ἢ πλουτεῖν θέλε. Κενῆς δὲ δόξης οὐδὲν ἀθλιώτερον.
Malis o Rex bene audire quam diteſcere, nihil enim miſerius inani gloria.

In baſi vaticinium.

Victrices lauri, ſceptrum, diademata, torques,
Digna tuis meritis ſymbola Cæſar erunt.

Perſonæ.

Autocrator.
Ευδοξία Eudoxia bona gloria.
Victoria hanc Acherontis fuiſſe filiam ſcribunt Mythologi: deſcripta eſt a Claudiano hoc modo. p. 181.

Ipſa duci ſacras Victoria panderet alas
Et palma viridi gaudens, & amicta trophæis
Cuſtos imperii, virgo quæ ſola mederis
Vulneribus, nullumque doces ſentire laborem, &c.

Henos autem (vt Theodontio placet) filius eſt victoriæ quia ex victoria quæſita, ſequitur honor.

MAIESTAS HONORIS ET REVERENTIÆ EST FILIVS, QVOD EX HONORE IMPENSO, ET REVERENTIA EXHIBITA, ORITVR IN SVSCIPIENTE QVÆDAM MAIESTAS, DE HIS OVIDIVS IN FASTIS.

Donec Honor placidoque decens reuerentia vultu
Corpora legitimis impoſuere thoris,
Hinc ſacra maieſtas, quæ mundum temperat omnem,
Quaque die partu eſt edita, magna fuit.

Δυσφημία Dyſphemia autem infamia eſt.

DVODECIMI SPECTACVLI HYPOTHESIS.

SEd iam (vt ad calcem properemus) quid Eudoxiam poterat aptius quam Athanaſia excipere, nam quemadmodum illa glorioſum nomen ex præclare factis tribuit, ita Athanaſia, in æternum conſeruat, cura enim vt Eccleſiaſtico xli. ſcribitur, habenda eſt de bono nomine, hoc enim magis permanet, quam mille theſauri pretioſi & magni, bonæ vitæ numerus dierum, bonum autem nomen permanebit in æuum. In duo-

duodecimo ſpectaculo quod numerum zodiaci refert, ſedebit Autocrator cœlo ſublimis in alto, cuius latus claudet Athanaſia virgo, ſtellis vndiquaque radiantibus inſpicientium oculos fulgore perſtringens, & Mors terribili aſpectu formidabilis immortalitate nominis victa peſſundabitur. Erit & hoc pegma elaboratiſſimum nec indignum aſpectu. In corona huius ſcriptum erit græce.

Ἔχου ὦ βασιλεῦ τῶν τῆς καλῶν ἀναβάσεως, ὅπως ἂν καὶ τῆς ἄνω βασιλείας ἀπολαύσῃς.

Contende o Rex ad honeſta, vt cœleſti regno perfruaris. In baſi vaticinium hoc.

Geſta tua immortale decus nomenque parabunt,
Carole, concedet Mors quoque victa tibi.

Autocrator. Perſonæ.
Ἀθανασία Athanaſia, id eſt, immortalitas.
Θάνατος Thanatos id eſt, Mors.

HYPOTHESIS VLTIMI SPECTACVLI.

IN poſtremo ſpectaculo Autocrator tot tantiſque excultus virtutibus, & ſi dicere liceat, propemodum deificatus, Europam virginem pulcherrimam & a Ioue intactam complectetur, Græciæ vero crucem præferentis, quæ hactenus propemodum extincta & ſepulta fuit, adiutrices manus porriget. Aphrica autem & Aſia matronæ peregrinis & externis veſtibus amictæ, genibus flexis, ſupplicibus manibus, Autocratorem adorabunt. Pax vero media inter vtramque, Bellonam conteret, porro dextrorſum ſtabit egregius belli dux caput Ottomanni in cuſpide lanceæ præfixum habens Leuorſum aut alter qui caput Magmed in ſummitate quoque lanceæ geret.

Ἣν ἔλαχες σπάρταν, κόσμει. In huius pegmatis faſtigio ſcriptum erit.

Spartam nactus es, hanc orna. In corona vero hoc.

Ὥσπερ ὀφθαλμὸς ἐμπέφυκε σώματι, οὕτω βασιλεὺς τῷ κόσμῳ ἐνήρμοσαι.

Quemadmodum oculus corpori innatus eſt, ita & Rex mundo adaptatus eſt.

Iam noua lux terris oritur, Pax alma redibit: In baſi hoc vaticinium.
Et poſitis armis aurea ſecla fluent.
p. 182. *CAROLVS Europæ Rector Libyamque Aſiamque*
Aſſeret imperio victor vbique ſuo,
Nunc implebuntur prudentum oracula vatum:
Grex vnus terris, Paſtor & vnus erit.

Autocrator, Perſonæ. Europa,
Pax, Aſia,
Bellona, Aphrica,
Græcia, Duces duo.

FINIS ARGVMENTORVM.

ANTE PORTAM VITEAM HOC ERIT IN ABACO SCRIPTVM EPIGRAMMA LATINIS CHARACTERIBVS, IPSAM VETVSTATEM REFERENTIBVS.

Contigit Imperium CAROLO ſine ſanguine auitum,
Arriſit cœptis PAX ſimul alma QVIES,
Rareſcunt lites, rabidi ſiluere tumultus,
Omne nefas procul hinc exulat atque ſcelus.
Lumen Apollo nouum reddit, Fortuna tenorem
Vertit, Et in placidum eſt acta carina ſinum.
Surgit ter magnus felici ſydere CÆSAR
CAROLVS, Europæ gloria magna plagæ,
Æqualem cui nulla quidem tot ſecla tulerunt,
Scilicet hoc magni ſic ſtatuere Dei.
Ad priſcam vt redeat tandem Reſpublica formam,
Reddatur mundo iuſque piumque nouo

SALVE-

SALVETE PLVS MILIES LECTORES OPTIMI.

PRæter ſpectacula ſuperius leuiter attacta, exhibebuntur & alia neutiquam indigna, quæ oculis cernantur benignioribus. Nam tota via, qua tranſitus erit, ab ipſo ingreſſu, ad Cæſareum vsque palatium, ab vtroque latere, columnis, ædificiolis, tabulatis, hoſtium exuuiis, cauliculis, imagunculis, triumphalibus ornamentis, paſſim decoratis clauſa erit, ſub quorum interſticiis inferne tædiferi ſtabunt, colore veſtium ſpectabiles, ſingulas ſinguli lampades manibus geſtantes. Sub tabulatis coronamenta & hederarum topiaria, vernam & florulentam præbebunt laſciuiam. Cæterum, in ſummo præter candelabra, præter ſtaticula, de auratis ſimillima, præter cerata funalia ſtanneis lancibus impoſita, ſequentur ordine effigies primum ad dextram, Iouis, Dardani, Erichnonii, Troi, Ganimedis, Laomedontis, Priami, poſt hos ſeriatim ſequentur Reges Albani, Mox vero Reges Romani, inde conſules galeati omnes, poſtea Imperatores Romani Conſtantinopolitani, Germani, qui partim Laureis, partim corollis, & Diadematibus, vt conuenit inſigniti erunt vsque ad Carolum Cæſarem noſtrum. Ad leuam vero Icones Tungrorum & Brabantorum, Regum & Ducum. Deinde inuictiſſimi & Potentiſſimi Hiſpaniarum Reges, a Tubale ad noſtrum vsque Cæſ. Carolum, ante catalogum Regum dextri lateris ſtabit Aquila, cui ſubditum erit hoc diſtichon.

Auſpiciis quam Roma meis ſuccreuit & aucta eſt.
Hii ſacri vultus, effigiesque docent.

Ante Carolum ducum Tungrorum & Brabantiæ cernetur Leo aureu; cui & hoc ſubfixum erit;

Tungrorum ſeries ſequitur procerumque Brabantum,
Quis ducibus toties victor ab hoſte redi.

Iam vero ante ordinem Seren. Regum Hiſpaniæ erit tabernaculum Caſtellæ, Legionis & Granatæ inſignibus ſpectabile, cui inſcriptum erit hoc Lucii Flori, Hiſpania bellatrix prouincia, equis & armis nobilis, ſeminarium hoſtilis exercitus. Hannibalis eruditrix, cuius reges ſequenti catalogo demonſtrantur. Ad hæc ſingula illuſtrium Iconia ſimulachra, ordibus viridantibus, ex hedera, malis, floribus auroque complexis erunt concinniter incluſa, quas bini cœleſtes Cupidines dextra, leua autem tædas ardentes lancibus ſtanneis incluſas ſuſtinebunt. In ſtaticulis nunc hoc abaco inſcriptum erit elogium DIVO CAROLO, modo illud IMP. CAES. OPT. vt intelligatur quicquid poſitum erit Diuo Carolo Aug. fœliciſſimo eſſe & nuncupatum, & ſacratum. Viſentur etiam in ſingulis tabulatis inſignia imperialia, & alia quædam aſpectu non ingrata. Omittimus impræſentiarum, (quippe qui breuitati ſtudeamus) pegmatum ornatus, in quibus ſymbolicæ deorum dearumque imagines, pictæ ſunt, Inſuper & peripetaſmatum, aulæorum, periſtromatum, velorum picturatorum, tapetium, ſtragulorumque magnificentiam, Symphoniacorum & Muſicorum harmonias, choraularum modulationes, tibicinum clangores, atq; id genus voluptates, non aures modo ſed & animos reficientes. Denique quid commemorem cereos? quid tædas? quid funalia ab vtroque latere tranſitus locata? quid radiorum in ſublime proiectus? quid ignium crepitantium volatus? quid flammarum per aerem diſcurſus? quæ omnia longum eſſet ſigillatim recenſere. Habes optime Lector, vtcunque attacta verius quam explicata ſolennis huius pompæ capita & argumenta, quæ partim clementiſſimi Cæſaris noſtri CAROLI dotes Imperio dignas declarant, partim orbis nouam fœlicitatem deſignant, qua CHRISTO OPT. MAX. (conatus ſanctiſſimos principis noſtri bene fortunante) fruiturus eſt, horum partem iam conſpeximus, partem certa ſpes eſt nos aliquando conſpecturos. Supereſt illud votis publicis compreçari, vt CAROLVS orbe pacato, nos CAROLO quam diutisſime fruamur, cuius ſacroſancta maieſtas ſemper eſſe dignabitur huic inclytæ Antuerpiæ noſtræ fauens ac propitia, cum non alia ſit illius obſeruantior. DIXI.

Petrus Aegidius ab actis ciuitatis ſcribebat,
Cornelius Graphews a Secretis characteres faciebat,
Pictores ducenti & quinquaginta ex ciuibus pingebant,
Fabri lignarii trecenti ex ciuibus extruebant,
Michael Hillenius typis excudebat,
Fides & Amor inſtigabant.

GER-

GERHARDI NOVIOMAGI
VITA
PHILIPPI BVRGVNDI.

LECTORI SALVTEM!
BVRCARD GOTTHELF STRUVE



Erhardus Geldenhauer, a patria dictus Nouiomagus, litteris humanioribus, Alexandro Hegio & Io. Ostendorpio ducibus, Dauentriæ primum incubuit, post, Louanii ad studia Philosophica se adplicauit, ac talem se gessit, vt dignus esset, alios docendi. Ibidem cum viris eruditis, inter quos Erasmus erat Roterodamus, familiarem contraxit amicitiam. Excelluit potissimum in arte poëtica. Hinc, dum viginti versus in Maximilianum composuisset, illos scilicet, quos huic historiæ videmus subnexos, Maximilianus illum Thenis Brabantiæ oppido a. 1517. laurea poetica ornauit. Inde ordinis Cruciferorum Monachus factus, Antvverpiæ per aliquot tempus vixit, sed in aulam Caroli Austriaci, qui postea factus fuit Imperator, vocatus, ipsi a sacris fuit, lectionibus & historiis. Ipso vero in Hispaniam abeunte, ad Philippum Burgundum, Episcopum Traiectensem se contulit, eidemque a sacris & secretis fuit in lingua latina, atque in cubiculo a lectionibus per annos duodecim, vsque ad mortem Episcopi. Ipse de hoc testatur, dum in hac Historia de Philippo Burgundo dicat; me prælectore, Historicos latinos, quotquot extant, attentissime audierat. Post Philippi mortem, easdem functiones in aula Maximiliani Burgundi obiit, qui vnus erat ex filiis naturalibus Maximiliani I. Anno 1526. VVittebergam mittebatur, vt statum Academiæ, & Ecclesiæ examinaret. Singulare in itinere fatum experiebatur: In latrones enim incidebat, qui caput ipsius securi fere diuidentes ipsum apud Brunsuicum humi stratum spoliauerant, & mortuum credentes in sylua reliquerant. Euasit tamen, VVittebergam venit, ibidemque omnia probe examinans, redux factus, Ecclesiæ statum doctrinæ Prophetarum atque Apostolorum conformem esse iudicabat. Hinc, relicta Religione Pontificia, VVormatiam abiit, vbi matrimonium contraxit, atque erudiendæ iuuentuti vacauit. Inde Argentoratum delatus, varias cum Erasmo habuit controuersias, demum scholæ Annææ apud Augustanos, quæ anno. 1531. fuit erecta, primus Rector constitutus.*

Mar-

* Car. Stengelius Rer. August. p. II. c. LXV. n. 36. *Vlritus Langenmantelius Patricius Augustanus Canonicus San-Mauritianus legauerat stipendium quoddam V. pauperibus studiosis legitimis ciuium filiis, qui iam LL. AA. Baccalaurei creati essent, vt SS. Theologiæ studio incumbere possent. At Senatus anno c I ɔ I ɔ x x x I. Scholam ex illo legato ad D. Annæ aperuit, cuius primus Rector fuit Gerhardus Geldenhaurius Nouiomagus, qui multa scripsit, qui Gesnerus in Bibliotheca recenset.* Eadem recensens Werlichius Augspurg. Chronic. *p. III. p. 23.* nisi quod male dicat, illum ex Bauariæ oppido Neuburgo fuisse oriundum.

Marpurgum postea accitus, primum historias, dein Theologiam ab anno trigesimo quarto seculi decimi sexti ad quadragesimum secundum vsque docuit, quo anno die X. Ianuarii peste fuit extinctus. *

*De hac autem, quam in præsenti exhibemus, Historia, Vossius ** sic testatur:* Scribit idem in præfatione opusculorum illustratæ Germaniæ Marpurgi editorum, vt in familia Philippi a Burgundia multis annis vixerit. Addit hinc de eodem, voluit ille per me notari, si quid in sua dictione, aut in finitimis regionibus, memoratu dignum actum esset: sed ea conditione, vt singulis mensibus, quæ annotaram, ipsi & a consiliis prælegerem: quod cum facerem, admonebant: si quid perperam, si quid parum considerate scriptum audissent, id mutarem. Philippus ille a Burgundia, quem dixi, filius fuit Philippi Boni, frater Caroli Audacis, ac Dauidi fratri in episcopatu Vltraiectino successit, atque anno obiit CIↃ IↃ XXIV. Huius episcopi vitam fide optima idem Nouiomagus consignauit: eam vero dicauit Margaritæ Austriacæ, Belgicæ Gubernatrici: cuius Philippus illi erat auunculus magnus. Excudit Egenolphus Argentorati anno CIↃ IↃXXIX. *Iniquior tamen in hanc Historiam est Valerius Andreæ, dum ait:* verum libellus hic, quod monitum lectorem velim, totus hæreticus est. *Scripserat enim hunc librum, postquam VVittebergæ fuisset: hinc luxum & fastum Pontificiorum sæpius notat. Verax igitur est Historicus, ita, vt nec vitia Philippi reticeat. Et licet Antonius Matthæi & Bælius eundem notent, quod fere sub initium scripserat:* quare non tam amabat quam amabatur, lasciuiores enim quædam matronæ in tantum eum, seposita omni verecundia deperibant, vt harum caussa fere in vitæ periculum incidisset, nisi is, qui ei mortem intentaturus putabatur, occisus fuisset: *cum tamen satis constaret, quam fuerit lascinus. Sed neque hoc in casu fauori quidpiam indulsisse Nouiomagum, crediderim ex eo, quod exeunte hoc libello, ipsum in adolescentularum amoribus notet tanquam ardentiorem. Distinguenda ideo erunt tempora, & cui iuuenis non deditus erat, lasciuiam exercuit in ætate prouectiori. Præter hanc Historiam consarcinauit ille Batauorum Historiam, epistolam de Ciuitatibus infra Coloniam Agrippinam, aliamque de Zelandiæ situ, præter ea, quæ ex vernaculo in latinum transtulit sermonem. In epistola ad Margaretham dedicatoria, promittit septem suæ ætatis libros Historiarum, quos iam ad incudem se reuocare refert, ac sub Margarethæ auspiciis, in publicum ait prodituros. In ipso etiam hoc libello prouocat ad librum primum & septimum. Ansam conscribendis hisce septem Historiarum libris, sine dubio ipsi dederat Philippus Burgundus, prout supra iamdum ex Vossio annotauimus. Huncautem libellum Antonius Matthæi Veteris æui analectis*** inseruit, eidemque notas adiecit prolixiores. Addi quoque meretur Vita Philippi Burgundi, quæ*

 in

* Plenius ipsius vitam exposuerunt Melchior Adami in vitis Theologorum *p. 43.* Vossius *de Historicis latinis lib. III. c. X. p. 654.* Freherus *Theatro Viror. clar. p. 614.* Valerius Andreæ *Bibl. Belg. p. 273.* Bælius *Dictionaire Historique & Critique p. 1320.*

** *lib. III. c. X. p. 614.*

*** *Tom. I. p. 216.*

in Suffridi Petri Appendice ad Io. a Becka Chronicon Vltraiectinum reperitur, eiusdemque vita a Guilielmo Heda, in Historia Vltraiectina descripta, cum Arnoldi Buchelii notis. Vitam Eiusdem peculiari etiam libello scripsit Adrianus Barlandus**. Accessit in fine huius Historiæ* EMVNDI DINTERI Genealogia Ducum Burgundiæ & Brabantiæ, Flandriæ & Hollandiæ Comitum. *Dinterus a vico Dinter Maeslandici territorii in agro Syluæ ducensi sic dictus, Antonio I. Ioanni III. Philippo I. & II. Brabantiæ Ducibus a secretis erat. Post aulicæ pertæsus vitæ, sacris initiari voluit, a Philippo Bono, Burgundiæ Duce constitutus est Canonicus D. Petri Louaniensis. Inde ad Corsendoncanum, Canonicorum Regularium S. Augustini Cœnobium prope Turnhautum, Brabantiæ municipium, quinquagenario maior sese contulit. Bruxellas reuersus, vita excessit in palatio anno Domini* CIↃCCCCXLVIII. *ad D. Iacobum in Monte frigido sepultus. Inscriptio sepulcri eius in sacello Venerabilis Sacramenti Bruxellis reperitur, atque talis est:*

D. O. M.

HIC IACET MAGISTER EMONDVS DE DYNTER ILLVSTRIVM PR. ET DOMINORVM QVONDAM ANTONII IOHANN ET PHILIPPI ETC. NEC NON PHILLIPPI BVRGVNDIÆ ET BRAB. ETC. DVCVM SECRETARIVS, QVI OBIIT A. D. M CCCC XLVIII. M. FEBR. XVII. CVIVS ANIMA R. I. P.

Breuis est Brabantiæ Ducum Genealogia, quam, vt Valerius Andreæ ait: ab Hectore Troiano fabulose deducit, Hunibaldi nugas imitatus: eandem vero ad normam Genealogiæ Christi a Matthæo expositæ, direxit.

VITA

* *p. 186.*

** de hac ipse Barlandus in Catalogo Episcoporum Traiectensium p. 107. *Philippus a Burgundia, Diui Maximiliani Imperatoris & Caroli nepotis eius tam Hispaniarum Regis auctoritate adactus potius quam tale quid ambiens, Episcopus & princeps Vltraiectinus honorifice inauguratus est. Nihil ab inito pontificatu antiquius habuit, quam in omnibus fratrem suum Dauidem imitari, pacifice (quantum per factiosos quosdam licuit) præesse, arces collabascentes restaurare. Huius vitam quia peculiari libello scripsimus, hic non opus est repetere. Præfuit annis sex, mensibus vndecim, diebus quatuordecim. Obiit Dorestati anno 1524. Septima die Aprilis Ætatis anno LIX.*

p.184. VITA ET OBITVS CLARISSIMI PRINCIPIS, PHILLIPPI A BVRGVNDIA, BONI PHILIPPI BVRGVNDIONVM DVCIS FILII. IN QVA NON PAVCIS LOCIS, CHRISTIANI PRINCIPIS EXEMPLA PROPONVNTVR, ET ORIGO BELLI INTER EPISCOPVM VLTRAIECTINVM, ET CAROLVM GELRIORVM PRINCIPEM INSERITVR.

ITEM

GENEALOGIA DVCVM BVRGVNDIÆ, BRABANTIÆ, FLANDRIÆ, HOLLANDIÆ, ETC. AB HECTORE TROIANO, AD CAROLVM QVINTVM IMP. CÆSAREM AVGVSTVM VSQVE DEDVCTA, AVTHORE EMONDO DINTERO, VIRO PRVDENTISSIMO.

CLARISSIMÆ ATQVE CLEMENTISSIMÆ PRINCIPI DOMINÆ MARGARITÆ ARCHIDVCI AVSTRIÆ, DVCI BVRGVNDIÆ, BRABANTIÆ, ETC. GERARDVS NOVIOMAGVS S. P. D.



Vum paternum stemma tuum, clementissima Princeps, quod ab Habspurgiis progressum, in Augustum vsque culmen virtus euexit, ab omnibus latine & germanice legatur, non ingratum clementiæ tuæ fore putauit, si etiam materna tua origo, qua nullum habet hic orbis illustriorem, diuulgaretur. Nactus enim vetustum Burgundici atque Brabantici stemmatis exemplar, quod prudentissimus vir Emondus Dinterius, proaui tui, boni ducis Philippi, a secretis conscripsit, id in Maternæ familiæ tuæ æternum decus, typographis edendum commisi. Non quod huiuscemodi editione, aut blandiri velim, aut aliquid munusculi emendicare, sed vt adpareat, solam virtutem vere nobilitatis esse propagatricem, a qua vbi posteri degenerare cœperint, diuites, potentes, tyrannos, nominari posse, germane nobiles non posse. Id quod Iuuenalis elegantissima satyra notauit, quod si nonnulli sanctuli nobilium præceptores discipulis prælegere didicissent, non haberemus forte, tot nobiles tam in omnem libidinem, in omnem crudelitatem propensos. Inter Christianos tamen, (vt id quoque addam) nemo non nobilis est, qui innocentia, clementia beneficentia, excellit. Quæ Christianæ nobilitatis dotes in te lucidius emicarent, si ab aula pariter & auribus tuis arcerentur, fucati, cucullati, albati & atrati adulatores, qui nominis tui authoritate, in suum commodum, suam tyrannidem, non sine sanguinis (horrendum dictu) effusione abutuntur. Quos si ego imitari vellem, sic scriberem. En habes, Diua Margarita Augusta maternum genus, quod non magis te illustrat, quam tu illud, quæ es Regis & Augusti filia, regis vxor, regis soror, regis & Augusti amita, & huiuscemodi non pauca. Verum videor mihi nunc simplicius, amantius, & rectius dicere. Habes Clementissima Margarita, maternam originem, quam nisi, vt facis, benignitate, mansuetudine, liberalitate exornaris, perpetuo illa tibi dedecori futura est. Præmisi huic Genealogiæ tuæ, vitam Philippi a Burgundia, magni auunculi tui, quod in ea vt nobilissimæ optimæque Principis Mariæ matris tuæ, honorifica fiat mentio, & nonnulla contineantur, quæ ad improbos huius temporis mores corrigendos, conductura putarim, quæ si Clementiæ tuæ placuisse sensero, septem historiarum nostræ ætatis libri, quos ad incudem reuocaui, sub fœlicissimi nominis tui auspicio, in publicum tandem prodire audebunt, Bene vale.*

* Margaretha hæc est Maximiliani I. Augusti filia, Iohanni Hispaniæ Infanti Ferdinandi Catholici filio nupta, Philippi Austriaci, qui ex matrimonio cum Iohanna Hispanica, defuncta ipsius matre Isabella, Rex Castiliæ factus, soror, Caroli V. Regis Hispaniæ & Augusti amita.



Hilippus a Burgundia natus est Patre Philippo Burgundionum duce, illo qui a mira erga suos charitate, pacis studio, morum facilitate, Boni cognomentum sortitus est. Matre Margarita Postia, fœmina, adeo insigni formæ venustate, & inculpata pudicitia, vt viris admirationi, fœminis exemplo fuerit. Mortuo patre, Carolus belligerator ille, tantarum ditionum hæres, inito principatu, maluit vicinos principes bello lacessere, quam Spartam suam, vt prouerbio dicitur, exornare. Quare Philippus frater, natu minimus, negligentius a Carolo haberi videbatur. Sed diligens vigilantissimæ matris cura, tantæ spei filio, non defuit. Intra paucos vero annos Carolus Dux, quum vincendo, etiam Regibus formidini esset, in bello cæsus occubuit. Post cuius mortem Maria ipsius filia, Maximiliani Austrii vxor facta cum marito apud Belgas, & bonam inferæ Germaniæ partem, regnare cœpit. Interea Philippus Bruxellæ celebri Brabantiæ oppido, sub matris oculis educabatur. Cuius familiæ tanta erat modestia & sanctitas, vt sacrarum virginum domicilium, dici iure potuisset. Aderat puero pædagogus, quinquagenario maior, vir prudens, qui ita eius curam gerebat, vt si pater fuisset, non potuisset aut solicitius aut amantius. Latinas literas (pro illo seculo) satis feliciter didicit, ingenio enim valebat simul & memoria. Selegerat ei mater condiscipulos & coætaneos, non tam generis nobilitate, quam morum innocentia insignes, a quibus neque audiret neque videret, quod teneram ætatem inficere posset. Lusus erant, trochus, pila, sphæræ, quibus & corpuscula exercentur, & animi non facile corrumpuntur. Sic educatus & doctus, in ætatis annum vsque duodecimum, a nobilissima Maria, in aulam accersitur, in qua ita vixit, vt ipsi Mariæ patruus, non secus ac liberi curæ esset, atque amaretur. Cuius ipse vicissim, tota vita adeo gratus admirator fuit, vt si quis fœminam quampiam, a pulchritudine, a comitate, ab industria, a pudicitia, ab amore in coniugem, ab administrandæ rei siue priuatæ, siue publicæ, prudentia, laudasset, statim ille suam præferebat Mariam, idque talibus verbis, eo affectu, vt facile intelligeretur, eum procul ab omni adulationis suspicione abesse. Prima stipendia sub Maximiliano Archiduce fecit, cui tam charus fuit, vt dum is Aquisgraniis in Regem coronaretur, equestris ordinis insignia, ab eo acceperit. Non potuit generosus animus diu latere, nondum enim decimum octauum ætatis annum attigerat, quum Grauelingæ (Flandriæ id oppidum est, militiæ præfectus, multum gloriæ meruit, charus commilitonibus omnibus, vtpote, qui morum facilitate, & summa erga omnes beneuolentia, a Philippi patris (cui etiam facie ac totius corporis lineamentis similimus erat) moribus, non degeneraret. A Grauelingæ præfectura, Cortracum celebrius oppidum accitus, magna laude & industria rem militarem administrauit. In eo tumultu, quo Flandri Maximiliano Regi offensi, totam principis ditionem in duas partes distraxerant, Philippo a Cliuis (Rauesteinus dicitur) adhæsit. Tribuebat hoc inprimis Principi Philippo, vnico Mariæ suæ filio, cuius causam Flandri vna cum Rauesteino, tueri sese affirmabant, deinde ipsi Rauesteino cui Anna a Burgundia soror, nouerca erat, sed talis, quæ erga priuignum matris affectum æquaret, postremo Flandriæ, cuius prudentissimi magistratus & nobilitas, nullo non honoris genere ipsum semper prosequuti fuerant. p.185.

Rebus tandem inter Maximilianum Regem & aduersam partem compositis, optimum Dauidem fratrem suum Vltraiectinum tum Principem & Episcopum adiit,

iit, qui eum vere fraterno affectu excepit, amabat, honorabat, assidueque lateri suo adhærere cupiebat, ac tantæ ditionis successorem relinquere, quod constantissime tum renuit, alioqui facile, etiam applaudentibus tam Vltraiectinis quam Transisulanis, fratri coadiutor (vt dicitur) factus fuisset.

Eo tempore, iuuenili supraque modum amabili forma erat, oculis nigricantibus & nescio quid Cupidinem eiaculantibus, ore roseo, mento prima lanugine herbescente, gracili corpore decoræque proceritatis, moribus vero & conseruatione ita compositus, vt magis Parthenius quam Philippus, adpellari potuisset. Quare non tam amabat quam amabatur, lasciuiores enim quædam matronæ, in tantum eum, seposita omni verecundia, deperibant, vt harum causa fere in vitæ periculum incidisset, nisi is qui ei mortem intentaturus putabatur, occisus fuisset. Ea res & ipsi qui coactus occiderat, & Dauidi fratri non parum mœroris attulit.

Mortuo Dauide, fraternæ hæreditatis parte accepta, ad Burgundicam aulam summa multorum expectatione rediit, adeoque clarus Philippo tum Principi extitit vt eum patris fere loco habuerit, quod vt reipsa quoque ostenderet, clarissimo eum ordini Equitum aurei velleris adscriptum torque donauit, ac toti suæ familiæ præfecit. p. 168.

Philippo postea rege, ex Hispaniis reduce, Anna a Burgundia, Adolphi Ducis Cliuensis (Rauesteinum vulgus nominabat) vxor moritur, Philippo fratre, hærede ex semisse declarato. Auctis itaque opibus, nihil magis in votis habuit, quam ab aulicis turbis procul abesse, sibique viuere. Verum quominus voti compos factus sit, Philippi Regis regius erga eum affectus in causa fuit. Præfectus enim ab eo rebus maritimis, & regiarum classium dux constitutus est, in qua præfectura, ea quæ ad totius Zelandiæ, nautarumque commodum spectabant, non minus, quam suam ipsius domum, curabat. Nihil erat quod ad militiam, remque naualem pertinebat, cuius non esset peritissimus. In hac fortunæ potestatisque licentia, neminem suorum aut exactionibus, aut precibus, quibus contradicere non liceret, grauauit vnquam.

Quum Philippus Rex, aliquot Gelriorum oppidis occupatis, in Hispanias proficisceretur, huius potissimum fideli prudentiæ & solicitudini, deuicta Gelriæ pars credita est, quam tam vigilanter custodiuit, vt non modo nihil, neque aperto Marte, neque per insidias ei ablatum sit, verum etiam, vt hostium non infimi, eius amicitiam, occultis legationibus ambierint. Mortuo in Hispaniis Philippo Rege, Gelriorum dux, cristas erigere, Hollandos & Brabantos finitimos, Gallorum auxilio fretus deprædari cœpit. Tum a Philippo Vuageninga oppidum, obsidione cinctum est, quod quominus aut vi aut deditione subactum sit, in culpa fuit is, qui tum Burgundicis rebus præerat, cuius iussu obsidio quum iam iam oppidum capiendum esset, soluta est. Quod adeo Philippo displicuit, vt prouinciam vti susceperat integram, successori volens cederet. In Venloæ quoque obsidione, multa, ipso totis viribus renitente, temere frustraque tentata sunt. Post tantos labores, in Zelandia quiescere decreuerat, verum id minime conceditur, legatus enim a Maximiliano Augusto, & Carolo Hispaniarum principe Romam ad Iulium secundum Pontificem Maximum mittitur. In ea legatione, supra quam dici potest honorifice ab omnibus Italiæ Principibus & ciuitatibus exceptus est, præcipue tamen, a principe Mirandulano, Veronensi & Florentinis. Pontifex Iulius, plus ei honoris exhibuit, quam vlli intra centum annos legato exhibitum, memoriæ proditum est. Honorabat in eo Burgundicum nomen, vbique terrarum celebratissimum, mirabatur in vno homine, tantam fere rerum omnium peritiam. Siue enim cum illo pacis, siue belli negotia (quæ etiam Iulio Cano arridebant) tractaret, summam vtrorumque in Philippo scientiam experiebatur, licet hic pacis semper fuerit amantior. Delectabatur ille picturis, habebat hunc eius artis iudicem simul & artificem, pictoriam enim & aurifabrilem, adolescens didicerat. De Archi-

chitectura erat ſermo, nouerat hic eius artis, dimenſiones, proportiones, ſymmetrias. De baſibus, columnis, epiſtyliis, coronamentis, atque id genus reliquis, adeo exacte diſſerebat, vt ex ipſo Vitruuio eum ſingula legere putares. Si de fontibus, atque ductibus, thermis ſermo incidiſſet, nihil harum rerum hunc latere adparebat. Itaque factum eſt, vt Iulius eum ſummopere amaret, multaque vltro offerret, quæ alii ambire ſolent. At ea animi celſitudine erat, vt nihil a Iulio acceperit, præter ſtatuas marmoreas duas, quarum vna Iulii Cæſaris, altera Hælii Hadriani erat. Nihil magis eum Romæ delectabat, quam ſacra illa vetuſtatis monumenta, quæ per clariſſimum pictorem Ioannem Goſſardum Malbodium, depingenda ſibi curauit. Legatione peracta, in Brabantiam rediit. Interrogatus vt placeret Roma, nullum locum magis placere aſſeuerabat, ſi illa ſcelerum fex (quos Curtiſanos vocant) procul iſthinc ablegaretur. Ciues Romanos, qui veteres nominantur, „graues eſſe viros dicebat. Sacrificorum, Epiſcoporum, Cardinalium, Pontificis „Maximi non minus impudentem quam impurum luxum ac faſtum, ita execraba„tur, vt affirmaret ſe non dubitare, quin gentiles & pagani (vt dicimus) caſtius, innocentiusque vixerint, quam hi, qui nunc chriſtiano orbi, religionis leges præſcribunt. Addebat, ſe vidente, Cardinales quosdam primi nominis, dum ſacræ reliquiæ populo, & præcipue Germanis noſtris venerandæ oſtenderentur, exertis linguis, ac digitis in turpem modum compoſitis, noſtrorum ſimplicitati inſultaſſe. Nihil apud hoc nominum genus ſacrum eſſe referebat, præter aurum, & quæ vel nominari nefas ſit. Curtiſanos autem, & inprimis noſtrates, qui ibi ſacerdotia ,p.|187. laboris mercedem accipiunt, ſi quis ſe coram nominaſſet, expuebat. Sciebat enim qua humilitate qua ſubiectione, ſanctiſſimis illis atque reuerendiſſimis, grati fuiſſent. Nihil ei (vt paucis dicam) Romæ placuit, præter cœlum & ſolum, lapides & ligna, & ciues illos Romanos, quorum meminimus.

Hac legatione, inter cætera, hoc aſſequutum ſe prædicabat, quod plurimorum Romanorum Pontificum Maximorum diplomata, leges, decreta, indulgentias, vt meras impoſturas, vt plus quam pernicioſa veneficia, deteſtaretur. Hinc etiam ſacerdotes & monachos, qui a talibus portentis pendent, vt eorundem ſcelerum reos ac ſocios, contemnebat.

Sed vt ad geſta ipſius reuertamur, quum Caroli Principis ſoror, Iſabella, Chriſtierno Danorum Regi deſponſata eſſet, ipſi hoc muneris ab Auguſto ſponſæ auo, & Carolo iniunctum eſt, vt eam ad ſponſum vſque illorum nomine comitaretur ac deduceret. Quo munere magnifice functus, dum in patriam reuertitur, peſtilentia naues inuaſit, in ſua etiam naui, Balduini a Burgundia fratris ſui, filia, quam ei nobiliſſima domina Marina Maurica pepererat, hoc morbi genere correpta obiit. Cuius mortem tulit ægerrime, quum quod virgo erat ea venuſtate, iis moribus, vt Charitum vnam dicere potuiſſes tum quod nobiliſſimo eam marito deſtinaret. Sed ea eſt fere rerum omnium conditio, vt optimis quibusque citius priuemur, peſſima tenacius adhæreant.

In patriam reuerſus, totus exornandæ arci ſuæ Suytburgo intentus, inter fabros, architectos, ſculptores & pictores verſabatur, adeo familiariter vt vnus illorum putaretur. Aderant ei & verſificatores, qui picturas atque ſtructuras carminibus ornarent, vt vtramque picturam, & loquentem & tacitam, oſtentare poſſet Excellentes in quauis arte artifices, miro fauore proſequebatur, domique ſuæ liberaliter alebat. Accerſierat ſibi magnis expenſis, pictores & architectos primi nominis, Iacobum Barbarum Venetum, & Ioannem Malbodium, noſtræ ætatis Zeuſim & Apellem. Bonarum præterea literarum profeſſores mire amabat. Ex horum numero inprimis ſibi familiares fecerat D. Eraſmum Roterodamum, in optimis ſtudiis orbi notum, & Ioannem Paludanum Louanienſis Academiæ rhetorem. Dum ita domi, relicta aula, ſemotus procul ab omni ambitione, ſibi viuere incipit, Carolus Rex, magnum auunculum honorare volens, onerat maxime, quod vt ali-

aliquanto altius repetam, res ipsa postulat. Fridericus Marchio Badensis, quum viginti duobus ferme annis, Vltraiectini Episcopatus munere, non sine seditione & bello, functus esset, senio pariter & morbis fractus, cupiebat hoc munus in alium quempiam transferre, ea conditione, vt aliquot aureorum millia acciperet numerata, aliquot ad vitam annua. Quumque in Galliis & Anglia, id frustra tentatum esset, tandem ad Carolum venit, Episcopatum certis conditionibus offert. Consultum est aliquandiu ea de re, visa est multis Friderici oblatio, non solum non aspernanda, sed obuiis etiam vlnis acceptanda. Tum quod Gelriis Hollandiam per agrum Vltraiectinum deprædantibus, iter minus peruium fore putabatur, si Episcopus ex Caroli sententia præficeretur, tum quod factiones, quæ sunt inter Hollandos & Vltraiectinos, hoc modo paulatim sopiri tollique possent. Cum Friderico Episcopo, facile conuentum est, de Romano Pontifice, qui huiusmodi in rebus, membranas & plumbum vendit, modo pecunia numeretur, nihil dubitatum. Hoc vnum inquirebatur, quis e Principum numero, in Friderici locum aptior sufficeretur.

Tandem auditis sententiis, relatum est Carolo, nullum adhuc ad hanc prouinciam subeundam Philippo Maris Præfecto, aptiorem reperiri posse, quod aliquandiu apud Dauidem Episcopum egisset, Vltraiectinorumque mores cognitos haberet, & ciuitatibus ac nobilitati notus esset.

Erant qui hoc consilii, non simplici animo, neque ornando Philippo datum, affirmarent, sed potius vt hoc honestiore quodammodo titulo, ablegaretur. Opponebat enim se interdum liberius consiliariorum sententiis, præcipue quando de exigendis pecuniis, ab agricolis, piscatoribus, & istiusmodi paupere plebecula, age-
p.881. batur. Compertum enim habebat, qua libertate sub Philippo patre, & Carolo fratre Ducibus, egissent, & qua plus quam Gallica seruitute, iam indies magis ac magis premerentur. Placet consilium Carolo. Adprobat Fridericus, accersitur Philippus, res magnificis verbis proponitur. Stupet primo Philippus, deinde aliquantulum secum deliberans, ætatem excusat, addit etiam si anni paterentur, prohiberi tamen se ab hac prouincia, literarum inscitia. Respondetur, Ætati multum adesse authoritatis, nec rebus gubernandis vllam aptiorem, literarum imperitiam, eruditos consiliarios abunde suppleturos. Accedunt ad hæc Caroli tanti Principis iunctæ authoritati preces. Quid ageret Philippus? Consentit. Mox aguntur gratiæ, & Principis & Reipublicæ nomine. Pollicetur præterea Carolus, se se omnes expensas in hoc negotium necessarias, exoluturum, ditionemque Vltraiectinam non secus habiturum ac defensurum, quam Hollandiam, & optimam quamque suæ ditionis partem. Solus Vltraiectinorum adsensus restabat, ad quem obtinendum Maximilianus Comes ab Horne, dominus ita dici cœptum, Gasbecanus, mittitur, qui propter quædam liberius, quamquam vere, in Vltraiectinorum consilio dicta, speciosas verborum ambages, pro responso ad Carolum refert. Rursus ergo eadem de causa, Henricus Comes Nassouius Vltraiectum venit, talia habens in mandatis, qualibus si Vltraiectini, suorum commodorum negligentes, contradicere obstinatius pergerent, experirentur tandem, quid esset oblatum Caroli fauorem aspernari. Magna Vltraiectinorum pars, Fridericum exosum, habebat, & (vt sunt fere omnes nouarum rerum cupidi) successorem ei datum videre cupiebat. Verum in Philippum (nescio quo metu animi) non inclinabant. Transisulani, memoria Dauidis optimi præsulis accensi, Philippum facile videbantur in Principem suscepturi. Tandem communibus sententiis, tam Vltraiectini quam Transisulani, Caroli precibus consentiunt. Mittitur post hæc Romam. P. M. confirmat omnia, numerata tamen prius duodecim millium Ducatorum summa. Tanti constabat Episcopum Vltraiectinum fieri. His peractis, magno Burgundiæ nobilitatis comitatu, Vltraiectum Philippus ingreditur, ac plausibiliter (si externa erga nouum Principem officia spectes) suscipitur. Qua de re, quia in epistola ad

Ff Palu-

Paludanum rhetorem, quædam indicauimus, & in primo libro Hiſtoriarum, noſtræ ætatis diligentisſime ſcripſimus, hic nihil amplius addetur. Factus Vltraiectinorum Princeps & Epiſcopus, cum quibuſdam amicis priuatim contulit, de ſtatutis Synodalibus recognoſcendis, de feriarum numero minuendo, de prouiſorum ac Decanorum (ea ſunt odioſa cuiuſdam iurisdictionis nomina) tyrannide cohercenda, de tot ocioſis hominibus ad ſacerdotia non admittendis, de validis mendicantibus tollendis, de pauperum cura gerenda, de clamoſis illis concionatoribus, præcipue mendicantium ordinum, cohibendis, de bonis & doctis Concionatoribus inſtituendis, & huiuſmodi multis aliis, quæ ad Reipublicæ commodum & verum Chriſtianiſmum ſpectare videbantur. Verum quo minus hæc prudentisſimi Principis conſilia ſuccederent, conſiliarii iurisconſulti duo, in cauſa erant. Hi enim dum vtraque manu aperta ac protenſa, ſuis commodis conſulunt, magno fremitu clamitare cœperunt. Hæc conſilia non fore e re Principis, multumque culinæ obfutura. Quare conniuente Principe (vt erat manſueto animo) omnia veteri more apud hos venalia erant. Princeps igitur imperioſis illis conſiliariis asſidue occinentibus, ne his rebus ſe occuparet, quarum imperitior eſſet, ſineret illos harum ſubire & moleſtiam & inuidiam, facile cesſit, atque ad reficiendas arces animum intendit.

Inprimis vero veterem Doreſtati arcem, nouis artificiis commodiorem fecit, picturis, ſculpturis, figuliniſque talibus exornauit, quales vix ipſam Italiam habere crediderim. Præterea, propugnaculis, armis, bombardis, eam accuratisſime muniuit. Cæterarum vero arcium præfectis vt idem facerent, iusſit. Hæc agentem interturbant pauliſper equites, qui ſub Friderico Epiſcopo ſtipendia non ſoluta conquerebantur, hi enim occupata Oldenſala oppido, & arce Laga, in ipſis fere Suollanis portis, vbi tamen Princeps erat, ferro & igni graſſabantur. Verum hic tumultus, ſoluto ſtipendio breui, licet non ſine graui agricolarum damno, ſedatus eſt. Obequitabat poſt hæc, Philippus in ditione Tranſiſulana, multa in bonum publicum aut corrigens, aut conſtituens. Si quando, vno in loco aliquandiu morari, rerum necesſitas coegiſſet, diem fere in hunc modum partiebatur. Primam eius partem precibus, e more legendis dabat, in quibus ad ea magis attendebat, quæ ex ſacris libris deprompta erant, quam ad fabuloſas diuorum hiſto- p. 189.
rias. Ridebat interdum cum has legeremus, ineptisſimos earum ſcriptores fuiſſe dictitans, qui cum omnia mentirentur, nihil minus tamen ſciuiſſent quam mentiri. Tam apertis enim huiuſmodi ſcripta mendaciis ſcatent, vt authoribus earum nullam fuiſſe memoriam (qua tamen mendacem vel in primis valere oportet) etiam luſcioſis adpareat. Sacros vtriuſque Teſtamenti libros, non ſemel atque iterum legerat, & in his tantum promouerat, vt D. Eraſmi Roterodami translationem, vulgatæ conferret, & acri iudicio de vtraque pronunciaret. Lectis horariis preculis, conſiliis conſultationibuſque præerat, audiendis litteris, querelis, litibus, ſententiis intentus, ea cura ac diligentia, vt nihil literarum nihil ſe præſente reſignaretur, nihil niſi ſua manu ſubſcriptum, obſignaretur. Poſtea prandebatur, inter prandendum quæſtiones variæ proponebantur, ex poëtis, ex hiſtoricis, ex ſacris literis. Hiſtorias veterum fere omnes, gallice legerat, memoriæque commendarat. Præterea me prælectore, Hiſtoricos latinos quotquot extant, attentisſime audierat. Pomeridianis horis, aut in hortis deambulabat, aut opificum officinas, in morem ſoliciti patrisfamilias, circumibat. Cæna quæſtionibus item, dicteriis, interdum etiam liberioribus in conuiuas & miniſtros ſcommatis tranſigebatur. A cœna crebro in multam noctem, aut colloquebamur, aut vicisſim legebamus. Turbis & conuiuarum multitudine offendebatur, ſeceſſus vero & vnius alteriusue conſortium, expetebat. Si quando largiore compotatione ſeſe grauatum ſenſiſſet, ſequentis diei abſtinentia ſibi medebatur. Ebrioſos, præſertim, qui cereuiſia ſe ingurgitare ſolent, deteſtabatur, ſcortationibus minus infeſtus. Ipſe enim in Venerem propenſior, inque adoleſcentularum amoribus ardentior erat.

Si

Si quis ſacrarum virginum, monachorum, ſacrificulorum, & eorum qui aut magiſtri noſtri, aut Theologi ſalutantur, cœlibatum prædicaſſet, irridebat vehementer, impoſsibile dicens, homines integro corpore, ætate, in tanto ocio, in tanta rerum omnium copia qui crebro aut vino calerent, aut turgerent cereuiſia, poſſe caſte viuere. Quare horum caſtitatem, impuriſsimam humanæ naturæ contumeliam interpretabatur. Sacrificulos qui domi concubinas alerent, ſimulatæ caſtitatis profeſſoribus multo puriores iudicabat. Hinc male, vt mulieroſus, a ptochotyrannis audiebat, & in publicis concionibus oblique notabatur. Quod tamen patienter contemnebat, futurum ſperans (vt aiebat) ſe viuo, vt omnis compulſæ caſtitatis neceſsitas, vnanimi Epiſcoporum ac Presbyterorum conſilio tolleretur. Hactenus humaniſsimi Principis mores, me aliquantulum a propoſito abduxere. Cæterum, vt ad alia veniamus miro adfectu ſuos proſequebatur, nemini aut exactionibus, aut nuper inuentis vectigalibus grauis. Toto tempore quo Vltraiectinis præfuit, ne obulum quidem a quoquam, præter veteres & annuos reditus, in ſuum commodum exegit. Dum hoc modo ſuis conſulere conatur, Campis oppido, aliquot ciuium aduerſus ſenatum, ſeditionem concitarunt ac quoſdam, leues ob cauſas, ſenatu mouerunt. Ad quæ Princeps, ob violentam ſeditioſorum coniurationem, conniuere cogebatur. Quod vbi illi ſenſiſſent (vt ſunt huiuſmodi homines ad exitium vſque inquieti) neſcio quam Camerinam (vt hoc prouerbio vtar) aduerſus Suollanos mouerunt. Suollani qui a Campenſibus, præcipue nouis ſenatoribus, contemni nolebant, ſe non iure, non Principis authoritate, quod maxime oportuit, ſed armis defendebant. Hinc ex re leuiuſcula, acris & luctuoſa concertatio exoritur. Interceſsit Principis, interceſsit ipſius etiam Cæſaris authoritas, ſed fruſtra. Indies enim hoc incendium latius ac vehementius graſſabatur. Potuiſſet initio hoc malum, Principis clementia, prudentique nobilitatis ac Dauentrienſis ſenatus conſilio ſopiri. Verum Principis iuriſconſulti illi, in vtramque aurem, vt dicitur, dormiebant, neſcio quid lucri ex hac patriæ calamitate, ſperantes, multis conuentibus de concordia actum fruſtra. Tandem eo res prolapſæ, vt Suol. ad Gelrium inclinare dicerentur. Ea res Principem magis ſollicitum reddebat. Quare accerſitis conſiliariis, me adſtante, dixit. Num cernitis quam late hoc diſsidium ſerpat? quale exitium patriæ minetur? Occurrendum igitur quam primum huic malo, ne neglectæ patriæ ſalutis accuſemur. Tum illi (vt erant facundi adulatores) depone, inquiunt, Clementiſsime Princeps, hunc metum. Nos tempori hunc tumultum comprimemus. Tu ſaltem fac bono ſis
p.190. animo, genioque totus indulgeas. Vtilis eſt hæc ciuitatum diſcordia, quanto enim plus pecuniæ in mutuam perniciem effuderint, tanto minus poſtea virium habebunt, tuis iuſsis non obſequendi. Nonne ſolæ ciuitatum opes faciunt, vt Principum decretis contradicere auſint? His peſtiferis perſuaſionibus negligentiorem Principem fecerunt. Interea Suollani, priuatim & publice, de Principe immerente conquerebantur, vt Campenſium fautore, ſuæque cauſæ aduerſario, & ad defectionem ſpectabant. Demum clam ad Gelriorum Principem miſerunt, qui auxilium implorarent, quod is (vt eſt ditionis ampliandæ auidiſsimus) neque neceſsitudinis, neque beneficii paulo ante, dum fumaret Velauia, præſtiti memor, ſtatim miſit, ſed adeo latenter, vt prius bona nobilitatis Tranſiſulanæ pars caperetur, quam vt Suollanos ad Gelrium defeciſſe, aut Gelrium Epiſcopo hoſtem factum, quis ſuſpicari poſſet. Iam apertum bellum erat, prædæ, incendia, cædes. Vltraiectini vero, cum adiacente ditionis parte, ab iis ſeſe malis ſubtraxere. Epiſcopus tamen apud Cæſarem erat, ac ſpecioſis promiſſis animabatur. Tandem valedicto Cæſare, comitantibus duobus principibus, Maximiliano videlicet Gasbecano, & Guilielmo Rogendorpio, Campos venit, & ad tuendos ſuos, quicquid pecuniarum, quicquid aureorum argenteorumque vaſorum habebat, lubens obtulit, in Cæſareis nihilominus promiſsis, multum ſpei collocans. Hoc bello,

Hasletani, nunquam interituram fidelitatis erga Principem, gloriam, obſidione magnanimiter lata, adepti ſunt. Oldenſalenſes fortiter hoſtibus reſtituerunt, damnaque non modica intulerunt. Dauentrienſes ſuis corporibus, nedum opibus Principis iniuriam vlciſcebantur. His non immerito Stenuicani adnumerari meruerant, niſi partam gloriam, vino & ſomno ſepulti, vna cum oppido ſuo perdidiſſent. Campenſes tantorum malorum, & caput & cauda, in omni erga Principem officio frigidi ac negligentes erant. Multa hic volens prætereo, quod bellum hoc, in ſeptimo hiſtoriarum noſtræ ætatis libro accuratius deſcripſerim. Dum itaque a Cæſare, nihil præter litteras, & exiguam admodum (quantum ad hoc bellum debellandum pertinebat) pecuniarum ſummam, mitteretur, Cæſare profectionem in Hiſpanias adornante, Epiſcopus in Brabantiam venit, Cæſari neceſsitatem ſuam exponit. Rurſus promiſſa promiſsis cumulantur, & præterea nihil, præter Germanorum peditum aliquot vexilla, quæ in obſidione Genemeudæ, a Gelriis, fugata cæſaque ſunt. Cæſar in Hiſpanias iam iam abierat, Epiſcopus D. Margaritam, & eos quos Cæſar ditioni ſuæ præfecerat, adit, hortatur, monet, orat, promiſsis reſpondeant, neque ſinant, Gelrium contra Cæſaream Maieſtatem ac Burgundicum nomen toties inſoleſcere. Res de die in diem differtur. Nec deerant qui dicerent Gelrii cauſam magis, quam Epiſcopi promoueri. Interea Daventrienſes, cum Gelrio fœdus & ſi minus honeſtum, pro rebus tamen fere deſperatis, neceſſarium, iniere. Tum demum miſsi ſunt auxiliarii equites ducenti quinquaginta, ſed ſero. Suollani tandem bello feſsi & Gelrii imperium ſuſpectum habentes, occaſionem nacti, de ineundis certis pacis conditionibus, conſultabant. Dum itaque diuina bonitate, lætior aura nobis aſpirare cœpiſſet, Epiſcopus in extremam ægritudinem incidit. Medicus inſpecto lotio, tactis venis, occultam febrim indicat. Aduocatur alter medicus, is vix dum viſo ægro, de ſalute deſperare cœpit. Nondum biduo lecto decubuerat, quin certisſimam mortem adeſſe, medici muſsitant. Id ſiue æger audierit, ſiue ex vi graſſantis circa præcordia morbi intellexerit incertum. Sacellanum vocat, ac ſe confiteri velle indicat, ſecedunt qui circumſtabant. Confesſione peracta, cubiculum ingredior, nihil minus cogitans, quam quod agebatur. Interrogat, ſit ne Euchariſtiæ ſacramentum in arce? Reſpondeo ſtupidus, ſi non adſit, facile adferri poſſe. *Adferatur*, inquit, *nam illud ſumere deſidero*. Accurrunt nobiles & conſiliariorum aliquot. Ab his offenſarum veniam petit, & arcem in futuri Epiſcopi vſum commendat. Poſt hæc reſpirans paululum, *Deus*, inquit, *nouit, quod belli huius cauſa non fuerim*; moxque addidit, *Teſtamentum condidi, id ratum habeo: huiuſque exequutores præter nominatim deſcriptos, conſtituo Florent. Comit. Burenſem, Ioannem Comitem a Bergis, Antonium Comitem Hochſtratanum, & te*, inquit, *Domine a Boularia* is enim omnium nobilium chariſsimus illi adſtabat. Corpus ſuum (nam & illi hoc etiam cura erat) vna cum corpore Dauidis fratris Vltraiecti ſepeliri volebat. Interrogatus a me, num filiis (duos enim nothos reliquit ſuperſtites) pro-
videre vellet, *ſatis*, inquit, *habebunt, ſi probi fuerint*. Deinde Euchariſtiam, ſa- p.191.
no quam ægrotanti ſimilior, ſumit, mox oleo ſancto inungi ſe petiit, cruceque (vt fit) exoſculata, ſoli Deo ſeſe commendabat. Accedo propius, tracto manus, quas tanquam valedicturus porrigebat. Interrogo an ne melius haberet, tum his fere verbis reſpondit: *Bene ſum contentus* & ſurſum reſpiciens addidit; *Fiat voluntas tua*. Quod ideo eum addidiſſe crediderim, quod crebro contulerimus & dixerimus, fœlicem illum, qui vel ſemel cœleſti patri, ex animo dicere poſſet. *Fiat voluntas tua*. Ad vltimum, veluti quieti aliquantulum ſe compoſiturus, mortuus eſt. Aperto corpore, ſolus pulmo, nigricante quodam colore, quaſi exuſtus, repertus eſt. Cætera inteſtina nulla ſui parte corrupta erant. Hic finis tanti Principis fuit. Obiit autem Doreſtati, Anno Milleſimo quingenteſi-

mo vicesimo quarto, septima die Aprilis, ætatis anno sexagesimo. Sepultus est Vici, in templo Diui Ioannis Baptistæ, ad sinistrum latus fratri sui Dauidis Episcopi.

D. O. M. S.

OPT. PRÆSVLI, CLEMENTISS. PRINCIPI, PHILIPPO A BVRGVNDIA, BONI PHILIPPI BVRGVND. DVCIS FILIO, EPISCOPO VLTRAIECTINO, PATRONO B. M. IOAN. MALBODIVS, ET GERARDVS NOVIOMAGVS. P. C.

PAcis amatoris, *ternis bellique periti*,
   Quisquis ades *tumulum hic, mens super astra manet.*
Iniustos *hostes vix dum patientia victrix*
   Vicerat, *& morti cedere iussus obit*,
Collapsas *arces reparauit diuite cultu*,
   Prœlia *quod gessit, non sua culpa fuit.*
Perfidus *hac ciuis conflauit, perfidus auxit*
   Consul, *dum patriæ consulit excidium.*
   Præfuit Vltraiecti An. VI. Menses XII. Diebus XIV.
Obiit Dorestati. An. M. D. XXIV. VII. Aprilis. Ætatis Anno 59.

IMP. CÆSARI MAXIMILIANO AVGVSTO, P. F. P. P.
GERARDVS NOVIOMAGVS.

ET Iure *& merito Romanæ præsidet arci*
   Germanus, *mundi victor & imperii.*
Romulus *vt quondam vicit cum stirpe nepotum*
   Præcipuos *populos, præcipuosque Duces:*
Fortis *sic vicit Germanus fortia regna*,
   Germanus *præstans corpore, mente, manu.*
Id verum *ostendit clarus Burgundio, victor*
   Gallorum, *natus stemmate Teutonico.*
Francus, *Germanus probat hoc. Nortmannia diues*
   Hoc *docet in regno Galle animose tuo.*
Longobardus *adest victoris victor, & inquit*
   Germanos *patres lætus honoro meos.*
Sed priscam *linguam mutaui tempore longo*,
   Et mores *sumpsi Tuscia docte tuos.*
Hispanusque *potens gaudet iactare parentes*
   Germanos, *Gotthos, Anglia, Saxonicos.*
En quid *Germanus perfecit cuncta domando*,
   Et subdens *sceptris regna superba suis.*
p. 192. Iure ergo *regnas Romanæ Cæsar in arce*,
   Maximiliane pius qui pater es patriæ.

Hos versiculos, Maximilianus Augustus, accuratius lectos, ita adprobauit, vt authorem Poëtica laurea dignum pronunciarit. Actum Thenis Brabantiæ oppido. An. supra Millesimum quingentesimo, decimo septimo.

SEQVENTES VERSICVLI, LOVANII ÆDITI SVNT, AVTHORE NOVIOMAGO.

Maximiliane *pater patriæ, fœlicius opto*
Augusto *viuas, Traiani more gubernes.*
Te patrem *patriæ supplex tua turba rogamus,*
Da pacem *patriæ. Pax*
Soluit *carcere clausos,*
Tristia *quæque repellit.*
Ornat *compita & vrbes.*
Aurea *secula reddit.*
Pandit *Olympica regna.*
Da pacem *patriæ, supplex tua turba rogamus.*

ADCLAMATIO IN CAROLVM MAXIM. IMPER. CÆSAREM AVGVST. AVTHORE NOVIOMAGO.

Augusto *viuas felicior, optime Princeps.*
Traiano *melior regnes ter Maxime Cæsar,*
Te metuit *vesper, te laudent Indica regna,*
Orbis *te Arctous colat, & tibi seruiat auster.*

GENEALOGIA DVCVM BVRGVNDIÆ, BRABANTIÆ, ETC. COMPILATA PER MAGISTRVM EMONDVM DE DYNTER, ILLVSTRISSIMI PRINCIPIS DOMINI PHILIPPI HVIVS NOMINIS SECVNDI, DVCIS BVRGVNDIÆ, BRABANTIÆ, ETC. NEC NON ET TRIVM ALIORVM DVCVM PRÆDECESSORVM EIVS SECRETARII.

Liber generationis Philippi, Burgundiæ, Lotharingiæ, Brabantiæ & Limburgiæ Ducis, filii Caroli magni, filii Lotharii, filii Priami.

Priamus autem fausta Hectoris proles, a magno Priamo Troianorum Rege Hectoris Patre, nomen & genus trahens, genuit Marcomirum. Marcomirus autem genuit Pharamundum. Pharamundus autem genuit Clodium.

Clodius autem genuit Merouceum, Meroueus autem genuit Hildericum, Hildericus autem genuit Clodoueum, Clodoueus autem genuit Lotharium, Lotharius autem Cilpericum, Cilpericus autem genuit Lotharium Magnum. Lotharius autem genuit Dagobertum & Bilceldem.

ATTENDE STEMMA PER BILCILDEM, NAM PIPINVS CAROLI MAGNI PATER, EXCLVSO STEMMATE VIRILI FRANCORVM, FACTVS EST REX.

Bilcildis, vxor Asberti Principis & Senatoris, genuit Arnoldum. Arnoldus autem ex sancta Oda, genuit Arnulphum, Arnulphus autem genuit ex sancta

cta Dota, Angisum. Angisus autem ex sancta Begga, filia Pippini de Landen, Ducis Lotharingiæ & Brabantiæ, maiorisque domus, filii Carolomanni de Landen, Principis Brabantiæ & Hasbaniæ, genuit Pippinum grossum, alias de Harstal-
p. 193.lio. Pippinus autem de Harstallio, genuit ex Alpaide Carolum Martellum. Carolus autem Martellus genuit Pippinum paruum ex Duce & maiore domus factum Regem. Pippinus autem paruus genuit Carolum magnum. Carolus autem magnus genuit Ludouicum pium. Ludouicus autem genuit Carolum Caluum. Carolus autem Caluus genuit Ludouicum Balbum. Ludouicus autem genuit Carolum Simplicem. Carolus autem simplex genuit Ludouicum. Ludouicus autem genuit Lotharium Regem, & Carolum Ducem Lotharingiæ & Brabantiæ. Carolus autem Dux & hæres Franciæ genuit Gerbergam.

ATTENDE STEMMA PER GERBERGAM, NAM HVGO CAPET EXCLVSIS CAROLINIS, INVASIT REGNVM, CVIVS PROGENIES AD HVNC VSQVE DIEM, IN FRANCIA REGNAT.

EX Gerberga autem Lambertus Comes Louaniensis genuit Henricum Comitem & Marchionem Imperii. Henricus autem genuit Lambertum cum barba. Lambertus autem genuit Henricum huius nominis secundum Comitem. Henricus autem secundus genuit Henricum tertium. Henricus autem tertius genuit Godefridum cum barba huius nominis Ducem primum. Godefridus autem primus genuit Godefridum secundum. Godefridus autem secundus genuit Godefridum tertium. Godefridus autem tertius genuit Henricum huius nominis Ducem primum. Henricus autem Dux primus genuit Henricum secundum. Henricus autem secundus genuit Henricum tertium. Henricus autem tertius genuit Ioannem huius nominis Ducem primum. Ioannes autem primus genuit Ioannem secundum. Ioannes autem secundus genuit Ioannem tertium. Ioannes autem tertius genuit Ioannam, quæ rexit Lotharingiam, Brabantiam & Limburgiam & Marchionatum Imperii, per quinquaginta vnum annos. Genuit etiam Ioannes tertius Margaritam.

ATTENDE, STEMMA DEDVCI PER MARGARITAM.

EX Margarita autem, Ludouicus Comes Flandriæ, &c. genuit Margaritam. Ex Margarita autem Philippus quondam Francorum Regis filius, Dux Burgundiæ & Comes Flandriæ, &c. genuit Ioannem, Antonium & Philippum fratres. Facta autem diuisione inter fratres; Ioannes primogenitus qui sortitus est Burgundiam & Flandriam, &c. genuit Philippum secundum de quo infra dicetur. Philippus autem tertio genitus habuit comitatum Niuernensem, &c. Antonius autem secundo genitus, qui adeptus est Ducatus Lotharingiæ, Brabantiæ, & Limburgiæ, atque Marchionatum sacri Imperii, genuit Ioannem quartum, & Philippum primum, qui successiue vnus post alium sibi succedentes obierunt, nulla prole relicta. Philippus autem huius nominis Dux secundus, filius Ioannis, filii Philippi, ex Margarita, filia Margaritæ, filiæ Ioannis Ducis tertii, & sororis

ris Ioannæ Duciſſæ, prædictorum, tanquam proximior & legitimus hæres Philippi huius nominis Ducis primi, filii Antonii præſcripti, adeptus eſt Ducatus Lotharingiæ, Brabantiæ, & Limburgiæ, ſacrique Imperii Marchionatum ex paterna & auita ſucceſſione, de propagine domus Brabantiæ ſibi debitos. Hic Philippus cognomento Bonus, ex Iſabella filia Regis Portugalliæ genuit Carolum. Carolus ex filia Ducis Borbonii genuit Mariam.

ATTENDE STEMMA PER MARIAM.

MARIA, nupta Maximiliano Archiduci Auſtriæ, &c. qui poſtea Romanorum Imperator fuit, genuit Philippum Regem Caſtellæ, &c. Philippus, ex Ioanna filia Ferdinandi Regis Arragonum, genuit Carolum, qui Maximiliano auo ſucceſſit in imperio.



PE-

PETRI CRINITI
HISTORIA
RVSTICORVM
TVMVLTVVM.

LECTORI SALVTEM!
BVRCARD GOTTHELF STRUVE



Etrus hic Crinitus, alius a Florentino eiusdem nominis, Electori Palatino erat a ſecretis, vulgo Haarer dictus, Hiſtoriam deſcribit belli Ruſticani, quod apud Sueuos cœpit, exinde ad Rhenenſes, Francos, Haſſos & Thuringos fuit perductum. Exponit autem, prout ipſe in præfatione loquitur, ea, quæ partim ſuis oculis viderat, partim quæ a fide dignis acceperat. Hinc ſingularia in ſingulis locis geſta enarrat, ad ea vero ſaltim facit, quæ apud Sueuos, Rhenenſes & Francos geſta, ideoque annum ſaltim 1525. abſoluit. Vernaculo primum ſermone prodierat hoc ſcriptum, quod, vti ipſe in præmiſſa teſtatur præfatione, ipſe in latinum transtulit, ſtylo tamen admodum horrido. Hoc autem ex Bibliotheca Palatina Electorali ſe deſumſiſſe in Syllabo Auctorum præmiſſo teſtatur Freherus. Denuo illud germanico idiomate ex locupletiori quodam Manuſcripto prodiit Francofurti 1627. 4. idemque in capita diſtinctum, quæ noſtræ editioni adiecimus, & ex eadem quædam ſuppleuimus. Contulimus cum eodem Petri Gnodalii Ruſticanorum Tumultuum in Germania libros V. qui in Schardii Tomo ſecundo Rerum Germanicarum reperiuntur, Seckendorffii Hiſtoriam Lutheraniſmi, & Sleidani librum Quartum Commentariorum de ſtatu Religionis ſub Carolo V. Subiunctum eſt Io. Atrociani, Germani Carmen de bello Ruſtico, quod cum aliis eiusdem elegiis Baſileæ olim a. 1528. fuerat impreſſum.

RV-

p.194. RVSTICORVM TVMVLTVVM IN GERMANIÆ DIVERSIS PARTIBVS ANNO M. DXXV. EXORTORVM, ET A MAGISTRATIBVS FOELICITER SEDATORVM, HISTORIA PETRO CRINITO, VULGARITER HARER, SCRIPTORE.

REVERENDISSIMO ET ILLVSTRISS. PRINCIPI AC DOMINO, ALBERTO S. ROM. ECCLESIÆ TIT. S. PETRI AD VINCVLA PRESBYTERO CARDINALI, MOGVNTINENSI ET MAGDEBVRGENSI ARCHIEPISCOPO, SACRI ROM. IMPERII PER GERMANIAM ARCHICANCELLARIO, PRINCIPI ELECTORI, PRIMATI GERMANIÆ, MARCHIONI BRANDENBVRGENSI, DVCI CASSVBIORVM, POMERANORVM ET SCLAVORVM, BVRGGRAVIO NVRENBERGENSI, ETC. PRINCIPI OPTIMO ATQVE CLEMENTISSIMO.



Librum de seditione rustica a me formatum, Reuerendiss. ac Illustrissime Princeps, & nunc quo posteritati consecretur Latine factum non alienum putaui tuæ Illustriß. Dominationi mittere. In quo cum & nonnihil de turbis in T. Illustriß. Dominationis ditionibus exortis, & studio, cura, labore Principis Palatini, seculorum memoria dignissimi, sedatis contineatur, non ingratum meum obsequium fore speraui. Quod si exactissimam diligentiam T. Illustr. Dominatio requirat, materiæ Barbara & inculta illa vocabula non potuisse mitius mitigari, consideretur velim. Quod vero ad historiæ fidem attinet, nihil me prætermisisse certo scio. Vnde Reuerendissime & Illustriß. Princeps Illustriß. Tua Celsitudo, meæ voluntatis, si bonum hoc meum opusculum iudicabitur, studium, sin non perinde aptum fuerit, obsequium approbet, & serena facie qualecunque hoc est munusculum suscipiat, susceptumque mei studii & officii erga T. Illustriß. dominationem pignus habeat, obnixe deprecor. Ille in quo sumus, viuimus & mouemur, Illustr. T. Celsitudinem, cui quam humiliter commendari cupio, diu felicem custodiat.

E. T. Illustrissim. Celsit.

Humillimus Petrus Harer.

PRÆFATIO.



Vm in omnibus historiis res gestas mortalium tractantibus, nil magis abominandum inueniatur, quam vbi eadem in domo, eadem in ciuitate, eadem in Republ. in eodem denique regno vel Imperio viuentes, inter se ipsos discordes, seditioni & dissensioni studuerint; id quod experientia ipsa, & præcipue Romani totius orbis gubernantis Imperium docent, duobus insignibus facinoribus, altero quidem L. Catilinæ (qui homo fuit animo audaci, subdolo, vario, alieni appetens, sui profusus, immoderata, incredibilia nimis alta semper cupiens) primum occulta seditione, mox erumpente tumultu manifesto, cum sibi adhærentibus Senatui Romano timorem quam maximum incutientis. Altero vero quando idem Imperium, ex antiquo more a Consulibus administratum, per incrudescentes C. Iulii Cæsaris & Pompeii ambitiones & odia diuisum, labefactatum & extinctum est. Enim vero scelus hoc omnipotenti Deo, maxime displicet & grauissime sæpenumero punitum est, nec vnquam felices successus habuit, aut eo quo cœptum fuit deductum est. Quod vel vnico sed vero & manifesto exemplo sacris ex literis edoceri potest. Vbi Chore tam generis claritate quam eloquentia nobilis vulgus Israeliticum alioqui credulum, verbis phaleratis suam traxerat in sententiam, vt contra mitissimum & a Deo electum virum Mosen, cuius honori iam pridem ille inuidebat, conspiraret. Adiunxerat ita sibi duos neutiquam obscuros viros, Dathan videlicet & Abiron, ingentes illis promittens opes & honores, qui toto populo spectante, suæ seditionis pœnas luentes hiatu terræ viui absorpti sunt. Chore vero huius exacerbationis author cum ducentis quinquaginta viris incensum offerentibus, igne cœlesti consumptus est. Porro populus quia contra Mosen & Aaron murmurauerant, non id impune tulit, siquidem XIV. millia hominum, & septingenti, simili pœna perierunt, & nisi Aaron iam domini precibus mitigasset, vniuersos hoc exosum Deo scelus perdidisset. Postquam ergo hoc anno a Jesu nato M D XXV. seditio & crudelissima & periculosissima ignobilis vulgi contra superiores & magistratus in Germania coorta est, operæ pretium me facturum puto, si, quæ partim hisce oculis vidi, partim quæ a fide dignis hac de re comperi vel accepi memoriæ posterorum tradidero. Exequar autem illa potissimum quæ circa Rhenum celebratissimum Germaniæ flumen, & Palatinatus tractum gesta sunt. Quibus quidem in regionibus tumultus, meo videre, præ cæteris temere perfideque motus atrox & sæuus fuit. Candidi lectoris erit operam nostram boni consulere, & turbas easdem tum copiosius, tum elegantius mandare literis. Primum tamen a rusticis designata circa Danubium multi nominis fluuium & Lacum Podmicum, & in Algauia finitimisque locis. Tum mox quæ contra hos Nobiles Sueuorum confœderati gesserint paucis attingam. Haut aliter enim, quam pestilens quoddam contagium alios ex aliis hoc malum inuasit.

DE



CAP. I.

p. 156

DE RVSTICA SEDITIONE PRIMVM IN PARTIBVS HEGAVIÆ ORTA.



ANno ergo iam dicto, ineunte vere conuenerunt primum ad res postea gestas tractandas, subditi Comitis a Lupfen in Hegauia, qui suis magistratibus conditiones quasdam contra quædam grauamina, suo arbitrio recipiendas confirmandasque obtulere, & tandem violentis postulationibus exigebant. Hac fama apud finitimos sparsa & in Algauiam vsque prorepente, fortasis non sine culpa quorundam isthic agentium procerum magnatumque, multo plures eadem de re, pluribus ex locis frequenti concursu contra Magistratus, nulla iuris vel integritatis, aut fidei datæ ratione habita cœperunt insurgere. Sic illis tandem in Algauia (vt dicere cœperam) in loco cui Alba nomen est, quod ego ab Alpibus esse inditum, sunt enim illic altissima iuga montium, crediderim, tum prope Vlmam congregatis, eo ventum est, vt eius mali causa, præsertim cum eiusdem temporis occasione, Illustris Princeps Hulderichus Dux Wirtembergensis, amissum Imperium Ducatus recuperare conaretur, nobilissimi Sueuici fœderis heroes, Vlmæ conueniendi diem dixerint, vbi per eorum legatos, quo pacto iis rebus esset consulendum, diligenter consulebatur. Contraxerunt igitur & ipsi geminas non vulgari robore, tam pedestres quam equestres copias, omni commeatu instructas, præfecto his Imperatore generoso & clarissimo barone Georgio Erbtruchses Waltpurgensi. Quas cum aduersus se produci Dux Wirtenbergensis sentiret, ab incepto suo desistere, dimisso exercitu rebus infectis, quanquam vnum aut alterum eius terræ oppidulum inter Rotwilam & Stutgardiam iam occupauerat, coactus est.

Gnodalius lib. 1. p. 132. *Reusneri* Hist. Frundsberg. lib. 3. p. 51 *Sleidanus* lib 4. p. 112 *Seckendorf* lib. 2, sect. 3. §. 3.

CAP. II.

DE COEPTA REPVGNATIONE CONFOEDERATORVM CONTRA SEDITIOSOS.

INterea quæ pacis sunt, & ad publicam pertinent tranquillitatem, per fœderis Sueuici consiliarios cum seditiosis rusticis in ipsorum castris, prope Vlmam positis tractabantur. Nihilominus Georgius exercitus Imperator ferro decernere constituit. Itaque XIV. Kalend. Martii, cum exercitu suo aduersus seditiosos rusticos quatuordecim numero millia, vt dimicaret profectus est. Et cum ipsi castra inter Vlmam & Biberacum in carectis collocassent, hic non procul inde intra dimidium miliare sua posuit. Nam posteaquam pertinaciter perfidiæ suæ furorem rustici sequerentur & confœderatorum milites, qui prædas agebant aliquot confodissent, nonnullos item nobiles, præterea monasteria occuparent, exspoliarent, vastarentque, nihil denique non temere, contumaciter, malaque fraude facerent, facereque conarentur, nulla pacis conciliandæ spes, quam per manuum consertionem superesse visa est. Verum (incertum qua occasione, vel cuius impulsu) eadem nocte rustici ex eo loco abeuntes, copias suas ad monasterium Marchtal promouerunt. Id ipsum, vt cætera, omnino occupantes & vastantes. Hos e vestigio Georgius cum suo exercitu, vt prœlium committeret, secutus est: Isti vero,

Gnodalius c. l. *Sleidanus* p. 113.

vero, fortunam belli minime experiri volentes, disgregato, disperſoque exercitu, huc illuc fugientes, Alpium atque Syluarum præſidio ſaluti ſuæ conſulebant.

CAP. III.
DE OBSIDIONE DVORVM OPPIDORVM LEYPHEIMII ET GVNTZEBVRGII A SVEVICO EXERCITV.

Gnodalius p.133 *Sleidanus* p.113.

PEr idem tempus Sueuici fœderis exercitus Heroum iuſſu Vlmam verſus rediit, & inter vias pleraſque villas deprædatas incendit, incolarum inuento nemine: Verum cum duo oppida Leypheimium videlicet, & Gunzeburgium cum finitimis pagis ferme ad Auguſtam vſque Vindelicam, nobilisſimam Rhetiæ vrbem facta coniuratione ſeſe addixiſſent, & ſe duobus exercitibus ſimili ad ſeditionem ſtudio, p. 197. altero apud Lacum Podmicum, altero in Algauia congregatis, deuinxiſſent, placuit Suecorum confœderatis dicta oppida IX. Cal. Martii obſidere.

CAP. IV.
DE RVSTICORVM CÆDE PER CONFOEDERATOS EDITA.

Gnodalius c. l.

GEorgio itaque Duce, vt decretum erat, equitatus confœderatorum in ruſticos ſex millia numero incidit. Hic illico acriter pugnatum eſt, & aliquot ruſticorum millia confoſſa, aliis partim captis, partim animam in Danubio relinquere coactis, paucisſimis fuga elapſis. Sunt eodem die centum triginta equites ex Vlma ad pagum Navve dictum trans Danubium miſſi, vt ſi quos a Leypheimenſibus in auxilium accerſitos offendiſſent, profligarent. Hi plus minus octingentos ruſticos obuios omni armatura bellica inſtructos habentes ferrum ſtrinxerunt, fugientibus illis circiter ducenti quinquaginta cæſi, CC. capti, reliqui in carecta coacti ſunt. Sed equites virgultorum aſperitate & inſolentia loci repulſi ad exercitum redierunt.

CAP. V.
DE DVORVM OPPIDORVM EXPVGNATIONE.

Gnodalius c. l.

SVeuici igitur fœderis vniuerſus exercitus equitatu peditatuque inſtructus Duce Georgio oppidum Leypheimium obſedit, incolæ in deditionem poſtulati ſe arbitrio confœderatorum dediderunt. Eodem modo qui in Guntzeburgo & aliis pluribus adiacentibus pagis & vicis erant, veniam petierunt, & in Sueuici fœderis gratiam & pœnam ſunt recepti. Verum Duces & auctores huius ſeditionis ab aliis ſegregati ad ſupplicium cuſtodiebantur, quorum plerique in crucem acti, alii decollati, alii aliis ſuppliciis puniti ſunt. Tandem Leypheimium peditibus, Guntzeburgum equitibus diripiendum permittitur.

CAP. VI.
DE STVDIO, VT RES PACFICE COMPONERENTVR HABITO.

Gnodalius c. l. *Sleidanus* p.113.

NIhil interea prætermiſſum, tum per Cæſarei regiminis, tum aliquarum ciuitatum, nempe Conſtantiæ, Memmingæ, Iſnæ, aliarumque Legatos apud conſiliarios Sueuici fœderis, qui eius rei gratia Vlmam conceſſerant. Huc etiam nonnulli ex copiis, quæ tum apud Lacum Podmicum & in Algauia collectæ erant, ſelecti quidem, fide publica interpoſita venerunt. Nihil tamen actum quod Reipublicæ conduceret, nec tempeſtas illa ſedari poterat, ſed qualis cœpta erat manſit.

CA-

CAP. VII.
DE BALDRINGENSIS EXERCITVS AVSV.

Gnodalius c. 1.

EO tempore rustici in carectis prope Baldringum rursus haud exigua manu congregati sunt. Quibus a duobus exercitibus apud Lacum Podmicum & in Algauia constitutis, admodum magna auxilia missa sunt. Hi interea Comitum atque nobilium castra expugnata expoliauerunt, vastarunt, atque incenderunt. Charitatem fraternam (de qua plurimum præ aliis in Christo Seruatore nostro gloriabantur) omni crudelitate, tyrannide, nequitia declarauere. Circumiacentia quoque monasteria exspoliare, euertere, deuastare, nec aliter agere quam qui nec Deum, nec homines, nec quod ius, fas, honestumque est, reuerentur. Qua re cognita, Georgius cum vniuerso exercitu prædictis iam duobus oppidis in deditionem acceptis, iisque qui auctores seditionis fuerunt, supplicio affectis, ad Lacum Podmicum & Algauiam se contulit, vbi quotidie contra hostem summo studio consultauit.

p. 198.

CAP. VIII.
DE CLADE APVD OPPIDVM VVORTSACVM * EDITA

Gnodalius c. 1.

HIs rebus ita transactis V. Non. Martii vergente ad occasum sole, circa horam quintam, seditiosorum rusticorum septem millia prope oppidum VVortsacum quod a Biberaco duobus ferme miliaribus abest, Georgius cæcidit. Et cum ex captiuorum relatione intellexisset adhuc VIII. milia rusticorum prope Weingarten, id monasterii nomen est haud procul a Rauenspurgio distantis, congregata, postridie cum prima luce vniuerso cum exercitu eo se contulit cum hostibus conflicturus. Verum isti quæ complicibus suis acciderunt plane nescii eo ipso mane Weingarten relinquunt, exercitui apud Wortsacum deleto, quem adhuc superesse putabant, auxilium contra Sueuicas copias laturi. Quo per explorationem cognito (quæ strenuo atque circumspecto exercitus Duci semper esse curæ debet) Georgius iam in campis aciem aduersus hostem instruebat. Sed isti fortunam belli non expectantes ad carecta & equitibus inuia loca confugiebant. Plurimum tamen incommodi fugientibus ex bombardarum tormentis illatum est. Verum iam ingruente nocte, Georgius ab hostium persecutione desistere coactus est. Itaque eo ipso in loco pernoctans castra posuit. Postera die qui Pascha erat, aduersus hostes dimicaturus.

CAP. IX.
QVID ADVERSVS SEDITIOSOS APVD LACVM PODMICVM ET IN ALGAVIA SIT.

Gnodalius c. 1.

SEptima decima die mensis Aprilis clarissimus ille atque magnanimus vir Georgius cum vniuerso exercitu aduersus seditiosos, qui tunc apud Lacum Podmicum & in Algauia congregati erant, profectus est. Quo veniente ad Beierfurdum (quod vatum Boiorum nos dicere possumus) ambo exercitus vltra fluuium cui nomen Schussen, in eminenti loco prope montem magna collocati caterua vineas tenebant, sed prius, quam Georgius eodem loco exercitum machinasque bellicas transuexisset hostes summa velocitate per planitiem monasterium Weingarten petierunt, cum quibus equites pugnassent nisi Ducis interdicto fuissent prohibiti. Perspexerat enim vir longe prudentissimus ingentem rusticorum exer-

* Wurtzachi

** Postulata rusticorum late recenset Gnodalius *lib. I. p. 134.*

ercitum nempe circiter ſedecim millia, & eis milites haud parum multos re bellica probatiſſimos commixtos eſſe. Ad hæc machinæ bellicæ ad deſtinatum locum tam breui transuehi non poterant; Præterea & grauiſſimam ignominiam, & periculum, ſi res infeliciter cecidiſſet, futurum. Laboratum eſt interim tamen quoquo modo, quo bellicæ machinæ contra illos adducerentur. Quibus in hoſtem directis (dictu mirum) quantum detrimenti ſit datum. Interea generoſus Comes Iohannes a Montfort, & Rauenſpurgenſium Legati, Scriba & quidam nomine Criglin, item Wolfgangus Gremlich continua cura & diligenti ſollicitudine noctes atque dies vt pax fieret inſtabant Georgio ſupplicantes, humano & præcipue Chriſtiano ſanguini quantum eius fieri poſſet, parceret, id quod alioqui per ſe ſtudio habebat, & conditionibus ** illos a Sueuicis confœderatis præſcriptis reciperet. Qui exoratus tandem exercitus vtrosque eo adegit, vt Duces & ſigniferi eorum veniam eis rogarent, & omnia vexilla ſua ipſi traderent. Sub hæc altero die conditiones, vt æquum erat, oblatæ receptæque ſunt, & exercitus ruſticorum diſtracti.

CAP. X.
VT HOC MALVM LATIVS SERPERE COEPERIT.

Gnodalius c. l. 133. 134.

SAne cum ille mille artifex Sathanas, quem Chriſtus homicidam & mendacem appellat, quique humani generis inimicus, & omnis diſcordiæ author in rebus tam periculoſis, ſibi autem mire placentibus, veluti prædam agere ſperans haudquaquam quieſcit, rem eo deduxit per ſibi deditos ſeruos, vt a fructibus ſuis cogniti ſunt, vt ſub ſacroſancti Euangelii ſpecie, quod certe ſolatio oneratis conſcientiis eſt & omnis obedientiæ lucidiſſimum ſpeculum, quemadmodum & primos parentes noſtros decepit, & a Deo optimo maximoque abalienare p. 199. ſtuduit, aliquæ poſtulationes ad ſeditiones potius quam ad pacem pertinentes, & carnis potius quam ſpiritus libertati conuenientes per vniuerſam pœne Germaniam diſſeminarentur. Quæ meo iudicio ex peruerſo Thoma Muntzer in Thuringia primum pullulauere. Semper enim præcipuas huius ſeditionis & artes & partes, apud turbas longe lateque furentes, ſuo tempore protulit & fouit. Verum ignobile vulgus, quod ſua ſponte iugum excutere, & ſe in libertatem vendicare propenſum eſt, lubentiusque multo ſine, quam ſub legibus cupit viuere, iam dictas poſtulationes ardenti cupiditate, & obuiis (vt aiunt) vlnis excipiebat. Pars quidem eisdem deprauatæ ſuæ ſententiæ fomitem nacti, pars aliorum inſolentia, leuitateque excitati, de nouo commoti excitabantur. Plerique (mea opinione) auaritia ſpeque prædæ impulſi, quam plurimam animo conceperant. Hac de cauſa ſubditis & infima plebe paſſim contra magiſtratum ſeditioſe tumultuante, illa cruentiſſima labes, fas, pium & æquum, omniaque iura corrumpebat.

CAP. XI.
DE ORIGINE SEDITIONIS OTTO-SYLVANORVM.

Gnodalius p. 113. *Sleidanus* lib. 4. p. 114.

INtra hæc tumultus in oppidulo Ballenberg dicto in ſylua Ottonis, ſub reuerendiſſimi Moguntini Archipræſulis ditione exoritur, ſed huius factionis Ducem & anteſignanum operæ pretium eſt vt deſcribam. Is quidam in eo quem iam nominaui oppidulo caupo erat, Georgius Metzler vocatus, qui potiorem ætatis partem quotidianis commeſſationibus, nocturnis perpotationibus, alea, luſibus, & id genus leuitatibus tranſegerat. Huc ergo ſeditioſi ex omnibus finitimis locis non aliter atque apum examina conuolabant, & quodam nequitiæ ſuæ prætextu in prolatas ab aliis poſtulationes, & verbi Dei defenſionem conſpirabant, cum nil aliud quam omnia diuina humanaque, hactenus laudabiles conſuetudines obſeruatas, publi-

publicam pacis tranquillitatem & vnitatem confundere, prorsusque abolere cogitarent. Multi ergo circa Idus Februarias ex Rotenburgensium colonis, (duo millia fuisse feruntur) quibus alii aliique indies accesserunt. Præterea ingens turba ex Palatini, Moguntini, Herbipolensis, Principum, dominorum Teutonicorum, aliorumque nobilium atque primatum ditione, in syluæ Othonicæ valle quadam Schupfer dicta paucis diebus conuenerunt. Hi omnes coniunctis copiis Georgium Metzler, cuius paulo ante mentionem fecimus, sibi summum ducem elegerunt. Quanquam autem alias multos eiusmodi Duces iam exercitui præfecissent, hunc tamen summum, vt dixi, esse voluerunt. Erat autem inter eos tam discors concordia, vt ferme quilibet potestatem sibi vendicaret. Specie tandem aliqua magistratuum officiorumque militarium pro viribus constituta, vicina quæque inuadentes, vndecunque poterant, prædas agebant, excitantes imo cogentes quocunque alios, repugnantes etiam, secum sentire, additis minis, vt quicunque complices esse nollent, aduersus illos, vt publicos hostes, pugnaretur. Sic breui maximas copias coegerunt.

CAP. XII.
DE OCCVPATO OPPIDO ET ARCE MERGETHEIM, ET QVIBVSDAM ALIIS.

PErrexerunt ergo ad oppidum Mergetheim quod dominorum Teutonicorum est, cuius incolas sese eis vt adiungerent postulabant. Verum cum ciues iam pridem aduersus magistratus rebelles essent, nam paucis diebus elapsis, fere quingenti curiam abbatis in Schœnthal, quam illic habet occupauerant, duos dies & noctes totidem in ea conuenientes, circiter quinque plaustra vini exhauserant. Vocati a magistratu, vt huius facti rationem redderent, & quid ea re sibi velle indicarent, responderunt, se poscere librum censuum redituumque, & inde quod illis iniquum videretur velle delere. Itaque hæc rusticorum turba in oppidum sine vi intromissa est, irruunt in arcem illico, & quia commeatu copioso & affluenti erat instructa, manserunt illic dies aliquot, indulgentes genio, vinoque madentes, diuiso inter se quicquid lubebat. Nec prætermittebant finitimos quosque (quemadmodum plerosque Comites & nobiles postulauerant) in suas partes pellicere. Deinde arcem supra oppidum Mergetheim, ad Teutonicos dominos pertinentem, quæ & noua domus dicitur, violenter capiunt, expoliant flammis prorsus funditusque euertunt. Erant inter hos bonos viros eorundem Teutonicorum dominorum domestici quidam & priuata fide obstricti ministri. Hinc monasterium Schœnthal, elegantiores pulchram vallem vocant; occupant, monachos reformant, quicquid frugum, vini, penoris, & pecoris, & supellectilis erat, auferunt, libros precum Ecclesiasticarum, & alios lacerant, fenestras elidunt, charitatem fraternam fratribus istius monasterii plane more Turcico impertientes.

Gnodalius c. 1.

p. 100

CAP. XIII.
DE GESTIS EORVNDEM CONTRA COMITEM AB HOENLOE.

PErgunt interim in ditionem Comitis ab Hoenloe, ad oppidum Oringam illud enim Hoenloenses rustici iam, senatu isthic in turres coniecto, tenebant. His coniuncti IX. Cal. Martias, vna vt fama est, ad Neopetram, vulgo Nevvenstein, in proximo sitam proficiscebantur. Ibi generosus Comes Albertus ab Hohenloe vt plurimum familiam suam habebat, qui iam cum fratre suo Georgio relicta tamen vxore abierat. In hac igitur arce, haud difficulter capta, Comitis vxor deprehensa spe gratiæ impetrandæ ad præcipuorum pedes se prouoluit, sed parum

Gnodalius c. 1.

impetrauit, ſic vero res tranſacta eſt, vt dicti Comites ambo poſtera die domi ſe ſiſterent, nempe in Nevvenſtein, iiſque auditis ruſtici, copias in rus produxerunt, auectis tamen omnibus, vt & in Oringa quoque tormentis tam in arce quam in oppido repertis. Ergo ruri ſuam Comitibus ſententiam, vt ſequitur, exponunt, velle omnes ex præſenti agmine, quod tum rerum potiebatur, ſerioque decernere vt vterque duodecim conditiones illis ex Schœnthal propoſitas reciperet, ſuaque fide firmaret. Omnes præterea vel captos vel iuratos ſuos impunitate & libertate donaret, & fide data abſolueret. Vtque hæc ſuis literis & ſigillis confirmarent & corroborarent, ac in centum & vnum annos ſe obſeruaturum promitteret. Hæc a Comitibus ita recepta ſunt. Mox ruſtici exultantes omnia tormentorum iacula emiſere. Præterea a Comite vt euectas bombardas omnes vtendas ſibi concederet impetrarunt. His itaque geſtis diſceſſerunt. Poſthæc multi tum nobilibus tum aliis in ſuas partes vel vltro conſociatis vel coactis ad flumen Tuberim redierunt, ibi oppidum Curiam Epiſcopalem, vulgo *Biſchoueshein*, occupauere. Occupant deinde oppidum Lauda & arcem, incolis in fœdus & fidem ſuam receptis, arce direpta & incenſa. Aliquo denique tempore iſthic in Mergetheim caſtra metati ſunt.

CAP. XIV.

DE SEDITIOSIS CIRCA HEILPRONNAM CONGREGATIS.

Gnodalius c. 1.

INterim hæc furia latius alas expandit, & magna multitudo in vico quodam Flein dicto, ſupra Heilpronnam ſito IX. Calen. Martias, cum aliorum ſeditioſorum geſta olfeciſſent ad MCC. fere reliquis coniuncti concurrunt. Qui ſimul per vadum quoddam inter Heilpronnam & Suntheimium Neccarum multi nominis flumen tranſierunt, & Suntheimenſes, id enim pago nomen eſt ad Teutonicos dominos pertinenti, in ſuas partes coegerunt. Profecti deinde Grosgartacum, Canonicorum Bruſſellenſium vina illic exhauriunt. Finitimos ſibi partim fraude, partim minis deuincientes. Equidem terrore pleroſque bonos viros, alias fidem integram magiſtratui ſeruaturos, infactionem ſuam compulerunt. Omnibus enim exitium qui non idem vellent minitabantur. Hinc Bylſtein & Othmar pagos duos ita dictos inuadunt. Verum cum illic quod inſtituerant non ſatis ſuccederet, Suntheimium repetunt, & in vicis Erlenbaco & Binszvvangen caſtra ponunt; Non tamen ita diu hoc loco morati, nihil aliud effecerunt, quam quod vicinos in ſuam impulere ſententiam. Tandem oculos Oringam verſus intenderunt, Othoſyluanis illic ſe adiungentes.

CAP. XV.

DE RVSTICORVM AD NECCARSOLMVM PROFECTIONE. p. 201.

VTraque iam turba in vnum collecta oppidulum Neccarſolmum, quod a Neccaro alluitur, ſub Teutonicorum magiſtri ditione peruenerunt. Quod haud difficulter obſequentibus incolis captum eſt. Hic ergo caſtra ſua collocabant, & ingluuiei, nam plurimum commeatus præcipue vini a Teutonicis illis dominis illic relictum erat, indulgebant.

CAP. XVI.

DE RVSTICORVM TYRANNICIS GESTIS IN VVEINSBERG.

Gnodalius p. 140. Sleidanus lib. 4. p. 114.

ABerat hinc vno miliari in montibus oppidum fertile, vna cum arce, Weinſperg dictum, recentiores vini montem appellant, ſub Ducatu Wirtembergenſi, in quo inhabitantes ciues contra fidem datam, ius, fas, & æquum, crudeliſſimum

simum sceleratissimumque scelus, quale vix aliud vnquam auditum est, contra suum magistratum, mutua cum exercitu, qui tum in Neccarsolmo erat, conspiratione machinabantur. Nulla adeo ex re istuc mali, quam ex mera & pertinaci malitia fluxerat, quippe cum nec coacti essent a quoquam, nec obsessi. Adhæc habebant secum equites ferme LXX. viros virtute & imaginibus illustres, quos eo, ii qui Ducatum Wirtembergensem administrabant, in præsidiis arcis,& oppidi locauerant. Inter eos autem hi præcipui numerantur, Generosus Comes ab Helffenstein Ludouicus nomine,cui arcis & oppidi præfectura commissa erat, nobilis Dietherus a Wyle cum filio, Iohannes Conradus præfectus in Vahinga, Sebastianus ab Auue, Georgius Wolff a Noua domo, cum cognato suo Friderico, Eberhardus Sturmfeder, IohannesDieterus a Westerstetten, Rudolfus ab Altershouen, Burchardus ab Ohingen, Philippus a Berenhausen, Georgius a frigida valle vulgo Kaltental, & quidam a Hornheim. Ciues ergo cum exercitu qui Neccarsolmo erat, de proditione consilium capiunt, & exercitum, equitum negotium patefacientes, instigant, & ad peragendum impellunt. Agmen ergo Solmensium facile ad hoc facinus impulsum (vt cui sponte currenti calcaria subiiciebantur) nocte castra mouet, & summa velocitate vallem vinimontanam petit. Postera die quæ Christo resurgenti sacra erat circa horam nonam bifariam diuisi, pars in arcem, pars in oppidum ingenti cum clamore & tumultu portis effractis impetum faciunt. Hinc contra nobilissimi illi, Comes, armigeri, & equites in subsidiis (vt dictum est) locati, clam & incauti & inermes a proditoribus opprimuntur, vt qui nil minus quam tam atrocem ciuium fœdifragorum perfidiam sperauerant. Tum ciuium bellicæ machinæ in altum directæ, irruentium hostium de industria neminem plane lædebant, sic primo impetu nemine repugnante, arx & oppidum capta sunt. Quibus non contenti, vesanam & furiosam, quam diu meditati fuerant, tyrannidem exercere, & omnem animi libidinem iuxta plebiscita sua in centum & vnum annos decreta, expleuerunt. Illa fuerant, omnes Principes, barones, nobiles, equites, & quicquid calcaribus vteretur, præterea sacerdotes, monachos aut otiosos, vbi vbi inuenti fuissent e medio tollendos esse, fortassis confratrum sanguinem, a Sueuicis confœderatis effusum, id quod postea ex quorundam relatione compertum est, vindicaturi. Ad hoc igitur viam parantes, vt timorem horroremque nobilius incuterent, iam dictos, Comitem, & nobiles crudeliter, horribiliter, & plus quam inhumane in hastas egerunt.Fuga se Dietherus Weyler vir procerus in ecclesiæ turrim subduxerat, quem illic confossum, ad ludibrium in cœmiterium proiecerunt. Adeo porro obstinatæ malitiæ nefarii & scelesti latrones erant, vt nec equitum nobiliumque innocentibus pueris parcerent, sed omnes duobus tantum exceptis, quibus magna fortuna calamitasque iuxta nota esse potest, miserabiliter interficerent. Et vt omnino suæ facerent satis temeritati, & libidinem explerent, Comitis iam dicti vxorem honestissimam fœminam, omnibus quæ habebat spoliantes, in eam & filiolum brachia saucium multa crudelissime designauerunt. Hæc quisquis virtutem amas tecum cogita, & eiusdem tam nefarie oppressæ vices dole.

CAP. XVII.

p. 202. VT PALATINI MAGISTER EQVITVM SE CONTRA SEDITIOSOS GESSERIT.

INterim Palatini Magister equitum Guilielmus ab Habern ex Mospaco, quo cum equitatu, ad præsidia missus erat, iussu Palatini ad Comitis Ludouici ab Helfenstein postulationem, de quibusdam cum eo rebus in Weinsperg tractandis iter instituit. In itinere vero ex monte quodam haud procul a Weinsperg, *Guodalius c. 1.*

seditiosorum furore quem in oppido & arce exercebant, cognito, cum paululum spectator constitisset, ad suos qui in Mospaco erant rediit. Inter vias autem in rusticos LX. aut plus armis paratos, qui bellico curru ad exercitum se conferre voluerant, incidit. His viam intercludens magister equitum, & pugna commissa, omnes ad internecionem vsque deleuit, multis tamen eo in conflictu equis sauciatis. Qua fama ad alios perlata, multa esse minati atrociter dicuntur, auenam hanc, alludentes ad cognomen magistri equitum, egregie se trituraturos, & si ex arce Palatini petenda foret.

Cap. XVIII.

VT RVSTICI VINI MONTE PROFECTI MONASTERIVM LICHTENSTERN OCCVPAVERINT.

Gnodal. p.147. VT igitur boni illi viri scilicet, rem suo videre egregie ex sententia gesserant, arce & oppido præsidio firmatis, abierunt ad virgines vestales Claræ stellæ, hoc monasterio nomen est apud Leuuenstein sito. Apud has magni vini copia exhausta, & elisis vasorum quæ epotare non poterant fundis, effusoque humi vino, more suo monasterium vastarunt,& depopulati sunt. Hinc generosos Ludouicum & Fridericum Comites a Leuuenstein fratres adorti sunt,eosque cum suis suo arbitrio tractarunt. Deinde ad eos quos in Neccarsolmo reliquerant, reuersi Teutonicorum dominorum arcem Scheuuernburgum dictam, exigua manu, nemine resistente, omnes enim hinc præ timore aufugerant, aggrediuntur, spoliant, & flammis crepitantibus in cineres redactam per aera spargunt.

Cap. XIX.

VT RVSTICI HEILPRONNAM CIVITATEM IN DEDITIONEM POSTVLAVERINT.

Gnodalius c. 1. HIs gestis exercitus Heilpronnam obsedit, & monasterium Carmelitarum extra muros occupatum deprædatur, & solo æquat. Mox ciuitatem in deditionem postulat. Quæ quidem res Senatui parum placuit. Et repugnaturus erat, nisi sententiam mutare propter vulgi pertinaciam coactus esset. Vulgus enim illic vt vbique tum locorum, seditionis & prædæ auidum, opes ingentes se sperabat acquisiturum. Quin etiam antea Senatui sua sponte aduersatum absque illius permissu in dominorum Teutonicorum illic domum irruerat, ibique vino & epulis oneratum,quanquam Commendator(sic enim vulgo appellant monasterii superiorem) magnam prius beneuolentiam panis & vini elargitione declarasset, Senatus itaque populum cohibere non potens, seditiosorum tandem minis (quia nisi compotes voti fierent, se vineas omnes circumiacentes deuastaturos minitabantur) coactus certum eorum numerum ad recipiendum commeatum, & reliqua necessaria in ciuitatem intromisit. Permissum est etiam prædæ, sic vrgente necessitate, quicquid opum (quæ neutiquam, præsertim apud dominos Teutonicos exiguæ) vel in monasteriis, vel apud Sacrificos, vel ab exteris isthuc repositum erat.

Cap. XX.

VT RVSTICI AD GVNDELSHEIM, ET DEINDE AD FRANCORVM AGMEN PROFECTI SVNT.

Gnodalius c. 1. ERgo cum fidifraga ista rusticorum turba libidinis suæ Heilpronnæ quoque compos esset facta, profectionem potenti manu, contra militaris ordinis Teutonicorum dominorum magistrum adornantes, feriis Paschalibus, vniuer-

p. 103. vniuerſo cum exercitu Neccarſolmo prius præſidiis firmato, Gundelsheimium, vbi ille cum familia ſua in arce admodum egregia habitabat, petierunt. Verum eodem tempore idem Teutonicorum dominorum ſuperior, cum familia ſua & pretioſiſſima quoque ſupellectile Heydelbergam, ſeditioſorum non expectans aduentum, ſe contulerat. Oppidulum ergo vna cum arce, ciuium nemine reſiſtente obtinuerunt. Arcem deinde in qua ſic ſatis vini frugumque fuit diripiunt atque demoliuntur. Illic dies aliquot commorantes, finitimos quosque pagos in ſuam ſententiam magno cum concurſu pelliciunt, & multum frumenti, quoniam magnam huius habebant copiam, paſſim vendunt. Poſt aliquot dies, caſtra mouent, & *Scheflenz*, id valli nomen eſt, petunt, hinc Bucham verſus, quod oppidum eſt Moguntinæ ditionis, pergunt, monaſterium Amerbachum occupant, exſpoliant & deuaſtant: Et cum nouem in diœceſi Moguntina ciuitates ad Mœnum flumen celebre, & ſyluam Othonicam ſitæ, ſe eis adiunxiſſent vna cum aliis eiuſdem ditionis ſubditis, Argentinenſem epiſcopum, qui tum Moguntiæ in abſentia Reuerendiſſimi & Illuſtriſſimi Principis & Domini, Domini Alberti Sacræ Romanæ Eccleſiæ Cardinalis, Moguntinenſis, & Magdeburgenſis Archipræſulis, Halberſtatenſis adminiſtratoris, Sacri Romani Imperii per Germaniam Archicancellarii, & Principis Electoris primatis, &c. Marchioniſque Brandenburgenſis, &c. vices gerebat, Aſchaffenburgen in arce obſidentes, ad ſuæ voluntati parendum coegerunt, & vrbem occupauerunt. Ad quod facinus ciues illic omni ſtudio, auxilio fuere. Plerique etiam ex illo confinio, in ſacerdotum ædes diſpertiti, commesſationi & ebrietati vacabant, poſtea ad aliam turmam, quæ in Franciæ partibus orta tum erat, ſe conferunt, & arcem Herbipolenſem, ſeptem vel octo millia numero prius Wildenburgio, & Lymbacho arcibus incenſis, obſederunt. Generoſum etiam Comitem a Wertheim Georgium adorti, vt ab illis ſtaret, & bellicas machinas, quæ poſtmodum in arce Herbipolenſi inuentæ ſunt, mutuo daret, coegerunt.

CAP. XXI.

DE FRANCORVM AGMINIS PROFECTIONE ET GESTIS.

CIrca Calendas Martias, cum ſeditioſi ex colonia Rotenburgenſium & valle Tuberina concurriſſent, examen Francorum conualuit. Qui poſt aliquot dies ex Rottinga, quo ſe collegerant, tribus vexillis verſus *Buchard*, id arci nomen eſt, profecti ſunt, equites ibi circiter centum triginta obſeſſuri. Qui per ſpeculatores ſuos certiores facti audacter obuiam ire, ruſticorum propoſitum frangere, cum eis pugnare, multos confodere, alios in fugam vertere, priusquam totum agmen ſubſequeretur. Quo conſpecto ſe incolumes pedetentim Herbipolim receperunt. Quibus abſentibus arx Buchard à Ruſticis facile obtenta, & direptis magnis opibus incenſa eſt. Hinc pedem promouentes, caſtra extra oppidum Nauue poſuerunt, depopulatis arcibus Geilsheim, & Reygelsberg, e quibus frumenti ſupra tricies quinquies centenos, vt vocant, maldros repertos, inter ſe in ſingula vexilla centenos quinquagenos diuiſerunt, Reygelsberg incenſa. Poſt biduum relicto Nauue oppido, caſtra extra Ochſenfurdum fixerunt. Vbi quingenta vini plauſtra, & immenſam frumenti copiam, in Herbipolenſium Canonicorum promptuario repererunt, quapropter aliquot dies illic cutem curantes, multos ſibi ſocios adiunxerunt, cum quibus vna verſus Iphouen progreſſi, ibi quoque in promptuario monaſterii de Bircklingen multum annonæ & commeatus nacti ſunt. Veſtes prætérea & ornatus ſacros, & calices & alia templi κειμήλια inter ſe diſtribuerunt. Et cum eis huiuſmodi actiones actiones & geſta probe ſuccederent, nihil feriati, altero ſtatim die, vlterius ab Iphouen ad veſtalium virginum mo-

Gnodalius p. 143.

monasterium Suuarzacum gradum fecerunt. In quo plurima & pretiosissima ecclesiæ ornamenta quæ clinodia vocant, inuenta inter se diuidebant. Tribus hic diebus transactis Gerolsheimium veniunt, vbi promptuaria vino & frugibus refertissima prorsus euacuant, exhauriunt, exhaustaque depopulantur, & destruunt. p. 204. Noctu quoque arcem Stolberg direptam concremarunt. Postero die arcem Bimbach nobilium qui a vulpibus nomen habent, occupant, & opibus quas illic ingentes repererant, ablatis, in cineres redegerunt. Sequenti die Duces agminis consilio habito arcem Nobelsstein obsidendam censuerunt; plurimorum vero suffragiis vincentibus Herbipolim exornata acie tendunt. Sub hæc ciues & municipes in Gerolzhouen in arcem irruerunt, eamque diuisis inter se thesauris tandem incenderunt. Interim dicti rustici retro abeuntes, arces quæ hic distribuuntur omnes; nempe eam quæ apud Groslanckheim cum promptuario, arcem Stephansberck, arcem Sichartshusen, item arcem Michelsfeldt depopulati sunt, re plurima potiti, flammis exusserunt. Præterea virginum vestalium & Carthusianorum monasteria, non procul a Gerolzhouen sita incenderunt. Iam repetentibus Ochsenfurdum obuiam facta est in Mœno episcopi Bambergensis onerata magnis mercibus nauis, quam intercipientes retinuerunt eodem die, quo Herbipoli erant turmatim congregati. Præterea qui in oppido Kizingen vna cum aliis ex marchionatu circiter duo millia Rotenburgensibus accesserunt.

CAP. XXII.

VT RVSTICI CASTRA SVA IN HEIDINGSFELD POSVERINT, ET ARCEM HERBIPOLENSEM OBSEDERINT.

Gnodalius p. 143. *Sleidanus* lib. 2. p. 114.

HI ergo rustici circa Nonas Aprileis Ochsenfurdo relicto Herbipolim versus profecti castra extra Heidingsfeld, id oppido nomen est, posuerunt. Eodem die quo hæc agebantur, tria vexilla ab exercitu ad Gybelstadium, Engelstadium & Grunsfeld arces depopulandas & incendendas ordinata, id quod haud grauatim faciebant. Perendie eius diei rustici quiescentes, arcem Herbipoli divæ virginis matris montem dictam in deditionem postulauerunt. Duobus interim diebus cum illis Canonici & nobiles Francorum de pace tractabant, sed cum nihil hic efficeretur, sequenti die qui in arce erant bellicis machinis nouem viros interfecere. Induciæ pacis per tres dies vt seruarentur constitutum, quibus elapsis sub noctem seditiosi arcem obsederunt, bellico apparatu probe instructi. His passim ecclesiæ Herbipolensis subditi ad seditionem mouentur, fit subitus fœdifragorum concursus vbique adeo vt in castris apud Heydingsfeld positis quoties voluissent supra viginti millia armatorum numerare potuerint. Ad hæc ciues vniuersi Herbipolenses ad rusticos deficientes: vna cum illis, quos in ciuitatem intromiserant arcem illic tormentis bellicis circumsessam oppugnauerunt.

CAP. XXIII.

DE SEDITIONE IN BRVRHEIN ORTA.

Gnodalius lib. 2. p. 144.

SImili modo turba rusticorum ferme L. ius, æquum, fidem datam contemnentium, circa Calendas Martias in Malsch, id pago nomen est, in Brurhein diœcesis Nemetum sito congregata est; Et cum reuerendiss. idemque Illustr. Princeps Georgius Nemetum præsul & Comes Palatinus nonnullos ex suis equites ad res explorandas eo misisset, interea etiam quod nil tum temere actum esset, tum eis qui in Malsch erant, tum aliis dicti episcopi circumiacentes pagos habitantibus insinuauit, sibi eorum erga se seditionem indicatam. Quare piis exhortationibus rogat, ne a se deficiant. Quamuis autem hoc se, vt bonos viros decet, facturos pollicerentur, nihilominus tamen dicebant se apud illum qui fortior esset, quique illos

illos defenderet, mansuros, vnde mentis illorum inconstantia quidque molirentur, probe animaduertebatur. Sequenti enim die ea ipsa turba ad prædam se præparans, alios pagos quoque ad se trahebat, promptuarium in Malsch, quod Spirensium Canonicorum est, inuadunt, vinoque madent, hac spe ducti, nempe se eo in loco nouum regimen excitaturos. Cuius rei gratia plurimos vicos in suam sententiam admonitoriis literis pelliciebant. Exemplar harum est in hunc modum.

p. 205. *Decreuit & iussit rustica communitas, vt vestro populo collecto N. viros cum armis probe instructos, diuinæ iustitiæ auxilio futuros, ad nos in Malsch sub noctem iam aduenientem mittatis. Id si non feceritis, certi sitis, vos vitæ bonorumque omnium incertos fore.*

Sic ergo turba illa rusticorum qui numero ferme D. erant, aucta, Plezberg, id monti nomen est, prope Malsch occupauit. Quare Spirensis præsul coactus serio contra seditiosos agere, præsertim cum alii rustici se auxilium laturos essent polliciti Episcopo, facile hanc tumultuantem turbam a suo malo proposito reuocari posse arbitrabatur. Sed o hominum perfidiam dicam an inconstantiam. Equidem Episcopo nonnullos equites vna cum Iohanne a Colle alias a Wachenheim dicto, præfecto in Brurhein eo mittente, Palatini Principis Electoris magistro equitum, cum CC. equitibus, & leuibus machinis quibusdam, dicto præfecto in auxilium veniente, nempe cum rusticis, nisi sententiam mutarent vt bellum in monte gereretur. Sed in ipso iam ingressu rustici equitibus Episcopi iuncti, ad seditiosos, nulla iuris aut æqui, aut fidei datæ ratione habita deficiunt, & illorum fœdus, sedulitatem atque confraternitatem assumunt. Hinc ergo Palatini magister equitum cum præfecto discessit, quod mons vndique vineis circumdatus esset, quo equi nisi cum maximo damno peruenire nequibant. Vnde hoc agmen breui auctum est. Præterea concursus erat admodum velox rusticorum Spirensis ecclesiæ subditorum quique ad Rhenum habitabant. Cogebatur Episcopus ex arce sua Vdenheim dicta ad fratrem Palatinum Principem Electorem Heydelbergam se recipere. Nam vniuersa ditio Bruhein illico seditiosis accedens, arcem Rotenburg cum pago, arcem quoque Kisselauue, præterea Brusellam & Vdenheimium oppida cum finitimis pagis sibi adiunxerat, quorum plerosque sola postulatione ceperat. Sane non difficile factu erat cum mala mens malus animus omnibus, nec pilo alius alio melior esset. Inter hæc Fridericus Wurm & Iohannes ab Hala ciues Brusellani, cum aliis exercitus Ducibus ad summum magistratum eliguntur.

CAP. XXIV.

VT SEDITIOSI IN BRVRHEIN CVM RVSTICIS MARCHIONATVS BADENSIS EO PROFECTI SVNT.

IAm vero Marchionatus Badensis rustici, etiam antea seditionem excitauerant, paucis enim exactis diebus, vulgus in Durlaco (id oppidi nomen est non admodum a Brusella distantis procul) tumultuans præfectum illic ceperat, & rusticos vicies quinquies centenos numero aut circiter ex nonnullis adiacentibus pagis concurrentes ad se in oppidum intromiserat, monasterium Gozavv occuparat, & eo depopulato deuastauerat. Aduersus quos Illustris Princeps Marchio Badensis Philippus, equitibus aliquibus in seditionis initio vsus est. Verum cum piis admonitionibus locum non relinquerent, quorundam domibus in Barghausen, id vico nomen est, incensis, eos vt ab incepto desisterent coegit. Ita incendium illud tum restinctum, manente tamen interim in illorum omnium animis odio quod semel ceperant, inexstincto. Vnde seditiosi in Bruhein Brusella occupata, cum Marchionatus Badensis rusticis consilium ad suam libidinem perpetrandam capientes, hinc & illinc erecto vexillo iam dictum Marchionatum petere, religionis titulo

Gnodalius lib. 2. p. 145.

tulo signatos cogere, pleraque monasteria occupare, & partim deuastare; præsertim ea quæ erant sub titulo Herrenalb, & Frauuenalb in nigra sylua sita. Hic quoque complusculos dies in crapula & ebrietate consumpserunt. Iam ne latius hoc malum serperet, Princeps Badensis se ad illorum voluntatem componere coactus est.

Cap. XXV.
DE HORVM SEDITIOSORVM PROFECTIONE. ITEM CVM EPISCOPO SPIRENSI ICTO FOEDERE.

Gnodalius c.l. VTerque itaque exercitus hinc profectus in Spirensis Ecclesiæ ditionem pedem promouit; dimidia vero pars ferme xxxv es centeni rustici prope vicum Schreck Rheno transiecto monasterium Herde, & Curtam Mechtersheymium, p.206. quamuis ante nonnullæ seditiosorum turbæ, quam Heilspruckerana turma, qua de infra mentionem faciam congregata esset, frumentum & vinum inde abstulissent, inuadunt, & quod ab aliis reliquum factum fuerat, vniuersum depopulantes demolientesque diripuerunt. Hinc apud Reinsheim, rursus Rheno defecti ad suos conferunt sodales qui iam Vdenheimium petierant, eo consilio vt Spiram Nemetum vrbem celebrem obsiderent, & sacerdotes illic constitutos suum ad arbitrium reformarent. Id ne succederet, satis diligenter prospectum est. Præsul enim adiunctis duobus nobilibus Diethero Camerario Wormat. a Dalburg, & Bernhardo Golern a Rauenspurg, securitate impetrata, subiens hoc onus, ad rusticos peruenit, & multis conditionibus oblatis, tandem cum seditiosorum antesignanis concordiam iniit. Et quo citius hinc proficiscerentur, clerus Spirensis illico CC. maldros panis, XXV. plaustra vini, & animalia ad centum aureorum Rhenensium valorem in Rheinhausen se missurum polliceri cogebatur. His gestis rustici dissipati, duces suos ad propria redire permisere. Interim tamen exercitus in Bruhein regimen & antesignani Brusellæ congregati, officio suo fungebantur, rusticis nunc discedentibus nunc accedentibus, ita vt cum vellent quinque vel sex millia virorum armatorum in promtu numerare potuerint.

Cap. XXVI.
VT RVSTICI IN BRVRHEIN CONTRA FIDEM PVBLICAM DATAM QVOSDAM DE PRINCIPIS PALATINI DITIONE CEPERINT.

Gnodalius lib. 2. p.145. INter hæc admodum multa bonorum plaustra ad mercatores in superioris Germaniæ vrbibus pertinentium, in oppidum Bretheim commeatu Principis Palatini aduecta erant, nec tum alio commode propter seditiosorum tumultum vndique debacchantium auehi poterant. Quorum desiderio non modo rustici in Brurhein, verum etiam seditiosi quique in circuitu mirifice tenebantur, & vt hæc inter se possent diuidere toto mentis affectu exardebant. Quamobrem ciues Bretheimenses sæpius in deditionem postulabant, & forsan voti fuissent facti compotes, nisi Princeps tam accurate bonorum quorumdam auxilio fretus illorum dolis obstitisset; nonnunquam minis seditiosi insistebant. Præterea ciues diuersarum erant partium. Cum vero hæ res non minus celeriter quam periculose agerentur, adeo vt momentis omnibus hostium esset metuendus incursus, cogebatur Princeps Palatinus ne tam graue damnum daretur adhibere curam & in oppido quo iam pridem non paucos equites destinarat, maiora præsidia collocare. Misit ergo nobilem quendam nonnullis adiunctis equitibus, qui D. pedites ab Heydelberga Bretheim duceret. Iam tum vero seditiosus exercitus in Brurhein cum Spirensi præsule fœdus (vt dictum est) inierat, & per literas Principi Palatino receperat, comi-

comites, nobiles, ciues cuiuscunque aut status aut ordinis essent, in Palatinatu vt libere iter in Bruhein & ecclesiæ Spirensis ditione facerent, se permissurum, & quicquid impedimenti esset (viam enim publicam aggeribus præcluserant, & occupauerant) ablaturum. Proficiscitur ergo prædictus Dux suo cum exercitu Bretheim versus, hostium dolum nequaquam veritus; Quem cum suis ad Vnderneuuesheimium, id pago nomen est, venientem, rustici inde erumpentes multitudine circumdant, & morte pœnas daturus omnes nisi illico fidem dent se ad Heydelbergam reuersuros minitabantur. Sic Principis ordinationi contra icti fœderis contractum obsistebant. Quæ res ipsum me hercule non immerito ad inclementiam & vt paulo seuerius in illos animaduertere posset, commouit. Hoc vero a funestis latronibus factum facile crediderim, quod sperarent vel se vel suos complices de prænominatis mercatorum bonis partem accepturos.

CAP. XXVII.
DE SEDITIOSIS IN ZABERGAVIA, ET QVID VNA CVM WIRTENBERGENSIBVS EGERINT.

SVb idem tempus nouum tumultuantium agmen in loco quem Zabergavve vocant, oritur Iohanne Wunderer, & Iacobo de Beckingen ducibus, & huius ludi choragis. Qui iam aliquoties aucti, arcem Stocksperg, sub Teutonicorum dominorum dominio prope Heuchelberg, vino frumentoque satis instructam occupantes, facile capiunt. *Gnodalius* lib. 2. p. 146 *Sleidanus* lib. 4. p. 115. Nulla enim domus, quantumuis firma propter solam p.207. proditionem resistebat, Arce hac depopulata dirutaque, hinc profecti, cum Monachorum curia Derdlingen dicta a suis etiam euacuata esset, monasterium admodum celebre Maulpronnum obsident & obtinent. Vbi quia nihil vel vini vel aliorum necessariorum deesset, complures dies manserunt vitam plane Epicuream agentes prorsusque de crastino non curantes. Interea grauibus terribilibusque minis Bretheimenses vt aut sibi prædicta mercatorum bona mitterent aut se in oppidum intromitterent sæpius sollicitabant. Multis vero id genus postulationibus consumptis, nec quod proposuerant Principis Palatini exactissima diligentia Bretheimenses ne ad hostes deficerent imprætermisse hortantis interueniente, possent assequi, monasterio prædicto iam probe expurgato, depopulato, demolito, Bretheimensibus tandem infesti esse cessauere, & ad ingentem exercitum apud Bodmar Sueuiæ oppidum collectum peruenerunt. Quo cum adiunctis etiam seditiosis Nigra sylua profectis in vnum conglobati, maiorem ferme totius Wirtembergensis ducatus partem, arces videlicet, oppida, pagos Hohen Aspergo, Tubinga, vbi tum Wirtembergense regimen erat, & Vraco exceptis, occupantes ceperunt. Prætera omnia in prædicto Ducatu præsertim Lorcense & Adelbergense non parui nominis monasteria depopulati sunt, & deuastauerunt. Ad hæc arcem Hohenstaufen, & pleraque alia nobilium castella concremarunt, vbique dominandi libidinem exercere conati.

CAP. XXVIII.
QVO PACTO SEDITIOSI IN BRVRHEIN MERCATORVM BONA A BRETHEIMENSIBVS POSTVLAVERINT.

INterea eorum qui in Brurhein erat exercitus haudquaquam quieuit, cum nec aliæ male feriatæ turbæ in Zabergauuia congregatæ quiescerent, sed sæpe dicta negotiatorum bona a Bretheimensibus postulauit. Vt huic albo literas postulatorias quas præfecto & communitati Bretheimensi miserant, apponam: operæ pretium esse existimo. Exemplar literarum. *Guodalius* c.1.

Charissimi fratres & amici, certiores facti sumus ingentem exercitum vos propter bona e Francofordia aduecta fortiter oppugnare constituisse. Iam cum simus vicini quos non immerito in amicitiam debetis accipere, petimus si res eo veniret, id nobis vt significetis, nosque hoc vobiscum negotium explicare annuatis. Confidimus enim nos certe tantis ad vos copiis venturos, vt inuicem iuncti velimus possimusque prædam propter quam vos oppugnare decreuere inter nos facile retinere. Hac vos fraterna & amica intentione ducti celare noluimus.

Quamuis autem multæ oues morbidæ inter Bretheimenses essent, quæ forsan si illis facultas non defuisset, seditiosos voti fecissent compotes, tamen Principis, cui nihil ab vlla parte remissum, aut curæ aut laboris erat, & bonorum opera eius mandatis fideliter obtemperantium quod optauerant minime assequebantur.

Cap. XXIX.
VT SEDITIO IN ALSATIA ORTA SIT

Gnodalius c. I. Tumultuantium itaque positionibus quibus sceleratissimis suis cupiditatibus honestissimum Euangelicæ libertatis titulum prætexebant, longe lateque dispersis, & magna & periculosa seditiosorum seditio, circa solennitatem Paschalem in Alsatiæ partibus orta est. Quorum in exercitu cum primum plus quam M. viri essent, monasteria passim, quemadmodum & reliqui eius farinæ facere solebant, occupabant, demoliebantur, deuastabant. Fit & ingens prope pagos Ringendorf, & Paffenhouen concursus. Inde magis magisque aucti ex omnium adiacentium pagorum multitudine, Neoburgum & S. Walpurgis monasteria in Hagenensium saltu sita capiunt, vbi & vitam plane Sardanapalicam ducebant, capta depopulantur, depopulata tandem diripiunt. Eodem modo Chonigsbruck & Biblies virginum vestalium monasteria exornabant. Pergentes inde relicto saltu, in pagum Surberg, vbi sacerdotum domibus direptis, circumiacentes pagos in deditionem postulatos hortabantur fraternæ communitati, quæ tum in tribus locis diuisa erat in Neoburgo, in Altorf, in Stechsfeld, se adiungerent. Et quo facilius persuaderent, supra XX. millia armatorum his tribus locis contineri testabantur. p.208

Cap. XXX.
VT OPPIDVM ZABERNIA IN ALSATIA CAPTVM SIT.

Gnodalius c. I. Cum ergo non monasteriorum modo & sacerdotum, verum etiam Principum nobiliumque bona, ædes, arces, furibundi nebulones inuasissent, deprædati essent & deuastassent, vniuersæ illæ cohortes in vnum exercitum (nam XXX. millia seditiosorum erant) redactæ, oppidum Alsatiæ Zaberniam, quo Argentinensis Episcopus residere solet, obsident, & ad simplicem postulationem intromissi, intra & extra muros castra sua collocant.

Cap. XXXI.
VT A DVCE LOTHARINGIÆ HI RVSTICI SINT CÆSI.

Gnodalius c. I. Interim Illustr. Principis, domini Antonii Calabriæ & Lotharingorum Ducis subiectis circa Saram fluuium, & in circuitu eodem modo ad seditionem consurgentibus, & Hermelsheimium, id monasterio nomen est, depopulantibus, idem Princeps quanta maxima celeritate poterat copias equitum peditumque collegit. Multi etiam Germanorum nobiles, qui sub illa ditione erant Principi auxilio veniebant. Breui quoque prædictis copiis quinque vel sex millia peditum ex inferiori

riori Germania venientium adiunxit. Ad hæc non contemnendum equitatum, quippe, vt quidam volunt, duo millia equitum fuere, inter quos CC. cataphracti, & nonnulli Galli erant, comparauit, hostibus bellum illaturus. Verum cum Lotharingicæ ditionis seditiosi, relicto Herbersheimio iis qui Alsatiæ Zabernia erant accessissent, oppidum illud a Principe obsessum est. Eo autem cum seditiosis de pace tractante, milites eius ex improuiso fere VI. millia rusticorum fratribus suis in oppido accedere volentium offendunt, sed cum Principis exercitum olfecissent, recta declinantes, vicum Lupstein dictum petierunt. Quos insecutus Principis exercitus vico incenso omnes interfecit. Postera die Arx & oppidum a Principe capta sunt, & ex ciuibus quorum mire pauci superstites manserunt, & ex seditiosis XX. millia occisa vel supra. Oppidum ab exercitu depopulatum, probeque expurgatum, præterea ingentes opes inuentæ sunt. Quin & pleræque virgines & matronæ insigni pulchritudine a Lotharingis in discessu abducebantur.

CAP. XXXII.
VT AGMEN IN CLEBVRG COIERIT.

RVsticis quos iam a Duce Lotharingiæ fusos esse diximus, adhuc monasterium Neoburgum occupantibus, Ciuis quidam Weissenburgensis homo plane leuis se voluit adiungere, cum vero nulla hic esset authoritate, relictis ipsis Cleburgum, id pago nomen est, aut si mauis Thymopolim appelles licebit, petit, adiunctis sibi CC. leuissimis viris nouam seditionem excitauit. Qui primum in campo, quem vulgo Rennfelt vocant, haud procul a VVeissenburg, aut si plus elegantius nomen arridet, dices Leucopoli, distante, ex adiacentibus pagis, & potissimum ex Principis LudouiciDucis Comitis Valdentiæ ditione conuenerunt, & Thymopolitanus exercitus appellati sunt. Hi primo impetu vicos Riedsels, & Schuueighouen occupantes, paganos illic, vt suæ fraternitati se adiungerent, coegerunt. *Gnodal. p. 147.*

CAP. XXXIII.
VT IAM DICTI SEDITIOSI SE CONTRA PRÆPOSITVM WEISSENBVRGENSEM GESSERINT.

IGitur Thymopolitanus exercitus tandem S. Remigii arcem prope syluam quæ ab incolis Beevvald vocatur obsident, & in deditionem postulant. Hos autem ad casus præuisa erant a præposito VVeissenburgensi, (ad suæ enim ecclesiæ ditionem hæc arx pertinebat) fortiorum virorum præsidia. Quibus vt dignum erat ad repugnandum paratis, seditiosi arcem bellicis machinis aggrediuntur oppugnare. Ad hæc oppidani quidam monasterium VVeissenburg (recentiores etiam Albipolim vocant) adiunctis quibusdam tumultuantibus rusticis, occuparant, deprædati erant, diruerant. Hi satis diligenter seditiosos arcem oppugnantes, etiam suis machinis bellicis iuuerunt. Quamuis autem qui in præsidiis erant multis dieb s viriliter hosti resisterent, tamen nihil auxilii sperantes, nec belli molem suismet ipsorum viribus valentes sustinere, ad extremum circa Calend. Maias arcem relinquere coacti sunt. Quibus in deditionem acceptis seditiosi in arcem irrumpunt, depopulatamque incendunt, incensæ tenues fauillas in auras spargunt. Hinc oppidum Selz sub Principis Palatini ditione obsident, & ciuium resistente nemine intromissi, canonicorum illic habitantium ædes occupant & depopulantur. Haud procul aberat Rœdder arx Friderici a Fleckenstein insigni nobilitate viri, qui tum Principis Palatini nomine apud Suecicos confœderatos legatione fungebatur. In hanc arcem relicto oppido excursiones faciunt. Iam capta seditiosis aliud agmen subsidio ibat, quod Tonsile a rotunde detonsis capitibus, si mihi ita diuinare licet, appellatum crediderim. Vtris- *Gnodalius c. I.* *p.209*

que vno animo placet arcem captam, qua non contemnendas pretiosissimarum rerum opes inuenerant, vastare. Tum vero quia seditiosis in Alsatiæ Zabernia vt petierant, auxilio se venturos promiserant, impigre inde profectionem eo adornant. Venientibus eis ad Buschuueiler, id pago nomen est, Ducem Lotharingiæ cum confratribus suis manum conseruisse, eosque maiori parte in Alsatiæ Zabernia confossos nuntiatum est. Hoc audito, quantumuis antea cælum terræ (vt aiunt) commiscere conarentur, timore concussi sunt. Tutissimum ergo non progredi, ne simili gratulatione exciperentur, rati, dissipato prorsus exercitu ad propria singuli redierunt.

CAP. XXXIV.
QVID PRÆDICTVM AGMEN TONSILE EGERIT.

Gnodalius c. 1. HOc agmen Tonsile ferme circa Idus Aprileis in VVasgavvia ortum, & in Sturzelbronno, id nomen monasterio est, collectum. Quod vbi deuastarunt, inde profecti generosi Comitis Emmichonis a Leiningen senioris Greuenstein & Lindenbron castella occupant & incendunt. Eodem modo Landeck arcem in VVasgauia sitam capiunt. Pede deinde vlterius promoto, Ramberg nobilium a Dalburg, & Elmstein Alberti a Pag in montanis haud procul a Neapoli, arces inuadunt, capiunt, diripiunt, incendunt. Quicquid autem rerum pretiosarum in arcibus prædictis inuenerunt, depeculati sunt. Tandem Anvveiler & Bergzaberniam oppidis, suam in potestatem redactis, Thymopolitano exercitui, xt diximus, iuncti, audita fratrum suorum strage domum se proripuerunt.

CAP. XXXV.
VT LOTHARINGIÆ DVX ALIVM EXERCITVM SEDITIOSORVM AD VICVM SCHERVVEILER DELEVERIT.

Gnodalius c. 1. REbus itaque in Alsatiæ Zabernia sic confectis, Lotharingiæ Dux in suam prouinciam rediturus primum ad Scheruueiler, id vico nomen est sito in valle quam *Weglerthal* vocant, prouectionem adornauit. Eo autem ad Danbach cum exercitu veniente, nunciatum est, agmen e loco quem *Kestenholz* a castaneis appellant, in montanis adesse. Præterea alium exercitum e Schletstadio exisse, & superiori in vico Schervveiler esse iunctum dicebatur. Erant autem vtroque in exercitu rusticorum XVI. penes milia. In hos missis prius nonnullis speculatoribus instructum tum equitum tum peditum ordinem princeps deduxit, & eo congressu circiter quinque vel sex millia seditiosorum cecidere. Quia vero in multam noctem dimicatio erat protracta, adeo vt pugnæ initio Lotharingenses vicum Scheruueiler incendere cogerentur, quo ignis splendore hostem commodius possent prosternere, reliqui fuga salutem petere contendebant. Sequenti die Princeps cum copiis suis in Lotharingiam reuersus est.

CAP. XXXVI.
VT HOC DETESTABILE MALVM IN PALATINATVM SERPERE COEPERIT.

p. 210.

Gnodalius c. 1. INTEREA quamuis Illustrissimus Princeps Ludouicus Comes Palatinus ad Rhenum Dux Bauariæ, Sacri Roman. Imp. Archidapifer, Princeps Elector nullum non lapidem, vt prouerbio dicitur, mouebat, vt subiectos suos benignitate & innata clemen.

clementia a venturo excidio præseruaret, tamen venenum illud late diffluens vulgo adeo placuit, vt passim arrectis auribus ad tumultum & seditionem progressum sit; Noctu magistratum timore posthabito inuadunt, leges, iura, iudicia antiquitus & sancita & obseruata, vt mutentur instant. Hoc ergo periculosissimo igne, circumquaque flagrante, quorundam rusticorum in Palatinatus tractu coniuratio, velut ex latebris & ex tenebris sensim erupit, sed rem ipsam paulo altius repetamus. Pagus haud procul ab oppido Landoia aberat, Nusdorf, a nucum, vt æstimo, copia dictus; Quo cum in Paschalis solennitatis octaua multitudo circumiacentium, vt tum mos erat, ad sacræ ædis dedicationem celebrandam conuenisset, contigit vt ferme CC. facinorosi se tumultuantem seditionem excitaturos coniurant. Ea ipsa ergo nocte prope monachorum villam Geiluueiler congregati, montem occupant. A quo in circumiacentes pagos transeunt, villanos etiam lecto & somno deditos suscitant, multos in suam sententiam miris variisque persuasionibus, pertrahunt. Aucti sunt ea ipsa nocte, vt aurora procedente fere D. numero essent, decernunt illico vallem, quam Siebeltinger vocant, petere, illicque rusticos agmini suo adiungere. Hæc cum nobili Iacobo a Fleckenstein, qui tum Præturæ in Germersheimio præerat, noctu nunciarentur, impigre cum suis, prædicta enim vallis præturæ subiecta erat, eo veniens rusticis, vt se cum eo ituros, & tumultuantium agmen dissipaturos pollicerentur, persuasit. Seditiosi hoc audito illico dispersi fugerunt. Prætore domum reuertente, res circiter octo dies permansit integra. Sperabat autem prætor eos in officio mansuros, & quandoquidem priusquam discederet, eos admonuisset, ius, fas, æquum considerarent, seruaturos fidem. Sed o mortalium inconstantiam dicam an malitiam? Paucis exactis diebus iisdem in locis passim seditiosorum cohortes congregatæ, *Clingemonster*, id collegiatæ, vt dicunt, ecclesiæ nomen est. Præterea monasterium Herde, ædes Ioannitarum in Heimbach, curtam monachorum in Mechtersheimio occupant, vinum, frumentum, pecora rapiunt, ingluuiei indulgent, & amici ventri viuunt.

CAP. XXXVII.

VT INGENS EXERCITVS CONGREGATVS OPPIDVM NEVVENSTAT CEPERIT.

INTER hæc cum Tonsile illud agmen, vt præmisimus, oppidum Anuueiler inuasisset, seditiosi quique ex Neucastler, Magdenburger, Kirbuueiler pagis & valle Sibeltinger conuenere, sub prætextu quasi Tonsili agmini vellent resistere, eique viam præcludere, congregati in Geiluueiler, vbi breui temporis spatio aliquoties aucti sunt. Hinc probe se exornatos existimantes, mutant animum, mutant sententiam, finitimos quosque qui adhuc quiescebant, in suam sententiam verbis pelliciunt, minis cogunt. Iam vero villa Geiluueiler, & Eussertal monasterio depopulatis, destructis, deuastatis, arces finitimas passim occupant, demoliuntur, incendunt. Gnodal. lib. 2.

CAP. XXXVIII.

VT EXERCITVS ISTE NEVSTADTVM OCCVPAVERIT.

HINC cum vniuersis copiis VVinzingen pagum petentes, castra in monte oppidum versus posuerunt, mox oppidum ipsum Neuuenstat, aut, vt elegantiores scribunt, Neapolim, in deditionem multis minis postulant. Ad quas pusillanimes ciues fidei datæ obliti, oppidum verbis tantum territi sequenti die dedunt. Huc se illico duces & præcipui exercitus receperunt, & præfectum illic, vt conditiones sibi oblatas assumeret, coegerunt.

p. 211.

CAP. XXXVIIII.
VT EXERCITVS IN GAVVE ORTVM SVVM HABVERIT.

Gnodalius c. 1.

TVM quoque eiusdem farinæ ex Comitis a Leiningen ditione circa pagum Bockenheim, primum ferme CCC. ruſtici congregati ſunt. Ad hos nonnulli leuisſimi nebulones ex Petraſana, vulgo Pfedersheim venientes finitimos minis & vtcunque poterant, ſibi adiunxerunt. Tandem ad vicum Hocheim prope Vangionum VVormatiam perueniunt, vbi eius vici & in Liebenavv virginum veſtalium monaſteriis depopulatis, Regalis Eccleſiæ ſub D. Cyriaci titulo ditionem in Nevvhauſen occupant, & libidine ſua illic expleta, duos ex canonicis ibidem in fœdus ſuum pertrahunt, deinde oppidulum Hernsheimium, ſub nobilium a Dalburg dominio petunt. Hic ſatis tempeſtiue intromisſi, ferme XL. viros vt vna proficiſcerentur, nonnullis etiam ligonibus acceptis coëgerunt; reliquos qui non vna proficiſcebantur, in fœdus ſuum aſſumunt. Et hinc abeuntes ſatis amplum pagum Oſthouen ſub Moguntini & Palatini Principum ditionibus occupant. Hic quam poterant exercitu inſtructo æde Canonicorum prius diruta, circumiacentium pagorum ruſticos in ſuam fraternitatem compulerunt. Digresſi in Bechteim Comitis a Leiningen vico, caſtra locant. Quo relicto multi nominis pagum VVeſthouen occupant, incolas ſuo fœderi adiungunt. Fieri poteſt vt non admodum graui coactione hic opus fuerit. Vt enim ſemel dicam, non tam lac lacti ſimile eſt, quam tum omnium ruſticorum vnus idemque animus ad ſeditionem ſpectabat.

CAP. XL.
VT PALATINATVS MAGISTER EQVITVM CONTRA SEDITIOSAS COPIAS IN WESTHOVEN SE GESSERIT.

Gnodalius c. 1.

MISERAT eodem tempore Princeps Palatinus Guilielmum ab Habern magiſtrum equitum, virum virtute & nobilitate inſignem, cvm CCC. equitibus, & D. peditibus in præfecturæ Alzeiæ præſidium, & vt reliquos ne ad ſeditioſos deficerent, in officio retineret. Inter proficiſcendum vero contractas ſeditioſorum copias audiens, illic in VVeſthouen cum ſuis [illegible] ſtituit. Cuius aduentus vbi ruſticis nunciatus eſt, tria millia fere e pago erumpentes, aciem occupato vitifero prius monte, inſtruunt. Quibus cum magiſter equitum ſine ſuorum ingenti detrimento dimicare, quanquam id ardenter optabat, commode non poterat, bellicas tamen quas ſecum adduxerat machinas ter in illorum aciem emiſit. Ruſtici vero ne eiuſmodi grandine obruerentur, pagum vnde exierant, fuga repetunt. Iam cum nox immineret, nihil plane geri poterat. Fugientium vero LX. confosſi perierunt.

CAP. XLI.
VT ILLE EXERCITVS FVGIENS SEDITIOSORUM COPIIS PROPE NEWENSTAT ACCESSERIT.

Gnodalius c. 1.

NOCTV ſeditioſi illi omnes aufugientes, & vt tum ſolebant, inter eundum aucti ſeditioſisque prope Neapolin iuncti, oppido VVachenheim occupato ibidem caſtra locantes, cum adiacentibus ſeditioſis conſpirabant. Nihil plane ab illis prætermiſſum, quo pagos omnes finitimos ſibi adiungerent. Interea Lympurgum monaſterium illorum prædæ patuit.

CAP.

CAP. XLII.
QVOMODO INTER PRINCIPEM PALATINVM ET VTRVMQVE EXERCITVM RES SIT COMPOSITA.

IGNE hoc non vesanæ modo, verum etiam cruentæ seditionis in Palatinatus tractu, vt supra ostendimus, circumquaque plus quam crudeliter flagrante, multis in consilium vocatis, præsertim vt subditi benignitate potius ducerentur, quam cohercerentur seueritate, & vt incommodo, quo Christiani sanguinis multu n effundendum erat, mederetur, placuit illustrissimo Principi Palatino, Heroi certe ob clementiam æterna memoria dignissimo, per ciues Neapolitanos, nulla defectionis obstante culpa, cum exercitu, qui tum apud pagum VVinzingen castra posuerat, in colloquio quæ pacis sunt, tractare. Quod per Senatum & Duces exercitus in Gravve concessum est. Colloquio dies, locus, tempus a Ducibus deligitur. Nempe vt Princeps ipse ad diem Mercurii, qui tum proximus erat, exorto iam sole in campo prope vicum Forste, suis cum consiliariis adesset. Adiunctum quoque erat ne vltra XXX. equos secum adduceret. Hoc pacto commeatum pollicentur Principi, id quod & sibi, vt fiat postulant: Et ita factum est. Princeps ad diem præscriptum designato loco & tempore fuit, quo etiam Duces exercitus, cum delecto delectu seditiosæ communitatis conuenerunt. Qui cum Principem excepissent, & ea quæ ad pacem pertinent tractare incepissent, ecce vterque exercitus instructa acie erectisque vexillis aduenit. Multis autem prudenti deliberatione conditionibus oblatis, tandem vterque exercitus in hanc concessit sententiam, quam etiam fide interposita ratam voluit, vt inter cætera singuli dissipatis agminibus ad propria redeant oppida, arces, pagos, vicos, iis quorum essent, restituant, nihil post hac ex illis amplius accepturi. Princeps in subditos non animaduerteret, sed faceret criminum gratiam. Finito hoc colloquio exercitus castra ex quibus excesserant, repetunt. Erant autem numero vltra VIII. millia virorum. Princeps cum ciuibus ordine incedentibus Neapolim redit, vbi non ex integro fides sibi seruabatur. Sequenti die, vtriusque Duces exercitus, Principem adeunt, de loco & conuentu in dicendo tractaturi. Quos conuiuio excepit, & indicta die abire permisit. Ipse rebus sicut confectis Heydelbergam reuersus est. Conuentum inde indictum per vniuersam Palatinatus ditionem nunciari præcipit, & ne nobilium, militum, officialium quisquam quicquam contra agat edicit.

Gnodalius lib. 2. p. 149.

p. 2. 2.

CAP. XLIII.
VT SACRIFICVLVS QVIDAM, EISENHVDT DICTVS, AGMEN EXCITARIT.

HÆc dum geruntur, sacrificus quidam Antonius Eisenhudt, aut si in nomine mihi licet ludere, σιδηροθήκη dictus, sacerdotio in oppido Greichauiæ Eppingen dicatus, nouum tumultum, posthabito suo officio, instituit excitare. Se ipsum itaque Ducem faciens, adiunctis aliis sceleratissimis viris, finitimos quosque in suam sententiam & partem, verbis itidem vt scriptis sollicitabat. Plus vero veneni hæc eius scripta quam aliorum omnium quos huc vsque enumeraui continebant. Libet vnum literarum exemplar apponere.

Gnodalius c. 1.

Patientia & humilis perseuerantia seruatoris nostri adsit vobis in omnibus vestris necessitatibus. Chari fratres in Christo. Vos scitis quam dura seruitute fuerimus pressi a nostris superioribus, & eorum officialibus, & a sacerdotibus monachisque. Sed tandem quid & qualiter egerint Deo sit laus in lucem venit. Quare vos omnes quam possum maxime adhortor, vt illico cum omnibus vestris confratribus huc cum curru veniatis, quo Euangelium & iustitia promoueantur. Quod si recusaueritis

ritis ego ſine dubio meis cum fratribus apud vos ero. Quod certo de me vobis polliceri poteritis. Subſcribebat autem ſe hoc titulo. Antonius Eiſenhudt, Dux exercitus. p. 213.

Excitauit ergo eiuſmodi incendium adiunctis nonnullis ſeditioſis, qui nuper ex Wirtembergenſium exercitu a Stutgardia diſceſſerant. Iam vero eum pagum Grochſeim in Greichgauia ſub Comitum ab Eberſtein ditione commouiſſet, ita vt etiam caſtra ſua illic poneret, breui XII. & centena virorum ſibi aſſociauit, quos vniuerſitatem appellabat. Hic Dux hoc ſuo exercitu, erecto vexillo, pagum Eppingen ſatis potenter obſedit, nec graui poſtulatione, vt intromitteretur, obtinuit. Eodem modo oppidum Heidelsheimium inter Bruſellam & Bretheim ſitum, vicos in circuitu occupat. Capto oppidulo Hilspach, eum quoque qui cellæ vinariæ præerat, cellarium vocant, ceperunt. Eadem cella vinaria, ſacerdotum & nobilium domibus depopulatis, inde pergentes, & magis magisque aucti, oppidum Sunzheim haud multo tempore obſident, quippe intromiſſi oppidanorum reſiſtente nemine, ilico in canonicorum, eſt enim illic ſatis ornatum templum, ædes irrumpunt, depopulabundi, quasdam diruunt, alias deuaſtant, & euertunt. Hic quoque promptuariis plenis inuentis, vino languidi, confecti cibo eructant cædem ſuis ſermonibus. Inter vias autem arcem nobilis Iohannis Hyppolyti a Vermingen Steinsberg dictam incendiis exuſtam, ruiniſque proſtratam ſolo æquant. Quæ in edito monte circumiacentes pagos incenſa flammarum fulgoribus illuſtrabat. Hoc igne tanquam triumphali ſibi ipſis gratulabantur.

Cap. XLIV.
VT INTER PRINCIPEM PALATINVM ET EXERCITVM DVCIS EISENHVDT RES SIT COMPOSITA.

Gnodalius c. l.

RVrſus Princeps Palatinus, ne in maius incendium iſta funeſta ſeditionis fax volitaret, præuenturus; plane ingratos monere potius quam caſtigare maluit. Inſinuauit igitur exercitui, cui Dux Eiſenhudt præerat, per literas, ſe pondus ſi quo premerentur, vt Principem deceret leuaturum, miſſurumque viro a conſiliis, quibus hæc indicarent, modo in Legationis iure ſeruarent fidem; Locus & dies ab Antonio, & Thoma Reus, cæteriſque hoc ad negotium deputatis deſignantur, & ne viri a conſiliis vltra decem equos ſecum adducant, cautum volunt. Principis iuſſu Comes a Naſſavve Philippus, & alii a conſiliis miſſi ad diem & locum deſignatum venientes magna deliberatione rem tractabant. Tandem quod ad concordiam pertinebat, Princeps ratum pronunciauit. Iuſſi diſſipato exercitu domum ſinguli remearent. Perſtant illi in incepto, nec quod ſemel male cœperant deſerunt. Quamuis autem & Principi & viris ſuo nomine miſſis ſe fidem ſeruaturos eſſent polliciti, idque ſcriptis. Leuisſimi tamen nebulones multo aliter egerunt, quippe Legatos truculenter & verbis & factis tractabant. Vnde qui miſſi erant, totam noctem in vitæ ducentes diſcrimine, nil niſi iam moriendum eſſe cogitabant.

Cap. XLV.
VT FOEDIFRAGI PRÆFECTVRÆ LAUTERN A RUSTICIS IN FIDE PERMANENTIBVS CAPTI SVNT.

Gnodalius lib. 2. p. 150.

INter hæc ardua negotia, nonnullos eſſe animo adhuc candido & integro prorſusque exoſam habentes ſeditioſorum fraternitatem Principi Palatino nunciatur. Sed hanc rem tum plane inſolitam ab initio audiamus; Cum ex oppidi Lautern, Nanſtuler, Viſchbacher præfecturis ferme M. ad ſeditioſos defeciſſent, & copias iunctis nonnullis ex agmine, quod Tonſile appellaui, collegiſſent, quo

magis

magis magisque augerentur, vi, coactione, scriptis, verbis, finitimos quosque sibi deuincire studuerint, depopulantur pro felici auspicio, Ottenburgium & Vischbachum, monasteria depopulata destruunt, piscinas etiam onerarias, quarum in eo terræ tractu magna copia est, diripiunt. Iamque spem in copias quæ in superioribus partibus tum grassabantur (omnium enim idem velle ac nolle erat) extendentes, nobilium arces occupant, & auctis viribus cum suæ sectæ plerosque fautores in oppido Lautern esse non nescirent, ipsum obsidere conantur. Sed longe aliter atque penes se constituerant euenit. Conspirauerant quippe, vicinos in proximis pagis Cobelnberg, VVeilerbach, Ramstein, Steinvvinden, qui illorum crudeli tyrannidi & tyrannicæ crudelitati, id quod bonorum & integrorum est, consentire noluerant, quod chariorem fidem quam pecunias haberent, aut iri suam sententiam pertracturos, aut igne consumpturos. E contra boni illi ferme CCCC. vel D. numero, cum ex præfecturis nonnihil sperarent auxilii, grege facto fœdifragos inuadunt, perfidiæ summæ eos arguunt, armata manu, vt se Principi Palatino dederent, e castro quod occuparant discederent. Præterea quicquid armorum, quicquid actæ prædæ haberent, deponerent, cogunt. Quæ postea a Principe cui hoc factum, & merito, mire placuit, bonis illis in fide manentibus, etiam actis gratiis liberaliter sunt concessa.

p.214.

CAP. XLVI.

VT SEDITIOSI, QVI DIXERANT SE IN PALATINI FIDE MANSVROS, DIVERSVM EGERINT.

SCripsimus supra seditiosos in VVinzingen & VVachenheim Principi Palatino fide publice data, se domum dissipato exercitu redituros recipisse. Quod Princeps credens futurum Heydelbergam rediens, conuentum indictum expectabat, sed secus ac crediderat contingit. Eo namque digresso, duas arces prope Neapolin Wolfsperg,& Winzingen iam pridem captas depopulati sunt. Quin & elegantem arcem Rupersberg dictam suo more extruunt, multis rebus pretiosis vino, frumento & aliis, quæ tum aderant, auectis. Porro Deydesheimium Spirensis præsulis oppidum occupant, ex arce illic prædam agentes. Inter hæc exercitus in Wachenheim castra in Nevvhausen collocat. Alii exercitus non dissipati, sed conglobati ciuitatem Landoiam petunt, hoc vt Sacerdotum bonis potiri possent coacturi, verum ciuibus resistentibus breui discesserunt, hoc prius, vt exercitui vinum&frumentum& sacerdotum bonis distribuerentur, impetrato. Hinc digressi Comitum a Leontopetra, seu mauis a Levvenstein, arcem Scharfeneck occupant, depopulantur, concremant. Post in deditionem Neocastellum, & Trifelsum postulant. Vbi intromissi certo numero prædam (quod tamen mirum est) non agebant. Et hinc pede promoto castra in monachorum villa Merleim prope Landoiam ponunt. Hic confratres suos in Alsatiæ Zabernia a Duce Lotharingorum obsessos audientes, obsessis illico venire destinarunt. Inter proficiscendum vero, vt a Duce Lotharingorum ad internecionem vsque deleti sint, facti certiores, ab incepto desistentes, dissipato agmine ad sua rediere. Duces vero exercitus, Bullicam, id pago nomen est, petierunt. Paucorum interim dierum cursu euoluto, cum Princeps Palatinus contractis copiis ad bellum proficisceretur, seditiosi tumultum vix sedatum resuscitant. Qui quamuis ei qui præfecturæ Germersheimii a libellis erat, nihil vltra se acturos, & fidem, vt Principi iurauerant, seruaturos, præterea expectaturos quid die indicta decerneretur, essent polliciti, nihilominus tamen altera vice in Merleim exercitum coegerunt. Quo probe satis aucto, exornatoque iter instituunt, vt rem ferro decernant. Tum quoque qui in Brurhein sub episcopi Spirensis ditione erant, arcem eius Magdenburg vt defenderent occupant. Aduenientibus vero e seditiosorum illorum exercitu copiis arcem demoliri incendique permisere.

Grodalius a. 1.

Cap. XLVII.
QVA RATIONE ASMVS VON DER HAVBEN MONASTERIVM FRANCKENTHAL DIRIPVERIT.

POrro quidam Nobilis Asmus de Hauben dictus, Diermsteini habitans, leuibus ad se pellectis hominibus, in ædes Sacerdotis ibi irrumpit, bonaque ipsius diripit. Hocce facinore edito, nullam vel proprii honoris, vel generis & sanguinis sui rationem habens, nec Maiorum erga Palatinos obsequia considerans, cum agmine in Cœnobium Franckenthal irruptione facta, id capit, diripit, diruit & vastat. Constitueratque secum, nisi conatibus ipsius mature præuentum fuisset, vlterius ad eum modum hinc inde debacch *.

Cap. XLVIII.
VT PRINCEPS PALATINVS COPIAS COLLEGERIT.

Gnodalius lib. 3. p. 51.

IAm cum nec Ius, nec æquum, nec fas, nec fides a crudelibus rusticisne dicam an sceleratis & impiis seruaretur, cumque nullius res tuta, nullius domus clausa, nullius vita septa, nullius pudicitia munita, contra illorum cupiditatem & turbulentiam esse posset, huic crudelissimo malo obuiare, & vt hic sitibundus calor restingueretur, ab innata clementia ad iustitiæ rigorem Princeps Palatinus diuus Ludouicus se vertere coactus est. Quia vero in mora periculum, illico cognatos, affines, fideles, subiectos non pro se solum sed etiam vt labenti & inclinatæ Reipublicæ succurrerent sollicitabat. Eius rei gratia etiam apud Sueuicam nobilitatem nempe vt quæ spem dederat, opem ferret, quandoquidem & ipse eiusdem confœderationis membrum esset, instabat. Breui itaque Comitum, nobilium & aliorum ad Palatinatum pertinentium auxilio mille equitum,& trium millium peditum exercitum comparauit. Ibat & ei subsidio Archiepiscopus Treuirensis, Reuerendissimus dominus Richardus sacri Roman. Imperii per Galliam & regnum Arelatense cancellarius, Princeps elector, cum CCC. probe exornatis equitibus, & ter quingentis ex inferiori Germania peditibus. Præterea Princeps Hessorum Philippus equitatum neutiquam contemnendum hisce copiis auxilio misit. Qui quoque ipse, nisi eodem morbo seditionis Hassia tum laborasset, & exornatiori agmine venisset.

Cap. XLIX.
QVA RATIONE HASSIÆ LANDGRAVIVS CONTRA RVSTICOS IN TERRIS SVIS EGERIT.

NAm circa Calend. Maias, quo tempore non modo furibundum Martem, verum etiam Litas Deas, & Aten illam Homericam cum Pandora Hesiodica in omnium mortalium perniciem conspirasse facile crediderim, complures peruicacis ingenii rustici, sub abbatis Hirsfeldensis ditione congregati, oppidum ipsum p. 215. nulla iuris aut fidei datæ habita ratione ceperant. Sed & apud Fuldam ingens agmen sex millium virorum numero conuenerat; Qui Principis Hessorum subditis in suam pertractis sententiam plerosque pagos, præsertim oppidum Vachum, tum multa monasteria depopulantes deuastabant: Vnde Princeps Hessorum cum sua nobilitate, aduersus eos non procul ab Hirsfeldo, vbi tum erant, egressus, equites ferme XL. eo misit, suum commotum animum illis vt indicarent. Illico autem ciues cum rusticis quorum vltra quatuor millia erant, in arbitrium Principis,

* Hoc Caput quod in vltima Francofurtensi editione reperitur, ex Gnodalii *libro II. p. 151.* suppleuimus.

cipis, tum se, tum arma, oppidumque dediderunt. Supererant autem adhuc in his partibus tria agmina, quorum primum IV. millia, secundum prope Smalkaldum, V. millia, tertium in Fulda supra VI. millia seditiosorum continebant. Hi plane sic castra posuerant, vt vno die omnes in vnum conuenire potuerint. Vnde Princeps Hirsfeldo oppido recuperato, & præsidiis firmato ad Vastorphum, id pago nomen est, iter habiturus prius oppidulo Hunfeldo, qui ad seditiosos defecerat, in deditionem accepto, cum copiis suis Fuldam obsedit. Rustici quorum numerum paulo ante memoraui, oppido profecti, montem qui a fœminis nomen habet, occupant, & aciem instruunt, contra quos Princeps instructos exercitus sui ordines deduxit, quos vbi seditiosi videre, illico in fugam conuersi sunt, Princeps bellicarum machinarum iacula in Fuldam emisit, fit præterea a peditibus ad murorum partem concursus atque impetus. Inter hæc Fuldenses ad Hessorum Principem veniunt, suppliciter, vt gratiam sentiant orant. Annuit ille & Fulda rusticisque in deditionem acceptis dies illic nonnullos manebat. Seditione hac in Fulda & circum sedata, & in ordinem redacta, cum non exiguus exercitus in Duringia variis locis nobiles partim cepisset, partim prorsus e suis sedibus fugasset. Præterea monasteriis depopulatis oppidum Eschvveg, aliosque pagos in sui studium perduxerat. Ad hæc non parum seditiosorum ex seditiosorum agmine, quod tum Smalkaldum ceperat, sed audita Fuldensi deditione dissipatum Duringicis copiis accesserat. Nec minores copiæ prope Helderungen congregatæ. His & aliis commotus Princeps, ne hæc lues suos vltra inuaderet, in Duringiam iter facere cogebatur. Perueniens ergo ad Smalkaldensem exercitum, copiis suis inter proficiscendum auctis Eysennach petiit.

Cap. L.

VT SAXONVM, BRVNOVICENSIVM, HESSORVM PRINCIPES SE CONTRA SEDITIOSOS GESSERINT.

Saxonum interea Principes, & Brunosvvicensium Dux Henricus, exornato exercitu Franckenhusen oppidum, quorum ingens tumultuantium rusticorum copia erat obsident. Qui inde relicto oppido montem occupantes, tenorem pugnæ vtut poterant, constituebant. Conspectis vero Principum copiis, ad eos literas mittunt, in quibus erat: Se Christum profiteri, quem si Principes agnoscerent quoque, & quod profitebantur, præstarent, nil prorsus aduersus eos se fore acturos. Adhæc inter cætera cum illis sua ipsorum perfidia & tyrannica crudelitas esset obiecta, responsum si Thomam Munzer, huius seditionis auctorem, in Principum potestatem offerrent, reliquos mitius tractandos. Tumultuantibus vero quod iussi erant differentibus, Principes iubent bellicas machinas in montem vectas peditum & equitum copiæ insequerentur. Quarum iaculis emissis, seditiosi monte relicto vt poterant, fuga salutem quærebant, inter fugiendum vero multi ex illis confossi sunt. Principes tamen ab incepto non desistentes, sed obsessum oppidum potenti manu ceperant. Et viris illic inuentis interfectis depopulati sunt. Inde digressi oppidum Mulhausen, in quo Thomas Munzer habitauerat, quodque huius perniciosissimæ seditionis & mater fuerat, & altrix, potenter occupauerunt. Iam huius seditionis ducibus præcipuis, præcipue Munzer, laborum suorum mercedem & fructum a lictore percipientibus, Prouincia tranquilla facta & subiecti in ordinem redacti sunt. Re inde gesta Principes cum suis copiis ad propria redeunt.

Gnodal lib. 3. p. 152. & seqq. *Sleidanus* lib. 5. p. 213. *Seckendorf* Hist. Luther. lib. 2. §. 3. & 4.

CAP. LI.

VT PRINCEPS FRIDERICVS DVX BAVARIÆ CONTRA SEDITIOSOS SE GESSERIT.

Gnodalius lib. 4. p. 160.

EAdem iniqua tempestate Princeps Fridericus Comes Palatinus ad Rhenum, Dux Bauariæ, Domini Ludouici Principis Electoris frater ob seditiosorum in sua ditione tumultum, domi manere cogebatur. Multi enim tam sui quam aliorum subiecti, in circuitu passim insurgentes, & Episcopium Eistetense occupantes, refractis fidei datæ & reuerentiæ claustris in Principem ipsum & suos illic irrumpebant. Qua re motus Princeps breui circiter D. equites, & pedites multos qui bellicas machinas custodirent, comparauit. Quo exercitu primum Freyenstat, id oppido nomen est in Sultzgauia, petit. Et quia natiua Principibus Palatinis est clementia, peruicacissimos & pertinacissimos, a sua plus quam pertinaciter semel concepta sententia Princeps mitissimus benigne studuit auocare; Vnde montem *Messinger* dictum, quem vna cum arce seditiosi occupabant, petens, fide data & accepta Duces illorum ad se vocat, qui multis pacis conditionibus oblatis, animis vincere obstinauerant, vnde re infecta discessum est. Princeps postero die, montem prædictum suis cum copiis conscendit manum cum fœdifragis conserturus. His vero fortunam belli tentare nolentibus, sed turmatim fugientibus Princeps arcem *Obernmessingen* cepit. Vbi præcipuus Ducum, cum nonnullis peditibus inuentus est. Quos illico capite plecti, & castra concremari iussit: Episcopium Eistetense, seditiosorum antesignanis punitis Episcopo restituit, & ne seditio amplius serperet his rebus effecit.

CAP. LII.

DE CONFOEDERATORVM CIRCA BEBLINGEN VICTORIA.

Gnodalius c. 1

HIs iam circa Rhenum, in Alsatia, Sueuia, Franconia orientali, Hassia, Duringia, & aliis terrarum locis gestis, Georgius Truchses Baro in Waltpurg, nobilitatis Sueuicæ exercituum summus Imperator rem omnem circa Algauiam, Alpes, Lacum quem Bodmicum vocant, superni numinis auxilio feliciter composuerat. Iam cum in Ducatu Wirtembergensi & Palatinatu, tum quoque in Episcopi Herbipolitani ditione mire sæuiret tumultuantium seditio, vt nisi is ignis mature extingueretur, extrema non Germaniæ modo verum etiam aliarum nationum esset pernicies metuenda, placuit Sueuicis confœderatis, Imperatori exercitus, relictis superioribus illis partibus per Hegauiam in Ducatum Wirtembergæ adiunctis quas tum secum habebat copiis, transire. Qui circa Non. Maias Tubingam veniens illico Hernbergam, admodum Sueuiæ vetustum oppidum, quo multi seditiosi tum erant, cepit. Deducente eo ex VVyla, id oppido nomen est copias, seditiosi VVirtembergenses quorum supra mentionem fecimus, XVIII. millia numero in Beblingen & Sindelfingen oppidis continuerunt. Qui audientes Sueuorum confœderatorum exercitum aduenire, relictis oppidis in vnum conuenerunt, & plano in loco aciem instruxerunt. Palus autem inter vtrumque exercitum erat. Vnde ad eos Imperator cum suis copiis propter loci iniquitatem accedere nequibat, sed alio transire cogebatur: nempe ad Beblingen oppidum. Quo priusquam veniret, seditiosi agmen quod leue vocant, iugo ex altera parte occupato, & machinis eo deductis equestre vexillum quod iam ascenderat, depellunt. Interea Imperator oppidum Beblingen capit, & præsidiis militaribus, ne seditiosis pateret, firmauit, auectis inde in arcem machinis quibusdam leuibus, quibus commode vti poterat. Quin & alterum iugum ipse occupat, vnde cum Martialibus & leuibus machinis sediosos e monte reiicit. Equitatu deinde & machinis bellicis seditiosos

ſos aggreſſus eſt, vexillum Principis Palatini primum, Auſtriacum ſecundum loco habebat, fauente ergo ſummo rerum omnium conditore, hoc exercitu ingentes ſceleratæ factionis copias illico in fugam conuertit, & quicquid machinarum curruumque erat, præterea nonnulla ſigna militaria abſtulit. Seditioſorum maior pars confoſſa eſt reliquis ad ſyluarum latibula confugientibus; parum cladis Imperatoris
p. 117. exercitui illatum eſt eo conflictu. Hac ſtrage facta in Wirtembergenſi Ducatu ſeditio ſedata eſt.

CAP. LIII.
DE OPPIDI VINOMONTANI DESTRVCTIONE.

ERant autem ſupra XX. millia ſeditioſorum, qui in vrbe Herbipolitana, montem D. Virginis matris occuparant, & in Heindinsfeldt caſtra poſuerant. Gnodalius c. 1. Hi exercitus Sueuorum aduentum audientes, non ſolum ab incepto deſiſtere, ſed etiam omnibus modis reſiſtere & ſuam tyrannicam crudelitatem ad finem perducere cogitabant. Interea Imperator cum exercitu in Vinimontano oppido cruentam crudelitatem & ſcelus, dictu miſerabile, vltum ibat, captum oppidum, omnibus inde aufugientibus incendit, & prorſus euertit. Eodem modo multos circumiacentes vicos concremat, digna mercede ſceleſtiſſimis nebulonibus retributa.

CAP. LIV.
VT SVEVICVS EXERCITVS IN GREICHGAVIAM PROFECTVS.

SEditioſorum cladem in Vinomontano factam Franci moleſtiſſime ferre, agmen circiter VIII. millia virorum congregare, idque in Neckerſolmum mittere, & Gnodalius lib. 4. p. 161. cum Sueuico exercitu quam primum confligere ſtatuebant, confratres ſuos omnes in diœceſi Herbipolenſi, Moguntinenſi, Palatinatu, & aliis locis appellant, hortantur, rogant, cogunt, compellunt armata manu, imo manibus & peditibus omnibus neruis & facultatibus adſint, præſenti ope, quippe in præcinctu conſtituti, rem egere. Augent exercitum vt maxime poterant. Iam vero oppido Vinomontano penitus euerſo Imperator cum ſuo exercitu, Principe Palatino rogante, in Greichgauiam, quam olim Cheruſcos habitaſſe quidam volunt, profectus, de ſeditioſorum anteſignanis ſupplicium ſumpturus. Hic inuenit inſignem latronem, Iacobum de Bechingen dictum, qui exercitum coegerat, & inter ſceleſtiſſimos Phalarides, qui in arce Vinomontana nobilitatem illam miſerabili ſtrage affecerant, nequaquam extremus fuerat. Hunc catena palo affixum, ardentibus prunis appoſitis, donec deficeret, aſſari præcepit.

CAP. LV. LVI. *
VT PRINCEPS PALATINVS AD BELLVM PROCESSERIT.

PEr idem tempus Palatinus Princeps Elector exercitu probe auxiliis ornato, Gnodalius c. 1. collecto, & curiæ ſuæ arce Gettenbuhel dicta, quo tum propter ſeditioſorum inſaniam Princeps Georgius Spirenſis præſul, & dominorum Teutonicorum magiſter Dietherus a Cleen aufugerant, quaque admodum ingens argenti pondus & auri ceu in tutiſſimum locum repoſitum erat, vna cum oppido ipſo Heidelberga, præſid is firmisſimis, tum nobillium tum Martialium, profecto Duce Schenck Valentino, Barone in Erpaco, firmato, cum Principibus, Treuirenſi & Herbipolenſi, Epiſcopis, & Othone Heinrico Comite Palatino, vtriusque Baua-

* ex hoc capite bina videmus eademque prolixiora in editione Germanica Francofurtenſi.

riæ Duce, inde profectus in Bruhein iter intendit. Equitum inter quos multi Comites, Barones, nobiles erant, duo millia, peditum sex millia fuerunt.

Cap. LXVII.
DE INCENSIONE VICI MALSCH, ET PRIMA NOCTIS FACE.

Gnodalius c. 1. PRæcesserat exercitum cum ortu solis Guilielmus ab Habern, Magister equitum, equestri cum vexillo. Qui inter vias paucis adiunctis equitibus, ad Principem Palatinum cum exercitu sequentem reuersus, pagum Malsch, in quo, vt supra memorauimus, seditio in Bruhein primum orta est, nolle se vt alii in circumiacentibus pagis fecerant, ad Principis arbitrium dedere, sed seditiose vallo fossaque cinctos rusticos resistere conari indicauit. Quo comperto Princeps Palatinus pagum cum exercitu obsidet, & emissis nonnullis machinarum iaculis, cum seditiosi nec dum sententiam mutarent, tandem incursione & incensione omnia diripi & euerti iussit. p. 213. Admodum elegans pagus erat, nempe vitibus circumquaque pulcherrime cingebatur. Quo incenso & euerso Princeps Palatinus cum copiis suis in Rottenburgum, id pagi vel oppidi nomen est, sub ditione Spirensis Episcopi iterum abiit. Exercitus alii aliis locis in circuitu castra locant.

Cap. LVIII.
VT PALATINVS MARESCHALLVS ARCEM KISELAVVE OCCVPAVERIT.

PErinde eius diei mane cum prima luce arcem Kisselavve, quæ vno miliari a Rotenburgo aberat, cum equestri vexillo & quibusdam peditibus magister equitum obsedit. Erant autem illic in præsidio nonnulli fœdifragi ex agmine fœdifragorum in Bruhein locati, arx breui capitur, familia Principis nomine in deditionem accepta. Verum, vt scribere cœperam, quatuor ex fœdifragis plane quid serus vesper vehat nescii, lictorem in arcem iam tum, vt plerosque quos illic detentos habebant, necaret vocauerant. Hos per lictorem quem in aliorum perniciem citauerant, illico capite plecti, & truncata corpora piscinam præcipitari magister equitum iussit, vero non minus quam eleganter vates cecinit:

Nescia mens hominum fati sortisque futuræ.

Cap. LIX.
DE SEDITIONE BRVSELLENSIVM.

Gnodalius c. 1. FEsta die quæ Christo ad cœlos conscendenti sacra erat, Princeps Palatinus cum exercitu a Rotenburgo Brusellam versus iter constituit. Inter vias vitam vici a peditibus, spoliorum, vt hoc genus hominum solet, auidis depopulantur. Iam quod in hoc oppido regimen in Bruhein maiorem partem consiliorum suorum & negotiorum habuerat, & circiter VII. millia virorum eo paucos ante dies miserat, qui tum postero die directo vexillo inde exeuntes, Principes, nobiles, & viros ecclesiasticos, suæ crudelitati parere coegerant, & omnia iudicia, legesque in suam libidinem pertraxerant, non immerito visitabatur. Igitur magister equitum equestri vexillo oppidum Brusellam obsidet, & per vnum ex numero tubicinum incolas rerum omnium cum oppido Principi in deditionem postulat. Mox quidam ex Senatu & communitate consilia pacis petendæ agitantes, se, salutem & fortunas suas omnes vna cum oppido dedunt Principi. Qui cum præsulibus & Duce Othone, Heinrico, adiunctis copiis oppidum ingressus est. Principes in arce, Comites & nobiles cum exercitu in oppido castra ponunt.

Cap. LX.

CAP. LX.

QVID CVM BRVSELLENSIBVS ET ALIIS ACTVM SIT.

EO ipſo die quo Bruſella capta eſt, Senatus & communitas in planitiem ante arcem, vt iuſſi erant, conuenerunt. Eo Princeps Palatinus generoſum Schencke Eberhardum Baronem Erpachi, exercitus ſummum Ducem, Ludouicum a Fiekenſtein, Curiæ præfectum, Guilielmum ab Habern, magiſtrum equitum, cum aliis nobilibus mittit. *Gnodalius c. 1.* Inter cætera autem Præfectus Curiæ, cui dicendi erat iniuncta Prouincia, dicebat; Principem ſumme deſiderare, quidnam cauſæ ut vt obliti iuris & æqui, fideique datæ contra magiſtratum, tam facinoroſa factione, & factioſo facinore inſurrexiſſent. Iam cum ipſimet non minima cauſa huius mali eſſent, velle ſerio Principem auctores & anteſignanos ſeditionis nempe ad aliorum terrorem puniendos indicarent. Poſt longam deliberationem LXX. & vltra proferuntur. Quos exercitus Dux in vincula atque tenebras abripi iuſſit, vbi admodum anguſte collocabantur. Hac ſelectione facta cæteris abeundi data eſt facultas.

CAP. LXI.

QVA RATIONE EISENHVDT SACRIFICVLVS CVM SOCIIS SVIS CAPITE FVERIT PLEXVS.

QVibus abeuntibus ſacrificulus Eiſenhudt, agminis in Greichgauia Dux, cum aliis tribus ex Eppingen, quos confœderationis Sueuicæ exercitus Imperator capi iuſſerat, & Principi Palatino, vt fieri ſolet in rebus bellicis, dono miſerat, adducitur. Adducti modica præbita audientia, nomine nobilium confœderatorum decollati ſunt. Poſtero die Princeps Palatinus, de ſeditioſorum punitione in oppido ipſo in Vdenheimio, in Rottenburgo, Kiſellavve, Grunavv, & aliis adiacentibus vicis tractauit. Multis in conſilium vocatis pro admiſſo ſcelere; p. 219. horum oppidorum & pagorum ſeditioſi XL. millibus aurum, quos Principi darent, damnantur: Et quicquid armorum eſſet magiſtratui redderent, his niſi eo volente, potituri nunquam; Præterea ab integro fidem dare iubentur. Ad hæc Bruſellenſes ſe portas quas ædificauerant diruturos, & quam ſui regiminis tempore prope arcem concluſerant aperturos promittebant. Flexo iam in veſperum die miſeri illi e turri producuntur ſudore & anguſtia plane pleni. Qui in circulum in arcis atrio conſtituti, ſupremam horam expectabant. E quorum numero cum quinque iam capite truncati eſſent, & ſextus ſimilem ſortem accepturus genua flecteret, Comites nobiles circumſtantes lictori nihil vltra, donec iuſſus fuerit, agat præcipiunt. Miſeri omnes illico flexis poplitibus, manus ſupplices ad cœlos tendunt, & gemebundis eiulatibus miſericordiam implorant. Comites & nobiles Principem adeunt, precibus obnixe rogant, damnatis demat ſupplicia. Princeps vt eſt clementiſſimus, oratores admiſſos, exoratores dimiſit, ſemiuiui vita donati clementia clementiſſimi Principis, leges quas alii ſeruare iurauerant, ſe ſeruaturos quoque pollicentur. Præterea clementiſſimo Principi immortales gratias agunt, qui morte dignorum pœnitentia contentus fuerit. Viuat tua gloria ſemper clementiſſime Princeps, tuam virtutem hoſtes, tuam miſericordiam victi perſpexerunt. Quod ſi pulchrum eſt hoſtem punire & dignum, quanto pulcrius laudabiliusque eſt infelicium ſcire misereri.

CAP. LXII.

VT PRINCIPIS PALATINI ET CONFOEDERATORVM COPIÆ CONIVNCTÆ SINT.

REbus ita confectis Bruſella Princeps Palatinus cum exercitu profectus in oppidum Hilſchpach in Greichgauia, quæ ad ſeditioſos deſecerat, iter inſtituit, vbi & ea nocte quieuit. *Gnodalius lib. 4. p. 162.* Venerunt autem ad eum Imperator Sueuici exercitus Georgius Truchſes;

&

& alii Duces, Guilielmus a Furstenberg, Comes, dominus Frovvin a Huten, eques auratus, & Rudolphus ab Ehingen, tractantes quonam locorum copias essent iuncturi. Postero ergo die Neckersolmum versus cum exercitu progreditur. Princeps inter vias autem obuios habuit Sueuorum confœderatorum copias, quæ instructis militariter ordinibus a Ducibus deducebantur. Iucundum sane spectaculum, & Principibus vehementer gratum. Iam vero Principis Palatini exercitu iugum ascendente, Sueuorum copiæ e bombardarum sonitu fumoque vix videri poterant aut audiri. Inter vtriusque autem exercitus Duces, quo ordine incedendum esset conuentum erat. Vterque equitatus vno ordine procedebat. Sueuorum equestre vexillum anteibat, sequebatur quod in Palatini Principis erat exercitu. Sequenti die hoc Sueuicum præibat. Hac vicissim alteratione satis iucunde vtebantur. Quod de signis equestribus dixi, idem de equitatu, de peditibus, de machinis bellicis intelligas velim.

Cap. LXIII.
DE OBSIDIONE NECKERSOLMI.

Gnodalius c. l. Vtrisque copiis eo ordine ad Neckersolmum tendentibus, milites gregarii ante oppidum & in circuitu castra posituri, iam ante horam præcesserant. Erant autem supra DCCC. seditiosos, qui magna & firma præsidia, & ad resistendum se prorsus parauerant in oppido, cuius portas quoque probe munierant, constituti. Hoc eos qui extra erant tantisper latuit, donec qui intra, emissis machinarum iaculis equitem quendam interimerent. Fœdifragorum dolo cognito ab oppido paululum discedunt, & Ducibus, vt res se haberent, celerrime nunciant. Vtroque equestri vexillo cum leuibus nonnullis machinis celeriter adductis, reliquæ copiæ cum maioribus machinis impigre sequuntur, quarum iacula in oppidum sæpe emittebantur, e contra & ii qui muris se tenebant, Pedites, cum hinc & inde incursionibus oppidum vexassent, capere tamen eo die nequiuere. Igitur nocte adueniente castra ad Neccari ripam Heilpronnam versus, collocabantur, sic bellicæ machinæ tandem in oppidum recta sunt directæ. Verum cum nox esset intempesta, nil aliud agi poterat, quam quod oppidum ex omni parte cingebatur, ne seditiosorum quisquam aufugeret. *p. 220.*

Cap. LXIV.
QVID CVM SOLMENSIBVS ACTVM SIT.

Gnodalius c. l. Exorto sole, machinis ad murum iam propius directis, Solmenses consentientibus iis quos habebant in præsidio quatuor ad Principem Palatinum, & exercitus Duces mittunt, qui veniam petentes obnixe se & oppidum in Principis & Ducum arbitrium dederent. Qui eo cuius rei gratia in castra venerant, expedito regressi hoc cæteris renunciant. Interea quid de illis constitueretur expectabant. Exercitus Duces deliguntur, cum ciuibus & aliis in oppido de pacis conditionibus tractaturi. Qui oppidum multo equitatu petentes hæc inter reliqua obseruanda statuere. Quicquid armorum esset ponerent, eis nunquam nisi magistratu annuente accingendi. Murum diruerent, & turres, id quod sequenti die faciebant. Mulctati sunt pecunia, sed minime illorum flagitiis condigna. Verum ex hoc ordine circiter LX. qui cladi Vinimontanæ interfuerant selegebantur, quos laqueis vincientes ex oppido binos ordine producunt in castra. Quorum Dux vexillifer, & scriba, quem monachum fuisse aiunt, cum aliis duodecim numero, eodem die sub vesperam capite plectebantur. Reliqui varie sunt dispersi. Sub idem tempus in circuitu Heilpronnæ plerique vici igne corrumpebantur.

Cap. LXV.

CAP. LXV.
DE PROFECTIONE IN ORINGAM

SEquenti die exercitus Oringam versus pedem promouit, vbi seditiosorum ingentem esse multitudinem certum erat. Verum cum exercitus vix vno miliari ab Oringa abesset, nunciatur rusticos ante horam inde discessisse. Nihilominus tamen, quo institutum erat pergunt, Oringam capiunt, extra muros in pratis ad ripam castra locant. Rem Imperator committit Guilielmo ab Habern, & Diethero Spedt, quibus etiam DC. equites adiungit, vt rusticos insecuti cum illis dimicarent, vel saltem machinarum bellicarum, quarum neutiquam contemnendum numerum habebant, nonnihil auferrent. *Gnodalius lib. 4. p. 163.*

CAP. LXVI.
QVA RATIONE GVILIELMVS AB HABERN ET DIETHERVS SPEDT RVSTICOS FVERINT INSECVTI.

QVi vt iussi erant longo itinere confecto seditiosos insequuntur. Venientibus illis ad Forchtenbergium, iam primum quos insequebantur cum machinis fluuium Cocher dictum traiecerant. Sed quid detrimenti in curru passi sint nescio, certe equites in spem adducebantur se voti fore compotes. Et quanquam iam dies esset in vesperam inclinata, ab incepto tamen non desistentes, sed ad cliuum vsque oppiduli Moguntinæ ditionis Crautten dicti illos insecuti sunt. Verum quod seditiosi priores oppidulum occupassent, cogebantur licet inuiti inde discedere. Forchtenbergium igitur repetunt, iamque viris & equis multo labore fatigatis, ad Imperatorem, qui tum in castris apud Oringam erat, nuncium mittunt, indicantes, circiter VI. millia rusticorum cum multis machinis bellicis in pago Crautten, & in circuitu locasse castra sibi factu optimum videri, si illic mansuri essent contractis copiis eum in locum venirent. Ante lucis autem aduentum prænominati duo Duces, cum equitibus e Forchtenbergio in planitiem venientes, seditiosos adhuc in castris animaduertunt. Interea renunciat Imperator, sibi non esse integrum exercitum, quod non nisi vnus & is perangustus quidem aditus esset, eo ductare. Meckmullium cum suis peterent potius, quo ipse cum exercitu breui quoque aduehеretur. Oppidum interim ipsum, qui ad seditiosos defecerant, & in quo multum crudelitatis ac insolentiæ seditiosi patrarant, Episcopo Herbipolensi restituerent. His præceptis, quod iussi erant fecerunt. Eo quoque Imperator cum omnibus copiis vt pollicitus erat, veniebat Principes & Comites in oppido, Copiæ in pratis ponebant castra.

p. 221.

CAP. LXVII. LXVIII.*
QVID IN MECKMVLLIO ET BALLENBERG SIT ACTVM.

CIuibus in Meckmullio pro actis suis punitis, & in Episcopi Herbipolensis ditionem eodem oppido restituto, sequenti die exercitus ad Ballenberg Moguntinæ ditionis oppidulum pedem protulerunt. Vbi vt poterant, nam admodum exiguus locus ad tantam multitudinem fouendam erat, castra locant. Et hic depopulatione facta, in eos qui suppliciis digni erant animaduersum est. Cerneres illic plerosque vicos ignibus incendi. Cerneres & pedites, vbi poterant finitimis in pagis prædam agere. *Gnodalius c. l.*

CAP. LXIX.
VT EXERCITVS IN KOENIGSHOFEN PROFECTVS SIT.

HInc exercitus ad Konigshofen, id oppido nomen est, progrediebatur. Dederat autem magister equitum tribus equitib. res suas in Boxspergo curandi facultatem, sed *Gnodalius c. l.*

* Ex hoc capite in editione Germanica bina iterum fuerunt facta.

ſed hac lege vt illico redituri, vbi ſeditioſi, qui oppidulum Crautten occuparant caſtra poſuiſſent accurate inueſtigarent. Qui exploratum præmiſſi redeunt, rem vti erat, turbulentam nunciant, nempe ruſticos Tuberim traieciſſe & locaſſe caſtra intra & extra oppidum Konigshofen, quin & a ſe viſum eorum exercitum, qui vna nocte & die ad VII. millia virorum auctus erat: Hæc quoque ex agricola quem inter vias ceperat, ſe certo comperiſſe teſtabantur. Quæ cum a magiſtro equitum Imperatori dicuntur, eius animus erectus, quod ſperaret, de hoſtibus, id quod poſtea contigit, ſe glorioſe triumphaturum. Bellicum illico canit, ad arma vocat, prælii faciundi tempus adeſſe monet; multis qui rei bellicæ gnari erant in conſilium adhibitis, qualiter cum ſeditioſis agendum eſſet explorat. Aberant vero vno miliari ab hoſtibus: Ergo finito conſilio decernit DC. equites, quibus dominum Frovvin, & Guilielmum ab Habern præfecit, eosque cum his proficiſci iubet, & ſi poſſint cum hoſte pugnam conſerant. Proficiſcuntur, ſequuntur copiæ mirifice exornatæ. Inter eundem vero Ducibus duobus placuit, diuiſi irent, nempe hac magiſter equitum illac vero cum CCC. equitibus traiecto Tuberi dominus Frovvin conſilio & hoſtium inſidias anteuenire conſideraret. Vtrorumque exacta diligentia eo pertinebat, vt copiis hic manentibus ipſi montem qui oppido contiguus occuparent.

Cap. LXX.

STRAGES RVSTICORVM AD KöNIGSHOFEN.

CVm vero vallem Schupfer dictam mire iocundam deſcenderent, & hoſtes & illorum caſtra contemplarentur, ſententiam mutauerunt, quippe quod hoſtes cum agmine & machinis (olfecerant enim ingentes nobilium Sueuorum & Palatini Principis copias) relictis caſtris, ad montem quo vtrique Duces cum equitatu peruenire cupierant, tenderent. Ruſtici occupato monte locant caſtra, poſitis hinc & inde machinis bellicis, quarum circiter XL. erant, exceptis quas leues vocant. Quo viſo Duces conſilio inito, conſultum rati, trans oppidum cum equitatu progredi. Interea ruſtici ſuas machinas in Tuberim direxerant, & damnum dabant equitibus iam deuehendis. Vnde & copiæ alio loco transuehi cogebantur. Interim equitum Duces cum ſuis montem conſcendentes, & in loco ab hoſtium iaculis aliquantiſper tuto conſtituti, aciem inſtruunt. Eo quoque Imperator venit, & paucis adiunctis hoſtem cingit; diſtribuerant autem ſeditioſi ſuum agmen tres in partes, & pro loco atque copiis poſt machinas collocauerant, machinis ipſis in fronte conſtitutis. Duces interea cum equitatu, & equeſtribus vexillis propius hoſtem accedunt. Quo acceſſu ſeditioſi relictis machinis ac caſtris, vt erant ordine inſtructi fugiunt, & diſperſi, hic lucum qui non procul aberat petit, ille per prata & campos fugit. Horum potior pars confoſſa eſt; Nam equeſtria vexilla, & ii qui leuibus machinis præerant, acrius inſecuti agmen prorſus diſſipauerunt. Inde equites petentes montem, caſtra diripiunt. Interea qui in lucem confugerant ab exercitu per vallem aſcendente circumdati dextra & ſiniſtra funduntur. Sane horrendum erat ſpectaculum, tam in luco quam patenti campo fugere, ſequi capi, occidi, vulneribus acceptis, neque fugere poſſe, neque quietem pati. E monte quoque in lucum Duces equitum cum ſuis ſe receperant. Verum hæc illorum dimicatio haud quaquam citra iacturam fiebat, quod hinc & inde arbores illis eſſent impedimento. In hoc luco fere CCC. ruſtici vallo, foſſaque ſeſe abdiderant, vt equitum nemo ad eos ſine ingenti periculo poſſet accedere. Conſulentibus Ducibus pedites non paucos eo mittunt. Concurritur magno clamore, ruſtici cladis acceptæ memores acriter inſtare, Martiales haud timidi reſiſtere. Certatur vi magna. Interemptis e ſeditioſis centum, reliqui quod nox intempeſta immineret, a Comite Furſtenbergenſi Guilielmo capti, & pecunia mulctati ſunt.

p. 221.

Cap. LXXI.

QVID POST HANC STRAGEM FACTVM SIT.

SVperis ergo fauentibus omnia aderant, victoria, præda, laus. Vnde Princeps cum Ducibus & copiis omnibus conscenso, monte lituis tubisque ob ademptam victoriam Io pæan, canebant. Descendentes inde in oppidum Konigshofen pedem promouent, vbi Principes cum maiori exercitus parte conquiescebant, reliquo equitatu ad Tuberi ripam amæno in prato consistente, rusticorum castra pedites occupant. Sane in eo conflictu seditiosorum circiter VII. millia desiderata sunt. Qui non castra modo, verum etiam currus & arma in magno numero, præterea machinas XLVII. egregie fabricatas, exercitui diripienda fugientes reliquerant. Habitauerant hoc oppidum ferme CCL. coloni, qui exceptis quindecim hac pugna cæsi sunt. Similiter ex adiacentibus pagis seditiosorum maior pars occubuit, minor domum rediit. Quamuis autem Principibus cordi esset, eos qui in arce Herbipolitana erant, celeriter obsidione liberare, tamen quod viri partim labore fessi, partim saucii cogebantur, postero die se ex labore reficere. Interea vero oppida Mergentheimium, Lauda, Curia Episcopalis, vulgo Bischofsheim dicta, & alia ad Tuberi sita ripam capta sunt, seditiosorum præcipuis capitali supplicio affectis. Sub idem tempus Herbipolensis Episcopus suum magistrum equitum, adiunctis fere centum equitibus, ad montem qui ex D. Virginis matris nomine appellatur, mittit, vt quo pacto posset iis qui in arce erant, signum flammis ignium daret, quo auxilia & liberationem iam adesse certo cognoscerent. Sic enim ad Palatinum fugiens destinaret. *Gnodalius lib. 4. p. 165.*

Cap. LXXII.

VT EXERCITVS EX OPPIDO KONIGSHOFEN DISCESSERIT.

FEsto die quem Christiana religio Pentecosten vocat, inde profecti cum exercitu Principes, vt inter oppidum quod iam reliquerant, & Herbipolin nocte corpora quieti darent. Vtroque autem equitatu exeunte Sueuici pedites progredi nolunt, non paucis ex Principis Palatini exercitu vt idem facerent persuasis. In causa erat, quod venales illæ animæ, prælii stipendium desiderarent, cum tamen ipso die pugnæ vix in dimicationis fine, vt supra memorauimus, aduenissent. Nihilominus vero Principes & exercitus Duces cum paucis equitibus progrediebantur. Cumque iam circiter quatuor millia passuum a Konigshofen discessissent, Herbipolensis Magister equitum, expedito quod sibi iniunctum erat, negotio, reuersus, Imperatori, partim a seditiosis arcem obsideri, partim illos in vrbe esse, & ex eis ingens peditum agmen machinis & reliqua armatura bellica probe exornatum iis qui nudius tertius in Konigshofen occubuerant subsidio ire, ignari enim tum rerum gestarum erant, vixque duo millia passuum abesse, certo nunciabat. Quo audito Imperator pedites, qui gradum facere detrectarant, in expeditionem vocat, hostem iam adesse propere enunciat, sperabat enim hoc nuncio eos a proposito posse reuocari: sed surdis, vt aiunt, tum canebat. Illorum vero pertinaciam non perinde curans, Principibus & p. 223. Ducibus hostem adesse indicabat, mox signa canere iubet, quo commodius ad cœtum milites cogerentur. Nemo autem non lubens eius imperio obtemperabat. Hinc ipse paucis equitibus comitantibus, seditiosorum agmen contemplabatur. Consultant autem in medium, prælium ægre committi posse, nisi Guttenberga, id ei syluæ nomen est, a qua vix duobus millibus passuum aberant, præoccupata. *Gnodalius c. 1.*

Cap. LXXIII.

DE RVSTICORVM INTERNECIONE IN FRANCIA, CIRCA ENGELSTADIVM.

IMperatoris itaque iussu vtrumque equestre vexillum gradum fecit, eo cum reliquo equitatu sequente. Mouentur interim equitum alæ cum vexillis, perinde ac ab hoste descenderent, idque tantisper dum inter syluam ipsam & rusticos medii consisterent *Gnodalius c. 1.*

fiebat. Seditiosi pro loco & copiis prope vicum quendam exercitum instruxerant, hinc & inde XXXVI. machinis bellicis intermixtis. Quare Principis Palatini magister equitum eos qui machinis præerant, cum duce suo, secum quid hostes molirentur exploraturus celeriter incedere iubet. Rustici hoc spectaculo attoniti rati tutius multo hinc fugere, quam in loco consistere, vallo machinisque relictis in fugam se effudere. Hos equestria vexilla in patenti campo vix persequendo oppresserunt. Quicunque autem in vno miliari ad Ochsenfurdum fere comprehensi sunt, interficiebantur. Aiunt illorum satis amplum numerum fuisse.

Ceterum circiter D. in duos non procul distantes pagos, vni Gibelstadium, alteri Sulzfeldum nomen est, euaserant. Qui vna cum pagis concremati sunt, vt illorum pars minima superfuerit.

Cap. LXXIV.

QVA RATIONE RVSTICI QVIDAM IN ARCE QVADAM FVERINT TRVCIDATI.

PAululum ab his locis aberat arx Engelstadium, aut si mauis Angelipolis. Hanc paucis ante diebus elapsis incenderant seditiosi, ita tamen vt in necessitate, præsertim qua tum premebantur, esset receptaculum non contemnendum. Vt enim spem probe inflexam, vt muros & fortes & altos prætercam, turris illic erat vallo fossaque egregie munita. In hanc exoletorum caterua circiter CCCC. cum armis & machinis se receperant, introitu & porta quam diligentissime obseruatis, vt me hercule mirum dictu sit, tam breui tempore tantam molem illos congerere potuisse. Sed tu mihi, quod ille ait, consideres, velim; humanæ imbecillitatis efficacissimum duramentum est necessitas, certe eius quanta vis sit, hoc loco demonstratur. Qui intus erant se probe munitos arbitrati eorum qui extra erant insultus non magni faciebant, sed muri pars breui machinis bellicis admotis concussa est, illico Comites & nobiles, tum alii quoque ex equo desilire, turrim oppugnare, illicque sine ordine currere. Qui intra, strenui manu, extremæ horæ memores, acriter instare, repugnare, primum impetum fortiter sustinere. Ex nobilibus vero ferme centum sauciabantur, tenor enim pugnæ in vltimam defatigationem processerat. Nec ab incepto desistebant, quum integri sauciorum loco succederent. Itaque secundo impetum faciunt. Ea autem parte quæ comminuta erat, non pauci ingrediebantur. Qui incendium quod se restinxisse putabant iam primum gliscere videbant. Nam erat murus adhuc oppositus, vnam tantum habens fenestram & portam, quæ ferme a solo triginta palmis distabat, ex qua tanta cæde vtrimque pugnatum est, vt comites cum aliis iam secunda vice abire cogerentur. Qui quanquam in vitæ fuerant discrimine, nemo tamen ex eis interiit. Iam cum rustici ad deditionem compelli non possent, plus iaculorum e machinis immissum est, quibus murus magis, magisque concutiebatur.

Tertio tandem impetu facto, turri cum summa difficultate potiti sunt rusticis omnibus ad internecionem vsque deletis. Sane ex agmine quo de supra mentionem fecimus CC. ferme in nemus non procul ab arce se proriuerant. Iam cum mox immineret nihil aduersus eos agi poterat, ne tamen aufugerent cingebantur, mox vbi dies cœpit omnes sunt confossi. Sic ex hoc seditiosorum agmine admodum pauci fuga elapsi sunt. Crediderim Hercle dæmonem eo e sacro die Pentecostes, p.224 versum ex hymno, quem sacerdotes sequentiam vocant rursum cecinisse; *Hunc diem bellicosum ego feci.*

Cap. LXXV.

CAP. LXXV.
QVA RATIONE VICTORES AD PAGVM MOSS ET HEIDINGSFELDVM PROCESSERINT.

PORro victoria iam adepta Principes cum equitatu & ducibus alas seditiosorum scalares adeunt, & currus cum machinis sufficienter ornatis inde auehunt. Post contractis copiis vicum Moss, dictum, petunt, vbi incolarum inuenerunt neminem. Castra prope piscinam & in circuitu locant, & cibo curati corpora dederunt quieti. Mane Principes cum copiis omnibus, pedites enim ex Chonigshofen quoque ad exercitum accesserant, inde profecti itinere circiter septem millia passuum confecto ad Heidingsfeldum Herbipolitanæ ditionis oppidum, ad Mœni ripam situm peruenerunt. Hinc Principes suis cum equitibus, extra vero Imperator Sueuici exercitus cum copiis Herbipolim versus castra collocarunt. Pedites superioribus in locis castra a rusticis derelicta occupauere.

CAP. LXXVI. LXXVII. LXXVIII. LXXIX.
QVID HERBIPOLI ACTVM SIT.

INter proficiscendum vero antequam castra (vt diximus) ponerentur, Imperator exercitus & Guilielmus a Fürstenberg Comes, Principem Othonem Henricum cum CC. equitibus secum sumentes, proximum montem arcem versus conscenderunt. Mox tubicinum, vt fieri solet, concentus factus est, vt ii qui arci erant præsidio, æque ac qui in vrbe, & ad montis D. Virginis matris radicem erant, copias adesse certissime intelligerent. Quo concentu, vt ii qui in arce erant, vehementer lætati sunt, ita spe nouandarum rerum inflammati meo iudicio ceteri terrebantur; duces exercitus magistrum equitum, & summum Palatini copiarum præfectum in arcem mittunt, iis qui illic præsidio erant locati tum Principum tum exercitus aduentum nunciarent, verum etsi hoc difficile erat efficere, quod seditiosi non procul a monte castra posuissent, quod tamen iniunctum erat diligenter expediuerunt. Ex arce reuersi, quam de tot Principum atque nobilium aduentu ii qui illic præsidio dispositi erant, exhilarati fuerint nunciarunt. Eo igitur in loco duces cum Principe Othone Henrico & reliquo equitatu consistunt, dum qui in arce erant, iacula e machinis quarum & magnitudo & numerus ingens erat in vrbem Herbipolim emitterent. Quo facto Heidingsfeldum petunt, ibique castra vt dicere cœperam, collocauerunt, sane rustici ea nocte relictis suis castris cum quatuor machinis optimis se in vrbem receperunt. Postero die Guilielmus a Fürstenberg Comes, & Principis Palatini magister equitum, suburbium, vt vocant, cis pontem cum turre quam etiam præsidiis firmabant, occupant. Interea centum viri armis optime instructi descendunt ex arce. Quibus prædicti Duces obuiam venientes, vna ad castra perueniunt, intrant, offendunt neminem. Relictæ erant quinque vel sex machinæ cum nonnullis aliis bombardulis destructis, has secum in arcem aduehunt. *

Gnodalius lib. 4. p. 366.

Ceterum in vrbe ciuium & rusticorum vltra sex millia erant. Cognita Principum voluntate, (decretum enim iam erat vrbem cum machinis & copiis omnibus obsidendam) venerunt supplices, ea quæ pacis sunt tractaturi. Res autem hunc in modum est composita, vt se cum vrbe & rebus omnibus in confœderatorum & Principum arbitrium dederent. Quo facto Principes & Præsules cum Imperatore exercitus, & quinquies vicies centenis equitibus pulcherrime exornatis Herbipolim intrant, vt seditiosorum antesignanis supplicio affectis vrbs episcopo restitue-

* Hæc in editione Germanica distinctis capitibus proponuntur.

tueretur. Duæ portæ ab vtroque equestri vexillo occupantur, reliquis equitibus cum Principibus in planitiem progressis. Quinque horas ita consistebant, cautum enim erat vt equis insiderent. Ad mediæ portæ custodiam satellites deputabantur. His itaque diligenter prospectis ciues in foro, qui ex episcopatus & Marchionatus erant ditionibus in planitie ante D. Virginis matris sacellum, reliqui in via quæ ab equestri cursu nomen habet vulgariter *Renweg* dicta, distribuebantur. Primo igitur confœderatorum & Principum nomine exercitus Imperator ad ciueis orationem habuit. Qui illico sese omnes Principibus ac nobilibus ad pedes proiecerunt. Rursus imperator post longam orationem, qua virtutes ornauit, & illorum effrenatam temeritatem est insectatus, ex ea multitudine nonnullis selectis, quibusdam in omnium præsentia decollatis, reliquos in vincula coniici iubet: Alii episcopo nouum iusiurandum dant. Quo expedito ad planiciem ante sacellum, cui deipara virgo dea tutelaris præest, tendens Imperator, eo quoque modo cum seditiosis egit, eadem pœna qui in via equestri erant afficiuntur, decapitati sunt autem ex trina illa seditiosorum selectione LXVII. numero. Inter quos ciuis quidam duobus millibus aureorum vitam redimere voluit. Sed verba, vt aiunt, ad parietem faciebat. Mox alienigenæ cuiuscunque conditionis erant, tuti ad lares proprios reuerterunt, sed hoc pacto, vt iis quorum sub ditionibus erant, suum ius esset integrum. Rebus ita confectis Principes cancellariam, vt vocant, episcopalem causa requiescendi petebant. Inde conscensis equis in arcem se conferunt, vbi etiam pernoctabant, Ducibus cum exercitu in castra reuersis. Sequenti die res cum ciuibus composita est, nempe vt arma illico ponerent, quæ in arcem vecta certe collem diceres; Præterea muros turresque contra arcem diruerent. Ad hæc confœderatis & Principibus VIII. millia aureorum numerarent. Inter hæc episcopo suum ius, si ita mihi loqui licet, integrum mansit. p.125.

Cap. LXXX.
QVID IN CASTRIS AD HEIDINGSFELD FVERIT ACTVM.

PORRO Principes cum ducibus & copiis octo dies in castris prope Heidingsfeldum moram facientes, finitimos quosque pagos & vicos Herbipolitanæ diœcesis, seditiosis decapitatis in pristinum restituebant statum. Quod non citra ingens finitimorum damnum fiebat. Hoc enim genus virorum qui castra sequuntur parta victoria vix cohiberi potest. Atqui & seditiosi priores in depopulationibus fuerant. Inter hæc quoque res Rottenburgensium ad Tuberim, vt confœderatis & Principibus quinque millia aureorum penderent, componebatur; idque vrbis tantum nomine; Nam quod ad ditionis partem pertinebat, id Sueuicis confœderatis illibatum conseruabatur. Tum quoque ex comitatu Wertheimensi, tria millia aureorum exacta sunt. Venit & præsul Argentinensis Alsatiæ Landgrauius, tum Moguntinensis Locumtenens quinquaginta equitibus stipatus in castra. Verum quid hic actum sit, causa breuitatis lubens omitto, quod ad finem huius perturbationis tendat descriptio. Iam episcopo Herbipolensi arce, diœcesi, vrbe restitutis copiæ ad inuicem sunt separatæ. Optassent Sueuorum Duces cum Principe Palatino progredi, idque facile factu fuisset, nisi tam crebro Princeps literis ab Heidelberga missis, sententiam mutare coactus, quippe seditiosorum tumultum magis magisque auctum iri & ni rebus mature consuleret, de ditione actum esse. Scelerum enim artifices omnia diuina humanaque truculentissimo genere cupiditatis inquinabant. Hæc itaque causa discessus. Conuenit autem inter Principem Palatinum & Archiepiscopatus Moguntini Locumtenentem, qui, vt principio narrauimus, a suis in Aschaffenburgo male fuerat exceptus, de restitutione. Conuenit & inter Sueuicos Duces & Principem Casimirum Brandenburgensem Marchionem,

nem, qui tum ad Principes multo equitatu venerat, vt is vna cum Guilielmo ab Henneberg Comite, copias quas faberrime exornatas habebant, inde profecturi Sueuicis annumerarent.

Cap. LXXXI.
DE VLTERIORI SVEVICI EXERCITVS PROGRESSV.

Gnodalius lib. 4. p. 166.

IGitur Sueuorum Imperator cum suo exercitu inde digressus oppidum Svveinfordum obsedit, & ciuibus se in Nobilium Sueuorum arbitrium dedentibus, breui cepit. Re inter illos composita, cum ingens agmen sceleratissimorum hominum non ex subiectis Herbipolensis ecclesiæ modo, verum etiam Marchionatu & adiacentibus oppidis & pagis, noctu arces multas nobilium in Bambergensi episcopatu partim depopulatas diruisset, partim vero solo æquasset. Quin etiam Bamberga occupata in Cleri illic diripiendis facultatibus non parum multum insolentiarum egisset, Duces cum copiis eo vbi tunc hæc exoletorum fex triumphabat, pedem protulerunt, diœcesim nemine resistente, facile episcopo restituerunt, iis qui ex Marchionatu & aliis finitimis pagis erant, redactis in ordinem. Inter alia Princeps Brandenburgensis Kizingen, id nomen est oppidi, quo seditiosi cateruatim conuenerant, cepit, LX. illic numero ad supplicium damnatis oculi eruebantur. p. 226. Sedata iam in finitimis pagis turbulentissima tempestate Sueuici exercitus Imperator contractis copiis ad oppidum Memmingen iter instituit. Seditiosorum enim denuo illic magnus exercitus conuenerat, & oppidum obsederat. Imperator eo veniens non procul ab eorum castris castra ponit. Exploratis inde ferme quatuor millibus seditiosorum qui prope pagum Schrattenbacum conuenerant, cum equitibus nonnullis aduersum hos conflicturus processit. Sed cum nec machinas nec pedites ad se ob imminentem noctem posset perducere, infecto negotio discedere coactus est. Sub noctem vero omnibus militaribus copiis hostes, quorum XII. millia erant eo aggrediente, rursus infecto prœlio, quod vltra fluuium Lubas fecissent gradum, voti compos nequibat fieri. Veruntamen machinis aduersus illos biduo satis prospere vsus est: Multa interim vt hosti sit obuiandum secum volutat. Tandem vtrinque ad arma concursum est. Seditiosorum multi confossi sunt, quibus etiam Sueuorum pedites vexillum abstulerunt. Quare qui supererant, noctu cum machinis nonnullis aufugientes ad arcem Sulzperg, dictam vix quatuor millibus passuum a Campidono distantem peruenerunt. Inter hæc fortissimus & florentissimus Cæsarei exercitus Imperator Georgius a Fronsperg inclinata iam in vesperam die, cum copiis quas e Mediolano eduxerat, Sueuici fœderis nobilissimo & fœlicissimo Imperatori, Georgio Truchses obuiam venit. Vtrique ergo Imperatores hostem insequuntur. Qui impensissimis precibus vt cum Imperatoribus in colloquio verba facere liceret; impetrauit. Res feliciter inchoata felici exitu finita est. Dedunt se seditiosi, armis & vexillis positis, in Sueuorum confœderatorum arbitrium. Digna per Iouem laudibus victoria, quæ non humano sanguine sed clementia stetit potius. Nam ea demum, & apud Deos & homines victoria minimum est habitura inuidiæ quæ clementiæ plurimum habuerit.

Cap. LXXXII.
VT PRINCEPS PALATINVS CVM EXERCITV SVO PER MOENVM DESCENDERIT.

Gnodalius lib. 4. 167. & lib. 5. p. 169.

SVeuicis copiis ex Heidingsfeldo discedentibus postero die Princeps Palatinus cum exercitu in pagum Remblingen profectus est. Milites in Heussen & Entingen pagis Comitatus Wertheimensis castra collocabant. Sequenti die in oppidum

dum Wertheim, hinc Milteburgum vna cum Moguntiæ ditionis locum tenente, qui inter vias obuiam venerat, Principes ingressi sunt. Equitatus in Berstat, peditatus cum machinis in pagis Hambach pernoctant, conuentione de mulcta Archiepiscopatus Moguntini facta, Oberburgum Principes, equitatus Niderburgum, Moguntinus locum tenens Cleinvvalstadium petunt.

CAP. LXXXIII.
QVID ASCHAFFENBVRGI SIT ACTVM.

Gnodalius c. 1. CVm ad Aschaffenburgum Moguntini Archipræsulis Curiam, vt vocant ventum esset, Principes se in arcem illic receperunt, militibus in adiacentibus pagis castra collocantibus. Sequens dies ciuium & seditiosorum negotiis insumptus est. Certo autem Princeps Palatinus Moguntiam & oppida in Ringauia, quod ad seditiosos desciuerant, obsidenda decreuerat. Verum præmissis Principum literis, ne id fieret, sese dederunt, res seditiosorum composita est, nempe vt inter cetera non suo ipsorum, sed locum tenentis iudicio starent, denuo iuramento præstito. Ad hæc XV. millia aureorum exiguntur. Inde Princeps Palatinus cum omnibus militaribus copiis Diepurgum oppidulum petit. Hinc ad Oppenheim celebris nominis oppidum venit. Equitatus cum Principibus Rhenum transmiserat, peditibus sequenti die sequentibus. Diem illic manere cogebantur, quod Principi Palatino Moguntinus locum tenens Aschaffenburgi pollicitus fuerat se auxilio cum CCC. equitibus ad Oppenheimium venturum.

p. 127.

CAP. LXXXIV.
VT SEDITIOSORUM TRANSRHENANORVM AGMEN ET CASTRA EXPLORATA SINT.

Gnodalius lib. 5. p. 170. EOdem miserandæ calamitatis tempore nil prorsus ab exercitus summo duce Schenck Eberhardo Generoso barone, quod bonum Imperatorem decebat, prætermittebatur, quin nullum non lapidem, vt prouerbio dicitur, mouebat, quo seditiosorum, qui denuo, prope Neapolim conuenerant, propositum exploraretur. Hos vero pagum Dalsheimium concessisse illicque circiter VIII. millia numero castra collocasse nunciatum est. Flagrabant, vt prius, inusitatis cupiditatibus, minabantur se Principem Palatinum cum copiis omnibus, velle non opprimere modo, verum etiam crudelissime vexare, & se non vexaturos tantum, sed inaudito quodam feritatis genere interfecturos, quoscunque sibi aduersos comperissent. Et me hercle huius sceleris atrocitas primum illis prospere successit. Omnia minis, tumultu, præda, cæde passim implent. Conuenerant autem, vt dicere cœperam, ex Thymopolitanorum, Merleinorum, Heilspruckenanorum & Wachenheimensium copiis prope Neapolim collecti. Gradu deinde facto Agersheimium, Lamsheimium, Freinheimium, oppida capiunt. Hinc Principis Palatini arcem in Dyrmstein ad deditionem compellunt. Resistebant, qui illic præsidio locati erant, inter quos & iam præfectus a Zell (id ei pago nomen est) fuit. Resistentibus inquam illis, id quod tum bonos ac fideles subiectos decebat, seditiosi violenter arce potiti, præfectum cum quindecim aliis viris miserabiliter occidunt, occisos ex arce proiiciunt. Arcem depopulatam vna cum clarissimi Iurium doctoris, domini Wolffgangi ab Affenstein castello, diripiunt, & solo æquant. Pagum egressi præsulis Wormatiensis ædes incendunt; Et hac fraterna charitate inflammati arcem Nevvenleyningen occupant & depopulantur. Erat illic tum Comitissa a Westerburg, fœmina pudicitia & natalium claritudine insignis, quam vt cibum coqueret, & ingurgitantibus ministraret, coegerunt. O detestabilem, & execrandam atrocitatem dicamne an impietatem! Sed pergam non cum ipsis, sed vt immanissimi

fimi latrones perrexerint, fcribere. Omnibus ad votum illis fuccedentibus VVefterburgenfem arcem Altleiningen concremarunt. Hinc ad monafterium Heningen commigrant prædam agentes. Eodem modo plerasque arces prope montem Donnersberg dictum capiunt. Hunc ego Tonantis montem a Ioue fulgurante dictum, eo tempore quo Romani cum Germanis bella gefferunt, crediderim, quippe cum & alia eiusmodi vocabula præfertim in hoc terræ tractu adhuc licet corrupte pronuncientur, fuperfint. Sed de his alias fufius fortaffe & commodius. Captis arcibus oppidum Kircheimium fub ditione Comitum a Naffavve fibi vendicant. Deinde Bolando, & Stauffen arcibus incenfis, in locum qui Gavve vocatur, profecti breui comparato exercitu damna dederunt vehementer deteftanda. Ergo quafi re feliciter gefta, *Io triumphe*, magno plaufu canebant. Quod fi fceleratorum hominum votis fucceffus vltra afpiraffent, Dii immortales, quo fuiffet illorum execranda impietas euafura?

CAP. LXXXV.
VT PRINCEPS PALATINVS SE CONTRA HOS SEDITIOSOS GESSERIT.

IAm cum Principi Palatino, quonam loco feditiofi caftra collocaffent, effet nunciatum; fuos, quos tanta femper clementia gubernarat, ad feditionis auctores rurfus defciuiffe molestiffime tulit. Vnde feræ gentis ferro duriores animos vt debilitaret, manfuetiffimum ingenium fuum, ad tempus depofita clementia, feueriori feueritate vti cogebatur. Ducis itaque iuffu, exercitu probe exornato magifter equitum ex Oppenheim per arcem cum equeftri vexillo hoftem exploraturus profectus eft, Principe cum omnibus copiis tempeftiue fubfequente. Inter vias autem Moguntinus Locumtenens obuiam factus CCC. equites fuos copiis adiunxit. Iter vero Wefthouen verfus, id pago nomen eft, inftituebatur. Interea nunciatum eft, feditiofos noctu ex Dalsheimio profectos ad Guntheimium frequentis nominis vicum, in quo Ioannis ab Oberftein arx eft, gradum feciffe. Huc magifter equitum illorum fecutus veftigia fe confert. Iam quia per patentem campum acie inftructa proceffèrant, quot virorum in vno cuneo fuerint, ex ipfis femitis erat facile deprehenfu. In fingulis cuneis quadrageni tres, ad dextram vero in agmine, quod tum leue vocabant, viceni feptem inceffèrant. Hinc vero magiftro equitum cum fuis ad celebre oppidum Pfedersheim, elegantiores Petram fanam vocant, tendente, feditiofi illum curfu præuertunt. Mox oppido ad deditionem verbis tantum compulfo, quibus auxilia Princeps Palatinus breui, & admodum magna quidem ventura pollicebatur, ad hæc ne ad feditiofos deficerent ab ipfo Principe Burggrauius Alzeienfis penes CC. viros ante dies quinque præfidio vt effent illuc ordinauerat, intromittuntur.

Gerdalius c. 1.

p. 228.

CAP. LXXXVI.
DE STRAGE IN PFEDERSHEIM FACTA.

IAm cum magifter equitum, quid hofteis molirentur probe intelligeret, eoque indicato iuffu Ducis acies eft inftructa, & ad oppidum deducta. Confultatur hic de hofte aggrediendo. Ab oppido ergo centum paffus equitum peditumque exercitus conftituitur, machinæ leuiores prope montem D. Georgii, cui etiam in cacumine fanum eft dicatum, vehuntur, ex quibus iacula in oppidum miffa funt, iis qui intus erant, nequaquam in vtramuis aurem dormientibus, fed fortiter quoque repugnantibus. Erant & ipfis fuæ machinæ. Iam pene horæ fpatio elapfo confultum effe iudicant, definiretur numerus equitum, qui trans fluuium Phrem in valle oppidum alluentem mittantur. Hos enim quid feditiofi acturi effent probe per-

Guodalius c. 1

perspecturos, quod hac quam isthac multo id commodius posset fieri arbitrati sunt. Nec frustra hoc negotium susceperant. Igitur magister equitum cum equestri vexillo, assumpto Diethero a Schonburgo, Alzeiæ Burggrauio, qui tum quinque turmarum erat decurio, in agro prope sacellum quoddam cis fluuium consistit. Missus erat etiam Iohannes a Schonburgo cum Vbiis equitibus, quos Colonienses vocant, in valle vt consisteret, & quid hostis moliretur diligentissime consideraret. Quos qui in oppido erant, nam vexilla tria, vt probe ab incolis cerni possent, erigebantur, vel CCCC. vel ad summum D. tot numero esse, id quod postea certo cognitum est, arbitrati sunt. Magister equitum interea vices suas VVolffgango Vlricho a Flehingen committens, vno comitatus puero ad Principem Palatinum, quid agendum esset exploraturus accessit. Quo ad exercitum veniente Ducis consilio decretum est, quandoquidem oppidum esset obsidendum, locus quo castra ponerent, deligeretur. Quæ ad fluuium supra oppidum posita sunt. Iam vero cum hosteis in oppido, extra vero copiæ instructa acie essent, nemo tum futurum putabat prœlium, præsertim iam Hespero apparente. In castra ergo quibus vires reficerent, vinum, frumenta aduehuntur. Verum illico portis apertis, hostium subita eruptione tria vexilla ex oppido egrediuntur. Eo autem propter impedimenta machinarum, nec equites nec pedites peruenire poterant. Quidam seditiosos vt Principis machinas tollerent, alii vt equites depellerent egressos arbitrabantur. Inter hæc vltra octo millia hostium ex oppido erumpunt, fortasse quod se facile eas quæ trans fluuium erant copias, prœlio contundere sperarent. Nam adduci non possum vt exercitum qui ad D. Gregorii montem erat, ab ipsis visum credam. His conspectis equites inter se propius iuncti, quid agendum sit a magistro equitum expectant. Qui vt ita iuncti superiora peterent iussit. Ipse vero cum Moguntino equitatu in hostium prospectum processit. Quem ducis iussu Treuirensis & Iuliacensis copiæ sequebantur. Exercitus Principis cum machinis interim in expeditione consistebant. Rustici visis equitum copiis, instructa acie per medias vineas ad locum impeditum, & iniquum, quoque equites nequibant venire, transeuntes, machinas suas in exercitum, quo Princeps ipse erat, direxerunt. Primo iaculo Principis a secretis supremo fere loco constitutus periit. Interim tres machinæ in rusticos recta procedentes diriguntur, quarum emissis iaculis, illico in fugam coniecti oppidum repetunt. Quorum admodum multi ab equiti- p. 229.
bus, qui in aciei fronte erant, sunt interfecti. Quod si iuxta magistri equitum consilium pedites, qui in leui armatura erant, eadem opera hostes adorti ante portam inuasissent, vel pauci vel nulli illorum euasissent. Fugientes vero omnes interficiebantur, vt eo conflictu ferme quatuor millia seditiosorum sint cæsa.

Cap. LXXXVII.
QVID POST PROELIVM AD PFEDERSHEIM IN CASTRIS ACTVM.

NOcte iam prœlium dirimente Principis in castra se recepere. Præsidio circa oppidum disposito, quatuor parteis, quindecies centeni pedites, & mille equites sibi vendicabant, in excubiis constituti. Postero die sole iam exorto machinæ in oppidum diriguntur; nonnullis iaculis emissis: qui intra erant, se cum oppido Principi Palatino dedunt. Quo facto illico machinæ sunt amotæ. Pacem igitur omnium nomine legatis suppliciter petentibus iniungebatur sub vitæ interminatione, quam accuratissime curarent, ne quis præsertim antesignanorum ex oppido aufugere, sed simul omnes quid a Principe decerneretur expectarent. Sequenti itaque die, quæ Christi redemptoris nostri præconi Ioanni Baptistæ solennis erat. Principes cum equitibus planitiem non procul a monte D. Georgii occupant; Eo iussi sunt ex finitimis pagis venire rustici, vt selectione facta de præcipuis sedi-

ſeditionis ducibus ſupplicium ſumeretur. Via per quam ingredi debebant trecentis erat munita equitibus, ne hoſtium quiſquam aufugeret. Tria ergò millia ruſticorum iuſſu magiſtri equitum, & domini Frouuin armis poſitis ex oppido egrediuntur. Demonſtrant hi duo viam & quo eundum, & ne fugam meditentur graviter interdicunt. Quorum fidiſſimo & amantiſſimo conſilio ſi obtemperaſſent, haud quaquam tanta fuiſſet eo die facta ſanguinis effuſio. Monebant enim aperte, actum eſſe de omnibus ſi eſſent fugæ præcipites. Quid multis? Egreſſis illis porta clauſa eſt. Iam vero cum iugum primi hinc & inde ſtipante milite conſcenderent, qui poſtremi erant obtento iam aliquoties cliuo in biuio, fugæ ineundæ gratia conuerſi ſunt. Quos equites inſecuti oppreſſerunt. Hoc viſo equites qui in cacumine erant, ſimili pertinacia illico in conſectandis ruſticis vtebantur. Res viſu & auditu horrenda. Hic Princeps Palatinus cui hæc pugna mire diſplicebat, quippe qui innata clementia pacem potius quam ex humano cruore victoriam peteret, cum exercitus duce, præfecto curiæ, & aliis quam potuit ſedulo, equites ne miſeram plebem tam miſere mactarent, ſuos eſſe quos confoderent, orat, obſecrat, obteſtatur. Hanc laudem etiam apud hoſteis tua clementia, clementiſſime Princeps Ludouice aſſequutus es. Hoc eſt vere eſſe Principem, hoc eſt vere ſubiectis parcere, cum pœna digni ſupplicio afficiuntur, ante actæ vitæ culpa minime conſiderata; pro illis intercedere, inter excandeſcenteis milites, inter vibratos gladios inter equorum & armorum ſonantem fragorem, medium accurrere, ex media morte raptos ſeruare, plus ſatis effuſum eſſe humani ſanguinis, mitius per imprudentiam peccantes tractandos teſtari, & cum imperio ob incenſum furentium furorem non potes, lacrymis in miſerorum fortunis miſericordiam adhibebant rogare. Ea autem repentina clade fere D CCC. ruſtici cecidere. Ex agmine autem ſeruato circiter XXX. capitali ſupplicio affecti ſunt, Reliqui quamuis & ipſi rei mortis eſſent, denuo iuramento præſtito ad propria redierunt.

CAP. LXXXVIII.
QVID PORRO CVM RVSTICIS AD PFEDERSHEIM FVERIT ACTVM.

HIs rebus confectis iam inclinata in veſperam die ad caſtra Principes tendebant. Verum cum adhuc circiter mille ruſtici in oppido eſſent, verendum erat ne noctu aufugerent niſi tanta ſolertia quanta præterita nocte vigilarent, quod tamen & equis & hominibus graue erat. Habito conſilio res commiſſa eſt Magiſtro equitum. Qui accepto equeſtri vexillo oppidum petit, & ruſticis in cœmiterio congregatis D. ex illis in eccleſia, præterea portas omnes, ne debitam pœnam ſcelerati effugerent concludi iuſſit; ciuibus vt diligentiſſime concluſos obſeruent præcipit, ſe ex eis qui bona fide annumerati eſſent, aufugerent, impleturum.

Ad hæc quoſcunque qui ſe vtut poterant occultaſſent inuenirent, qua maxima poſſent diligentia tenerent. Nequaquam autem hoc crudele tibi videatur, cum huius oppidi communitas plus quam effrenata temeritate geſtierit. In caſtra reuerſo magiſtro equitum iniungitur, vt vna cum Iacobo a Fleckenſtein & Ioanne
p. 230. a Schonburgo craſtina die rem inter oppidanos componat. Qui albicante iam, vt ille ait, die oppidum ingreſſi cuius rei gratia miſſi erant oſtendunt, inuenti autem ſunt adhuc CCC. ruſtici; omnibus vero in vnum congregatis ſingulorum nomina magiſtri equitum iuſſu lecta ſunt. Ex quibus XXIV. capite puniebantur, reliqui omnes incolumes ad ſua reuerterunt. Mox res inter ciues componi cœpta eſt. Ex his quatuor capitali ſupplicio afficiebantur, alii quippe ſeditionis duces pridie, cum conarentur Principem & vniuerſam nobilitatem ad internecionem vſque delere, in agmine fugientium occubuerunt. Ciues pecunia mulctati, & vt arma, machinas, gladios in arcem Alzeiæ deferrent, & priuilegia, quæ mul-

tis seculis obtinuerant, Principi offerunt, nouum iuramentum præstarent quoque decretum est.

Cap. LXXXIX.
QVID IN CASTRIS ILLIS VLTERIVS ACTVM.

His gestis dies aliquot Principes in castris illic manserunt, in eo autem terræ tractu multum damni a Martialibus dabatur. Interea quoque finitimorum pagorum seditiosi, suorum laborum fructum dignum percipiebant. Huc etiam e Francofordia, Wormatia, Spira ciuitatibus, cum in hac truculentissima temporum conditione tumultuantes in clerum atrociter insurrexissent, Legati ad Principem Palatinum pacis & reconciliationis gratia missi sunt, & voti facti compotes ad sua redierunt. Venit & huc Princeps Ludouicus Comes Valdentiæ cum centum equitibus, quos deinde Palatini copiis adiunxit. Quin etiam duo præcipui seditiosorum duces in castra adducti, vni nomen erat Michael Busch, in quem Princeps Palatinus multa beneficia collocauerat, quorum oblitus fœdifragorum dux fœdifragus effectus est; alter Mervvein dictus, seditiosorum signifer fuerat; Qui interrogatione & confessione peccatorum facta decollati sunt.

Cap. XC.
VT FREINSHEIMIVM ET NEAPOLIS DENVO CAPTA.

Gnodalius lib. 5. p. 73. Hinc oppidulum Freinsheimium cum vniuerso exercitu obsessum in deditionem acceptum est, incolæ partim suppliciis, partim pecunia mulctati sunt. Et vt non arma solum verum etiam priuilegia illico Principi offerrent, sancitum. Postero die Neapolitani deditionem fecerunt. Qua facta Principes ibi diem vnum ac alterum manserunt. Treuerensis, & Principis Ludouici exercitus in Winzingen & Muspaco, id pagis nomen est, pedites in Diedefeldo & Hambaco castra posuerunt. In Neapolitanos ciues, quod insolentiores ceteris fuissent, paulo animaduersum est. Octo enim ex illis capite plectebantur, aliis in vincula coniectis. Qui super erant, iussi sunt armis & prærogatiuis oblatis, tria millia aureorum pendere.

Cap. XCI.
QVID APVD MINFELDVM ACTVM SIT.

Gnodalius c. l. Posthæc Principes cum exercitu Neapoli profecti, in pagum Gedromostein peruenerunt, copiæ in finitimis vicis castra collocauerant. Hic oppidi Landoiæ legati venientes, Principi Palatino vinum, frumentum, armenta contulerunt, & in concordiam consentientes, ad sua reuersi sunt. Sequenti die ad pagum Minfeldum veniunt. Hic Principes castra, pedites vero in Frickenfeldo ponunt. Interea Albipolitanis, qui hac in seditione satis (vt alibi tum vbique locorum fere ferocientes) fuerant insolenteis, nam oppidum Sels, arcem Remigii depopulari & incendi permiserant; præterea castellum Rœderen occuparant; vt cum Principe Palatino conuenirent: de ineunda concordia dies indicta est.

Legati vna cum generoso Domino Ioanne Iacobo Barone Merspurgi Cæsareæ & Catholicæ Maiestatis in inferiori Alsatia præfecto veniunt. Multis vero vocatis in consilium, post longam deliberationem, tandem eo res deducta est, vt ciues Principi Palatino sex millia aureorum darent, & seditiosis octo numero in oppido decollatis, maiores machinas iam dicto præfecto redderent. Verum Albipolitani diem ex die prolatantes hanc inire concordiam differebant. Id cur factum sit, aliorum esto iudicium. Hoc constat Principi Palatino hanc dilationem vehementer displicuisse, quippe quod illa impediretur quo minus Illustriss. Principis p. 113.

cipis ac Domini Domni Ferdinandi Austriæ Archistrategi, Cæsaris Caroli inuictissimi Imperatoris Augusti, fratris germani votis faceret satis. Miserat enim idem Archidux viros a consiliis a Palatino auxilium postulatum, bellum contra seditiosos gesturus. Equidem hæc acerbitas orbis terrarum perturbatione, omnibus Principibus impendere videbatur.

CAP. XCII.
VT ALBIPOLIS OBSESSA SIT.

IAm cum Albipolitani omnino rebelles esse viderentur, Princeps Palatinus eo coactus est mouere castra. Itaque Dux exercitus & Magister equitum cum omnibus copiis ad oppidum peruenientes ea loca occuparunt, quæ nil minus quam occupari posse ciues arbitrabantur. Principis Palatini equitatus in monte & in vico Suueig, Treuerensis in Rechtenbaco, Principis Ludouici equites in Rodt, vltra viam equestrem, pedites cum machinis in valle prope collapsa ædes, quas incolæ Burgstadel appellant, castra collocauerant. Interim quoque pagi, qui ad seditiosos defecerant, punitis quibusdam ducibus, quorum septem numero erant, restituuntur. Principe igitur Palatino cum equitibus adueniente, sub noctem dux exercitus ingenti labore, machinas propius muros oppidi satis bene muniti admouit. Exorto iam sole, signum per tubicines datur. Quod salutationis genus non omnibus gratum fuisse existimo, quippe quod hanc consonantiam mire dissonans bombardarum fragor sit secutus. Non erat vsquam quieti locus. Qui in oppido erant, impigre in castra æque tristia iacula, ac immissa, fuerant emittebant. *Gnodalius c. l.*

CAP. XCIII. XCIV.
VT CONCORDIA FACTA SIT.

EO die Cæsarei Regiminis generosus Ditherus a Manderschiedt Comes, & Fridericus a Lidbacho. Præterea ex Argentorato, Spira, Wormatia, Hagenoa, Landoia ciuitatib. legati venerant, rem composituri. Princeps Palatinus, vt Cæsarei regiminis Legati pro pace ineunda agerent permisit. Interim tamen ab oppidi expugnatione nequaquam cessabatur. Aiunt postero die DC. iacula in oppidum missa, quorum sonitus etiam vltra Rhenum auditus est. Porro duorum legatorum studio & cura Albipolitani eo deducti sunt, vt in vesperam die iam inclinato oppidum Principi dederent, cum iam non possent concordiam a præfecto Cæsareo præscriptam impetrare. Ad hæc non parum incommodorum passi erant inter obsidendum. Vt summatim dicam: sic inter eos conuenit, vt Principi Palatino VIII. millia aureorum penderent, eumque cum equitatu in oppidum de seditiosis supplicium sumpturum, intromitterent, & machinas cum equitatu maiores euehi permitterent. Quod ciues se facturos fide data promittebant. Mane cum iam prima luce Princeps cum equitatu oppidum ingressus est, tres capitali supplicio affecti, duobus digiti detruncati, reliqua gratia Principum sunt erepti. Oppidum deinde Cæsareo præfecto restituit, & ne amplius a Cæsaris tum fide tum amicitia ad seditiosos deficeret, Princeps hortatur. Inde in castra reuersus, diem vnum ac alterum propter negotia emergentia illic mansit. *Gnodalius lib. 5. p. 174.*

CAP. XCV.
DE PRINCIPVM DISCESSV.

REbus ita confectis Archiepiscopus Treuerensis cum copiis suis, Principe Palatino comiter salutato, in ditionem suæ ecclesiæ per Wasgauiam iter instituit, Princeps ipse dimissis quibusdam equitibus eo die cum reliquis copiis ad Rheni *Gnodalius c. l.*

 Zaber-

Zaberniam peruenit, vbi pernoctabat. Mane hinc profectus Germersheimium, oppidum bene munitum petit, vbi diem propter oppidanorum & male feriatorum quorundam negotia coactus est manere. Deinde prope Germersheimium Rhenum cum equitatu transmisit, peditatu Spiram versus misso. Post fere DCC. cum equitibus pulcherrime exornatis Heydelbergam absque vlla triumphandi pompa, quippe qui mitissimo ingenio eiusmodi victorias necessarias quidem, lugubres tamen, vtpote non Turcico sed Christiano, non externo sed domestico sanguine partas existimet, ingressus, in arcem suam, qua omnia illæsa ac intacta erant conscendit. Iam ergo omnem victoriam, a rerum omnium conditore esse, id quod tum alia tum hac miserrima temporum calamitate clarius est quam vt probatione indigeat, cogitans, quod Christianum decet Principem Heydelbergæ in Regali Sancti Spiritus ecclesia, summæ & indiuiduæ Trinitati, pro concessa victoria cum pia, gratiarum sacro celebrato, comitante Nobilitate interfuit. Deinde eos qui stipendia portauerant, ad sua liberaliter munificeque dotatos dimisit. Triumphum quidem tibi in præsentia Illustrissime & clementissime Princeps Ludouice, Pater patriæ, Princeps Elector piissime, non decernimus, quod inclyti nominis tui inuicta virtus instar æterni sit Triumphi. p.232.

IOANNIS ATROCIANI ELEGIA DE BELLO RVSTICO, ANNO MDXX. IN GERMANIA EXORTO.

QVis furor exagitat Germanas vndique gentes?
Quæ pestis miseros inficit atra viros?
Iustitiæ terram qualis diuexat Erinnys?
In quam perniciem rustica turba ruit?
Arma peronatus Mauortia clamat arator.
Martia luctificus clamitat arma furor,
Concutit arma ferox, placidus qui rura colebat,
Affectatque orbis feruidus imperium.
Nomen habent vexilla tuum mitissime Iesu,
Et, Verbum domini tempus in omne manet.
Nomen Christe tuum nullus non fundit ab ore.
Omnis Paule tuum personat agricola.
Voce Euangelium ingeminant gens rustica, quamuis
Nemo euangelico viuere more velit.
Non tantum insanus quondam insanibat Orestes,
Nec Penthei genitrix tam furiosa fuit,
Vt nunc agricolæ, diuina lege superbi,
Et quibus est Christus semper in ore suo.
Credimus immites Phlegethonte exisse sorores
In nostram, faciant quo mala multa, plagam.
Eumenides passim discursant, nulla furore
Non est plena domus, regnat vbique furor.
Inde est quod ferrum in dominos gens rustica stringit,
Et domino seruus denegat officium.
Defensare fera dominum qui morte solebat,
Nunc iugulat dominum seruulus ense suum.
Testatur crudele nephas Vinsperga peremptos
Quæ luget claros nobilitate viros
Oppidulum infelix, quod nullum nomen habebat;
Occisis dominis nobile nomen habet.
Seruo quid credas? Seruo quid credere possis?
Omnis seruorum contaminata fides.

Quam

Quam felix Vrbinus erat, quem cura fidelis
Seruabat ſerui nobilitata nece.
Senſit opem ſerui finita Scipio pugna.
Laudatur ſeruus Marce diſerte tuus.
Euaſit liber ſeruili Reſtio techna.
Concelebrant vernam tempora Gracche tuum.
Viuere qui cupiat, longam & producene vitam,
Agros hic linquat, ruricolasque feros.
Nemo magiſtratus audit, regesque potentes,
Cæſareas leges, cæſareasque minas.
Scriptura quam nullus honos, quam vilis vbique
Verbum qui domini prædicat ore pio.
Nulla ſalus monachis, non eſt vittata ſacerdos
Tuta, nihil tutum ſeruat vbique furor.
Sacri raptantur calices; veſteſque ſacratæ,
Disiectæque tacent ſub pede reliquiæ.
Deuaſtata iacent etiam tinctoria ſacra.
Angelicus panis non habet ille locum.
Diuorum delubra cadunt vaſtantibus armis.
Infelix plebes nil ſinit eſſe ſacrum.
Profer Diuorum effigies, depictaque ſigna,
Auertent oculos ruſtica turba ſuos.
Proſtituat ſi quis Lalagen, vel dulce canentem,
Auertent oculos concio nulla ſuos.
Aurum oſtende rubens, auratam oſtende figuram,
Nunquam vileſcet nummus imaginibus.
Tempora ſunt, magni quæ prædixere Prophetæ,
Et quæ non vani concinuere viri.
Diſceſſit virgo, deſunt Saturnia regna,
Venerunt duro ferrea ſecla pede.
Ætate hac prorſum cecidit ſanctiſſima virtus,
Regnat vbique malum, regnat vbique ſcelus.
Omnia langueſcunt natiuo exhauſta vigore,
Feſtinatque ſuum mundus ad interitum.
Limpidiora olim præbebat lumina Titan,
Clarior & Phœbus lumine clarus erat.
Ipſe vides pariter pulchram decreſcere lunam,
Parcius & noctu luce micare ſua.
Cretica flagrantis decreſcit ſtella coronæ.
Lucis habet Veneris ſtella ſerena minus.
p.234 *Sentit paulatim viduari luce Bootes,*
Euaditque iſtud ſtellula nulla malum.
Ardebat modo fulgenti carbunculus igne,
Fortius & tenebras irradiare nigras.
Quondam thura dabant molles meliora Sabæi,
Iam nec tam præſtans India mittit ebur.
Virtutem amittunt frutices, herbæque ſalubres,
Amittunt vires ſemina quæque ſuas.
Falluntur medici, falluntur pharmacopolæ.
Abrotani vires ſecula longa premunt.
Cenſes illæſum pomis manſiſſe ſaporem?
Cenſen dulcorem vina tenere ſuum?

Mitius

Mitius efflabant zephyri melioribus annis.
Ver mage formosum tempora prisca dabant.
Tunc mage mellifluo resonabant carmine sylua.
Psallebant volucres tunc mage dulce melos.
Quamuis cantillet modulos philomela canoros,
Imperfecta tamen debilitata canit.
Mirati veteres longæui cornua cerui,
Nunc vix miramur cornua cerue tua.
Præcipitem leporis lapsum, ceruosque volantes,
Mirata est multum stirps veneranda patrum.
Nos, quia deficere incipiunt cerui, leporesque,
Miramur ceruos parcius & lepores.
Vbera lacte domum vaccas distenta videbis
Gestare (vt quondam) caprigenumque genus?
Tanta mole Ceres curuabit rustica plaustra?
Curuabis vites munere Bacche tuo?
Squamosi nequeunt pisces euadere damnum,
Fluminibus pisces damna tulere suis.
Barbo quippe minor liquidis innascitur vndis:
Flumina iam breuior pascitat alta lupus.
Ister lentescit, lentescunt flumina Rheni.
Diminuit cursum Strymonis vnda suum.
Aurea nunc ramenta Tagus minuisse putatur.
Auri Pactolus fertur habere minus.
Nullus Erythreo inueniet tot gurgite gemmas, p. 236.
Inuenit veterum quot studiosa manus.
Bethyca prædiues fundebat multa metalla,
Attraxit vires Bethica terra suas.
Nec tam subtiles contexit aranea telas.
Dædalea bombyx nunc minus artis habet.
Nonne vides hominum quam nunc sint corpora parua?
Nunquam tam paruus corpore mundus erat.
Quando adeo morum probitas iacuit, pietasque? p. 235.
Quando adeo fidei, iustitiaque decus?
Quando adeo infelix regina pecunia mundus
Sic tibi seruiuit? sic quoque coluit?
Quando adeo neglecta fuit dilectio fratrum,
Quam toties Christus præcepit omnipotens?
Quando adeo placuit curare cutem interiturum?
Viuimus o vitam Sardanapale tuam.
Quando adeo illicito stimulatus adulter amore
Neglexit leges o bone Christe tuas?
Quando adeo interiit rerum pulcherrimus ordo?
Quando adeo passim vita pudica ruit?
Nunquam stelligero deiecta Superbia cœlo
Aspernata magis numina magna fuit.
Qui non arma capit, Christi non dicitur esse.
Bella gerunt Christo rustica turba suo.
Qui non bacchatur vulgi de more furentis,
Inter Christicolas non habet ille locum.
Non didicit Christum nisi qui simulachra perurit,
Atque sacerdotum qui spuit in faciem.

Non didicit Christum nisi qui aramenta malignus
Irridet, bombos & docet esse lupos.
Non didicit Christum nisi qui temerarius audet
Omnia sanctorum spernere dicta patrum.
Non didicit Christum cui Franciscana lacerna
Ex humero pendet plurima ad vsque pedes.
Non didicit Christum ieiunans tempore certo.
Sultano est peior festa sacrata colens.
Non didicit Christum manibus qui numina passis
Implorat, curuans temnitur atque genu.
Non didicit Christum psallens tibi conditor alme,
Exultansque chorus religione caret.
Non didicit Christum nisi qui Mezentius alter
Contemnit diuos, angelicosque choros.
Non didicit Christum qui te pia virgo salutat,
Angelicumque tibi concinit illud aue.
Non didicit Christum natos qui chrismate sacro
Vngi permittit nomine Christe tuo.
Non didicit Christum nisi qui renouarier optat,
Baptismumque iterat credulitate vacans.
Non didicit Christum nisi qui mendice labora
Dicit mendico paupere pauperior.
Non didicit Christum, talpa quoque cecior ille,
Fertur, opus qui nunc asserit esse bonum.
p. 285. *Non didicit Christum, requiem qui rite precatur*
Æternam, quorum corpora humata iacent.
Non didicit Christum cui libera abunde voluntas
Asseritur, non est scilicet arbitrium.
Non didicit Christum nisi qui te Missa nephandum
Esse nephas rabido publicat ore suo.
Non didicit Christum nudat qui vulnera mentis
Fœda sacerdoti, mortiferumque malum.
Non didicit Christum gaudet qui cœlibe vita:
Vxorem ducat qui velit esse pius.
Non didicit Christum, census decimasque libenter
Persoluens, illum lurida lepra tenet.
Non didicit Christum nudato vertice doctis
Assurgens, quicquam vix pia turba probat.
Non didicit Christum doctas qui mittit Athenas
Filiolos, multum nil didicisse iuuat.
Non didicit Christum cruce signans se veneranda,
Atque manu gestans signa rotunda precis.
Non didicit Christum germanis qui nisi verbis
Vitali infantes amne lauare solet,
Non didicit Christum veteri de more sepulchrum
Constituens, stultus qui monimenta cupit.
Tales progenerat fructus lachrymabile bellum,
Bellorum talis transitus esse solet.
Quis poterit deflere satis seruilia bella?
Flebilibusque elegis omne referre scelus?
Enceladum si quis viuit, sæuumque Typhœa,
Magnanimum hunc dicunt rustica turba virum!

Hac atas si blanditur celare perita
    Verrucas, scabiem, vulnera magna quoque.
Et si quem penitus viciauit lurida lepra,
    Sunt qui contendant purius esse nihil.
Hypsæa si quis fuerit quoque cæcior ipsa,
    Attamen exuperat lumina milue tua.
Toxica qui reuomit, fertur dulcissima mella
    Sparsisse in populos o Deus alme tuos.
Cerberos legit hac atas miseranda screatus,
    Bellorum fructus colligit omnis homo.
Callyroen vita referens & moribus atris,
    Inter Pimpleas rite locanda venit.
Hoc verum, si cuncta probet, qua rustica plebes
    Insanit, sana non erit vllus honos.
Quamuis casta magis non sit Tritonia virgo,
    Barbaricis ni sis moribus, esse negant.
Aures occludas cum vulgus iudicat ipsum.
p. 237.   Iudicium vulgi qui fugit, ille sapit.
Et sapiunt omnes, damnant qui rustica bella.
    Qui detestatur rustica bella, sapit.
Olim summa fuit capiti reuerentia docto,
    Contemnunt doctos rustica turba viros.
Solus habet nomen docti quem vexat Erinnys,
    Et cuius linguam bilis amara regit.
Talem progenerant frugem tristissima bella,
    Bellaque sunt tali munere nota modo.
Vrunt innumeros passim gens rustica libros,
    Librorum passim copia magna perit.
Sed quantum facinus miseri tot perdere libros,
    Soluereque in cineres tot monimenta sacra?
Rustica dic plebes, enarra barbara plebes,
    Dic morum pestis, dic fugienda lues,
Impulerit libros crepitanti exurere flamma
    Qua causa, infelix, pestiferumque genus?
Qui Phœbus potuit facinus, quique aurea Phœbe
    Aspicere hoc vestrum? qui Deus omnipotens?
Nunquam adeo immitis Scyron, fuit atque Procustes,

    Et Scinis & Cacus, Cercyon atque ferus,
Vt qui combussit pretiosa volumina nuper
    Seruili bello Martius agricola.
O deflenda dies, nigroque notanda lapillo,
    In qua tot noctes flamma perussit edax.
Tantalea dignus pœna vilissimus author,
    Dignus quippe rota, caucaseoque malo.
Quod versas ingens authori Sisyphe saxum
    Impone, aeternum sit tua pœna grauis.

Nunquam adeo Mauors nostras perterruit vrbes,
    Nunquam adeo Reges, belligerosque Duces.
Vulcano pereunt altis in montibus arces.
    Viuitur ex rapto, nulla rapina satis.
Flagranti vruntur flamma numero sine villa,
    Vrunturque humiles igne sonante casa.
Thestilis inde sua fugitat cum prole, requirens
    Nidum pignoribus, filiolisque suis.
Et detestatur multum seruilia bella,
    Insanos omnes ruricolasque vocat.
Insuper exclamat, pulsat rutilantia clamor
    Sidera, conuellit Thestilis ipsa comas.
Quid clamare juuat: quid vellere stulta capillos:
    Non reparat clamor, nec coma vulsa casam.
Tu potius crines insano euelle marito,
    Supplicio hoc dignus stulta maritus erat.
Ille quidem est author, qua tu perpessa, malorum, p. 238.
    Et causa est miseri Thestilis exilii.
Discite amare viri sanctam super omnia pacem,
    Immensum pacis discite amare bonum.
Omnia tranquillo florescunt tempore pacis
    Nil non mellifluum tempore pacis erit.
Si quis prætulerit paci lachrymabile bellum,
    Hunc perdent misere tristia bella virum.
Thestilis hinc erras, paci quod bella maritus
    Prætulit, in dominos impia bella gerens.
Quid domini faciũt: conducto milite pugnant,
    Et pugnant domini, corpore quinque suo.
Innumeri agricolæ iugulantur Marte feroci,
    Ruricolum passim millia multa cadunt.
Nec tot apud notas prostrata cadauera Cannas,
    Nec totidem extinxit Pharsala pugna viros.
Quot nuper cecidere tuis Germania campis,
    Campis humano sanguine nunc fluidis.
Tale malum quondam Siculas inuaserat oras,
    Id veterum certe quod monimenta docent.
Nam quidam ingenio fallaci & mente dolosa,
    Pollicitus seruis vtile consilium.
Conueniunt, suadet, nec persuadere valebat.
    Displicuit cunctis vtile consilium.
Tunc aliud mendax commentum rhetor adornat,
    Consilioque dea, credula turba perit.
Talem etiam nostri agricolæ audiuere magistrum,
    Tali ruricolæ rhetore bella gerunt.
Atque etiam talis germanica pectora doctor
    Seduxit, tali rustica turba iacet.
Ista licet sint magna nimis, maiora timenda
    Sunt tamen, immensi Lerna timenda mali.

HVBERTI THOMÆ LEODII HISTORIA SEDITIONIS RVSTICANÆ.

LECTORI SALVTEM!

BVRCARD GOTTHELF STRUVE



Ubertus Thomas, a patria Leodius dictus, Ludouico Pacifico, Palatino Electoria Consiliis erat & secretis, atque fratris & successoris, Friderici II. Comes adsiduus. Quam gratus fuerit acceptusque Electoribus Palatinis, arduis etiam negotiis & diuersis legationibus adhibitus, testatur Praefatio Annalibus ipsius Palatinis praemissa. Praeter alia ipsius Ingenii monumenta, inter quae etiam illud de Tungris & Eburonibus reperitur, haec ipsa est Historia, quae, vt ipse testatur, ex Petri Criniti potissimum vigiliis fuit deprompta, eo fine suscepta, vt, dum ista vernaculo sermone conscripta, aliis etiam nationibus de eo constaret. Breuius tamen singula exponuntur, quam a Crinito, & stylo parum eleganti. Freherus eandem ex MSto primus edidit, quam ab auctoris Filio, Iano Iulio, adeptum se fuisse profitetur.

SEDI-

p. 139 SEDITIONIS RVSTICANÆ PER SVEVIAM ET RHENI TRACTVM EXCITATÆ ET PRINCIPVM VIRTVTE REPRESSÆ ANNO M D XXV. HISTORIOLA IPSO TEMPORE SCRIPTA AB HVBERTO THOMA LEODIO ILLVST. PRINC. LVDOVICI PALATINI ELECTORIS CONSILIARIO ET SECRETARIO.

REVERENDISSIMO IN CHRISTO PATRI ET DOMINO, DOMINO ERHARDO DE MARCKA, SACROSANCTÆ ECCLESIÆ ROMANÆ PRESBYTERO CARDINALI, ARCHIEPISCOPO, VALENTIÆ EPISCOPO LEODIENSI DVCI BVLLIONENSI ET COMITI LOSSENSI, DOMINO ET PRINCIPI MEO CLEMENTISSIMO HVBERTVS LEODIVS SESE HVMILITER COMMENDAT.



Vanta Germani cæteros mortales belli gloria semper antecelluerint, Reuerendissimè Princeps, plenæ sunt Historiarum chartæ; & Mathematici hanc gentem pro horoscopo Martem habere tradunt. Vnde non mirum cuiquam videri debet, si conqueratur cottidie Germania, & maiores suos accuset, quod res olim præclarissime fortissimeque gestas, præsenti tum gloria contenti, posteris tradere neglexerint. Hinc enim factum, vt fortissimi Ducis Arminii, (cui si quæ pro patria fortiter pertulit, non intercidissent, neque Græcia suum Alexandrum, neque Hannibalem Africa, neque Scipionem Romanus opponeret) vix nomen ad nos peruenerit. Ariouistum solum e tot bellicosissimis Germaniæ regibus, hoste virtutem eius non intermori passo, nouimus. Nobilissimarum familiarum origines vltra quadringentos abhinc annos vix rescire possumus. Quid homines mortale genus memoro? Nonne florentissima quondam Germaniæ regna, quasi Oceano aliquo absorpta & tanquam e medio sublata, hodie requirimus? Sueui Deorum atque hominum contemptores, vbi tam vasta quondam possederint regna, non parum dubitatur. Cheruscorum & vrbes & oppida ignoramus. Vbi Marcomannorum, vbi Quadorum, Menapiorum, Noricorum celebratissimæ sedes? Nouem cum suis cultoribus fato cessisse dixeris? Neque enim satisfaciunt ii, qui occupata vna aut altera alicuius nominis syllaba, statim illam aut istam gentem esse proclamant. Cum videamus præclaros authores, Liuium, Tacitum, Velleium, sæpius dissentire. Verum quam non sunt maiores nostri culpandi, tam homines nostræ ætatis accusandos censeo. Illi enim quod essent litteris; quibus maxime res mortalium immortales reddi solent, destituti, nec possent singulorum res prospere aut feliciter gestas successoribus conscribere; id inprimis studuerunt, vt saltem belli & scientiam & gloriam posteritati suæ quasi per manus traderent: adhibueruntque omnem operam, vt Germanicum nomen inter cæteras nationes per cottidiana belli decora quasi adoraretur, & nepotes non tam maiorum factis quam propria virtute insolescerent. Sed nec alteram partem, per omnia neglexerunt, quin interdum Duces suos carminibus incompositis decantarint: imitati poetas, virum fortem & Vlysseum, male cordatos Gigantes sæpe prostrauisse concinnentes.

p. 140 Nos vero qui vtrumque cum laude præstare possemus, facile a maioribus nostris vincimur: quippe qui nullam hodie per arma gloriam nisi externorum Ducum auspiciis, vnde nihil ad nos nominis pertinet, quærere didicimus: & tantum abest vt aliena oppugnare contendamus, vt etiam de nostro Imperio ab imbelli interdum gente partes non modicas auelli patiamur, & iam vix tueatur sua littora Rhenus. Præterea si quid aliquando

 dignum

dignum memoria obtigerit, quasi nihil ad excitandos posteros pertineat a nobis prudenter gestum, aut ad euitandos similes actus per imprudentiam commissum, litteris mandare supersedemus. Litteris inquam, quibus beneficio Diuum adeo antecellunt Germani, vt omnium calculo in illis arcem teneant. Accusantur Principes, qui bonis studiis aut nulla aut rara stipendia constituant, maluntque in ventum abire sua nomina, quam vel modico ære æternitatem redimere. Non laudo Principes in hac parte tam male gloriæ studiosos: nec hos non possum non reprehendere, qui nisi præmiis allecti animum ad scribendum applicare solent. Exigo enim gratuitam, non conductam operam, in huiusmodi negotiis. Conductum enim scriptorem ex animo conducentis scribere, etiam præter veritatem interdum, & adulari necesse est. Qui vero non locata opera scribunt, liberum habent stilum, nemini parcunt, nemini blandiuntur, nullius gratiam ambiunt, in nullius laudem propensiores esse coguntur. An putabimus Homerum ausum canere Agamemnona tam molle aduersus Achillem βευσεῖδος ἕνεκα κούρης mouisse certamen, si Agamemnon præmium aliquod carminis statuisset? Neque profecto Sallustius Romanæ historiæ Princeps, Iugurtham sceleratissimum dixisset, si Iugurtha illi contexendæ historiæ author fuisset. Vixisset diutius Lucanus nec interruptum opus deploraremus, si blanditus Neroni pecuniaque quam ille libens dedisset, corruptus veritatem reticere quam perfidum Cæsarem appellare maluisset. Sed maluit vir diuinus momentanea illa contemnere quam perfidiæ labesacrum opus inspergere. Idque præmii nunc habet, vt viuat: viuetque diu per secula vates, viuentque cæteri qui veritatis amore ducti in hanc scribendi arenam descenderint: & dum cæteri ignobiles & putridi iacebunt, inter manus hominum reuoluentur, probabuntur, amabuntur.

Sed dicet forsan aliquis, nihil aut parum gloriæ ad authorem solere redire, qui nota hæc scripserit. Fateor profecto, non satis gratos nos aduersus eos qui bono publico invigilant: cum non decenti honore eos prosequamur, condignis beneficiis non afficiamus, prorsus nullus hic dum viuitur apud nos remuneratus audiatur. Sed tu quisquis es quem ex aduerso dicere feci pro nihilo pendis, post ducentos quadringentosue annos reuiuiscere, dum cæteri ignoti, ignobiles, putridi iacent? Reuiuiscere enim mihi videtur is cuius scripta post tempus hominum manibus resumuntur, reuoluuntur, admirantur, probantur: laudatur scriptor, adoratur. Patria, oppidum, parentes qui illi vitam, qui penates de-
An. 15.25. derunt, in cœlum laudibus efferuntur. Sed quorsum hæc? Cum præsenti anno MDXXV. a condito ferme orbe non habuerimus tot regibus captis, tot occisis, tot fugatis tot seditionibus memorabiliorum; excitatum velim aliquem ex his, qui cum laude hanc prouinciam sibi desumere possent, ne res credo dignissimas nobiscum obsolescere paterentur: sed adhibito stylo & sibi æternum nomen, & posteris non ingratum opus cuderent. Quod
* P. Harerue. equidem pro virili Petrus Crinitus * Principi Palatino Electori a secretis, amicus meus non vulgaris, patria lingua nuper aggressus, summa fide atque integritate, nec sine oleo perfecit. Verum non plane vulneri meo satisfecit: quippe quod dolerem memorabilia facinora extra Germaniæ limites non egressura, & tantum Teutonibus, quibus res perinde grata esse possit, scriptum conquerere. Cui vt subuenirem, audendum quoque mihi p. 241.
putaui: & vt cæteris nationibus harum rerum auidissimis vtcunque consulerem, Petri mei vigilias in Latinam linguam interpretandas mihi persuasi. Quod & eo nomine libentius aggressus sum, quoniam hoc labore etiam inculto & agresti plurimum gloriæ, nec minus fauoris clementissimo Principi meo Ludouico Palatino Electori pariturum me non diffidam: & habeant cæteri per orbem Principes, aliquem, per quem se tanquam in speculo intueantur, & edis cant quo animo esse debeant, si maior seditionum procella ingruerit. Discant (inquam) optimum Principem imitari debere medicos, qui vitiosum aliquod membrum prius emplastris, collyriis, & herbis sanare pertentant; deinde si illa non prosint, abscindunt, vt reliqua integra seruentur. Habeant insuper hunc meum Principem tanquam exemplar aliquod principalis virtutis, quem imitentur, ad quem se fingant & delineent. Vt ita & gloriose regnent, & cum maiestate imperent, & subditi placido gaudeant imperio.

* * *

SEDI-



SEDITIONIS RVSTICANÆ HISTORIA.

p.242. Tatim huius insignis anni principio in Hegoia primum belli tumultum Comitatus Lupfensis incolæ fecerunt, qui se ab Ecclesiæ insignioribus quibusdam plus æquo premi, primum quidem inter paucos & clanculum, deinde palam & cum pluribus conquerebantur. Tandem cum querelis nihil se proficere animaduerterent, ex aliquot pagis armati concurrunt, & quod precibus nequierant, incusso terrore se impetraturos sibi persuadent. Demum vt se numero statim præter opinionem auctos vident, audaciam sumunt, nec iam molliri, verum omne seruitutis iugum excutere constituunt, & ad libertatem ex omnibus locis proclamant. Cuius rei famam, & dulce libertatis nomen vicini Algoii plausibiliter exceperunt, qui & ipsi ad rei nouitatem confluenttes, postremo ad Albim montem & circa oppidum Vlmam copioso exercitu consederunt. Forte fortuna hoc tempore ad Vlmam Confœderati Sueuiæ habebant comitia ob Ducem Wirtembergensem Vlricum; qui conducto apud Heluetios milite auitum regnum, quo nuper pulsus fuerat, armis repetebat. Ii conscripto pro tempore exercitu, dictoque Imperatore Georgio Dapifero a Valtepurga, in Wirtenbergensem mouerunt. Ille interim Stuckgardiam suæ terræ principale oppidum acriter oppugnabat, ad vltimumque discrimen permansisset, ni reuocato domum ab Heluetiis milite noctu abire infecta re coactus fuisset. Reuocandi occasionem dedit accepta apud Papiam clades, in qua Rex Galliæ Franciscus cæso fugatoque exercitu captus est.

Post abitum Ducis, capta ab eo oppida facile recepta sunt, turbatusque Sueviæ status compositus: Deinde iussus Dapifer Georgius in rusticos ducere militem, nihilque de bello remittere, licet interim de concordia ad eos mitterentur legati: quod frustra ire viderentur ad homines, qui nihil sani intelligerent. Is igitur omnibus copiis circa medium ieiunii e Sueuis mouet eo animo, vt inter Vlmam & Biberacum, vbi rustici esse dicebantur, congrederetur. Paucis igitur diebus cum illo peruenisset, castraque ad medium a rusticis milliare posuisset, renunciatur ei illos ob ingentem numerum animosiores (conuenerant enim iam tum ad quatuordecim millia) & peruicaciores factos, neque quidnam intenderent comprobasse, quippe pabulatores quosdam interceptos ex nobilitate aliquot trucidasse, cœnobia nonnulla deuastasse, nihilque non fecisse quod infestissimus hostis perpetrare solet. Quare omnino ferro decernere constituit in sequentem diem. Verum seu per exploratores certiores facti rustici, seu quia ita conuenerat, noctu castra mouent, & in monasterium Marbhtallum se recipiunt, quod vt pleraque alia, omnibus rebus spoliant, & fœde dilacerant. Subsequebatur magnis itineribus cum copiis Georgius Dapifer. Cumque propemodum assecutus foret, in conspectumque venisset, illi timore perculsi per agros palantes dissipantur, plurimi in montes salutem quæsiverunt. Hic redduntur Dapifero a confœderatis litteræ, quibus ad Vlmam reuocabatur. Ille statim iussis parens, agmen auertit; in itinere multos pagos incolis vacuos concremauit. Erat autem iter in duo oppida Leiphemum & Gontzbergium: quorum incolæ cum vicinis pagis vsque ad Augustam Vindelicorum in rusticorum partes concesserant. Illo iussus est Dapifer omnem belli molem conuertere, quod dum faceret, incidit in sex rusticorum millia, qui impetum eius non sustinen-

ſtinentes ne momento quidem, partim cæſi, partim in adiacentem Danubium flumen compulſi, ab amne abſorpti ſunt, plures capti, paucis effugere datum. Interim ex Vlma, centum & viginti equites emiſſi erant, vt auerterent ruſticos, qui ex Nouo pago ad Leiphemum prædium velle mittere nunciabantur. His octingenti occurrunt ruſtici, omni armorum genere ſplendentes. Nec ob hoc territi equites, equis calcaria ſubdunt, territi ruſtici illico fugæ conſulunt. Ducenti quinquaginta animam reliquerunt, totidem ferme capti, reliqui beneficio vicinæ paludis euaſerunt. Eodem die Georgius Dapifer ad oppida prædicta peruenit, quæ ſine mora in quaſcunque daret victor conditiones, ſeſe dediderunt. Auctores ſeditionis partim laqueo, partim gladio meritas pœnas perſoluerunt. Leiphemum pediti, Gontzbergium equiti in prædam datum. Ad quos Senatus Imperialis & ciuitates quædam ſuperioris Germaniæ legatos miſerant, tentari ſi quo modo ſine ſanguine res ſedari poſſet: & diu res fruſtra tentata, imperfecta remanſit. p.243.

Dum ad Vlmam de pace conſultatur, ruſtici in Riet prope Balderingam reparant vires, miſſis ex Algoia auxiliis: quibus freti plurimas arces conuellunt, monaſteria fœde dilacerant, nobilium ædes depopulantur. Quamobrem Georgius Dapifer in eos mouere coactus, omnem dolum adhibuit, nunc verbis irritans, nunc machinis laceſſens, interdum & formidinem ſimulans, quo eos ad pugnandum allicere poſſet. Donec die ſancto Veneris circa quintam poſt meridiem horam, apud ſuæ ditionis oppidulum Wortzachium, ad tertium a Biberaco lapidem, ad ſeptem millia ruſticorum fundit fugatque, atque adeo ad interniciem, vt nullus ſupermanſerit, niſi captiui admodum pauci: ex quibus didicit tribus illinc miliaribus in pago Wingarteno apud Rauenſpurgium alia octo ruſticorum millia congregata. Quare diluculo facto ſigna conuelli iubet, ac incidere, & agmen ſubſequi. Ruſtici quod actum præcedente die foret ignari, eodem itinere ad coniungendas cum cæſis copias properabant. Qua de re per exploratores Dapifer certior factus, aciem inſtruit & ordine obuiam ire pergit. Iamque prope erat vt confligeret: quum vno agmine ruſtici fugientes in paludes proximas ſe coniiciunt, ita vt ab equitatu perſequi nequirent, nihilominus machinis petiti plures vitam reliquere, nox vero ſuperveniens quicquam vltra tentari vetuit. Tantum caſtra pro nocte munire iuſſus miles, ſequenti die ni aufugiſſent ruſtici, pugnaturus.

Septimo decimo die Aprilis omnibus copiis e paludibus in Bodami lacus accolas & Algoios promouet: vbi duo exercitus ruſticorum reſtabant. Vt autem ad Beyerfindium peruentum, & ſigna conſpecta, ruſtici montes & vineta capiunt, quo ab equitibus tuti forent. Antequam vero machinæ dirigi & parari in eos potuerunt, haud turbato ordine & ſignis erectis ad VVingartemum quam celerrime contendunt. Equites in eos impetum facere cupiebant, ni abſtinere iuſſi fuiſſent, quod ad duodecim millia hoſtium eſſe, exploratum haberet, nec temere quicquam, vt bonus Dux, Dapifer agendum ſibi perſuaſerat. Ad hoc ſegnius trahebantur machinæ, quibus tandem perductis, & in ruſticos ſumma arte emiſſis, non paruam ſtragem edidere. Superuenerunt autem Comes Ioannes de Monte Forti, & a Rauenſpurgio ad Dapiferum legati, orantes vt mitius parum cum inſaniente populo ageret, neue tantum Chriſtiani ſanguinis Chriſtianus Dux effunderet: ſed datis, quas prius ſpreuerant ruſtici, conditionibus, eos ad ſua dimitteret. In quam ſententiam Dapifer tandem perductus, ea potiſſimum cauſa, & quod Duces ruſticorum ſeſe ſupplices adiiſſent, & ſigna omnia tradidiſſent.

Interim non quiſcens humani generis perpetuus hoſtis Sathan, & (vt Chriſtus ait) mendax ille noſtræ ſalutis iugulator, omniſque iniquitatis & diſcordiarum fomes & auctor, prædam ingentem ſibi paratam cernens, in omnia ſeſe conuertit; donec laqueos in quos ruentem populum exciperet, reppererit. Inſtructis itaque ſuæ farinæ (vt poſtea fructus docuerunt) miniſtris qui ſacroſancti Euangelii præfigentes titulum ſummique boni præ ſe ferentes imaginem, ſeditioſa ad numerum

rum duodecim edidere & per Germaniam disparsere pronunciata, maxima pro parte in carnis libertatem excogitata, ab Thoma Munstero Thuringo e Mulhausen, quantum coniecturis possumus assequi. Deprehensus etenim crebros ad seditiosos rusticos habuisse internuncios, vnde illi hæc si cui maxime adscribendum censeo. Fuere autem huiusmodi. *Articuli.*

VT in vulgus prolata sunt, magno plausu ab his recipiebantur, quibus etenim sanctissimæ leges abominationi sunt, & vt in omne erumpant impune facinus, quoque mens praua duxerit liberius efferantur, nullis volunt coerceri institutis, nullum quantumuis leue lubenti animo ferre iugum: quasi naturæ humanæ imbecillitas nullis egeat scilicet frenis, quam tam præcipitem in omne p.244 vicium ruere videmus. Hinc coire vndique cœptum, conuenticulaque vicatim habere, dicere aduenisse tempus libertatis recuperandæ, lætari, exhortari alius alium, quantum lucri & honoris inde prouenturum ad quemlibet ostendere: Velle Deum rerum publicarum quoque infelici plebi administrationem semel concedere. Hiis & aliis passim iactatis, cœpere vbique rustici obedientiæ aures occludere, adeoque malefaciendi inuasit, inualuit, irroborauit amor, & latius indies magis atque magis prorepere væsana regnandi cupido, vt breui nihil non turbulentum superior Germania habuerit.

Grassante tum vbique hoc morbo tum intra Budaricum saltum, quem hodie syluam Ottonicam vocant, Georgius Lanius homo nulli rei magis tota vita addictus quam scortationibus, commessationibus & taxillis, apud Ballenburgam ditionis Moguntinæ oppidulum, suæ sortis primum homines aliquot cogens, & tandem ex vicinis vndique pagis ad rei nouitatem accurrentes ostensis supradictis articulis stimulans, demum conuenit, vt sub specie diuini verbi tuendi omnem potestatis humanæ euerterent prærogatiuam, tollerent vniuersa iuris gentium fœdera, nihilque quod ad pacem & vnitatem reipublicæ facere videretur, inconcussum relinquerent. Conuenerunt autem circa medium ieiunii ad duo ferme millia e diuersis locis. Cumque de deligendo Imperatore colloqui cœptum esset, certabat vnusquisque etiam rei bellicæ inexpertissimus, & sese eo honore præ cæteris dignum contendebat; donec opera quorundam quos sibi beneficiis deuinctos habebat, Georgius Lanius Dux constituitur. Qui confestim ad vicinos pagos nuncios dimittit hortatum, vt quisque militiam profiteretur, nolentes minis compellerent. Quo facto maximum in breui comparauit exercitum, quem ad Mergethemum ducit. *Mergentheim.* Id est oppidum ditionis Teutonicorum dominorum. Huius ciuibus iam tum cum dominis suis non satis conueniebat, quod quingenti ciues paucos ante dies Abbatis Pulchræ Vallis ædes, quas in eo oppido habet, *Schœntal.* ingressi quinque vini plaustra ebibissent. Qua de re in ius vocati erant, & rogati causam dicere respondebant, se regestum prouentum cœnobii cupere, quo quicquid iniqui offendissent emendarent. Hæc optima Georgio Lanio occasio fuit, vt sine negotio in oppidum admitteretur. Oppido potitus rusticanus miles in arcem irruit: quam omnium rerum refertissimam inueniens, aliquot diebus in edendo & bibendo consumptis quidquid reliqui fuit, inter se partitus est. *Neuham.* Deinde nulla fuit mora, Novas ædes arcem supra Tubarim fluuium, locum quidem satis munitum, tamen accessibilem expugnant, deprædanturque & exurunt: quodque maxime horrendum, magnam partem mali proprii Teutonicorum dominorum famuli fuisse perhibentur. Qui etiam cœnobium nobile Pulchram Vallem fœdissime vastant. Arce Mergetheimensi depopulata recurrunt rustici *OEringen.* ad Oringam oppidum, quod iamiam ditionis Comitis Hoenloensis rustici suæ *Nevvenstein.* fecerant potestatis, coniecto eius loci in carceres senatu. Deinde ad Nevvenstein, haud procul a prædicto oppido, vbi regiolam suam Comes solet habere promouent, hoc quoque oppidulo, quod abesset Comes, facile potiuntur. Iuuentam eius vxorem, & sæpius genua Georgii Lanii amplexam, non satis pro decore

tam nobilis fœminæ tractandam tradunt. Tandem aduocarunt literis Comitem, & eius fratrem; qui vt res non omnino deperditas saluarent, has accepere a rusticis conditiones. Primo quicquid bellicarum machinarum fuit traditum rusticis, ciues quotquot vinctos haberent soluunt, duodecim illos articulos centum & vnum annum inviolatos servarent. Hæc ad Neolithon acta, e nobilitate plurimos ad sese cum rusticis confœderandum permouerunt, alii vi, cæteri minis compulsi, deinde ad Tubarim redeunt, Bischoffsheim, Laudamque recipiunt, arcem Landenstein deprædatam exusserunt. Hoc rerum statu apud Heilbronnam ad mille ducentos conuenere, qui Cheruscos inuadentes breui ingentem multitudinem congregauerunt, cum qua peruagata magistri Teutonicorum ditione tandem apud Oringam cum Budaricis rusticis se coniunxerunt, deinde Neckaream Sulmam petentes a suæ factionis oppidanis intromissi, ibique reperta summa annonæ copia aliquot dies morati sunt. Ad primum a Sulma lapidem intra montium fauces oppidum erat Weinsperg Wirtenbergicæ ditionis, arce & mœnibus egregie munitum: ad hoc in præsidium oppidi missi erant septuaginta equites p.245
nobiles & animis & genere, quorum præfectus Comes Ludouicus de Helffenstein. Verum seditiosi ciues clanculum cum rusticis fœdere inito, vt ad sese omnibus copiis venirent, persuaserunt. Hii nocte a Sulma mouentes circa nonam horam ante meridiem ipso die Paschæ diviso exercitu, altera arcem, altera parte oppidum oppugnare, magno clamore & strepitu occœperunt, portasque refringere. Ciues proditionem dissimulantes, pro mœnibus stare, machinas horrendo sonitu emittere, ita tamen ex composito directas, vt neminem læderent. Quam ob rem audaciores rustici facti, statim oppido & arce potiuntur. Qua victoria non satiati, studentes pessimi & horrendissimi exempli conuentioni quam inierant satisfacere, qua præscriptum fuit, vt intra centum annos equitem nobilem, monachum aut otiosum (vt vocabant) viuere nullum sinerent, seu vt amissos sicuti statim socios vlciscerentur, seu vt nobilitati maiorem incuterent terrorem, prædictum Comitem & cæteros equites captos horrenda morte adfecerunt.

Durch die Spieß gejagt.

Vnus forma & viribus præstans, salutem quærens, in turrim cuiusdam ædis sacræ euaserat, quem confossum gladiis in spectaculum ex alta turri per fenestras deiecerunt. Nec sat fuit desæuisse in equites, quin etiam iuuenes & pueros eorum pari supplicio peremerunt: demptis duobus solis, qui fortuna præseruati adhuc hodierno die sacra deæ debent. Comitis vxor intra vlnas puerulum gestans a nebulonum sævitia defendere nequiit quin fœde vulneraretur. Præterea quicquid erat nobili matronæ suppellectilis, inter se partiti sunt. Insanientibus in Weinsperg rusticis, Wilhelmus Auenarius e Mosspachii præsidio per Comitem de Helffenstein ad Weinsperg vocatus, forte cum viginti equis se itineri accinxerat.

VV. vom Habern.

Cumque in proximum oppido collem pervenisset, iam oppugnari oppidum videt, & capti spectator fuit. Nec opus progressu existimans, retro redire cœpit. Ecce autem obuiam veniunt sexaginta ferme rustici armis & gladiis spectabiles, in quos impetum facit Auenarius. Illi non impigre sese defendunt: Verum præualuit equitum robur. Ita vt omnes perierint rustici. Qua clade exercitus ad Weinsperg irritatus minatur sese vel intra Palatinam arcem de Auenario pœnas sumpturum.

Egregio vt existimant & pro decore ad Weinsperg perpetrato facinore arcique & vrbi imposito præsidio ad cœnobium Lichtenstern, promouent, quod peruastatum & quicquid vini ebibere non potuerunt effusum, comitibusque de Levvenstein ad conditiones pacis fœdissimas accipiendas coactis, deserunt; & ad Sulmam rediere. Arcem Schevverburg concremarunt, timore a præsidio relictam. Deinde ad Heilpronnam se accingunt, cœnobium Carmelitarum egregie apud oppidum constructum funditus delent, oppidum ad deditionem sollicitant.

Heilbron.

Licet autem Senatus ægre hæc scelera aspiciebat, tamen factione ciuium

in

in partes rusticas declinatorum, coacti sunt certum rusticorum numerum intromittere, qui bona ecclesiarum & nobilium, quotquot in oppido erant, diriperent.

Ab Heilbronna rustici Sulmam redeunt: vnde præsidio relicto ad Gonders- *Gondersheim.*
heimium, vbi regiam suam habet Magister Teutonici ordinis, oppido & arce nobilem ad Neccarum positam promouent. Verum is eo tempore cum tota familia aduentum rusticorum expectare non audens se contulerat Heidelbergam ad Palatinum. Aduenientes igitur rustici facile & arce & oppido potiuntur, arcem a fundo diruunt, in qua ad multos dies commeatus inuenere. Commorati aliquot ibi diebus, in Moguntinam ditionem per Budaricos saltus se recipiunt, ibi nouem insignia oppida præter innumeros pagos ad eos deficiunt, cœnobium Amerbachium depopulantur, *Amerbach.* Moguntini præsulis vicarium Wilhelmum Episcopum Argentinensem in arce Episcopali in Asschaffenburgo, oppugnant, iuuantibus oppidanis qui sibi iam tum sacerdotum ædes diuiserant in eo oppido ad Mœnum: quumque nec auxilii quidquam nec euadendi locum Episcopus aspiceret, coactus fuit conditiones quas dare rustici voluerint accipere.

Hiis peractis in Franciam Orientalem ad alterum qui ex Franconibus proruperat exercitum, & iam Herbipolim ad VIII. millia obsidebat, commigrant. In itinere Wildenburg & Limpach arces conflagrarunt: Comitem Georgium de VVertheim conditiones ab se accipere, & machinas dare coegerunt. Prædicta Franconicæ gentis multitudo ortum habuit apud Tubarense Rottenburgum & ad
p.246. Rotingam conuenerunt, vnde cum signis tribus militaribus Butardum petebant, vt centum triginta equites quos ibi esse compererant, si possent interciperent. Sed certiores hii de consilio facti sese, qua facturi iter erant, in insidias locant, & ex præmissariis rusticis multos adorti interemerunt. Aduentante autem multitudine retrocedunt Herbipolim, Rustici vero Buthardum eo die perueniunt, quod copia omnium rerum refertum deprædantur, & in arcem ignem immittunt. Deinceps apud Herbipolim haud procul ab vrbe castra locant: Geils- *Geilsheim.*
hemium & Reygelsburgum arces concremant, *Reigelsburg.* vbi ad quatuor millia modiorum frumenti & olera ad esum facientia inter sese diuiserunt. Ab hinc ad Ochsen- *Ochsenfurt.*
furt castra ponunt, vbi dies aliquot consumpserunt, quod illic vini magnam vim & frumenti inuenissent. Deinde ad ædes Monachorum apud Bercklingam se *Bercklingen.* proripiunt: vbi sericeas Ecclesiarum magni precii vestes, calices, & varia id genus *Swartzach.* sacræ ædis ornamenta deprædantur. Inde Schvvartzachum, vastum & diues supra crudelitatem monasterium, deprædantur. Itidem & de Gerolshemo factum. Stolbergum arcem incendunt, item Bimbachium. Consultantibus deinde quonam irent, vicit sententia eorum qui Herbipolim oppugnandam censerent. In itinere Geroltzhofen concremant, *Geroltzhofen.* deinde ne quid non tuti a tergo relinquerent, sequentes arces repetunt, quas omnes deprædatas igne concremarunt, scilicet magnum Lanheimum, Steffansberg, Sichershusen, Michelfeld. Item cœnobium quoddam mulierum, & alterum Carthusiensium. Deinde ad Ochsenfurdium repedant, vbi nauem variis bonis refertam (erat Episcopi Bambergensis) diripiunt. Superueniunt ad duo millia rusticorum, quibus adsociatis ad oppugnandam arcem Herbipolensem contendunt dimissa suorum parte ad Gibelstat, Ingelstat, & Grussfeldt arces concremandas. *Gibelstat.* Interim arcem Herbipolensem sollicitant: cumque viderent frustra rem per Canonicos protrahi, tandem arcem oppugnare occœperunt: & primo die nouem homines machinis interemerunt. Pendente oppugnatione, ex omnibus tantus confluxit numerus, vt ad viginti hominum millia certo fuisse constet, ad hæc in oppidum sunt admissi, habuerunt e nobilitate, duos Duces, Gotzen de Berlichingen, & Florianum Geyer.

Intra festa Paschæ similiter rusticorum tumultus excitatus est in ditione Episcopi Spirensis Georgii Comitis Palatini. Primo quidem non multos, verum statim

tim nequicquam per Episcopum sedari posse tentatus in magnam excreuit multitudinem. Dimissis in proximos pagos literis huiusmodi, *Constans & serium Reipubl. Rustica decretum, vt vos quam primum conueniatis, & nobis delectos e vobis centum fratres armatos in defensionem Euangelii & diuinæ iustitiæ mittatis. Si vitam saluam vobis esse vultis.* Ita ingentem congregarunt multitudinem, non defuerat tamen Palatino prouidentia. Misso enim Auenario cum aliquot equitibus, experiri voluit an principiis obstare posset. Verum prope pagum Malsch quendam obsidebant montem, in quo ab equitibus facile tuti erant. Episcopus Spirensis regia deserta ad fratrem Heidelbergam se contulit, nec mora, Rottenburg, Vdenhemium, Kisselauum, Bruxellas, & oppida & arces statim suæ potestatis faciunt. Per idem fere tempus in Marchionatu Badensi ad tria Rusticorum millia rebellarunt, Durlaciumque oppidum ingressi præfectum Vrbis in vincula coniiciunt, cœnobium Gotzavv depopulati sunt. Licet autem compulsi a Marchione primo impetu fuissent arma deponere, nihilominus adhuc æstuabant animis ita vt facile resumserint arma, & se Prurheniis coniunxerint, qui explicatis signis terras Marchionis ingressi multa cœnobia peruastarunt, præsertim Dominorum Dominarumue Albam, in Hercinia Sylua, & Marchionem adegerunt, vt maius euitaret periculum, quas voluerunt conditiones, acceptare. Redeunt pace data Marchioni in Prurhenum, vnde septem signa dimittunt ad obsidendam vrbem Spirensem, ni se intromitterent. Quod equidem Spirensium Præsul Episcopus periculum cernens, impetrauit vt sub publica fide ad se eum venire sinerent: vt venit, conditionibus datis acceptisque haud memorabilibus arma deponunt, & ad suos quisque rediit. Panes, vinum, & carnes in aliquot dies Spirensis Clerus dedit, cœnobium tamen prius Herdam & Mechtershemium depopulati sunt. Nihilominus regimen apud Bruxellas constituitur, ad quod si quando opus foret, intra duos dies ad quinque hominum millia cogere posset.

Rotenburg. Eidenheim. Kisselavv. Bruchsel. Gotsavv. Prurhein. Hert. Metershein.

Remanserant in Bretheimio sub publica Principis mei fide immensæ ciuitatum Imperialium merces, quæ propter motus Rusticos in Sueuia non ausæ sunt vltra progredi, has maxime sollicitabant rustici, cumque nihil vsque tutum foret nec conueniebant inter se satis ciues, Palatinus ad quingentos pedites in præsidium mittebat, qui cum in Prurhenio essent, a fidefragis rusticis nihil tale timentes circumueniuntur, nec fide data iuratæque pacis conditione præualuerunt, quin pedites omnes fide præstita coegerint Heidelbergam redire, rati (vt credo) se tandem Bretheimio potituros. Ad octauam Paschæ nouus rursum fuit tumultus in Zabergoia qui aucti rusticis hæc loca incolentibus arcem alteram Magistri ordinis Teutonicorum Stockberg, haud procul a Brackena, in monte Heuchelberg, omni annonæ genere abundantem deprædantur & exurunt, deinde cœnobiolum Derdingam, & tandem ad Maulbronnam perueniunt; vbi aliquot dies commorati sunt donec victualia superfuerunt: Abest autem Maulbronna ab Oppido Brethaim milliari. Quare sæpiuscule non cessabant Bretthemiorum sollicitare deditionem. Cum nequicquam res procederet & iam deficerent alimenta, corripiunt sese ad exercitum, qui ex Rusticis nigræ syluæ confluxerat: cum quibus paucis diebus omnes arces & oppida Sueuiæ, (Tubinga, & Vrachio, Abspurgoque arce exceptis) in suas manus descendere coegerunt, Monasteria & nobiliorum domus concremarunt, fœdeque desolati sunt.

p. 247. Zabergovv. Derdingen

Interim libet hic ascribere qua astutia Prurhenii Bretthemium pertentarint, tanta inuaserat eos potiundi merces insania. Id equidem breuius fecero, si epistolam ipsam quam Bretthemium miserunt, inseruero, quæ huiusmodi fuit.

Accepimus fratres & amici charissimi, non incerta fama, ingentem aduenire exercitum, qui propter merces illas quæ penes vos sunt, oppidum vestrum oppugnatum veniunt. Cum vero vobis simus vicini, fraternam decet vos nobis ostendere dilectionem. Proinde vos rogamus, si contigerit quid deterius quamprimum nos advocetis:

Latu-

Laturi autem tantis & animis & viribus suppetias vobis sumus, ɔtimuitis hostibus ipsi inter nos potius huiusmodi bona diuidamus. Hæc erant, quæ fraterna dilectio vos ignorare nolebat. Valete. Sed neque hæc nobilium ciuium animos frangere potuerunt, quin fidem illæsam & oppidum Principi suo seruarent.

Cum nusquam quiescente Sathana fama rerum cis Rhenum gestarum ab Rusticis Elsatiam peruasisset; & hic rustica gens auram celebratæ libertatis hausit, nec mora, ingens confluit porcorum grex, & ad deprædanda deuastandaque vbique monasteria veluti tempestas quædam corripitur: Altorff, Nevvenburg, Sanctam VValburgim in sylua Hagenoia, & pleraque alia cœnobia depopulantur. Res erat grata & plausibilis, quod in summa omnium rerum volutarentur copia & alienas impune opes degluberent, nec opus erat abscedentibus conuenire ad cretam hospitem, præsentia solum intuebantur, ignari futuri. Vt autem multas nobilium *Elsas Zabern.* ædes deuastassent, ad triginta millia ante Zabernam Elsatiæ, vbi Regiam suam Episcopus Argentinensis habere solet, castra posuerunt, & in oppidum nulla vi admittuntur.

Hoc rerum statu Dux Lotharingiæ Anthonius vt suos iamiam vacillantes subditos, quinimo ad Saram fluuium motos, in fide contineret, a Sicambro Duce dimissa quinque peditum millia conducit: adhæc ad mille quingentos equites præter suæ terræ auxilia cogit, ad Zabernamque properat, in oppido concludit Rusticos & obsidet, deinde Mercurii post Cantate oppido potitur, & ad viginti millia cædit, oppidum militi datum, fœminæ pulchriores abductæ. Aberant haud procul ab oppido ad sex Rusticorum millia, qui suppetias sociis ferre volebant, iis miles Lotharingus occurrit, & vix cuiquam vitam relictam perhibent.

Alterum his temporibus quoque tumultum excitauit intra Vascouios montes ciuis VVeissenburgensis, nomine Bacchus: qui intra terras illius Ducis Ludouici, quicquid erat Ecclesiastici iuris, deuastarunt, nomenque a vicino loco Cleburgum assumpserunt, primo Diui Pauli cœnobium in VVeissenburg deprædati ad arcem *Cleburg.* diui haud procul ab oppido Remigii conuolant. Habebat aliquantulum præsidii *Remigisberg.* ab Abbate relictum, qui ad aliquot dies obsidionem pertulit, verum cum nec spes p.148 subsidii erat, & oppidum VVeissenburg machinas admouisset, coacti sunt facere deditionem, arx deprædata igne cœlum abiit, ad sellas dehinc rapiuntur, arcemque Roderam incendunt, vbi alter se coniunxit exercitus Kolbenhauff dictus: quo freto ad Zaberniam ad alterum exercitum contendunt. Vt autem Ducem Lotha- *Roderin.* ringiæ audiunt peruenisse, retro pedem ferunt, & generosi decidunt animi: multi domum rediere.

A pugna Zabernensi Dux Lotharingiæ sanguinolentum adhuc & cæde repentem militem in superiorem Elsatiam duxit, vbi quoque exercitum rusticorum ad decem millia cæcidit. Inde domum rediit, militesque dimisit.

Adhuc intactus manebat hac lue Palatinatus, verum vt domus cuius parietes ardent, interiora diu illæsa conseruare nequit, ita & hic paulatim intra Palatinæ gentis viscera serpere cœpit, & primo quidem in Sibeldingensi valle tumultus exortus cœnobium VSserſthal deprædatus est, arces Trifels & Neukastel ceperunt, cœ- *Eusserstal.* nobium Herd, Pleisvveiler, Geil veiler prædæ fuerunt, quin etiam Helsbruck, arcem *Trifels.* nobilem Comitum de Levvenstein, Scharfeneck, item Bechingen, item Magde- *Neukastel.* *Herd.* burg, episcopi Spirensis, item Berg Zabern, Schlosramberg, Meistersheim, Odes- *Blesweiler.* heim, Essingen, Kirvveiler, Iockenheim, Hagenburg, Grobsberg, Kestenburg, *Geilweiler.* *Helsbruck.* VVingerthen, VVolfsberg, Deitesheim, Fridelsheim, Grunavv, Kuppersberg, Heimberg, deinde VVintzingen.

Deinde Neapolitanos ciues minis deterruere, ita vt oppidum illud nobile & *Neustat.* munitissimum nulla vi perpessa nebulonibus tradiderint. Cuius rei fama cum ad vicina peruenisset, statim putare actum de Palatinatu, & vndique coitiones fieri cœptæ. Præsertim in Bockenheim, ad trecentos conuenere, qui mox ex Petra sana aucti vicinos cogunt in sua scelera pagos & Hocheimium Liebenausque cœnobium *Hochheimium.* *Liebenaw.* pro- *Neuhausen.*

prope Vangiones, deinde Nouas ædes depopulantur, Hernesheim Dalburgiæ ditionis capiunt, vbi & tormenta bellica & homines consecuti sunt, deinde in pago Osthofen ædes canonicorum deprædati tandem ad pagum Bechtheim ad aliquot dies moram facere, a Bechtheim ad VVesthofen. Interea Auenarius cum trecentis equitibus & quingentis peditibus ad ea loca per Palatinum missus, vt ruentes contineret in fide, cæteros ab huiusmodi seditionibus absterreret. Vt autem advertit, in VVesthofen esse rusticos, promouet illuc. Rustici ad ordines conueniunt, & vinetum quoddam capiunt, vbi sine magno equitum incommodo lædi non facile poterant, tormenta in eos diriguntur erant autem iam ad tria millia, superueniens autem nox vetuit quidquam vlterius experiri, conabantur autem elabi nonnulli e quibus ad sexaginta cæsi sunt, nocte intempesta veriti ne ardor Auenarii mane rediret clanculum discedunt; & ad VVachenheim alterum Palatini oppidum se conferunt, vbi intromissi quoque vt inde ad exercitum Neapolitanum se coniungerent in itinere cœnobium Limpurg sunt deprædati.

VVachenheim.

Interea Optimus Palatinus omnia prius adhibens medicamina, quam ad effundendum sanguinem Christianum properat, seu vt etiam vires nondum satis robustas colligeret, petiit colloquium. Illi suo principi negant cum pluribus quam triginta equis se eum auditurum. Paret bonus Princeps, eo enim res deuenerat, & sub publica eorum fide, qui nihil minus quam Fidem seruare vouerant, & ad eos venit. Illi in conspectum explicatis signis totis copiis sese ostentant, tandem post multa vltro citroque dicta conuenit, & recipiunt vterque exercitus se quamprimum ab armis discessurum, arces, oppida & res redderent, ne quid in posterum tale conarentur, octo erant rusticorum millia, confert se ad Neapolim Princeps, vbi ad se rediere Duces rusticorum, quod inter alia conuenerat de Comitiis Heidelbergæ celebrandis, illique diem dicendam censebant, iussit apud se decumbere Princeps, & Pentecosten diem dicunt.

Extinctus videbatur, cum circa dominicam Iubilate sacerdos nebulo apud oppidum Eppingam in Cheruscis (parent illi Palatino) Antonius Eysenhut, adsociatis seditiosis quibusdam & nihili hominibus nouum excitauit tumultum dimissis venenatissimis plusquam antea literis huiusmodi textus.

Patientiam & humilem Domini nostri Iesu Christi constantiam in omnibus vestris necessitatibus vobis fratres in Christo optamus. Notum vobis est, quod sub Principibus nostris & eorum præfectis, monachis item sacerdotibus perpessi sumus iugum. Tandem Dei gratia reuelata est iam eorum iniquitas, ideo moneo vos serio, vt cum omnibus confratribus vestris compareatis sine mora ad oppidum Gochtsheim & cum vno curru, vt Euangelium & iustitia progressus habeant. Quod si dicto minus audientes fueritis, certo sciatis me cum fratribus ad vos venturum. Ita paucis diebus ad mille ducentos coaceruauit, indito suo exercitui nomine *bellenhauff*, quem explicatis signis ad Eppingam ducit, vbi sine mora intromissus, item Heidelsheim pari modo, item Süntzen, vbi aliquot dies commorati sunt, quod commeatus apud sacerdotes inuenissent, nec tamen abstinuerunt, quin proximam arcem Steinsberg concremarint, vt quam altum occupat ea arx montem, & omnibus Cheruscis conspicua est, ignis animos rusticis faceret. Huic quoque malo vt mederetur Palatinus, ab Eusenhut impetrat, vt sub publica fide oratores ad se ire sinerent, Oratores fuerunt Comes de Anaxone in VVisbaden, quibus nulla fides seruata. Sed diu illusi diem & noctem extremam esse horam putarunt, tandem conuenit vt exercitus dimitteretur.

p.n49. p.150.

Eppingen. Hilspach. Heidelsheim. Suntzheim.

Nassaw.

Dum hæc geruntur, redduntur Principi literæ quibus non parum lætatus est, quod adhuc aliquid virtutis in subditis suis esse acceperit. Ad Cæsaream Lutheram tumultuabant ad mille homines, Otterburgumque & Visbachium vetera cœnobia corruperunt, cumque vicini quidam pagi se his malis innodari non paterentur, minitabantur illi, contra boni viri ad quingentos conuenere, & in perfidos mouent eosque audacter alloquuntur, & nisi se dedant cædes minantur. Illi territi octingen-

Otterburg. Visebbach.


genti ſe captos tradunt, arma dant, & res reſtituunt, prædam bonis illis viris & alia pleraque egregii facinoris decora largitus eſt Princeps. Inſcii fœdera ſeruare Ruſtici, quod cum Principe Palatino fecerant, non depoſitis armis duas arces deprædati ſunt, Wolffsberg & VVinzingen. Item Ruprechtsberg, Diedesheim, arcem & oppidum deprædati ſunt. Landauum ſollicitant, neque tamen profecere. *VVolffsberg. VVinzingen. Ruprechtsberg. Didesheim.*

Apud Dirmſteinium vir nobilis erat Aſinus a Vitta, qui ſibi peſſimos quosque aſſocians, nouum in Palatinatu excitauit tumultum, cœnobiumque Franckenthal deprædatus eſt. *Dirmſtein. Franckental.* Aduertens itaque Palatinus nihil fidei, nihil tuti in ruſticis, acrioraque adhibenda medicamina, quoniam hæc mitiora nihil proficiebant, conſcripſit e ſua nobilitate mille equites peditumque tria millia conduxit, cui quoque ex fœdere Treuir. epiſcopus cum delecta trecentorum equitum & peditum mille quingentorum manu ſubſidio venit. Miſit etiam equites Landgrauius qui cum exercitu venturus erat, ni & hanc Germaniæ partem hoc imbibiſſet aconitum, cuius ſeditionis origo fuit in Hirsfeld ab Abbatis eius loci ſubditis. Deinde circa Fuldam oppidum alius emerſit tumultus, congregatis ad ſeptem millia ruſticis, qui *Hirsfeld. Fulda.* Haſſianos captis aliquot oppidis & cœnobiis deprædatis ſollicitabant. quare cum copiis promouendum fuit Landgrauio, & ad Hirsfeld properat, cumque in conſpectum veniſſet, præmiſit aliquot equites, qui ruſticis dicerent & aperirent ſui Principis indignationem. Illi in oppido Hirsfeld non deterriti ſeſe continebant, & ſtaturos pro mœnibus videbantur, verum tandem arma tradidere, & Principi in quascunque velit conditiones ad quatuor mille venere. Adhuc reſtabant tres ruſticorum greges ad quatuor millia prope oppidum Smalkalden, quinque millia, apud Fuldam vero ad ſeptem millia. Mouet igitur ad Fuldam Landgrauius: ruſtici ex oppido ſe proripiunt, & ſpem pugnæ ſimulant in quos emiſſi equites ſtatim fugam fecere. Tormenta deinde in oppidum torquentur & oppido ſcalæ admotæ, territi ciues ſupplices ad genua Landgrauii cecidere, veniam implorantes, & ciuitatem dedidere, vbi aliquandiu commoratus Landgrauius, interim tota Thuringia tumultuabat, monaſteria, arces, oppida a ruſticis deprædabantur, nobilitas vndique perſequebatur & ſedibus pellebatur. Habet Landgrauius in Thuringia oppidum nomine Eſchvvege, in quod centum equites in præſidium miſerat, quod ſollicitabant ruſtici, *Eſchwege.* timendum erat ne obſiderentur, quare Landgrauius auctis copiis Thuringiam
p.250. contendit, cum autem ad Eyſenacum perueniſſet, occurrunt illi cum copiis Duces *Eyſenach.* Saxoniæ, & Henricus Brunſuicenſis Dux: qui coniunctis viribus ad Franckenhauſen caſtra locant, in quo oppido ingens ruſticorum multitudo erat, qui ſtatim ex oppido in editum haud procul montem confluxere, eo animo vt monte adiuti confligerent. Verum vt videre Principum copias ad ſe tendentes, ad principes ſcripſerunt, ſe Chriſtum profiteri, quod ſi Chriſtiani eſſent Principes & ſe ſuis cœptis accommodare velint, nolit gens ruſtica in eos quicquam vi agere. Ad hæc Principes poſt exprobrata eorum ſcelera reſpondent, ſi Thomam Muntzerum ſeditionis authorem & eius aſſeclas ad pœnam darent, reliqui in arbitrium vltionis viui acciperentur, cumque, protraherentur diutius ruſticorum reſponſa, admouent Principes machinas, & copias ſub montem deducunt, remque ſerio aggrediuntur: illi quamprimum fugæ conſulunt, fugientes paſſim cæſi ſunt, deinde oppidum corona cingunt, & vi expugnant, quicquid virorum inuentum, trucidatur, oppidum miles diripuit, deinde ad Mulhauſen quod oppidum authores in Thuringia ſeditionis dederat, omnem belli molem conuertunt, oppidum ſumma vi expugnant, & de ſeditionis authoribus ſupplicium ſumunt, deinde pacata regione ſuas reducunt quisque copias.

Dum hæc geruntur, in Noricis Dux Fridericus Palatini frater, etſi a ſuis mirum in modum diligeretur, non quietiores habuit ſubditos, propter exortos in epiſcopatu Eyſtetenſi motus, ſollicitamque plebem ſuam. Ille autem cernens in celeritate plurimum eſſe momenti, ex tempore quotquot potuit conſcripſit equites & pedi-

peditum nonnullas cohortes, quibus confideret, & tormenta campestria ducenda committeret, & in rusticos qui magno numero in eodem Episcopatu congregati referebantur, mouit, castraque ex composito latiora, non procul ab ipsis rusticorum castris vsque oppidum Freystat metatus, in sequentem diem confligere statuit. Sed quia animaduertebat e suis nonnullos conflictum propter paucitatem suorum & ingentes rusticorum copias dissuadentes, tum etiam quia natura mitis & clementissimus Princeps, omnia prius sibi tentanda, quam sanguinem effundere, sibi proposuit. Quare ad Rusticos misit qui dicerent, *se iam eo animo & viribus adesse, vt ex eis viuum nullum euadere sineret, nisi protinus ab armis discederent, & quisque ad sua munia rediret. Quod si facerent, se sua humanitate eis parciturum.* Illi vt hæc audiuerunt, colloquium petunt, & ad ipsum legatos mittunt qui quidem rusticos paratos ad obediendum & ab armis discedendum renunciant, ea tamen conditione, ne quod egissent, cuiquam fraudi foret, neue a suis dominis ad pœnam vocarentur. Respondet Fridericus, *se alterius factum promittere nolle, hoc tamen sancte polliceri, se omnem operam daturum, vt in gratiam recipiantur, & pro illis vt offensa omnis condonaretur, intercessurum.* Ad hæc respondit legatio, Non audere se hæc ad suos referre, quos pertinacissimos esse cognoscerent, & nequaquam arma dimissuros, nisi de postulatis securi redderentur. Ad quæ Fridericus: *Abite igitur & illis renunciate, crastinum diem de hac controuersia indicaturum,* atque ita discesserunt. Spe igitur frustratus, Fridericus, decertare & de fortuna periclitari constituit. Dehortantibus (vt dixi) plerisque ob paucitatem suorum aduersus tam ingentem multitudinem, quæ ferebantur ad octo millia, quum ipse supra ducentos & quinquaginta equites, & paucos pedites in suo exercitu (si exercitus dici meretur qui vix cohortem explebat) non haberet. Hos iubet secunda noctis vigilia paratos adesse, vt ante diei crepusculum hostes ex improuiso adoriretur. Interim dimittit nonnullos, qui quid agerent rustici, diligenter explorarent, quorum vnus statim a media nocte rediit, qui Fridericum (vt decet bonum Imperatorem seu Ducem) non dormientem, vt cæteri, sed animo voluntatem, quomodo sine suorum sanguine & incommodo hostes adoriretur & profligaret, inuenit, & infit. *Illustrissime Princeps, adsum bonus angelus. Annuncio enim tibi, omnes rusticos desertis castris & impedimentis relictis, dispersos & fugientes abiisse,* incredulus adhuc Princeps & irato animo, *o,* inquit, *proditor mentiris, sed non me decipies, prius de te extremum sumam supplicium.* Ad hæc ille, omnino inquit, vt volueris: modo scias me nihil esse mentitum, qui quæ dixi, hisce meis oculis viderim. Lætus responso Princeps diligentius de omnibus interrogat, quæ postquam verisimilia intelligit, vt superuenientibus aliis eadem renunciantibus hominem collaudat, & Euangelium daturum se spondet, moxque suos omnes excitari iubet, remque omnem detegit, qui iam posito p. 251. metu audaciores facti persequendos fugientes suadent correptisque armis & inscensis equis ingrediuntur iter, vt vero iuxta arcem Messingen quam occupauerant Rustici, peruenerunt, inueniunt, vt renunciauerant exploratores, Rusticos omnes dispersos, & ad sua quemque rediisse armaque deposuisse. Pergit nihilominus Princeps ad oppida recipienda, quæ a fide Episcopi defecerant, quæ sine mora sese dediderunt, delictorum veniam deprecantes, verum nullam pollicitus Princeps, tantum intercessorem se futurum clementem respondit, omniaque Episcopo restituit, cohortantibus plerisque vt saltem vicina Nouoforo duo oppida Berchingam & Berngriesam retineret. Atque ita repressi & sedati sunt in Norico motus.

Freystat. *Messingen.* *Neumarck. Berchingen. Berngries.*



HV-

HVBERTI THOMÆ LEODII

DE GESTIS FRANCISCI A SICKINGEN.

LECTORI SALVTEM!
BVRCARD GOTTHELF STRUVE



*Llustris gens est Sickingorum ab arce Sickinga, Craichgouiæ sic dicta, inter eosdemque insigne nomen promeruit Franciscus a Sickingen, prudentia atque ac militari arte clarissimus. Huic graue erat cum Richardo Treuirensi Archiepiscopo bellum. De caussa belli varie agunt Scriptores. Sleidanus * equidem eam tali modo exponit:* quod ciuile bellum inter aliquos excitatum esse dicit, ad Treuirensem archiepiscopum Richardum pertinet, cui tunc bellum faciebat Franciscus Sickingus, vir fortis, & Lutheri valde studiosus: verum belli causa fuit, non religio, sed quod Richardus duos quosdam suæ ditionis homines pro quibus ille fideiusserat, non sisteret iudicio. Sic enim habent litteræ quibus amicitiam ei Franciscus ad exitum Augusti mensis renunciat. *Chytræus vero in Saxonia sua ** sic loquitur* dum autem in Saxonia duces Brunsuicenses latæ a Carolo V. proscriptionis aduersus Ioannem episcopum Hildesiensem, executores, tota fere diœcesi occupata, metropolim Hildesiam mense Iunio & Iulio obsiderent: ad Rhenum & Mosellam, Franciscus a Sickingen tumultuans Treuerim oppugnauit. Bellum enim indixerat Treuerensi archiepiscopo, Richardo, quem in odio Cæsaris Caroli esse sciebat, quod in Comitiis electionis noui Imperatoris, Richardus Francisco Galliæ regi suffragium dederat, & ne Carolus crearetur, obnixe contenderat. Franciscus autem cum post Wormatiense bellum, a Camera proscriptus sed a Maximil. primo Imp. ob virtutem & fortitudinem Heroicam, ex plenitudine potestatis absolutus esset: intimus Maximiliani consiliarius, & militum præfectus supremus, etiam apud nepotem Carolum fuit. Conniuente igitur Carolo, arma Richardo cum quo alioquin simultates ei plures intercedebant, alio plane prætextu infert. Vidi enim exemplum literarum, quibus bellum archiepiscopo Franciscus denunciat, quod duos subditos archiepiscopus, ne λύτρον promissum soluerent, pro quibus rogatu illorum fidem Franciscus interposuisset, vi prohiberet. *Scilicet, Richardus Treuirensis, post Maximiliani I. mortem, Galliorum Regi Francisco fauebat, eundemque ad Imperii dignitatem euehi volebat. Sickingus vero Caroli V. electionem apud Electorem Moguntinum potissimum plurimum adiuuabat, atque pro tuenda eadem Carolo, vel iubente, vel conniuente, ingentem collegerat exercitum. *** Accedebat, quod Richardus Euangelii doctrinæ nimium esset infestus, cui portam aperire conabatur Sickingus. **** Cœpit igitur hoc bellum an. 1522. Treuirorum vrbem obsidebat Franciscus, inde & ciuium virtute & auxiliis Palatini depulsus, destructo D. Maximini monasterio antiquissimo, vrbi vicino, in quo hospitium suum habuerat, & vastatis passim Treuirensis Episcopi agris, domum rediit. Dum autem Treuirensis, facta cum Palatino Ludouico, & Hasso fœdere, summa ope bellum tota hyeme instauraret, Franciscus a Sickingen, dum Lutherani dogmatis fautor videri volebat, a Lutheranis non solum & Ciuitatibus ad Rhenum, Palatino ob nouum institutum vectigal infensis, sed etiam nobilibus, quorum plerique, quod res suas prodegissent, res nouas malebant, auxilia expectabat. Ast, postquam ab Imperii Regimento fuisset proscriptus, post Pascha 1623. Hassus Palatinus & Treuirensis, magno collecto exercitu, obsidere Francisci arces cœperunt, priusquam ille vires suas augeret. Et postquam compertum fuisset, ipsum in oppidum Landstal se recepisse, illud obsidebatur. Intra paucos dies magna bombardarum vis disiiciebatur, vbi, cum forte trabe quadam ictus Franciscus, graue vulnus accepisset, dedi arcem iussit, ipseque intra biduum fuit extinctus. Hoc bellum in Saxonia sua ***** plenius describit Chytræus, & singulari relatione Caspar Sturmius. In Schardii Tomo secundo ****** reperitur Francisci a Sickingen cum Treuirorum obsidio, tum exitus eiusdem, ligato sermone descriptus a Bartholomæo Latomo. Sic etiam Caspar a Lerch, ******* Cyriacus Spangenberg ******** & Bernhardus Hertzog ********* fata huius Francisci & bellum hoc Treuirense plenius describunt. Quibus etiam Seckendorfium ********** subiungimus, & Christophorum Browerum *********** Hanc autem Historiam æque Iano Iulio, Huberti Thomæ filio se debere, profitetur Freberus.*

* lib. III. p. 75.
** lib. X. p. 258.
*** Seckendorf in Historia Lutheranismi lib. p. 122.
**** Spalatinus in litteris ad Dœlzigium apud eundem p. 226.
***** p. 258. sq.
****** p. 121.
******* de Ordine Equestri immediato fund. II. summar. XC. p. 125. 144.
******** Adelspiegel p. II. lib. 6. c. 9.
********* Elsasser Chronic. l. II. c. LXXVI.
*** ******* Hist. Lutheran. lib. I. s. LVII. §. CL.
**** *** **** Ann. Treuir. lib. XX. p. 337.

p.25 DE FRANCISCIA A SICKINGEN EQ. REBVS GESTIS, SEV POTIVS AVSIS, ET CALAMITOSO OBITV

HISTORIOLA IPSO TEMPORE EXARATA AB HVBERTO THOMA LEODIO ILL. PRINC. LVDOVICI PALATINI ELECTORIS CONSILIARIO ET SECRETARIO.



Seckingensis familia ab arce eius nominis in Cheruscis nomen sortita, non tam ante viginti annos apud suos nobilis quam illam Franciscus a Sickingen, is de quo scripturi sumus, toti pene Europæ celebrem ac formidabilem reddidit. *Sickingen arx.* Huic pater Svvickerus fuit: qui prospera in bello, quod aduersus Agrippinenses gessit conniuentibus Principibus, fortuna vsus, acceptas a parentibus opes Francisco filio adeo auctas reliquit, vt is mortuo Suickero patre arcem ignobilem Eberbergum tantis munitionibus circumsepserit, *Eberburg.* vt ne omnibus quidem Romani Imperii viribus expugnari posse diu vulgatum sit. In rupe satis euexa & vndique prærupta, præter ad eam partem qua Cauro perflatur, consita est. Subiacet oppidulum versus Septemtrionem, qua parte Naua fluuius in Alzentiam, qui a meridie arcem subluit, immergitur, campus circumiacet, & Cerere & Baccho supra modum fertilis: ad meridiem vltra Alzentiam arx altera, vnde Comites Rheni cognomina habent, excelso monte dependet, *Rheingrauen.* subsunt argenti fodinæ, e quibus non parum emolumenti singulis annis suscipiebat. Arcis postmodum Nanstalli partim pecunia partim minis, in possessionem venit, quæ est in Vascouiæ montibus, fortitudine Eberburgo neutiquam dispar. Accessit postea illi quoque expulsis viris dominis, altus mons, arx item in Vascouia tanta altitudine excellens, vt nubes contingere cacumine crederes. *VVasigaw.* His omnibus fretus Seckingensis, ne patri bellicoso degener filius videretur, Vangionibus quorum caput est Wormatia, bellum intulit, quod in tertium annum vsque produxit. Causas huius belli referre supersedeo, quod & a Francisco & a Vangionibus diuersæ tradantur. Cæterum tantum hoc bello profecit, direpta naue, & captis ex primoribus vrbis aliquot, vt ausus sit magna equitum manu ante vrbem castra ponere, & per dies nonnullos speciem obsidionis facere, vt si posset factiosos ciues (quorum quamplurimos partes suas fouere sciebat) vel ad deditionem, vel saltem ad aliquas conditiones pacis accipiendas compelleret, parumque abfuit, quin voti compos fieret. Quum enim videret pauper plebecula vires suas excindi, segetes comburi, conculcarique pede, deditionem certe meditabatur. Instigabat ad id tacite Clerus, cui perpetuum est in hac vrbe cum ciuibus & propemodum innatum odium, & illud quidem adeo acerbum vt cuperet maximo suo malo ciuitatem perditum iri. Sed Comes de Hagis, qui tum Consistorio Imperialis Cameræ præsidebat, & prudens Senatus plebem ad concionem vocant, malaque & pericula proditionis demonstrant; rogant vt præstiti iuramenti memores vrbem Cæsari & Romano Imperio sibique adseruent, neue tradendo vrbem viro imbelli, quam maiores sui vel educto exercitu ab armis Iulii Cæsaris tamdiu tutati sunt, indelibili ignominia sese conspurcarent. His & similibus verbis a seditione animi plebeculares reuocati, se nulla in re defuturos Senatui pollicentur, iuramentoque adfirmant, pro moenibus sese vitam posituros. Qua re animaduersa Franciscus obsidionem soluit, bellumque crebris vt cœperat incursionibus continuat, & cum (vt opinor) vires ad perseuerandum non satis suppeterent, maximas imperialium ciuitatum merces, quæ per id tempus ad emporium nobile Germaniæ Franckofordiam deuehebantur, in

in prædam cepit. Hac de re permotus Cæsar Maximilianus, Imperium in arma vocat, & maiores quàm aduersus nobilem conueniebat vires coaceruat, equites Burgundos, in vrbem Wormatiam præmittit: qui in ditionem Palatini Comitis, eo quod Francisco per omnia fauisse crederetur, prædas agerent. Sed quam pronus in iram Cæsar, tam facile blandis verbis sese statim emolliri patiebatur. Quibus egregie doctus Franciscus non solum a Cæsare rebus nequaquam redditis pacem impetrauit, sed & stipendia insuper addita sunt, vt se a Gallo, a quo regie donatus nuper erat, prorsus abdicaret. p. 255. Sed & Vangionibus bellum remissum: quibus Cæsar vt facilius condescenderent, quadraginta millia aureorum se daturum pollicetur. Non parum elatus his rebus Franciscus, coacto exercitu Lotharingiam ex improuiso ingreditur, castella aliquot expugnat, regionem longe lateque depopulatur. Re inopinata territus Dux Antonius incompositam plebem vtcunque potest, cogit, sed fama (vt est plerumque maior vero) diuulgauerat, tantam esse in exercitu Francisci & equitum & peditum multitudinem, vt breui & prius quam vllæ possent Duci aduenire suppetiæ, Lotharingia tota debellata crederetur. Fidem faciebat, quod non sine maximis viribus Franciscum tantum facinus in tam potentem Principem, ad hæc Gallico fretum fœdere nequaquam aggredi ausum quisque secum reputaret, accedebat Duci miseratio quædam erga subditam gentem, cui cernebat vix prius subveniri posse, quam tota in prædam venisset. Quare melius ratus, parua iactura magnum vitare incommodum, cum Francisco paciscitur, vt accepta pecunia expugnatas arces redderet, tricentisque aureis in singulos annos ex ædibus suis suam opem contra quemcunque Duci præstaret. Dici equidem vix posse credo, quantum famæ & honoris hæc expeditio Francisco peperit: nobilitas germana illum ad sydera extollere, dicere dignum Imperio, hortari ad maiora; fortunam summa polliceri, modo pergeret, asserere. *Metis.* Nec frustra. vt enim erat animo maximo, postmodum Mediomatricibus, quorum caput est nobilis ciuitas Metis, bellum exorditur, pagis nonnullis exustis ante vrbem castra ponit. Verum Mediomatrices, exemplo Lotharingi, triginta millibus aureorum, & militis vnius mensis stipendio dato, pacem redemerunt. Nec mora, quin eundem exercitum in prouinciæ præsidem, quem Landgrauium Hassiæ vocamus, educit, erat is ea tempestate iunior, quam vt recte bello rebus suis consulere per sese posset, tumultuosa nobilitas, vt tempus patiebatur, in oppidulum non admodum procul a Francofordia se recipit, in quo veluti aues in cauea a Francisco, ne aliquo modo inde redire possent, vndique oppugnantur: atque adeo acriter, vt nisi omnes sese captos velint, triginta sex aureorum millibus coacti sunt pacem redimere.

Hactenus Francisci ab Sickingen res prospere feliciterque gestas compendio perstrinximus. In quibus perpetrandis tanto fortunæ beneficio vsus est, vt non modo eos quos bello persecutus est, non male adfectos sibi non reddiderit; verum excepto Landgrauio, sibi postmodum fauentes applaudentesque habuerit, eoque fastigii peruenit, vt ille optime de rebus suis consultum crederet, cui Franciscus bene volebat, Germaniæ Principes beneficiis sibi illum demereri studere, stipendia dare, nihilq; non facere quo illum quisque in sua vota pertraheret. *Drachenfels. Lutzelburg. Daun. Kallenfels.* Draconis rupes, Lutzelburgum, Daunum, Frigida rupes, & pleræque aliæ in Vascouia pluribus addictæ dominis arces, illum in communitatem admisere. Quid plura? huic vni fortuna sese tota effundebat; qua si pro modo vti nouisset, vix scio an habuisset Germania de nobilitate, qui cum Francisco nostro aut opibus aut honoribus, sed nec fauore veniret comparandus, nedum præferendus. Sed huiusmodi sunt hominum ingenia vt tum demum nunquam quieta, nunquam tranquilla esse queant, quum id tandem tot votis sumus adepti, quo maxime otium tranquillitas vitaque beata (si qua in hoc seculo esse posit) constituitur, denique opum & gloriæ cupiditas adeo in cordibus humanis dulce venenum est, vt illo degustato nunquam quis deinde exatiari valeat; quin quo plus est epotum, plus semper sititur, vt de aquis inquit Pe-

lignus

lignus Vates. Quo morbo Seckingensis eques maxime semper laborauit, & licet iam in senectam vergeret, & podagra adeo diuexaretur, vt non iam equo insideret, sed Lectica deueheretur, non tamen potuit cohibere ferocem spiritum vt eo bello abstineret, quod quidem supremum gloriæ, sed extremum, vitæ opumque omnium amissionem liberorumque exilium Francisco peperit, vti latius Diis fauentibus iam prosequar.

Franciscus Seckingensis re prospere vbique gesta fertur Deo opt. max. imprimis, deinde post Deum Illustrissimo Principi Ludouico Comiti Palatino Sacri Rom. Imperii Archidapifero & Principi Electori, acceptum agnoscere quicquid fortunæ prosperitate, nec immerito quidem, optimus enim Princeps quod adfectus a Vangionibus iniuria, & Landgrauio pater eius Philippus bello lacessitus fuerat, facile passus est nobilitatem Palatinam per omnia illi præsto esse, qua sine nihil horum quæ gessit, Franciscus perficere poterat nec famam vt plus terroris diluere curauit, quæ vbique diuulgauerat Franciscum cuncta ex eius sententia & auctoritate gerere. Sed clementissimi Principis beneficium in non satis gratum hominem collatum euentus docuit. Quippe cum nobilitas Landgrauiana non promissis in Darmstat satisfaceret, nec conuentiones ibidem initas fidei immemor perstitæ seruaret, qua propter vt perfidos vbique proclamaret, illi vicissim conuitiis & famosis libellis eum dilacerarent, bello se vindicare arderet. Sed deterrebant partim fœdus quæ cum Sueuis & Palatino ferierat, partim locorum distantia & iniquitas. Multa igitur versans animo non opportuniorem viam reperit; quam per Treuiros, quorumque Præsul vt tutius suas defendere terras possit, eodem Landgrauio & Palatino confœderatus erat. Hunc omnino debellare quacunque data occasione Franciscus statuit, nec id operosum fore multæ causæ dictitabant, sciebat ciuitatem Treuerim summum iamdudum odium in clerum concepisse, ad hæc renascentis Euangelii libertas vniuersam Germaniam adeo in viros Ecclesiasticos concitauerat, vt passim ludibrio haberentur, & acceptissimum Deo sacrificium sese præstitisse credebat, qui summo opprobrio fœdaque ignominia illos adfecisset. Cuius Franciscus vbique se adsertorem defensoremque data opera iactitabat. Existimabat etiam confœderatos Principes pro more serius Treuiro auxilia missuros, priusque ad deditionem Treuirim vrbem venturam, quam vllum aduenire posset præsidium: qua dedita facile cætera expugnari posse videbantur, atque inde brevissima in Hessiam via pateret. Tentauit igitur sæpius causis disquisitis Treuirum; sed cum illæ non satis idoneæ aut iustæ viderentur, nec diutius quod conceperat animo differendum putaret, Treuiro in hæc verba bellum indixit.

p. 255.

p. 254.

Treuiri.

* * *

EX his satis patere existimo belli Treuir. & originem & causas. Verum haud scio an satis veritati respondeant, quæ de duobus captiuis Franciscus scribit, illi enim adseuerant se vi ad rogandum Franciscum compulsos, vt per se fidem faceret; Quod vero Cæsarem inserit, puto magis ad terrorem factum quam vt verum adfirmem, licet satis credibile sit præter iuramentum non adeo per omnia bene voluisse Treuiro Cæsarem, quod in electione sua in Imperatorem, libentius Treuir suffragium Gallo præstare voluerit quam ipsi Augusto, dum autem in Deum perpetrasse quædam subinculcat, existimo innuere velle, Treuirum parum (vt omnes sacrificuli) fauisse renascenti Euangelio Christi, cuius vt prædixi Franciscus sese protectorem nominabat. Cæterum octauo ferme post indictum bellum die non impiger (vt solet) Franciscus terras Treuiri ingreditur, & primum oppidum S. Wendelini oppugnare contendit. Erant in eo oppido circiter centum equites ad defensionem vrbis relicti: quos dum viribus suis diffidunt, Franciscus omnes captiuat. Pergit deinde nonnullas arces expugnare, & tandem ad Treueri mcastra ponit. Interim Palatinus & Hessus plus fere solliciti de bello, quam Treuerensis præ- S. Wendel.

ſul (notatus eſt enim ſatis ſegniter ſe præparare ſeu quod nimis pecuniis indulgeret, ſeu quod exiſtimaret bellicum Franciſci apparatum non in ſe ſed (vt ipſe diuulgauerat Seckingenſis) in Gallicum bellum ducendum ſubſidium obſeſſo iam Treuiri mittunt quam acriter Franciſcus impugnabat, parte maxima muri machinis decuſſa. Eodem tempore veniunt a Cæſaris regimine ad Franciſcum literæ, quibus, mandabatur ſub grauisſimis pœnis vt ab armis diſcederet, ille ſpe ad Treverim fruſtratus quod aduenisſe in vrbem præſulem ſciebat, timebatque ne ſi copiis Palatinis & Hasſianis coniungeretur, viribus ipſe inferior longe foret, nec iam alimenta vlla in caſtra adueherentur, occaſione ſumpta, nec terga dare videretur, obſidionem ſoluit, in reditu vt ex animo totam iram effunderet, omnem regionem circa igne concremat, ſacra quæque & prophana depopulatur, vaſtat, depilat, atque ita ſpoliis onuſtus ad arces ſuas rediit. Nec ob id Palatinus & Heſſus ab armis diſcedunt, ſed eductis exercitibus Palatinus Altzeiam contendit: vbi relictis copiis ad Weſſalam ſuperiorem Treuirum & Heſſum conuenit, conſultatur ibi de bello, placuitque aliquandiu vt ad oppugnandum Eberburgum vnanimiter irent. Sed fama inexpugnabilis arcis, & inſtans hyems, ab hac expeditione deterrebat. Quare mutatis conſiliis ad Cronenberg totum pondus belli conuertere ſtatuunt. Oppidum eſt duobus a Francofurdia milliaribus ad altisſimi montis radices, loco amœnisſimo & fertilisſimo conſitum duplicique orbe murorum circumſeptum. Arx in medio fortisſimo atque crasſiſſimo muro montem ſatis excelſum obtinet, ita vt non ab re nomen inditum videatur, quippe crebræ turres & propugnacula, procul aſpicienti imaginem coronæ triplicis, qua conſuerunt Romani Imperatores iam inſigniri, repræſentat. Hoc oppidum Hartmannus de Cronenberg pro parte posſidebat, vir equidem omnium iudicio bonus & pius, quique negotio reuiuiſcentis Euangeliii aduerſus calumniatores nuſquam pro virili defuit. Sed dum ipſe diuinorum præceptorum haud ſatis memor contra fraternam charitatem Franciſco adverſus Treuirum bella gerenti ſuppetias tulit, atque arcis Eberburgi cuſtos remanens per omnia belli participem ſe fecit, par eſt iam qui proſperitatis ſpem ſummam expectabat, aduerſæ fortunæ æquiore animo perferat adflatus. Qui tale nihil metuens, oppidum abſque præſidio valido reliquerat. Quare aduentu Principum territi ciues, defenſionem quidem aliquandiu ſimularunt, pro mœnibus ſtare, omnis generis machinas dirigere & eiaculari, nihilque omittere quod ad retinendum oppidum videbatur. Nec ſegnior Hartmannus, qui ſeſe in oppidum recludi non conducibile ſciebat, Principes per amicos orare, rogare præſertim Palatinum, ne ſe qui nunquam aduerſus eum mali quicquam cogitauerit, tam miſere deperdat, noſſet ipſe quanto periculo maiores ſui in bello Bauarico pro Palatinatu etiam aduerſus Cæſarem propugnaſſent, ſi quid ipſe deliquiſſet, mulctari iure percuperet, non recuſaturum quantumuis grauem pœnam, traditurum ſeſe oppidum & arces Imperio, cuius eſſet proprietas, quo ſecuriores Principes forent. Quod ſi ſua cauſa non moueretur, ſaltem pueros innocentes inſpicerent, viduarum eiulatus exaudirent. Hæc & ſimilia Palatinum ſatis (vt eſt profecto omnium clementiſſimus Princeps) flectebant, ſed Treuiri recens vulnus nimis adhuc vrebat præſulem, vltima quoque orationis verba magis Heſſum exaſperarunt quam emollirent, namque vt eſt ex tempore ad reſpondendum præceps, cum de puerili ætate miſeranda mentionem audiſſet, *Et quis* inquit, *mei miſertus eſt, dum nuper puer eſſem* (ad Franciſcanum aduerſus ſe bellum retorquens) *Stat ſententia firma, poſtquam Hartmannus præter ius & aduerſus Imperii leges amicum noſtrum Treuirum damno adfecit, omnino & bona & corpus eius perdere.* Nec mora, machinas muris quanto propius potuit admouere iubent, portas decutere incipiunt. Qua re animaduerſa ciues & qui erant in præſidio, de pace ad Principes fecialem mittunt. quæ tradita arce & oppido rebus omnibus ſaluis illis data eſt, præſidium libere emiſſum, in Moguntiacam deinde nobilitatem animaduertere Principes ſtatuunt: quæ

Cronenberg.

p. 155.

quæ maximas Francisco vires in bellum Treuirense subministrauerat, imo hac suadente susceptum plerique adserunt, nec defuere quin aperte dicerent Præsulem tacitum coadiutorem. Certe satis mihi persuadet, non perinde illum ab hac lepra mundum: qui & magistrum suum curiæ (vt vocant) Frouinum ab Hutten, & Marscallum Casparem Lorch, addamus & primarios ecclesiæ suæ Moguntinæ Canonicos Francisco antesignanos (vt ita dicam) habuerit, passusque sit prædam Treverensem Moguntiæ publice venundari & in manubias redigi. Quare Principes ab eo literis expostulant, vt sinat & adiuuet sese de illis pœnam debitam sumere, qui publicam Romani Imperii pacem vetito bello violassent, quam & ipse seruaturum & defensurum præstita fide iurasset, Moguntinus confœderatis Principibus rescripsit.

* * *

QVibus cum nihil proficeret, principum congressum expostulat, & se publica tamen fide ad eos Francofurdiam venturum pollicetur, ratus scilicet plus coram impetraturum quam literis. Qui cum aduenisset, causam nobilium suorum eodem ferme tenore quo literis prius egit. Illi respondent, se præoptasse, ne ad id incommodi nobilitas Moguntina deuenisset, nunc eo adactos esse publicæ rei causa, quam deserere nec vellent nec possent, vt de transgressoribus Legum Imperialium quas ipsi condidissent, debitas pœnas exigant: alioquin & malum impunitum in deterius verteretur, & ipsi periurio obstricti notari possent, ad quæ Moguntinus, *Quandoquidem consanguinei*, inquit, *ita vobis persuasum est, vt nec mei intuitu nec vllis precibus moueri posse videam*, *rogo*, inquit, *saltem aliquid clementiæ meis impertiri velitis, ne se omnino conquerantur meis precibus nibil fuisse adiutos.* Cui Principes, Licet ita dictantibus Legibus, vt primo res redderent Treuiro, belli sumptus resarcirent, ad hæc ab vnoquoque sexaginta millia aureorum exigere possent, tamen vt sui sentiant se omnia cum decore sua de causa facturos lubenter, ab omnibus semel duntaxat sexaginta florenorum millia expostulant. Territus Moguntinus ea summa ad humillimas fere preces deuoluitur, & tandem impetrat, vt statutis terminis Principibus nomine nobilitatis viginti quinque millia aureorum persolueret. Frouinus vero ab Hutten cum interrogaretur, an ipse quoque in hoc pacto comprehendi vellet, respondit se saluo honore non posse in has partes descendere, & vt est elato admodum animo non dignatus est Principes de clementia precari. Quare in reditu suo in patriam Landgrauius aliquot arces expugnat, Comes Palatinus & Treuir se ad sua recipiunt, dispositis in Creutzenach, Sobernheim & Lutera præsidiis equitum, qui per hiemem quantum possint Francisco alimenta subtrahant. Non tamen segnior redditus Seckingensis, arcem munitissimam Lutzelstein Kalendis Nouembris noctu per insidias capere aggreditur. Sed nescio quo spiritu ex colludentibus vigilibus quidam ad socios, *memor sum*, inquit, *arcem (quam tum nominabat) bis Kalendis insidiis receptam, ibo circuitum muros, ne tale quid nobis forte eueniat.* Perseuerant alii in ludo, ille egreditur, audit intra muros strepitum, & subsibilantium sibi scansorum tenue murmur, redit ad socios remque omnem narrat, auscultant & illi, hic verum esse affirmat, ille vento commoueri lapides ait, subdubitantes tandem concludunt vt machinulæ aliquot eiaculentur, ad quarum sonitum territi Franciscani, qui iam munitionem primam tenebant, certo existimantes proditionem, aperta voce exclamant: *Moriendum est vobis nebulones*, illi admouent ea parte, qua iam tumultum audiebant, machinas; & in ascensores detorquent. Exauditi in subiecto oppido villani accurrunt, & causam tumultus interrogant, quos triginta in arcem recipiunt. Quibus adiuti facile Franciscanos a mœnibus deturbant, qui tandem relictis scalis terga vertunt. Hac spe frustratus Seckingensis, non amplius dissimulari posse bellum aduersus Comitem Palatinum ratus: indicendumque si suo honori consultum vellet. Mos est enim

(margin: p.256)

enim nobilitati Germanæ, cum alicui bellum indicere volunt, vt prius licere sibi existiment aliquid surripere, itaque in hæc verba scripsit.

* * *

POstea Comes Palatinus vbique in vicinis Francisco oppidis præsidia collocat, Wilhelmo de Habern audaci & tumultuario equiti Cæsaream Lutheram & præsidium commendat. Ille vt est ad subeundos labores impigerrimus, cottidie ante arcem Nanstallum, vbi Franciscus semper fere erat, excursiones facit. Franciscus vero nunquam sui copiam extra oppidum facere voluit. Imo nec cum posset, in Palatinos vnquam emitti glandes passus est. Verum aliquando emisso tabellario illis blande dici iussit, paucos & illos quidem pauperes nobiles esse in oppidulo, quibus cum si male agatur, existiment viceuersa idem sibi euenturum, causam nobilitatis tueri se, quare reuerterentur Lutheram. Quod si velint, aut vini aut cereuisiæ potum illis libenter de paupertate sua impertirentur. Hoc modo putans se animos eorum emoliturum: nihilominus Auenarius quibus potest eum modis persequitur: & cum resciret in arce Wartenberg Franciscanos hospitari, vnde maxima damna Palatino inferebant, & pecunias a circumiacentibus pagis aut incendia minitabantur, quare assumptis peditibus aliquot ante arcem pergit, & hiis qui in arce erant ad colloquium vocatis, ita infit. *Postquam*, inquit, *ex hac arce Francisco, adhærentes Principi meo contra ius & leges bellum intulistis, exigo a vobis vt quam primum hos muros mihi tradatis, si vos saluos esse vultis. Ecce enim veni, non reversus, nisi deiectis his mœnibus, quibus videtis machinis. Iuro autem Deos, si finitis vel minimum lapillum emittere, ne vos quidem totus mundus redimeret, quin omnes laqueo vitam finire faciam*, His auditis territi qui in arce erant, se emitti liberos rogauerunt: quod equidem recepta arce Auenarius fecit, quam postmodum euectis quibusque melioribus rebus igne concremauit, crebris deinde ante Nanstallum excursionibus Franciscum diuexat, quadam vero die circa occasum solis Ioanni ab Sickingen Francisci filio ab arce Kallenfells redeunti de industria occurrit, erat vtrique par ferme equitum numerus, sed incompositi inordinatique Franciscani veluti in insidias incidentes ab Palatinis excipiuntur, hastis primo concurrunt, deinde districtis gladiis rem gerunt, diu certatum ambigua pugna, nec dubium quin ad Franciscanos victoria declinasset, ni ducis Auenarii industria ab ordine cogendo perhibiti fuissent, quare cum illi viderent non se posse coire, more Parthorum nunc terga vertentes, nunc rursus prœlium redintegrantes, pugnare cœperunt. Sed ardor Ducis Auenarii ita illos consequitur, vt tandem se captiuos p. 157.
tradere cogerentur, Francisci filius cum fugam meditaretur, transfosso equo concidit, cumque herbam adhuc porrigere nollet, perfoditur illa mala, atque tum victum se captumque tradidit.

Continuatur deinde bellum absque re vlla memorabili, tentauerunt multi Principes, si quo modo discordes reducere ad pacem possent aut saltem inducias impetrarent, cum viderent Principes nec pacem absque dedecore suo, nec inducias sine magno suo incommodo admittere posse, vtrumque excluserunt.

Interim Ioannes Melchior de Rosenberg qui sub Principe Palatino ad Cronenberg militauerat, quemque Palatinus multis beneficiis ornauerat, summa perfidia vsus ex arce Boxsperg, in quam nonnunquam clementia eiusdem comite famulo intromittebatur, adiutus sacrificulorum quorundam auxilio, custodes nil tale ab eo expectantes excludit, atque mox vt interim arcem & alimenta & militibus induceret Comiti Palatino scripsit. Licet multæ causæ forent, quæ eum ad recipiendam arcem mouere potuissent, tamen non ea ratione factum putaret, qua suæ clementiæ quidquam detrimenti inferretur, verum cum ipse negligentiam custodum offendisset, veritus facillime, si id rescirent Principis hostes, arcem capi posse,

Boxsperg.

posse, atque ita & sibi & Principi inde maximum periculum imminere videret, exclusis custodibus arcem in suam custodiam recepisset, subdubitare visus est Princeps, donec audiuerit Franciscanos in arcem receptos. Quare illi necesse fuit in oppido mox collocare præsidium, qui illos intra mœnia Boxsperg continerent, & vicinos pagos ab iniuria arcerent. Iam ver appetebat, aptissimumque inuitabat tempus quum tres confœderati Principes non vlterius differendum bellum rati, conducto milite exercitum cogunt, & de industria quasi primam fortunam ad Eberburgi mœnia experirentur, ad Crucenacum cum toto exercitu conueniunt, vnde cum equitatus parte & peditibus aliquot, dum Wilhelmum de Rennenberg, & pincernam Eberhartum de Erbachio ad Nanstallum festinare iubent, vt si quo modo possent Franciscum in arce circumcluderent, summaque custodia adfirmarent ne inde exire possit: se continuo adfuturos cum toto exercitu, vt iussi faciunt, arcem & oppidum milite, & qua exitus patebat fossa valloque cingunt. Præmiserant vero tabellarium cum literis quibus suo nomine Francisco bellum indicebant. Qui iussus expectare, donec rursum conscriberetur, interim accurrit quispiam nuncians Francisco, omnia dumeta completa equitibus, ad quem ille: sunt equites Luterani, volunt videre quid per otium agamus, subinfit qui nunciauerat, *at descendunt, & equos arboribus adligant.* Tum satis perpendens in obsidionem aduenisse, *manebunt*, inquit, *hac nocte nobiscum:* & conuersus ad tabellarium, *adduxisti*, ait, *nobis peregrinos hospites abito & dic principi tuo, audiuisse me ei esse nouas machinas, mihi noua mœnia, experiemur alter alterum.* Principes vt acceperunt Franciscum in arce inclusum, alacres ad obsidionem contendebant. Sed interim Franciscus volens emittere equites nonnullos, quibus superabundabat, ad alteram oppidi partem lacessere leui pugnæ genere cœpit hostes. In quam partem cum omnes confugerent, equites facillime elabuntur, & in syluis sese abdunt quarum beneficio tuti in oppidulum ad Saram Gemundam peruenerunt. Quæ res *Sargemund.* non tam propter equites elapsos Principes male habuit, quam quod ex eo die incerti erant, an Franciscus cum hiis aufugisset, an adhuc in arce foret. Nihilominus muros omni machinarum genere tantoque impetu concutere cœperunt, vt affirmarent plerique longo æuo tam paruo tempore tantum muri deiicere non vidissent. Quæ res quum nunciaretur Francisco, quod præter fidem videbatur antiquum murum XXIIII. pedum perforatum & omnino concussum, voluit ipse videre iussitque se educi quod æger pedibus foret podagraque laboraret, cum egressus esset, ecce in eum locum directa machina tantum pulueris parte muri concussa fecit vt non viderent accedente (vt satis credendum est) terrore vbinam recte statuerent pedes. Franciscus ipse concidit grauissimo in sinistro latere accepto vulnere. Erant in eo loco pali igne, quo durior foret cuspis, adusti; incertum reliquit, an palus an fragmina lapidum eum vulnerauerint. Cæterum cum surgere nequiret, nec ab eis qui secum erant præ pulueris densitate, conspiceretur; cœpit vocare vt eum erigerent, cumque nescire dicerent, vbinam esset, *Auditis me*, inquit, *sequimini vocem*, tandem Sacellanus eius recepto animo palpando cœpit eum requirere,
p. 258. & cum forte iacentem depræhendisset, erecto illo reduxerunt in arcem, cumque medicus tentaret vulnus, inuenit adeo profundum vt epar & iecur vulnerata depræhenderentur: cuius atrocitate deterritus nobilis qui astabat collapsus est, tum chirurgo, *dimitte me*, inquit Franciscus, *& iuues illum*, cum vero renueret, *non patiar*, inquit, *ne contrectes amplius, ni illi subeundum sit.* Vix consperssa aqua illi vires reuocauerat, cum aduertens alium item nobilem pallescere, *educ etiam*, inquit, *prius illum*, & cum tardaret, *audin'* inquam *quid dicam*, *educ illum.* Hic videre licet profecto, quantus in eo animus, quantaque mentis acrimonia fuerit, non enim abiectior ex ea hora ne suis animum adimeret, sed quam ante, longe erectior & lætior visus est, nec eos qui secum in arce erant, verum & externos animare voluit, scripsit enim quarto obsidionis die vario & ignoto elementorum ge-

nere Balthasari Slors, Wilhelmum Comitem de Zorn adiret, iuberet vt quamprimum ipse ad debellandum Principes, properaret. Facile id fore, quod nullum ordinem seruarent, excubiæ male dispositæ essent: vbi & quo loco falli possent, edocet, habere se in arce familiam interritam, & in quoscunque casus pronam, nec ob hoc deterreri quod muri maxima ex parte deiecti forent, nihil enim adhuc ad expugnationem, se a lapidibus parum læsum, sed nihil nocere. Literas excubitores interceperunt, quas ego tandem post desperatam earum lectionem perlegi, quas equidem dicerem a Francisco de industria ad deterrendos Principes confectas. Sed mirabiles characteres & vix legibiles a quoquam ferme fidem adimunt. Cæterum altero post die cœperunt in arce rustici primum instigante illos nobilitate de deditione submurmurare, deinde milites gregarii palam adfirmare; non posse diutius, ni exoptent omnes præsentem mortem, arcem retineri. Quæ cum Franciscus resciuit, adeo consternatus est mente, vt ex ea hora magis atque magis cœperit ægrotare. Conficiuntur autem sub eius nomine & annulo literæ in hæc verba.

* * *

Wilhelmus de Rennenberg ex iussu Principum colloquium admittit, petierunt imprimis se emitti liberos, & res asportare, de Francisco autem nullum verbum, cumque Principes id nullo modo facere vellent, tandem conuenerunt, vt milites gregarii cum rebus suis dimitterentur: tantum ne intra mensem aduersus Principes quicquam molirentur, nobilitati carceres equitum polliciti.

Sequenti die Principes auidi videre Franciscum, arcem ingrediuntur, decumbebat ille in excauata rupis parte, quem locum vnicum habebat a machinis adhuc imperforatum.

Recepto (vt dictum est) Nanstallo Principes dictum de Rennenberg cum equitatus parte in Vascouiam præmittunt, vt experiretur animos eorum qui arcem Drachenuels obtinebant. Vt ille aduenit, arcemque circumdedit milite, & deditionem expostulat, illi territi accepta ad Nanstallum clade statim in deditionem consenserunt, quæ recepta igne concrematur. *Drachenfels.*

Conspectus in arce Drachenuels ignis animos casu Francisci eorum qui
altum montem obtinebant perculsos adeo consternauit, vt
licet ea arx adeo excelsum occupet. * *



FRI-

FRIDERICI NAVSEÆ
DE
TERRÆ MOTV
APVD MOGVNTIAM
RESPONSVM.

BENEVOLO LECTORI
S. D.
BURCARD GOTTHELF STRUVE



*Ridericus Nausea, Blancicampianus, teste Serario,** in omni pene studiorum genere, in iure tamen ac Theologia, cuius vtriusque Facultatis Doctor erat: præsertim, tantos progressus, quantos ipsius tot egregia monstrant opera, fecerat. Concionum summam in principe apud Moguntinos Ecclesia, cathedram, magna cum Moguntinorum ipsorum vtilitate, suaque ipsius laude, annos tenuit aliquot. ibidemque anno CIƆ IƆ XXXII. homiliarum centurias quatuor edidit, quas & Imperatori Ferdinando, & Alberto Moguntino Archiepiscopo Cardinali consecrauit. Vnde ad idem in Aula Cæsarea fungendum munus ab illo accessitus, ita sese omnibus probauit, vt Cæsare ipso volente ac annitente, post Ioan. Fabrum, Viennensis Episcopus constitutus sit. In eaque pastorali cura & dignitate contra omnigenos hæreticorum impetus ac fraudes prudenter & constanter ad mortem vsque perstitit. Ea vero illi annis laboribusque fesso contigit anno Domini CIƆ IƆ L. Magnus eius librorum Catalogus est, quem Simleriana recenset Bibliotheca. *VVolffgangus vero Lazius *** *sic de eo:* Fridericus, cognomento Nausea, Francus, sacræ theologiæ & legum doctor, Ferdinando Romanorum Hungariæ & Bohemiæ regi a sacra concione, Fabro in episcopatu Viennensi substitutus est. Qui in hanc vsque diem, omnibus numeris officii sui impletis, proprio ex concione plebeculam suam instituendo sermone, colloquiis cum aduersa parte transigendo, fœliciter eandem diœcesim administrat. *Terræ motum describit, qui ad Moguntiam an. 1528. fuit factus, qui tamen Serario non memoratus, vt exinde coniectandum, leuioris eundem fuisse momenti, prout tiam ipsa descriptio nullius est considerationis.*

FRIDE-

* Rer. Mogunt. lib. I. c. XI. p. 176.
** Rer. Vienn. lib. II. c. III. p. 62.

p.359. # FRIDERICI NAVSEÆ BLANCICAMPIANI DE PRÆCIPVO HVIVS ANNI POST CHRISTVM NATVM M D XXVIII. APVD MOGVNTIAM TERRÆ MOTV RESPONSVM.

REVERENDO IN CHRISTO PATRI AC DOMINO DOMINO LAVRENTIO TRVCSESIO DE BOMERSFELDEN, INCLYTÆ EIVSDEMQVE METROPOLITANÆ ECCLESIÆ MOGVNTINÆ DECANO, FRIDERICVS NAVSEA BLANCICAMPIANVS, SALVTEM.



VT olim Mecœnas ille cum Flacco suo Venusino, ita tu Reuerende Pater, cum Nausea tuo Blancicampiano iam tandem agis. Ipse quidem non me solum antiquo iterum ludo quæris includere, cui dudum valedixi, sed & satagis, vt in arenam descensurus in alieno foro vel cum periculo tuo depugnem. Iubes etenim tibi terræmotus, quem in hac inclyta nuper vrbe Moguntina XIV. Kal. Februar. Anno quem nunc agimus post Christum natum M D XXVIII. hora post mediam noctem secunda, non sine magno stupore plerique nostrum sensimus, rationem paucis explicem. Equidem etsi non me fugiat, quam sub dubia alea in alieno (quod dici solet) choro pedem ponam; tua tamen animatus authoritate, vtcunque aliis etiam rebus multo occupatissimus; rem discendi potius studio quam ostentandi ingenii causa tentabo. Crisim in vniuersum de terræmotibus ita definiturus, vt facile inde intelligas, quam mihi adscribendum animus tam non sit cupidus quam nec idoneus. Qui nec tantillum sutor supra crepidam, vtpote qui rem ita sobrie attingam, vt sub finem me non finiisse sed cœpisse dicturus sis: interim tamen non sub inuolucro positis quæ ad rei summam attinent. Si proinde nonnulla demum desiderabis, ea non ex Nausea Theologastro & leguleio, sed ex Anaximandro, Milesio, Pherecyde, Pythagora, Lucretio, Aristotele, Plinio, Aulo Gellio, & hoc genus Physicis scriptoribus repetes, & hæc nostra vel quamlibet exigua, quæ vtroque scribendi, genere dabimus, boni consules: quem in Christo valere opto.

VII. die Februarii, Anno salutis
M D XXVIII.



AD EVNDEM LAVRENTIVM TRVCHSES, NAVSEÆ PROPOSITIO. p.260.



Oſtra Laurenti ſpecioſa toto
Orbe laus, & dulce decus, leuamen
Maximum, tu gloria noſtra magnum
Magna per orbem.
Quid petis terram moueat, requiris
Quur tremat tellus, veniant & vnde:
Quidque portendant pariter ſub ima
Parte tumultus?
De quibus quid noſtra Minerua, ſentit,
Et quid accepi ſtudio, quid ipſe
Denique expertus didici vel vſu
Arteue dicam.
Huc precor conuerte animum, patrone
Atque Mecænas Reuerende, mecum
Hunc meum ſortire nouum benigna
Mente laborem.

INVOCATIO DIVINI NVMINIS.

Scrutator rerum vultu qui conſpicis amplo
Quamlibet occultis abdita cuncta locis,
Huc ades, & noſtris audacibus annue cœptis,
Propitioque nouos funde fauore modos.
Sit mihi fas abſtruſa loqui, & tellure ſub alta
Pandere non ficto condita vera ſtylo.
Vnde Tremor terris, tanti dic vnde tumultus
Ad noſtros veniunt nocte dieque lares?

PHYSICOS QVONDAM PLVRIMVM DE CAVSA TERRÆ-MOTVS DISPVTASSE ET VARIASSE.

Non nuper cœpit, dudum ſed quæſtio terræ
De motu Phyſica magnis ratione magiſtris
Diſcutier, nec conuentum, ſub iudice manſit
Lis indefinita, ſophis agitanda peritis.
Hinc mota quondam terra, incerto ſtatuerunt
Nomine Romani ferias de more celebres:
Ne, ſi non veris facerent diis ſacra prophanis,
Sic falſa populum mox relligione ligarent:

VNDE VENIANT TERRÆMOTVS.

Porro vſus docuit, rei Magiſter,
Tellurem modo pulſibus moueri p.28.
Aquarum, modo flatibus ſub ipſas
Ventorum ſubeuntium cauernas:

Quis

Quis motis inibi mouetur vna
Illa, & sæpe tremens facit ruinam,
Atque vrbes quatit, hac simulque sternit
Arces, templa, domos, agrosque latos.
Sic longo Dicearchidos tumultu
Arces adsiduam tenent ruinam.
Sic motu Pelopeia adacta longo
Sensit damna, graui simulque motu.
Sic Campania (teste veritate)
Oppressit miseras dolenter vrbes.

QVID PORTENDANT TERRÆMOTVS.

Qur tellus moueatur ac tremiscat,
Pandimus exiguis, Lector amice, modis:
Restat, nunc referam, quid hinc futuri
Portendat motu hæc sit tremefacta suo.
Tunc rerum variis docemur actis,
Post terræmotum plurima damna sequi.
Sane hic sæpe tumultuosa nobis
Bella instare noua seditione monet,
Quin & tabificam (tacendo plura)
Pestem. & multiplicem non sine clade necem:

HEm vero ad hunc, quem diximus, modum se habere, paucis intelligemus, quæ nobis partim sunt vsu, partim literarum studio non obscure comperta & explorata. Nonne (quæro) post Terræ motus, quos sibi Mardocheus Laherifilius, videre visus est, cunctæ ad pugnam nationes excitatæ traduntur, & dies quoque subsequuta tenebrarum & discriminis, tribulationis & angustiæ, & formido super terram maxima? Nonne & Ozia Rege Iuda in superbiam olim elato, sibique alienum vsurpante officium, terra supra modum tremuit, argumento vltionis contra eundem diuinæ perspicuo, quum & ille tum lepra infectus regnum deponere coactus fuerit, & se in ordinem redigi passus, vt qui ex summo loco diuina fastidisset, idem in sordido & humili ab omnibus fastidiretur. Sunt & quondam infelices Iudæi, non sine memorabili clade experti. Quid præcedentes Terræmotus, quos aliquoties antea obseruarant, portenderint: nimirum, illud supra quam dici queat calamitosum Hierosolymitanæ vrbis excidium. Cuius illi inter alia prodigia & ostenta Terræmotibus sæpenumero admoniti pœnitentiam de peccatis suis, propter quæ hoc ipsum fore significabatur excidium, non egerunt, sed quam aperte reuocati, vel non crediderunt, vel cæci & pertinaces cœli minas contempserunt. Quid obsecro, Terræ motus L. Martio, Sex. Iulio Conss. portendit? Proculdubio bellum illud memorabile, quod ciuile dici cœpit, quo vix aliud funestius terræ Italiæ fuit. Nonne etiamnum varii Terræmotus bellorum perinde Punicorum magnitudinem prænotarunt? Sic quoque terræmotus apud Constantinopolim maximus parum boni portendit, quum sub id tempus perniciosissima Acephalorum hæresis, Chalcedonensium Concilium acriter impugnantium, & pullularit & subcreuerit. Quantum
p. 261 vero malorum Terræmotus Imperatore Lothario futurum significarit, Galli & Itali quondam vel suo periculo didicerunt. Tum quidem lethales inter Imperatorem Lotharium, & fratres natæ sunt discordiæ; atque bella deinde longe maxima subsequuta: Normannis omnem deuastantibus Aquitaniam, multis incendio consumptis Cœnobiis, & aliquot insuper Galliæ tum oppidis ad internecionem pene per Normannos redactis. Quid autem Imp. Friderico, eius nominis secundo, Terræmotus prænunciarint, dictu perinde iuxta & auditu horrendum est. Tradunt sub

illa

illa quidem tempora Frisiam regionem a maritimis fluctibus totam ferme submergi cœptam, & a Tartaris Scythicam, Georgianam, Armeniamque maiorem solo propemodum æquatas, ab eisdemque Poloniam & Hungariam magno nimirum incommodo adfectas. Addiderim (quod summe dolendum est) Hierosolyma tum a Cardirio magni Saladini filio quintum fuisse funditus euersa, templo duntaxat Domini, ac eiusdem sepulchro precibus Christianorum integro relicto. Et terræ motus quoque Imperatore Friderico eius nominis tertio, non indubie cladem illam Constantinopolitanam memoratissimam arguit; & conflictum subinde inter Christianos & Turcas apud Taurinum oppidum, satis horrendum. Transeo interim, quantam malorum congeriem terræ motus sub Iulio Max. Pontif. & Imperatore Maximiliano vel nostra quidem memoria portenderit: a quo sane tempore (vt verum ingenue fatear) Ecclesia nullo non luxu & abusu ita indies magis pessum innuit ac decreuit, ne nisi cum magno orbis periculo redire postliminio posse videatur. Hinc non est, quod multis ambagibus ambitiosior arguar, quid nobis proxime præcedens in iis finibus terræmotus portendat, quando ex iis, quæ diximus, vel quamlibet paucis, & ex parum æquis huius temporis conditionibus nemo Marte suo non facile coniiciat. Cuius equidem significationem vniuscuiusque iudicio relinquendam censeo: non nescius, Christianam pietatem repudiasse vanam & superstitiosam illam veterum Romanorum, aliarumque gentium circa prodigia omnia & ostenta obseruationem, omnia ad diuinam prouidentiam pie & sapienter referre. Quam ipse sequens satis me tibi & vnicuique pio Lectori facere arbitror, si quicquid hoc est, quod vana vetustas superstitiose seruauit, ad prouidentiam retulerim, piaque voce tester, nihil supra, nihilque infra fieri, quod non numinis aut iussu fiat aut permissu. Deumque illum Opt. Max. pro sua in eloquibili sapientia, qua cuncta recte disponit, etiam per ea, quæ natura fieri videmus, mirabilia perinde supra & præter naturam, nec interim frustra operari, suamque nobis & patientiam & indignationem, non vno tantum modo ob oculos ponere: vt pote ad pœnitentiam nos omnes prouocantem, quos ad vitam non ad mortem ipse condidit. Qui propterea terræmotus, vtique diuinæ suæ desuper in nos iræ signa, futuros per loca rerum præscius prædixit, vt ostenderet se non vna, & semel perditurum genus humanum, sed per partes iudicaturum, & daturum pœnitentiæ locum. Si vero terræmotibus, hocque genus malis incipientibus non corrigemur, in peius proculdubio illa proficient. Quandoquidem ad vsum culpæ conuertimus, quæ ad vsum vitæ accepimus, ita quoque ad vsum nobis vertuntur vltionis, quæ ad vsum prauitatis inflleximus. Et hoc est, quod Dominus alibi, quæ ante nouissimum diem futura sunt prænuncians inquit: *Audituri enim estis prælia, & opiniones præliorum; videte ne turbemini. Oportet enim hæc fieri: sed haud dum statim erit finis. Consurget enim gens contra gentem, & regnum in regnum, & erunt pestilentiæ, & fames, & terræmotus per loca. Hæc autem omnia sunt initia dolorum.* Quo vel vnico verbo facile docemur, quid nobis futurum vel proximo præcedens apud nos terræ motus portenderit, si diuinam contra nos iram euidenter animaduertentes, de peccatis nostris pœnitentiam non egerimus.

Deus bene vortat, cui soli laus & gloria

IO. SERVILII
GELDRO GALLICA
CONIVRATIO.

BENEVOLO LECTORI
S. D.
BVRCARD GOTTHELF STRUVE



*Oannes Seruilius, teste Valerio Andrea, populari sermone Knapius, Guiertenus siue VViertenus, ex Comitatu Hornano, Leodiensis diœcesis, floruit Antvverpiæ, familiaris ac cliens Ladislai Vrsuli, Equitis. Hic varia scripsit, inter quæ præcipui sunt libri III. de rebus pace belloque magnifice gestis, & Oratio Gratulatoria Carolo V. ex Hispania in Brabantiam reduci: Maxime vero æstimanda est hæc Geldro-Gallica coniuratio, quæ antea Antvverpiæ apud Antonium Dumeum M. D. XLII. 8. prodierat. Historiam describit Belli, a Francisco I. Gallorum Rege, vna cum Cliuensi Duce Guilielmo, qui iam Geldriam occupaverat, contra Carolum V. a. 1542. in Belgio moti, qui adhuc in altera expeditione Africana hærebat, quæ satis infeliciter cesserat. Et cum in eodem bello Antvverpiam quoque Galli tentarent, quam per coniurationem capere putabant, quæ tamen effectu caruit, quid circa eandem vrbem fuerit gestum, paullo prolixius describit. Agit de eodem bello Sleidanus, * dum ait :* Iulio mense Galliæ rex atrocissimis verbis bellum Cæsari denunciat, & edito libello, suis liberum facit, vt quacunque ratione possint, terra marique prouincias illius deuastent. Paulo ante Longeuallus & Rossemus in Brabantiam inuaserunt, magnumque terrorem inferebant imparatis, & proximum erat, vt Antwerpiam caperent atque Louanium, sed destituti rebus ad tormenta necessariis, non poterant oppugnare, & progressi, quacunque vaderent, omnia populantur, & pecuniam extorquent, & vi patefacta via, filio regis, Aureliano Principi, Carolo, qui Lucemburgicæ regioni bellum tunc faciebat, mense Augusto sese coniungunt. *Instigabat Geldros Gallosque, quod fama esset, Cæsarem aut vndis oppressum, aut in littus delatum itineris incommodo aut animi ægritudine defatigatum, mortem oppetiisse, quod etiam per caduceatorem Antvverpiensibus denuntiabant, sperantes, hoc ipso se illos ad deditionem esse compulsuros. Plures sunt, qui hanc Antvverpiensis vrbis tentatæ historiam nobis exposuerunt Chytræus ** Pontanus *** & Heuterus, **** sed breuiter saltim illi rem enarrant, quibus omnibus præferendus est Seruilius.*

GEL-

* Lib. XIV. p. 408.
** Saxon. lib. XV. p. 398. & lib. XVI. p. 405.
*** Hist. Geldriæ lib. XII.
**** Rer. Austr. lib. XI. c. XVI. XVII.

p. 263. GELDRO GALLICA CONIVRATIO

IN TOTIVS BELGICÆ CLARISSIMAM CIVITATEM ANTVERPIAM DVCE MARTINO ROSHEYMIO.

CONSCRIPTA AD PRVDENTISS. VIGILANTISS. COSS. SENATVMQVE ANTVERPIEN. AVTHORE IOHANNE SERVILIO.

ORNATISS. PRVDENTISS. COSS. ANTVERPIÆ LAODISLAO VRSVLO, ET NICOLAO SCHERMERO, TOTIQVE SENATORVM ORDINI AMPLISSIMO, S. D.



CVm hactenus nihil non a nostræ huius ciuitatis hominibus & dicendi facultate, & omnigena eruditione claris (quibus non minus quam iis qui diuitiis atque stemmatum longa serie, fumosisque ceris coruscant, abundat nostra hæc respublica) expectare mihi proposuerim, proximo tamen hoc Geldrogallorum ne an Geldroturcogallorum dicam tumultu, vetus ea opinio ita apud animum meum confirmata est, vt non dubitarim, mox non aliter, quam si pede terram pulsasset Pompeius, aliquot scriptorum Centurias in medium prosilituras: maxime tali oblato argumento, quod vt cognitione perpetuaque nostræ regionis hominum, ita & omnis posteritatis memoria dignissimum merito debeat iudicari. Si enim historia hoc maxime nomine conducit hominum moribus, quod & de honestate amplectenda, & turpitudine fugienda continet exempla: non video quid ad vtrasque has res magis præsentibus his rebus gestis conducere queat: cum quæ in vtramque partem maximum momentum sint habitura & rebus & personis sint locupletatissimæ. Abvndant enim & optimis exemplis, quæ posteris non minus lectione iucunda, quam imitatione honesta sint futura, & peruersissimis, quæ & hoc boni nobis inuehent, quod & turpitudine sua deterrebunt, & versutia huius ætatis, & futurorum temporum homines reddent cautiores, magisque circumspectos. Neque enim simplex est atque vnica huius generis scripti vtilitas, vtpote quod ad res vrbanas actionesque Principum, ad animi mores formandos, ad capessenda consilia, ac rerum ciuilium prudentiam consequendam, denique ad bene prudenterque tam publicis quam priuatis rationibus consulendum, velut aditum quendam patefecit. Siquidem nobis vitam mores factaque aut excellentium populorum aut summorum Principum, aut alioqui quorumuis virorum illustrium, deinde consilia euentusque rerum velut in medio ponit, vnde omnis generis documenta & ad priuatim & publice vitam instituenda, velut ex refertissimo instructissimoque quopiam penu depromi felicissime possunt. Nam & cæteræ artes arctissimis quasi limitibus clauduntur, nec se earum vsus tam late per omnis generis, omnis ætatis, omnis conditionis, omnis sexus homines diffundit. Sola hæc latissime se dispergit, commoditate sua velut ramis cuius vis conditionis homines obumbrans: vt nulla omnino sit aut conditio aut fortuna, quæ non multum huic debere se iure fateatur. Habent Principes viri quod aut imitentur aut fugiant. Habent priuati velut p. 264 speculum quoddam, quod in quolibet casu, in qualibet fortuna intueantur. Habent diuites quo res partas tueantur. Habent afflicti quo inopiam subleuent atque moderate perferre discant. Mulieribus pudicitiam stabilit Lucretiæ Romanæ castitas. Virorum Principum virtutem armat L. Sylla, rebus suis ad fugam inclinatis in medios

hostes tali voce prorumpens, Hic hic milites Romani mori volo : & Octauii Consulis Cinna Marioque vrbem ingredientibus vox, cum ab aruspicibus probiberetur, se patriam non nisi cum vita relicturum. Non referam Alexandrum illum qui ex rerum gestarum magnitudine magni nomine honestatus fuit, nunquam inferendis prœliis inter postremos visum, primum flumen a cuius ingressu deterrebantur milites, scuto pectori subdito tranantem, primum scalis mœnibus admotis in muros vrbium euadentem. Nec interim priuatis desunt sua exempla, quæ vbi res virum efflagitat, virtutem doceant. En adest M. Sergius ciuis Romana virtute dignus, amissa manu ferream sibi adaptans, qua quatuor prælus ita decertauit, vt sub eo duo foderentur equi, demum vulneribus prorsus obrutus, Cremonam atque Placentiam obsidione liberarit, & cum interim non mitiore pugna a debilitatis luxatisque membris infestaretur, duos hostiles exercitus in fugam conuertit. Adsunt sexcenti Spartani in castra Xerxis quingentorum milium multitudinem continentia irrumpentes. Pietatem in patriam requirit quis? Ex infinitis pauca referam. Versatur ob oculos Ancharus Mydæ Lydorum Regis filius, qui terræ voraginem ex qua immensa aquarum vis erumpens & campos & ædes tam priuatas quam publicas, tum etiam homines ipsos inundauerat, oraculo admonitus non nisi re preciosissima iniecta in pristinam faciem mutandam, patrem vxoremque complexus, equo insidens in id baratrum se demisit. Decantatior est Curtii Romani ex simili virtute parta gloria, quam vt hic referri debeat. Et Deciorum fama vniuersum orbem simili exemplo impleuit: quorum vterque publicam patriæ perniciem in suum caput torsit, vitaque obstitit ne vinceretur patria, morte fecit vt vinceret. Non dicam Brutos non Genitios Cippos non Scipones cum aliis multis exemplis claros, tum hoc in patriam amore optime de Republica meritos: cum vix alio virtutis genere referti magis sint historicorum libri, quam huius generis exemplis. Iam qua ratione efficacius suaseris Principi etiam cum vitæ propriæ dispendio ciuium quærendum esse compendium, quam si Codrum illum Atheniensium Regem obiicias, qui suo interitu ne Athenæ interirent, effecit. Quid multis? Historia hominem velut in theatrum vocat, vbi sedens casibus aliorum sine suo periculo prudentiam, rerumque gerendarum astutiam discat, exempla capiat omnigena, quæ ad vsum suum vtiliter in quolibet negotio traducat. Eadem maximorum hominum de summis rebus consiliis nos interseri quorum & euentus explicat, vt ex retroactis futura discamus scienter prospicere, atque de præsentibus prudenter iudicare. Quantulo enim tempore legendo historiam, quantus belli Dux euasit Lucullus, qui cum Roma ad Mithridaticum bellum (quo non aliud fuerat Romanis formidabilius) profectus esset, militaris rei omnino rudis, inter nauigandum percunctando a peritioribus, legendisque rebus gestis tantus in omni belli genere Imperator euasit, vt & ipsius Mithridatis Regis militaris rei consultissimi confessione atque iudicio omnibus omnium nationis Imperatoribus anteferretur. Sed quid opus est in re ipso sole meridiano lucidiore, demonstratione longiore, cum nemo vnquam tam impudens repertus sit, qui genus scripti au- p.267
sus id vel minima sugillatione insectari, multi vt si vnquam alias de re quapiam multa honorifice dixerint. Cicero cuius hactenus in Latina Republica illibata atque illabefactata fuit authoritas, eam temporum testem, lucem veritatis, vitam memoriæ, nunciam vetustatis, appellauit. Aufer enim historiam ex rebus humanis, in orbem quid aliud quam meram ignorantiam inuexeris, omnem sapientiam atque adeo commune atque vulgare illud omnibus a natura datum iudicium, ex orbe sustuleris? Nam cum apud omnes constet rerum præteritarum diligenti obseruatione velut solida atque firma cuidam basi inniti sapientiam, nonne hanc collabi necesse est, si historiam quæ præterita proponit, in qua intuentes prudentius de præsentibus & iudicare, & de futuris cognoscere possimus, e medio sustuleris? Sine hac & fabulis, & ementitis rumoribus omnia sunt plena. Nec ad hæc docenda longa opus est verborum demonstratione, domesticis vrgebo exemplis. Quæ dii immortales quam plusquam fabulosa nostri homines de huius vrbis origine, de veteri appellatione, de nominis etymologia de sta-


tu

tu veteri, de rebus gestis prodiderunt. In memoriam reuoco tantum, non enim libet iis commemorandis quibus Lucianicæ narrationes collatæ propemodum veræ videbuntur, immorari diutius. Rursus quam vero consentanea Athenienses de sua origine atque de cæteris quæ ad eos pertinere videbantur, prodiderunt. Quam plausibilia Romani de suæ vrbis initiis proferunt, hic certa omnia, verisimilia omnia. Nullus hic fabulis, quibus excogitandis indocti, cum otio vacant, gaudere solent, locus relinquitur. Atque id quidem cui rei si non historiæ acceptum ferendum est? Hæc enim opiniones firmat, fabulas explodit, tenebras dispellit, hæcque vos amplissim. atque august. viri qui quotidie & laude & admiratione digna de signatis venturis temporibus conseruabit, nomina vestra immortalitati consecrabit, merita vestra in Rempublicam nostram posteris aut admiranda aut imitanda proponet. Quis enim non dicam post sæcula, sed annos aliquot nouerit vbi tunc fortasse erunt maria aliquando terras; vbi tunc terræ erant aliquando aquas; vbi tunc ædes aliquando fuisse prata. Quis certi aliquid de his proximis Geldrogallorum incursionibus adferet.? Quis quibus artibus iis a vobis obuiam itum est, explicabit? Cuius memoriæ consecrabuntur quæ vos cum summa laude, cum summa omnium admiratione atque incredibili vtilitate, vastissimæ molis erigitis opera? Præter hanc summam huius scripti vtilitatem, cui explicandæ diutius aliquanto quam par est immorati fuimus, offerebat se & excellentissima huius scribendi generis dignitas, cum longissime eius repetitam originem, a quibus & qualibus profecta sit viris (quæ non paruum debuerant doctorum animis subdere stimulum) in animum reuocarem. Siquidem primam eius originem longe fuisse antiquissimam quis non statim agnoscat, cum citra cuiusquam controuersiam non tantum cæteras disciplinas omnes antiquitate superet, & iisdem prima sua initia atque adeo incrementa præbuisse in confesso sit. Nam cum artes cæteræ ex obseruatione constiterunt primum, quæ citra historiæ adminicula subsistere non potest, constat prima earum initia huic accepta fuisse ferenda. Nec diuturnitate sua tantum cæterarum disciplinarum initia antecessisse sed etiam omnium rerum sex dierum curriculo creatarum æquasse. Quid antiquius prima illa rerum generatione? Atqui eam diuina illa veteris instrumenti historia antiquitate sua exæquat. Non dicam quos & quantos habituri sumus in hoc scripto instituti nostri authores, cum
p.266 *in confesso sit id non tantum Græcorum Romanorumque doctissimos sapientissimosque, sed & Hebræorum sanctissimos sibi vendicasse. Quæ cum ita sint, Illud satis admirari nequeo, neminem ex multis quos habet hæc nostra respubl. longe doctissimos, quique si quis alius huic muneri summa cum laude satisfacere potuissent, prodiisse qui rem & præsentibus & venturis temporibus futuram multo iocundissimam simulet vtilissimam, saltem succincta aliqua narratione perstrinxerit. Non enim Liuii vbertatem aut Cæsaris accuratam diligentiam requirimus, sed ne res cognitione dignissimæ omnino inertia nostra intereant, postulamus. Itaque cum frustra iam aliquot menses expectassem, viderem que neminem falcem suam in hanc misisse messem, neminem aut prodere aut machinari aliquid intelligerem: cœpi animo certe coacto (vt ingenue fatear) cogitationes huic rei intendere. Malueram enim aliorum scriptis memet oblectare, quam in propriis mihi displicere. Sed cum scirem studium meum amplitudini vestræ aliquando non omnino displicuisse, videremque nos eo in loco positos, vt non sine ignominia, atque summa exprobratione talibus oblatis argumentis tacere possimus, malui existimationis nostræ aliquam iacturam facere, quam vt vestris studiis deesse, aut huius reipublicæ honori (cuius dignitati hactenus si non feliciter, certe fideliter atque candide conatus sum omnibus modis consulere) silentio nostro quicquam derogare. Dicturo itaque mihi de rebus præsenti hoc anno, qui est ab humani generis instauratione millesimus quingentesimus quadragesimus secundus, a vobis gestis: ante omnia & vestrum ampliss. atque prudentiss. Senatus, & bonorum omnium studium inuocandum est, quo me difficillimum iter ingressum fauore vestro suffulciatis, vt quot & ingenii vires & exercitatio negarunt, studium vestrum quo nostram in dicendo tenuitatem subleuabitis, concedant: quod si adsit non est cur magnopere meæ suppellectilis tenuitas, aut animo me deiiciat, aut*

insolita harena versari probibeat. Nam quantum nos genii nostri infelicitas deterrebit, tantum fauoris vestri expectatio recreabit. Vt enim vel minimi auditorii nutus aut propitii alicuius affectus significatio e pulpito aut dicturo aut declamaturo, & vires & facultatem in dicendo maiorem suppeditant, insuetaque eloquentiæ copia dicentis linguam exornant, inuentionis facilitatem ministrant, ingenii acumen excitant, ita certissima fauoris vestri expectatio, si non dicendi facultatem, certe quidlibet audendi facilitatem maiorem atque alacritatem animo nostro suggeret. Quem quidem tanto maiori cum spe atque certitudine exspecto, quod præterquam quod vtriusque vestrum voluptati, commoditati & dignitati, ita & posterorum vtilitati, hoc nostro labore videor consulisse. Habebit enim & vestra dignitas quod cum voluptate animi summa in se cognoscat, & optimi quique cuius memoria ipsis futura est iocundissima, posteri quo & instruantur atque admoneantur. Hoc enim anno tot carissimis & pacis & belli claruit Respublica vestra operibus (quod secundum Deum Optimum Maximum V. D. prudentiæ summæ adscribimus, vt non temere alias & numero plura & admiratione maiora habuerit vnquam: tot ab imis fundamentis sunt erecta & priuata ædificia, tot sumtuosissime instaurata, vt tota vrbs pene nouam eamque splendidissimam videatur induisse faciem. Tanta prudentia tumultuosæ huic Geldrogallorum itum est a vobis obuiam proditioni, vt qui hactenus pacis artibus ab omnibus habiti estis clarissimi, iidem & militaris rei consiliis reperti sitis eminentissimi. Sed quo consilio alii hanc laudem neglexerint, suæque ipsorum famæ non minus quam vestræ gloriæ inuiderint, prorsus iudicare est difficile. Ego certe non quod plus possim quam quiuis alius, sed quod plus cæteris omnibus volui, primus (quod citra inuidiam dictum vellem) audaci quidem conatu eius p. 267 *ciuitatis res gestas non passus sum in obscuro esse, quam ob gloriæ amplitudinem etiam remotissimi terrarum anguli & suspiciunt & admirantur. Itaque vestram sublimem dignitatem quam possum obtestor maxime, vt quod vestris auspiciis in publicum prodiit, sapientissimo vestro iudicio probetur. Quod si ita vt spero euenerit, voluptati summæ futurus est nobis susceptus labor, simul & ad maiora audenda ingenii nostri excitabitur exiguitas. Christus Optimus Maximus V. D. & rempublicam, prudentia vestra diu conseruet incolumem, & ad maiorem amplitudinem euehat semper, perpetuamque esse velit.*

V. D. addictiss. cliens,

IOANNES SERVILIVS.



GEL-

p. 268 # GELDROGALLICA CONIVRATIO

IN TOTIVS BELGICÆ CLARISSIMAM CIVITATEM ANTVERPIAM, MARTINO ROSHEIMYO DVCE: CONSCRIPTA AD PRVDENTISS. VIGILANTISS. COSS. SENATVMQVE ANTVERP. AVTHORE IOHANNE SERVILIO.



Exordium a descriptione Brabantiæ.

Brabantiæ etymon.

BRabantia Belgicæ illius Galliæ tot encomiis a Cæsare olim celebratæ non minima pars est. Dedisse huic nomen Brabon * quidam dicitur, qui forte fortuna in ea delatus loca, cum tyrannum Scaldis fluminis ripas munitissima arce occupantem, qua a fluminis traiectu vectores nisi soluto dextræ manus vectigali prohibebantur, interfecisset, & regionem eam nomine suo honestasse, immanissimi hominis tyrannide dicitur leuasse. Vt cumque res sit (nam a memoria nostra longe remotissima adfirmare nisi certissimis alludentibus signis atque coniecturis, animi fuerit plus æquo leuis atque creduli) illud constat, non obscura Antuerpiæ etiamnum ostentari vestigia, quæ rem antiquitate ipsa fabulæ non admodum dissimilem vtcunque munire videntur. Ab ea enim vrbis parte qua flumen spectat, vbi nunc est celeberrimum illud totoque orbe decantatissimum ex omnibus terrarum angulis mercium nauibus adportatarum receptaculum, moles vastissima inusitatæ his seculis formæ, lapide colore ad plumbeum vergente, fluminis ripæ incumbit, portis immanissimis, quarum seræ vltra hominis mediocris staturæ proceritatem attolluntur, olim immanissimi illius tyranni, Arx atque tyrannidis propugnaculum quam vndique olim & ab ea parte flumen, & vrbem spectat, cinxisse mœnia opera vastissima in gyrum ambientia, licet multis in locis partim vetustate collapsa, partim ob viarum commoditatem perrupta, satis liquido demonstrant. Continuus enim murus & vetustate & materia conspicuus eodem lapide quo arx compactus, altitudine admirandus, crebris turribus interseptus a ponte latericio arcuato arci proximo sese orientem versus circumflectit, qui deinde via publica vbi nunc est Gruenebergiorum ædes amplissima, tum & multis priuatis structuris interruptus, in austrum se macellum versus reflectit, hinc ad portam quæ etiam nunc castri dicitur, vbi horrida atque squalida illa tetri carceris vmbra: cuius structuris ad aliquot passus abolitus, in angulo plateæ castri templum cingentis, occidentem versus rursus certissimis vestigiis sese prodit, deinde telonii priuatarumque quarundam ædium structuris dirutus, ad flumen sese explicat ad Pontem illum latericium arcuatum, cuius paulo ante meminimus circulari formæ recurrens. Ab hac parte Cataractis pensilibus mare naualia circum murum ipsum facit, quæ quidem olim ad munimentum Arcis effossa, nunc ad nauium commoditatem portum exhibent. Etiam hac nostra ætate Castri fossa dicitur: ab vtroque latere muro latericio educto ornata. Hæc a primis faucibus sese paulatim in angustum contrahit, ita vt nauibus capiendis ad pontem qui aditum ad Gruenbergensem aulam exhibet tantum sufficiat, ab eo ponte ad castri portam delata innauigabilis macelli quod dorso ei innititur, sordes se-

Arx Antuerpiensis.

Carcer Antverp.

Arcis fossa.

cum

* Confirmat illud Ludou. Guicciardius descr. Belgii p. 91. 92. qui etiam dicit: *Ioannes Lemairius, in volumine suo Illustrationum Galliæ, historiam illam de Saluio Brabone testimonio suo confirmans.*

cum in mare deuoluens. Nec facit ad derogandum huius arcis antiquitati, quod quibusdam in locis muri videantur recentiores, cum infimæ partes quibus recentiores structuræ impositæ sunt etiam ipsius Euandri ætatem referre videantur, & qui ab imis fundamentis educti sunt, in locum vetustate collapsorum substitutos & forma & situs satis edocent.

Insignia Vrbis Ant.

Patrocinantur & huic opinioni vrbis insignia, quæ ex initii sui fortuna duas manus continent. Taceo etiam ipsius vrbis appellationem, quæ vel imperitis ad ea quæ adferimus certissimis signis alludere videtur. Nec debet id etymon videri doctis ridiculum, qui norint casus multo ineptiores olim sæpe & vrbibus & regionibus sua dedisse nomina.

Ciuitatibus nomina a casu imposita.

Vnde quæso Capitolium nisi ab equi capite inuento appellatum est? Et Albanum nomen nonne ab Alba scropha eo in loco reperta suam trahit appellationem? Cærete autem Italiæ ciuitati olim nobili a salutationis omine, quum quidam illac iter faciens obuium quendam sua lingua χαῖρε quod Romanis salue dicitur, salutasset, mox ab eius linguæ imperitis, Cære nomen impositum. Et cuius non animo hæret illud Vergilii, * *Mercatique solum facti de nomine Byrsam.* p.269. Nec desunt qui etiam hac nostra ætate Leodium Eburonum caput a legione cui Cotta & Sabinus Cæsaris legati præerant illic cæsa, primo Legiam,** deinde corrupte a Germanis eius soni insuetis *Lugich* vocatum, mox g in d detorto *Ludich* esse nominatum.

Leodium olim Legia vocata

Itaque Brabantiam hanc a Brabone fortissimo viro, qui imperium in iis locis aliquando exercuit, primo *Brabons lant*, deinde quod pronunciatio durior molestiorque videretur, expunctis e medio literis *Brabant* vocatam, vt adfirmare non ausim, ita verisimiliter dicere possum. Vbi enim destituimur Historia ad coniecturas deflectendum est, quæ si non certæ, veritati tamen consonæ esse videantur. Verum hæc vulgaris nostratium hominum opinio vt non temere a nobis adprobatur, ita non nisi allatis certioribus coniecturis refelletur licet sciamus posse non incommode a Gabrantuicis Angliæ gente cuius Ptolomæus meminit, Brabanticos vocari: aut a Bratuspantio Belgicæ ciuitate Cæsaris tempore nobili, expunctis e medio literis tribus Brabantium dictum.

Brabantia olim Galliæ nunc inferioris Germaniæ regio.
Brabantiæ confinia.

Hæc ergo olim Belgicæ illius Galliæ nunc inferioris Germaniæ Regio est. A meridie comitatu Namurcensi clauditur, Hinc orientem versus Hasbaniam sinuoso tractu prærterlegit, attingens & ab ea parte Lossensem comitatum, & Hornensem quos præteruecta Geldriæ Cismosanæ partem alluit. A qua se latius aliquanto in Septentrionem pandens, Mosæ fluminis ripas & Rauesteynensem ditionem attingit. Mox contenta aliquot passuum milia eiusdem fluminis alueo, Buscumducis occidentem versus sese retorquet vnde sinuoso meatu Hollandiam spectat, deinde & Zelandiæ Insulas. Ab occidente nobilissimi fluminis Schaldis ripis Flandriæ comitatu, atque Hannonia excipitur.

Circuitus.
Longitudo.
Latitudo.
Brabantiæ.
Flumina.
Brabantiæ.
præcipua.
Scaldis.
Dilia.

Patet in circuitu millia passuum plus minus Septingenta, a meridie in Septentrionem qua laxissima est, centum patet passuum millia. Ab occidente in Orientem, nempe a Scaldi ad Comitatum Lossensem qua arctissima est, triginta, Flumina habet celeberrima Scaldem, olim obscuriorem nunc toto orbe nobilissimo portu decantatissimum.

In hunc deuoluitur Louanium intersecans Dilia: qui tenuibus fontibus enatus multorum riuulorum accessione auctus, iusti fluminis speciem qua laxissimus est, exhibet.

Getta.

Influit enim in hunc Geeta Thenas ciuitatem interlabens, vnde per Diesthensem Sichenensemque ciuitates delatus, mox Demeræ nomen, vbi Arschotum reliquit, sortitur. Bruxella autem & Viluortum Senam in hunc eundem Diliam transmittunt, & Netham Lyra, Breda Mercam habet, Buscumducis Diesam ex Aada & Dommela enatum. Oritur & in Hasbania Iecera Tungros attingens, deinde Traiectum rapidissimo cursu delatus, Mosæ sese immiscens.

Zena.
Netha.
Marca.
Diesa.
Iecera.
Brabantiæ ciuitates.
Antuerpia.
Lyra.

Sunt

* *Æn. I. v. 357.*
** Hub. Thomas Leodius de Tungris & Eburonibus apud Schardium *Tom. I. p. 341.*

Sunt in ea ciuitates & numero multæ & fama nobiles, Antuerpia totius orbis opibus horreum refertissimum, de qua latius aliquanto post instituetur sermo. Hinc pari propemodum interuallo distantes Lyra & Machlinia: quarum hæc Meridiem versus, illa aliquantulum ad Orientem flectitur.

Machlinia. Viluortum. Bruxella. Louanium. Thenæ. [illegible] Diestum. Sichenum. Arschotum. Herendalstum. Eynthouia. Helmoda. Grauia. Buscumducis. Toparchiæ quatuor in Brabantia.

Machliniam mox excipiunt a meridie Viluortum, deinde Bruxella, vbi nunc augustissimus ille totius Brabantiæ Senatus atque nobilium consessus, antiqua ob loci commoditatem Principum sedes. Ab hac & Machlinia æquali rursus intercapedine disiungitur Louanium orientem spectans, vrbs & vetustatis & literarum quæ ibi cum summa tractantur laude, nomine, toto orbe notissima. Vlterius ad Orientem progressus occurrunt Thenæ, olim satis florentes, sed Geldrorum Ducis Caroli perfidia nostra memoria fortunis suis spoliatæ. Nec procul hinc ciuitas cui a leonibus nomen datum est, cui a Septentrione imminet Halemon, mox Diesthum, & paulolum sese in Occidentem detorquentia Sychenum & Arschotum, & hinc in Septentrionem cui a valle nomen datum est, vulgo Herendalstum. Toto deinde tractu qui Septentrionem respicit, nullæ occurrunt vrbes præter Eynthouiam, Helmondam, atque Grauiam, Brabantiæ contra Geldros arces atque propugnacula. Hinc Buscumducis & opere & manu vrbs munitissima, a Grauia in Occidentem tendens: quam mox Breda nobilissimi Nassauiensis Comitis atque Arengiæ Principis Reinardi regia, excipit. Ab eadem plaga mari innititur Berga, ciuitas portus commoditate ante annos aliquot celeberrima, nunc Antuerpiæ fama aliquanto
p.170. obscurior. Diuiditur tota regio in toparchias quatuor, Antuerpiensem cuius imperio subduntur Berga, Breda, Lira & Herendalstum Louaniensem quam Thenæ sequuntur. Bruchsellensem quam Viluortum, & Buscoducensem, cui Eyndhouia, Helmonda totaque Taxandria, Peelandia, & maior Campaniæ pars subiiciuntur.

Sunt in ea multi, iique clarissimi, vrbes & amplitudine & structuræ magnificentia & populi celebritate referentes, pagi. *Pagi præcipui Brabantiæ.*

Non procul Machlinia Waelheymum olim Italorum, quos Germani Walen vocant (si etymo fides habenda est) sedes, & Duffela Netha flumine celebris, vt fortuna iampridem ita & calamitate nunc æquales. Bruxellis adiacet Vura ad Sunii illius nemoris amœnissimi introitum, Brabantiæ Ducibus ob venationis commoditatem olim familiarissima, quorum vt animos, ita & corpora nonnullorum condita retinet. In Campania Hoochstratum arce munitissima nobile, & Turnhoutum, nec procul hinc Geela Dympnæ virginis martyrio clara. *Hoobstratum.*

Lingua Brabantorum. Brabantorum fortissimi.

Vtitur tota regio lingua partim corrupta Germanica, qua Germaniam spectat, partim qua Galliam, Italica corrupta, vnde ea pars Itali cobrabantia, vulgo Walsbrabantia ab Italis, quos Germani Walen etiam nunc nominant, est dicta. Horum omnium fortissimi sunt qui ad Mosam pertinent, propterea quod a cultu atque humanitate vrbium longissime absunt, neque ea importantur, quæ ad effœminandos animos spectant, & nec loci iniquitas laborem intermittere (qua re etiam fortissimorum sæpe videmus languescere virtutem) patitur, & quod maximum ad eam rem momentum habere videtur, proximi sunt Geldris, qui trans Mosam incolunt, per quos ne pace quidem facta, animo quieto esse possunt vnquam. Ab his quo longius receditur, eo minus bellicæ virtutis animaduertitur, cuius studium amabili illo pacis quietisque amore permutarunt, tum quod remotiores ab hostibus, quam qui ab iis infestari possint, arbitrentur, tum quod Principis sui Caroli Imperatoris potentia freti, securi hostem despiciant, quanquam ne iis quidem animus ad occurrendum, nec robur ad resistendum hostibus, vbi opus sit, desint. Fuere his grauissimæ sæpe belli contra Geldros causæ, quas non quod aut hostis potentiam metuerent, aut suæ virtuti diffiderent, sed quod natura pacis & amicitiæ studio nati esse videantur, nunquam armis sunt prosecuti. Maluerunt enim cum nullius iniuria suos tueri limites, quam cum multorum fraude alienos inuadere: credentes vel iniquam vel non satis honestam pacem, iusto & honesto bello præferendam *Brabanti natura pacis studiosi.*

dam esse. Nec debet id aut timori aut ignauiæ dari, quod cum iudicio maturo atque exacto suscipitur. Quæ ab iis suscepta sunt bella, tanto animo, tantis viribus, tanta potentia gesta sunt, vt quemadmodum in suscipiendo cunctantiores, ita in persequendo acerrimi merito ab omnibus nunc habeantur, & ab omnibus semper sint habiti. *Caroli Burgundi victoriæ.* Quanta celeritate, Carolus Burg. Philippi filius Ruremundam, Venloam, Nouiomagum clarissimas Geldriæ ciuitates atque adeo totam regionem sibi subiecit. Quanta pertinacia Nouesii ciuitatis munitisimæ mœnibus adhæsit, quo animi robore etiam cum Friderico Roman. Imperatore ausus est pedem conferre. Quanta vi Gallorum Regi Ludouico restitit, fugere deinde vel pacem vel inducias per legatos petere compulit. *Heroinæ Brabantorum.* Non dicam Nantium expugnatum, totam Lotharingiam subactam. Non dicam vario marte ab eodem contra Heluetios multorum annorum victoriis elatos, invictos prorsus eo tempore homines, dimicatum. Nec viros tantum habuit virtute artibusque bellicis claros, sed & mulieres aliquot Principes in quibus neque ciuilium neque bellicarum rerum cognitio summa est desiderata: etiam quarumuis aliarum nationibus Principibus viris conferendas. In his Mariam Maximiliani coniugem atque eiusdem filiam Margaretam, quæ cum summa laude imperium multos annos post amissum coniugem tenuit. Habet & nunc Mariam Hungariæ reginam Diui Caroli Imperatoris sororem, summæ & solertiæ & prudentiæ Principem; cuius salutari consilio, plusquam Heroici pectoris præstantia, atque omnis generis rerum cognitione, nihil potuit his regionibus magis salutiferum turbulentissimo hoc rerum statu contingere. *Ad Historiam redit.* Huius regionis imperium cum sæpe alias, tum præsentis huius anni (qui est a generis humani instauratione Millesimus quingentesimus quadragesimus secundus) æstate Franciscus Gallorum Rex homo ad turbanda fœdera pacemque Christianæ reipublicæ commu- p. 271.
Brabantiæ Imperium quærit Gallus. nem rumpendam natus, & in Geldria multorum milium delectu habito, & intra regni sui pomœria conscriptis multis legionibus, in Lutzelburgensem agrum a Gallia, & Antuerp. toparchia a Geldria hostiliter irrumpens, quæsiuit. *Belli causæ.* Non enim potuit tot annorum spatium tædium repulsæ quam in ambiendo Romano Imperio tulerat, & fœditatem cladis olim ad Ticinum acceptæ concoquere. Est enim animo si quis alius erecto atque sublimi, vt gloriæ famæque appetentissimus ita ignominiæ impatientissimus. Hæc cum dies noctesque animo obuersarentur, solicitumque animum perpetuo cruciatu torquerent, cœpit omnibus neruis eo contendere, vt si & regiæ suæ maiestati, & regno longe florentissimo inustam turpitudinis notam extinguere prorsus non posset, saltem rerum exinde gerendarum amplitudine obscuraret. Id tanta regni potentia, tanta imperii amplitudine, tot regum atque principum societate suffulto facillimum fore sibi persuaserat. Maxima enim pecuniarum vi, profusissimis largitionibus, maioribus pollicitationibus, Holsatiæ Ducem, & Cliuiæ Principem in fœderis societatem sollicitatos sibi adiunxerat, quorum opera atque auxiliis, & pristinum gloriæ splendorem recuperare, & contractam bello Ticinensi contumeliæ labem obliterare commodissime sperabat. *Cliuensis in Galliam proficiscitur.* Euocarat & in Galliam noui matrimonii prætextu Cliuensem, cuius authoritatem atque nomen Brabanticæ regioni esse formidolosa, atque ad eam rem quam animo agitabat magnum momentum habitura putabat. Is assumptis aliquot equitum centuriis & inter hos Rosheimium, munerum amplitudine & promissorum magnitudine (quæ apud Iuniorem Principem non admodum rerum vsu exercitatum, vt pote nuper ad regnum admissum, pondus maximum habere videbatur, pellectus) in Galliam proficiscitur: non vt de noui matrimonii conditionibus, sed quod euentus docuit, de belli consiliis agitaretur. Hic aliquot mensibus varia deliberatione transactis, sparsus est in vulgus rumor, Cliuensem inuitum in Gallia a Rege detineri: quod Geldriam cui paulo ante inauguratus erat Cliuensis, sui iuris esse adsereret Gallus, neque remittendum esse ducem in patriam, nisi ducatu repudiato, Obtinuisse deinde a Gallo vt pro ducatu quem emisse, a Carolo Geldriæ duce contendebat

debat Rauensteinum munitissimum oppidum ad Mosæ ripas, situm commutatione facta acciperet: ducatum cui inauguratus erat pro dote cognatæ Nauarræ filiæ retinere sibi liceat. In hunc modum circumuentus Cliuensis Rauesteynum Gallo cedit, quod mox gallicum Imperium agnoscit, gallica signa turribus & portis, in rei gestæ argumentum adfigit, ipse pertinacius aliquanto in incœpto persistere, abiectius & de Brabantia, & Imperatore vero Geldriæ hærede & sentire & loqui incipit, nam præter necessitudinem qua iam Gallo iunctus videbatur, & Angliæ regis affinitas multum illi & animum & ferociam auxerat. Decretum itaque est inter Gallum & Cliuensem, quum primum occasio rei bene gerendæ sese obtulisset, hic Brabantiæ caput Antuerpiam, ille Lutselburgum eodem tempore inopinato armis inuaderet. Victoriam certam esse. Non enim posse imparatos duobus exercitibus paratis occurrere, atque vt maxime alteri in vnum collatis viribus resistant, ab altero interim graue detrimentum passuros. Se Lutselburgi ditionem primum inuasurum a Gallia, quo eo detortis totius ditionis equitibus, facilior ad inuadendam Antuerpiam aditus præberetur. Esse in eius vrbis expugnatione totius non Brabantiæ tantum, sed Flandriæ, cæterarumque regionum Cæsari parentium, victoriam positam. Eam viam esse solam qua totius Belgicæ imperium rapere posset. Cæteras ciuitates eius vrbis expugnatione perterritas, quam ob populi frequentiam, opum vim inexhaustam, inexpugnabilem crederent, supplices & pacem petituras, & deditionem oblaturas. Quod si cui difficilior vrbis expugnatio propter amplitudinem ciuiumque celebritatem videretur, is non satis meminisset, paratam paucitatem, imparata multitudine semper potiorem esse & habitam & visam. Magnitudinem, multitudinemque cum in cæteris rebus plerisque, tum in bello sibi semper obstare. Non spectandum quanti, sed quales futuri sint hostes, cum quibus prælium sint inituri. Homines nulli rei minus quam armorum exercitio assuetos, ad primum hostium aduentum ciuitatem deserturos, aut pacis conditiones accepturos. Atque vt maxime mœnibus se credere, ciuitatem tueri, hostem propellere audeant, commissuros se vt non tam contra extraneum hostem e mœnibus, p. 272. quam contra ciues intra mœnia pugnare cogantur. Esse ibi ex variis nationibus collectam hominum colluuiem, quam non dubium sit se eo, quo fortuna videretur, inclinaturam. Expectare id eos vt oriatur tandem aliquis, cuius freti opera effreni cupiditati satisfaciant. Fieri non posse quin in tanta opum affluentia sint multi, quibus aliena fœlicitas sit inuidiosa. Ad hunc modum consilio instituto quæritur tandem perpetrandi eius occasio: quam abitus Cæsaris e Germania in Hispaniam, atque hinc in Argeiram proposita expeditio, atque in ea fortuna aliquanto Cæsari iniquior videtur præbuisse. Ab eo enim tempore copias Cliuensis palam conscribi, delectum haberi instituit non pro Gallo aduersus Brabantiam, sed vt ipse simulabat pro Germanis contra Turcam in Pannoniam ablegandas. Habebatur enim per omnes totius Germaniæ ciuitates ex Cæsaris qui tunc abierat in Hispaniam imperio militum delectus, quo in Pannonia Turcis bello implicitis, facilior ei in Africa ad res bene gerendas aditus daretur. Has per ciuitates, per pagos distribui iussit, expectaturus expeditionis in Argeiram susceptæ exitum: quem & propter alienum a nauigationibus tempus, propter locorum pericula in quibus bellum gesturus erat, & hostium potentiam, infelicissimum & sperabat & expectabat: nihil tentaturus nisi audito tali Cæsaris successu, vt non admodum eius potentia post videretur metuenda. Nec fortuna eius expectationi defuit. Amissa enim bona nauium pars, multi naufragio eiecti a Numidis interfecti.* Nec mitior pugna cum mari barbaro prorsus elemento, quam cum hostibus fuerat. Erant nonnulli qui publice dicerent, Cæsarem aut vndis oppressum, aut in littus delatum

Rauesteinum gallicum imperium agnoscit.

Belli aduersus Brabantos gerendi consilia.

Occasio belli Brabantici.

Fortuna Imperatoris bello Argeirensi. Galli & Geldri Cæsarem mortuum arbitrantur.

* Fatum Caroli, quod in hac altera expeditione Africana expertus, speciatim descripsit, Nicolaus Villagagnonus, cuius tractatus reperitur in Schardii *Tom. II. p. 365.*

latum itineris incommoditate, aut animi ægritudine defatigatum oppetiisse, quæ fama apud Gallos & Geldros tam fuit certa, quam quæ certisſima. Non enim difficulter stultis atque credulis quæ maxime optabant, persuaderi poterant. Hac itaque spe erecti altius tollere animos, Brabantis vulgo conuitiari, negociatoribus per Iuliam iter facientibus illudere & passim per vrbes, per pagos dispositas copias in vnum contrahere cœperunt, quibus per Mosam in Hornensem comitatum traiectis ad Leodienses (quo occultiora essent Antuerpiæ oppugnationis consilia) instituitur legatio, qua liberum sibi in Gallias iter postulabant, non vt cum rege contra Imperatorem bellum gererent, sed vt Nauarræ filiam nuper desponsatam in Cliuiam deducant. Fuit enim is ab initio copiarum contractarum prætextus. Id si cum bona impetretur gratia, sine maleficio aliquo regionem sese transituros promittunt. Sin autem, ferro iter aperturos se minitantur. Diu res Eburonibus quæstioni fuit, vtra amplectenda videretur occasio, plerisque censentibus, pacem etiam quantumuis duris conditionibus quærendam, nec hostem accersendum vbi pace frui liceat. Effectum tandem Seuenbergensis autoritate, cui post Erardum a Marca eius regionis imperium delatum erat, vt transitus communi consilio negarentur. Is enim qua est eloquentia multa in vtramque partem & eloquentissime & prudentisſime dixerat: homines feros rapinis & cædibus assuetos, non facile sibi a maleficio temperaturos, nec temeritate propria certissimam perniciem sibi accersendam. Non dubium esse quid eo consilio adfectent Geldri, nempe vt in Gallia auctis copiis Eburones inuadant. Esse enim nescio quam veterem regi de iis querelam: Atque vt nihil tale fiat indignum esse & antiqua Eburonum fortitudine, atque præsenti potentia, hosti iter ad ampliores contrahendas copias permittere, cuius fauorem vt non ambire ita & minas non admodum metuere debeant. Non deberee sibi a Geldris pacis conditiones præscribi, qui olim Romanos ipsos & armis & castris exuerint aliquando. Nec ferendum vt Geldri eam exercitu peruagentur regionem, quæ nec Cæsaris Gallico nomini formidolosisſimi castra, olim perferre potuerit. Meminerint patrum suorum fortitudinis. Meminerint Sabini & Cottæ fortisſimorum virorum Cæsaris legatorum fortunæ. Etiam deos ipsos voluisse eos sui officii commonefacere, quorum consiliis vrbi suæ a legione ibi eorum fortitudine cæsa, nomen Legiæ sit inditum. Frustra etiam nunc & Sabinæ & Aurunculeiæ viarum extare memoriam, si a Geldris imperata cogantur facere. Et montes ipsos virtutem docere qui a Petrosidio Cæsaris aquilifero eorum virtute interfecto nomen Petrosii sint fortiti. Hæc cum summa cum dignitate atque eloquentia perorasset, communi totius gentis decreto delectus per totam regionem habetur, omnes in armis iubentur esse, mittuntur aliquot signa ad Masacos Bechasios, atque munitisſimam Stockheymensem arcem, eius regionis contra Geldros propugnacula, quorum virtute hostis ab aditu prohibeatur, atque si opus sit etiam arceatur. His ita dispositis, Geldrorum legatis respondetur: alium sibi ad Gallias aditum esse quærendum. Non esse Eburonibus consuetudinem armato exercitui viam per fines suos concedere. Orare se vt solita libertate sibi per ipsos frui liceat. Si pertinaciter in proposito persistant, nec animum, nec vires sibi ad resistendum defutura. Dum autem in Abuaritis diutius aliquanto ad rei bene gerendæ occasionem expectandam morarentur, cœpit & Brabantis ea res non admodum dextram mouere suspicionem: maxime iis quos ad Mosam pertinere ante diximus, a quibus crebræ ad ciuitates potentiores legationes instituuntur: non dubia illis esse hostium consilia, prætexere enim eos nouæ nuptæ e Gallia abductionem, proditioni futuræ atque subitæ in Brabantiam irruptioni. Tot calamitatibus, quibus olim ab iis affecti essent, frustra se monitos, quas omnes non legitime bello indicto, sed simili consilio pertulissent, si idem rursus in se prudentes accipiant. Falli posse semel iterum hominem improuidum, sæpius, non nisi eum qui malis suis gaudeat, decipi non posse. Erant & quædam quæ Antuerpiam (quod post res ipsa veris-

Traiiciunt Geldrogalli Mosam. Fallacia Geldrogallorum

Oratio Seuebergensis.

Via Sabina & Aurunculeia apud Leodiensis.

p.273.

Negatur Geldro gallis iter per Eburones.

Creduntur hi esse in comitatu Hornensi.

verisfimum edocuit) ab iis esse petendam dicerent. Sparsæ erant enim nescio quæ ante menses atque adeo annos aliquot in vulgus voces, & notus erat Geldrorum in eam ciuitatem animus. Habita fuerant & in ea proditorum quorundam de opprimenda vrbe clandestina consilia, quorum nonnulli quæstionibus admoti, post capite impii consilii pœnas dedere. Conspectus erat & in mercatu equorum Martinus Rosheymius homo ad quidlibet audendum minime impiger, miles non minus strenuus, quam belli Imperator consultus, proditionibus struendis a natura fictus atque compositus, cuius ductu olim Haga Hollandiæ intuentibus propemodum præcipuis etiam eius insulæ ciuitatibus erat direpta. Ita dum cæteræ vrbes rem propemodum fabulæ loco reputant, Antuerpia sola aliquot cohortes tumultuario conscribit, quæ rusticis in Pelandia ad arcendum hostem congregatis subsidio essent.

Rosheymius Antuerpiæ Conspectus.

Ea re dum vrbs occupata est, rustici non expectatis auxiliis quam possunt maximas vndique ex toparchia Buscoducensi suæ conditionis copias contrahunt, iis que etsi equitibus & bombardis destituantur, hostem adoriri statuunt. In his fuisse dicuntur sclopetariorum millia duo nongenti qui balistas chalibeas in prœlium ferebant. Hastiferorum idem qui sclopetariorum numerus. Erant & nonnulli bipennibus quas helbardachas vocant instructi, vt non rusticos, sed exercitatissimos milites diceres. Sic enim omnia ad militaris rei rationem erant instituta, vt præter ducem nihil in ea multitudine merito potuerit desiderari. Huic quemadmodum nec animus nec vires, ita nec consilium defuit. Mittuntur enim ab ea legati ad Abuaritos, in quorum finibus Geldros consedisse iam ab initio dictum est, qui iis eandem secum fortunam experiri persuadent. Quod cum minus ex animi sententia successisset (est enim ea gens neutri parti dedita, solita iam aliquot annos inter circumsonantia arma semper pace frui) patientia in iram, ira in furorem versa, agmen agere, rectaque ad hostes contendere cœpit. Quæ cum aliquot passuum milia processisset, videreturque in concepta pertinacia perstitura, hostes ea quæ occuparant eatenus loca relinquere. Mosamque tumultuario traiicere, fugam non dissimulatam capessere, sese multitudinem agrestium metuere aperte ostendere cœperunt. Formidolosa enim semper militibus esse consueuit agrestium ira, qui vt fortasse non admodum artificiose, ita strenue bella administrare consueuerunt. Erant præterea non tam amplæ hostium in iis locis copiæ, ac secunda irruptione in Brabantiam sunt conspectæ: non quod maiores non habuerint (erant enim eodem tempore tres alii exercitus per Geldriam locis oportunis dispositi, & ex Holsatia non aspernandus eo conuenerat & equitum & peditum numerus) sed quod paucitate sua Brabantis aut contemptum aut securitatem immittere, p.274. callide studuerint. Horum fuga cognita vnde venerat reuersa multitudo dimittitur, communi decreto statuto, vt ad tintinnabuli pulsum (quo contra hostes excieri ipsis consuetudo est) armati ad eundem locum conuenirent. Dum hæc aguntur, cohortes eæ quas Antuerpiæ conscriptas esse diximus, ad vltimos Brabantiæ fines peruenere, quarum aduentu (incredibile dictu) quantum & alacritatis & animi multitudini agresti sit inditum: quibus oportunis locis dispositis iam de hoste secura propemodum esse cœpit ea rusticorum colluuies. Cæteris omnibus ciuitatibus iam omni metu solutis ociumque ab armorum reique militaris exercitio agentibus, Antuerpiensis Senatus nihil omittere quod ad terrendum hostem procul, atque arcendum si propius accessisset spectare videbatur. Iam in forum Bombardas ex armariis ad quemuis tumultum conuehi, & si quæ aut ruptæ aut rumpendæ erant sarciri iusserat. Habebantur interdiu ad portas singulas duodecim armatorum excubiæ noctu in mœnibus, & turribus contra extraneum hostem, in vrbe ad pontes vbi veteris vrbis portæ steterunt aliquando, & in curia contra proditores, vigiliæ. Qui interdiu portas seruabant sub quartam ad curiam deferebantur, quibus exquisite examinatis sua quibusque instituitur a consule statio: non quam quique opta-

Agrestes conspirant contra Geldrogallos.

Fugiunt Geldrogalli.

Antuerp. Senatus proditionem futuram animaduertit. Custodia Antuerp.

Excubiæ diurnæ.

optabant, sed quæ casu obuenerat. Erat enim sua cuique statio (nequid proditionis strui posset, si cuique suus locus cognitus fuisset) incerta. Noctu excubituri sub septimam ad eundem locum conueniebant, quibus casu quoque sua statio statuebatur. Cuilibet contubernio proponebatur qui maximæ videbatur autoritatis atque in rempublicam fidei decurio. Hic continere in officio suos iubebatur. Huic non minus quam Senatui ipsi iubebantur parere subditi. Expleto excubiarum vigiliarumque tempore cogebantur redire ad curiam omnes, si qui obluctati erant decurionis sui imperio, horum nomina exhibebantur Senatui, vt de pœna iis inferenda statuatur. Decreta erat & publico edicto cuilibet contubernio sua aut vini, aut cereuisiæ mensura, quo seuerior disciplina conseruaretur, ne potu sepulti aut indulgentius loca quæ obuenerant, obseruarent, aut magis rebelles decurionis sui imperio redderentur. Portarum claues sub vesperam ad curiam, vbi aut consul alter, aut magnæ autoritatis aliquis simul cum sagittariis vigilabat, deferebantur.

Excubiæ nocturnæ.

Erant mœnibus adiunctæ multæ ædiculæ dum nihil minus quam bellum expectamus, hæ omnes publico decreto dirutæ sunt: vel quod mœnia iis essent impedita, nec tormenta ænea ob loci angustiam recipere potuerint, vel quod periculosum putabatur, homines ignotos quorum quidam ciuitate donati nondum erant, desidere in iis locis, ex quibus cum hostibus facile aut colloquia miscere, proditiones machinari possent.

Diruuntur ædiculæ multæ.

Ferebantur multæ reipublicæ maxime salutares leges, ex intima militaris rei disciplina enatæ, quibus in ea temporum rerumque ratione a prudentissimo Senatu nihil potuit excogitari & ad vitandam discordiam & alendam inter ciues beneuolentiam, magis salutare atque commodum. Erat ibi varia & ex Iulia, Cliua, atque Geldria hominum improba colluuies, quæ ad euitandam egestatem qua in patria premebatur alius alio sedentariarum artium exercitio inopiam leuabat. Hæc audito belli rumore (incredibile dictu) quantopere cœperit cristas tollere, etiam palam Brabantis & conuiciari & minitari. Est enim ei genti natiuum quoddam & plusquam nouercale in regionem hanc nostram odium: quod præterquam quod ei a natura ingignitur, etiam a nutricibus infantes, & adultiores a parentibus velut per manus accipiunt: adeo vt fortissimus habeatur, qui in conuiciando atque maledicendo maxime est strenuus. Erant multi qui dicerent non defuturos hostes intra mœnia, si reperiatur hostis extraneus. Decretum itaque est a Senatu, quem tam aperti conatus fallere non poterant, vt eius nationis quicunque in ius ciuitatis adsumpti essent, sacramento se ei & fidos fore obstrinxerant, iuramentum iteraturi in curiam veniant: non quod quos vnius sacramenti religione moueri desperabant, iterato in fide atque officio perstituros crederent: sed vt certus talium hominum numerus senatui constare posset, quo rationes suas si opus esset securius instituant. Non enim poterant eos qui semel ciuitate donati erant, non nisi in aperto maleficio deprehensos, citra iniuriam eadem pellere. Et notum erat eorum etiam in respublicas optime de ipsis meritas odium, quibus tantisper fidi esse consueuerint, dum quæstus vberior, aut rapina alio vocaret. Inuentum est itaque huic rei a Senatu (qui eo tempore & grauibus prudentibusque tum longo rerum vsu & literarum cognitione claris constabat hominibus) remedium vt ciuitate donati iterato iuramento mane ante sextam, vesperi post eandem horam domo non egrederentur, si quis auditus fuisset in vrbe tumultus, si quod enatum incendium, domi se continerent, nec in publicum procederent, nec domi cum suis conuiuia agitarent, aut colloquia miscerent. Inuentos in publico post tempus constitutum, aut incendio enato proditorum loco habendos. Si qui iuramentum iterarant, ciuitatis iure atque priuilegiis destituebantur.

Leges ab Antverp. Senatu aduitandam proditionem latæ.

Brabantiæ odium a natura Geldris inditum.

Lex de iuramento iterando.

p. 275.

Perfidia Geldrorum.

Senatus Antuerp. qualis in tumultu Geldrogallico.

Qui vrbe donati nondum erant aut iureiurando se in fide eius dum in ea ætatem agant perstituros adfirmare, aut exire relinquereque compellabantur. Et ne gra-

grauior ea conditio hominibus suarum regionum studiosissimis videretur, noluit eam iuramenti religionem diutius seruari illabefactatam, quam vrbis mœnibus continerentur. Quæ vbi reliquissent, futuros ab ea liberos atque immunes.

Pertinacia Geldrorum.

Ciuitate excedunt Geldri.

Mirandum auditu repertos fuisse eo tempore plures mille, qui ciuitatem deserere, rationes suas imperfectas relinquere, ad consuetam inopiam atque egestatem redire maluerint, quam in fide ciuitatis, dum in ea agerent, persistere. Adeo difficulter semel concepta pertinacia, auitum illud hominum improborum nocendi studium, saniore consilio mutari potuit. Multi certo tempore heris suis obstricti, quo transacto non aspernandam pecuniæ summam erant recepturi, maluerunt eius iacturam facere, quam iuramento ad fidem seruandam se obstringere. Deserebant ergo turmatim ciuitatem & in fronte & in oculis minas seruantes, dentibus frendentes, etiam apertis vocibus pectoris sui virus euomentes. Excedere se ciuitate velut exules atque profugos, introituros fortassis non multo post vt ciues. Futurum fortasse vt a quibus nunc pulsi viderentur, eosdem cum summa turpitudine atque ignominia ciuitate pellerent. Mensuros se aliquando pannum Byssinum holosericumque non vlnis: sed hastis: nec pecunias aut lancibus aut numero, sed cassidibus expensuros. Hac pestifera hominum fece vt leuata respublica est, ita hostium vires non mediocriter creuerunt.

Minæ abeuntium Geldrorum.

Marchio ciuitatis Guilielmus Veruia.

Bona enim horum pars cum primum Geldriam attigisset, hostibus se adiunxit. Nec interim officio suo deerat Marchio ciuitatis, Guilielmus Veruia, omnes totius vrbis angulos, popinas, lupanaria, maleficorum hominum receptacula atque latebras perscrutans, non satellitibus publicis tantum, sed & sagittariis multis stipatus, cuius cura effectum vt si qui portis accepti essent, nusquam tutas latebras reperire potuerint. Adigebantur præterea edicto omnes tabernarii atque popinarii hospitum apud se diuersantium nomina ad consulem referre ita vt ne vni cuiquam extero in tota ciuitate potuerit esse inscio magistratu locus. His edictis vrbe velut vallo quopiam altissimo contra proditionem, cuius in tantæ vrbis amplitudine maxime debebat haberi ratio, munita, ad cætera quæ ad obsidionem tolerandam, ad hostes propellendos, si opus esset, spectare videbantur, conuertitur. Conflabantur immensæ molis tormenta ænea, pulueris bellici immensa paratur copia. Vacant per totam ciuitatem fabrorum cultrariorum officinæ armorum ærugini defricando, acuendis hastarum, bipennium, gladiorum cuspidibus, ciues tractare arma tractare gladios, sclopetis sese exercere, meditari prœlia, poscere absentem hostem, & nihil admittere quod & virtute sua & in patriam pietate indignum debeat iudicari. Ne autem interim legum tractatio studiis bellicis prorsus interrumperetur, communi totius senatus decreto bellicarum rerum cura Cornelio Spaniæ militaris rei non imperito (qui cum summa laude multos annos Magistratu atque adeo consulatu superiori anno cum Ioanne Crombachio equite aurato functus fuerat) defertur, cuius studium & fides multis argumentis ea functione in rempublicam est spectata. Huic quo maior esse authoritas, & ne, qui eius imperatis satisfaciant, desint, XII. ex publico ærario aluntur satellites. Hi Spaniam quoquo versus incedentem densi circumsistere, huius iussa capessere, procurare quæ ad conseruandos in officio & excubitores & vigiles pertinere videbantur. Ipse circumire ciuitatem, explorare portas, instaurare mœnia, aggeres iniquiores æquare, muros recipiendis tormentis accommodare, eosdem locis quibusdam quod aut minitari ruinam, aut tormentorum vim quæ iis erant exoneranda toleraturi non viderentur, diruere, nihil omittere quod ad hostium vim perferendam, ad muniendos oppidanos contra tormentorum ictus, ad hostibus nocendum spectare videretur. Erant multi qui hunc Senatus in hostes apparatum, hanc Consulum diligentiam apertis conuiciis verberarent, dictitantes indignum esse vrbis amplitudine, apparatu eo bellico aliquam metus hostium significationem dare, quorum amicitiam vt non ambire, ita iram non formidare admodum debeant. Nec deerant

Leges vrbium salla.

Apparatus bellicus Antuerpiæ.

Cornelius Spania bellicis curis præficitur.

p.276.

Satellites Spaniæ.

diligentia Spaniæ.

Ridet plebs oppugnationem futuram.

rant qui eos sibi hostes fingere ausuri fuerint deierare, quo plebs commodius paulo ante petitæ ab Augustissimo totius Belgicæ Senatu exactioni acquiesceret. Hostem esse nullum, sed aut a meticulosis fingi, aut ab aulæ partium studiosis populo persuaderi. Tantum abesse vt Antuerpiam cuius ne aspectum quidem laturi essent, aut terrerent aut oppugnarent, vt ne primos quidem Brabantiæ fines ausuri sint invadere. Tantam esse Cæsaris autoritatem non in Geldria tantum, sed in omnibus Europæ atque adeo totius orbis partibus, vt vel solum nomen ad continendos omnes in officio sufficere videretur. Brabantiam quoad in viuis esset Imperator, non temere inuasurum quenquam. Nullas esse aut Cliuensi, aut Dano in has irrumpendi regiones causas. Non esse eos tales qui quo iure quaue iniuria alienos

Cliuensi a patre iniunctum dicitur, ne cum Burgundis aut Brabantis bellum suscipiat.

fines sint inuasuri. Cliuensi præterquam quod natura pacis quietisque studiosus esset, hoc a patre iamiam moribundo in mandatis datum, ne aut cum Burgundis aut Brabantis vel iustis causis oblatis bello decertaret, posse eorum amicitiam & ornamento esse & vsui, inimicitiam nil nisi regni euersionem allaturam. Hærere eas patris voces quas non diu ante supremum halitum expirauerit altius filii animo (quarum etiam nunc esset recens memoria) quam vt aut pectore excidere aut memoria exturbari tantulo tempore potuerint. Institutæ erant & ab Hungariæ regina Maria, cuius curæ atque fidei totius Belgicæ administratio a fratre concredita fuerat, & a Senatu Antuerpiensi legationes ad Cliuensem, exploraturæ eius consi-

Responsum Cliuensis.

lia quibus responsum erat. Conscriptam quidem esse bonam copiarum partem intra regni sui fines, nec id se autore, vtpote qui hostem non habeat, factum. Licere cuilibet, etiam Brabantis, in sua ditione delectum habere. Prima consilia fuisse vt aduersus Turcam mitterentur. Si alio spectent ipsarum consilia, id sibi curæ non esse. Illud sibi persuadeant se non alium esse Brabantis quam fuerit semper. Nihil Coss. neque Senatum mouere hæ populi voces, nihil simulata atque subdola Cliuensis responsa, qui scirent consilia sua non vulgi vocibus, non perfidi hostis simulatione, sed exacta ipsius rei æstimatione metienda esse. Nihil stultius credentes quam aut a plebe, aut hoste belli consilia capere. Nec offendi quenquam posse eo belli apparatu qui non inuadendis aliorum finibus, sed suis tutandis: non expugnandis aliorum ciuitatibus, sed suis propugnandis comparatus videretur. Ciuitate itaque ad hunc modum & aduersus proditionem, & apertam vim non tam belli apparatu, quam legibus & consiliis, quæ validissimæ sunt regni atque Reipublicæ bases, munita, Geldri contractis in vnum copiis, quas locis opportunis dispositas fuisse ante demonstratum est, de traiiciendo Mosam cogitare, animoque diu agitata consilia, proditionesque maturare cœperunt. Legatis Brabanto-

Rosheimii responsum.

rum qui animum consiliumque copiarum exploratum venerant, respondetur. Nullas sibi intercedere cum Brabantis belli causas, iuberent suos securo prorsus esse animo. Id postulare se tantum vt cum bona regionis gratia copiarum parti transire liceat, quo emaciati diutina inedia milites refici possent. Geldriam totam longiore exercitus mora annona prorsus esse exhaustam. Esse se eos qui vt obesse nul- p.277.
li non velint, ita multis rationibus Brabantis prodesse possint. Id officii eos apud minime ingratos posituros. Nec se quicquam tentaturos nisi relato a legatis re-

Geldrogalli Mosam secundo traiiciunt.

sponso. Dum hæc ad regionis primores deferuntur, Geldri non exspectato responso scaphis atque pontonibus copias transportare non procul a Rauensteinensi ditione, qua parte præsidio Brabantiam munitam minime esse cognouerant. Nam cohortes eæ quas Antuerpia ante laborantibus rusticis subsidio miserat, qua parte Abuaritos Brabantia attingit, in primo regionis aditu considebant, quod nossent, solere illac Geldros in Brabantiam plerumque populaturos excurrere, quod traiectio eo loco e Rerumunda esset commodior, siue quod crederent eorum fines invadendos a quibus ante annos non ita multos ipso Pentecostes die grauissimum vulnus acceperant, & a quibus non multo ante ex Abuaritis pulsos eos esse paulo ante demonstratum est. Flumine traiecto cum omnibus copiis (quæ plus minus duo-

duodecim peditum millia, equitum Molossæorum non plura duobus, pegasarios atræ armaturæ non vltra quingentos tenuisse dicuntur) primum sine maleficio aliquo aliquot passuum milia emensi, spem fecerunt promissi implendi, quod nuper Legatis datum erat. Versabantur enim in terra hostili, non vt hostes, sed vt hospites, nec ferro nec incendio grassantes, nec rapinis aut furtis hostiliter loca depopulantes, sed velut penuria adacti, alienis opibus ciuiliter atque humaniter vtentes.

Geldrogalli amicos se simulant.

Id duplici consilio factum esse opinor, vel quod cum plerique milites qui sub Turcicæ expeditionis prætextu sacramento sese obligassent, incerti consiliorum proditionisque futuræ atque in Brabantiam irruptionis crederentur imperium deserturi, si constitisset gentem innoxiam, quæ prodesse omnibus, obesse nemini consueuerit, a se bello esse petendam, qui postquam longius aliquanto progressi essent, non sine summo periculo aut redire vnde venerant aut militiam relinquere non posse putabantur, huc facit quod quibusdam militibus quo ipsos duceret interrogantibus respondisse fertur Rosheymius. Nec paludamentum quo amictus erat passurum se comitari, si id putaret consiliorum suorum esse conscium: vel quod Antuerpiensem Senatum, cuius consilia atque prudentiam non minus quam potentiam videbatur metuere, cunctantiorem negligentioremque amicitiæ simulatione redditurum se crederet. Nihil ea res Senatum qui iamdudum hostium consilia animaduerterat mouere, sed tanto magis suspecta hominibus vigilantissimis esse cœpere omnia, quo occultiora. Itaque custodia vrbis maiori quam ante excubitorum numero mandatur, recognoscuntur oppidani atque ad aciem instruendam, ad irruptiones in hostes, ad signa obseruanda atque ad cætera quæ militaris rei ratio requirere videbatur exercentur. Videbat enim in consilio atque virtute sua ciuitatis salutem tantum esse positam, neque aliunde quam a seipsis aut opem aut consilia esse petenda. Exercitus enim in Brabantia nullus, apparatus belli nullus, equites paulo ante recogniti Lutselburgum profecti. Itaque belli cura nuper in solam Spaniam (ne legibus eius molestiæ accessione aliquid remoræ accederet) reiecta, iam & consulibus & toti Senatui communis esse cœpit. Habebantur enim & diurna & nocturna, non de litibus definiendis, sed de bello administrando, de ciuium salute tuenda, consilia: quæ non tam ad hostes e vallo atque muris arcendos, quam intra vrbem coniuratos quosdam compescendos referebantur. Videbant enim Coss. vtrique rei simul occurrendum, sed ratione diuersa: proditioni, consilio atque prudentia: armatæ atque apertæ hostium vi, ciuium virtute. Quibus rebus licet difficulter eodem tempore consuli potuerit, tanta tamen solertia a Coss. atque Senatu iis prospectum est, vt in alterum tantum omnibus & animi & ingenii viribus incubuisse merito videantur. Habuit enim eo tempore (quod minime rarum est) respublica nostra, prudentia rerumque vsu nobilissimum Senatum ab Illustriss. Hungariæ Regina Maria totius Belgicæ præside præsentis anni Maio mense creatum, cuius consilio atque prudentia nihil non & ad proditionis consilia inuestiganda discutiendaque præstari potuit.

Cur Geldrogalli se amicos simularint.

Stratagema Rosheymii.

Belli cura toti senatui communis esse incipit.

Coss. anni XLII.

p. 278.

Consules enim erant eo tempore Ladislaus Ursulus ingenii alacritate, pectoris celsitudine, consiliique dexteritate non minus quam dignitate animi præstans; Et Nicolaus Schermerus ingenii agilitate, consilii eminentia, literarumque felici tractatione non minus summus quam corpore paruus. Senatum explebant Joannes Crombacchius, & Cornelius Spania, equites, ambo militaris rei tractatione, non minus quam consulatus dignitate nobiles: Arnaldus Scutus, Gabriel Triapanus, quorum virtus etiam aliquando in consulatus officio spectata cum summa laude fuit: obtinebat quintam sedem Nicolaus Schermerus consul, cuius paulo ante meminimus. Succedebant iis Guilielmus & Petrus Halmali, vt cognomine pares, ita nobilitate diutinaque magistratus tractatione non multum inæquales, Iohannes Heydanus Iacobi illius Heydani (cuius defuncti memoria reipub. nostræ etiamnum ob diutinam quæsturæ functionem sacrosancta est) filius Michaelis Heydani

L. Vrsulus.

Nicolaus Schermer.

Senatores.

qui nunc ærario publico cum summa laude atque fide præest, frater. Non prætereundi sunt Iacobus Herzius & eiusdem nominis cui a Ligneis pomis cognomen est, non Ioannes Sheusius omnes ingenii atque literis non minus quam dignitatis splendore nobiles. Adiuncti his erant Arianus Vledingus, Valderus Immerselius, Cornelius Berchemius & eiusdem cognominis Heymrichus, simul & Ioannes Rœcoccius nobilitate atque virtute clari omnes, qua re factum est, vt nihil quod ad salutem reipublicæ conseruandam, & proditionis consilia discutienda pertineret, potuerit desiderari.

Rosheymius hostem se profitetur.

Interea nunciatur Rosheymium penitius in Brabantiam ingressum, non vt ante amicum se simulare, sed ferro atque incendiis hostiliter grassari. Abigi ab hostibus vndique prædas, rusticos inopinantes opprimi. Famam hanc mox confirmat vndique, ex tota Campania agrestium fuga. Videre erat omnibus ciuitatis portis turmatim non ingredientes, sed laboribus curuos irrepentes agrestes, etiamnum vultu metum simulantes, non aut sclopetis, aut ensibus, aut similibus telis, sed armis quibus aut rustici operis aliquid administrari solebat armatos, opes, vxorem, liberos, curru vehentes. Fœminæ eiulare, manus ad cælum tollere, obtestari deos, Supplices ciuitatis opem implorare, lamentis atque ploratu omnia miscere, dolere fortunam suam, quæ tot annorum labores vnico momento esset dissipatura. Fingere quæ absentibus se ab hostibus essent designanda.

Villarum incendia, gregis abactiones, agrorum depopulationes. Querebantur se male in eum diem seruatos senes, detestabantur fati iniquitatem, pueri, qui aut non nati sub ea tempora, aut nati non mox extincti fuerint. Satius fuisse malorum expertes mature ex viuis fato eripi, quam tot miseriis exagitatos in ærumnis aut superesse, aut mox fortassis ab hoste trucidari. Mouebat miserrimum hoc spectaculum non paucos, reputantes fortunæ iniquitatem quæ in iis conspiciebatur, mox fortassis sibi quoque esse subeundam. Quosdam affectus impatientia in iram stimulabat, qui censebant ferendum non esse innoxios fortunis suis a prædonibus spoliari. Eundum esse hosti obuiam. Esse eam ciuitatis authoritatem, quæ nomine solo latrones publicos facile esset pulsura: quod si fortuna iniquior honestis conatibus inuidisset, plus gloriæ cæsis ex vulnere, quam vtilitatis viuis ex victoria emanaturum. Maiorem publicæ gloriæ quam priuati periculi habendam rationem. Esse non exercitatissimorum militum, sed exulum, proditorum, parricidarum exercitum, quem non minus sceleris conscientia, quam obuiam missæ legiones essent territuræ. Hostes interim Taxandriam peruagati, ad Royam quæ diuæ Odæ martyrio celebris est, appulerant, qua depopulata Oorschottum, deinde Heluerenbecium petebant. Hinc per Baerlam quæ æquali propemodum & a Breda & Thurnhouto distat spatio profecti, recta ad Hoochstratum contendunt. Est is pagus platearum numero atque splendore, ædium magnificentia non multum ab vrbe distans, arce munitissima nobilis, Montendisii cuius prima propemodum solet esse p.179. in aula Burgundica autoritas, regia. In hanc multi mortales fortunas suas velut in portum quendam contulerant, nonnulli eodem quo & arci & opibus in eum locum collatis præsidio essent, confluxerant. Rosheymius credens & dignitatis suæ, & exercitus autoritatis multum interesse, si arx ea expugnetur, statuit eam ex itinere tantum expugnare, aut missis caduceatoribus (Heraldos vocant) deditionem postulare. Id tanto alacrius sibi capessendum esse duxit, quod pulueris bellici cuius inopia laborabant milites, vim maximam, tormentaque ænea quibus ea arx dicebatur instructissima, quæ in Antuerpiæ oppugnatione non mediocri vsui erant futura, ex ea reportaturum se existimaret. Facturam deinde eius arcis expugnationem ad Antuerpiensium consternationem, quos terrore magis atque proditione eminus, quam virtute cominus statuerat oppugnare. Misso itaque caduceatore arcem dedi postulat. Vsurum se victoria magis ad nominis sui atque exercitus autoritatem, quam ad libidinem suam, opumque in ea contentarum direptionem.

Iter hostium.

Arcis Hoochstratanæ deditio.

Præ-

Præter victoriam ſpectare ſe nihil. Atque vt diuerſis affectibus præſidii conſtantia expugnaretur, adduntur & blanditiis minæ. Ni deditio fiat, proponit direptione, incendiis atque cædibus mixturum ſe omnia. Effectum eſt hac conditionis atrocitate, quæ apud militaris rei imperitos multum valuit, vt vltro hoſti portæ aperirentur, facerentque ſua voluntate quod neceſſitas erat etiam inuitis ipſis extorſura. Acceptus portis hoſtis præter puluerem bellicum & machinas militares aliquot rapit nihil.

Quanto enim minoris periculi, tanto & mitior victoria fuit. Incredibile dictu, quantum hoſtibus ex ea victoria fiduciæ acceſſerit, reputantibus vt impune per mediam Campaniam eſſent peruagati, reliquiſſent a tergo aliquot Brabantiæ non mediocris potentiæ atque autoritatis ciuitates, quarum nulla aut conatibus ipſorum obſiſtere, aut leui aliquo aſſultu auſa ſit eos ſaltem territare. His dum aliquantisper ob loci commoditatem, atque arcis firmitudinem morantur hoſtes, viderenturque recta Antuerpiam petituri, Renatus Arengiæ Princeps, Comes Naſſauienſis, erecti animi atque ſublimis ſpiritus vir, cuius non pauca ſummæ fidei in hanc regionem noſtram hoc Geldrogallico tumultu apparuerunt facinora, conuocatis equitibus omnibus qui ſuo ſubditi erant imperio, quos audio plus minus quingentos fuiſſe, & cohortibus peditum octo, quæ partim Antuerpiæ primo belli tumultu, partim in Buſcoducenſi toparchia conſcriptæ erant, Brabantiæ periculo (cuius excidium in Antuerpiæ expugnatione ſitum colligebat) motus, magnis itineribus eo contendit, præſidio obſidendæ vrbi futurus. Erat feſtus dies diuo Iacobo ſacer cum Bredam ſuæ ditionis præcipuam ciuitatem relinqueret optimus Princeps, publicam commoditatem propriæ vtilitati præponens, in hoc multorum idque clariſſimorum Imperatorum ſecutus exemplum, quibus publica ſalus priuatarum opum periculo viſa fuit redimenda, quod quidem exemplum quo his moribus rarius eſt, eo plus laudis atque admirationis mereri debet. Atque vtinam non apud plures in eo ſplendoris atque dignitatis faſtigio poſitos, maior priuatæ quam publicæ vtilitatis ratio conſiſteret, profecto melius ſeſe humana negotia tot fortunæ neceſſitudinibus expoſita haberent, nec orbis chriſtianus tam tetris atque horrendis quateretur bellorum procellis. Is itaque relicta patria ſua, relicta arce omnes fortunas ſuas continebat, officii ſui atque fidei, quibus Imperatori Carolo Brabantiæ Duci obſtrictus erat, memor, Antuerpiam concitatiſſimo greſſu viam occupaturus contendit. Hærebat enim eo tempore cum Bredam relinqueret, Hoochſtrati Roſheymius, quod a Bredenſi itinere aliquot paſſuum milibus in Orientem recedit.

Totius Brabantiæ periculum in Antuerp. expugnatione ſitum.

Princeps Breda ſoluit.

Publica commoditas priuatæ præponenda.

Qua re factum eſt vt ſibi inſcio hoſte videretur iter transacturus, quod fieri non poterat ſi Hoochſtrato relicto Antuerpiam verſus caſtra promouiſſet hoſtis. Concurrunt enim viæ & quæ Breda & quæ Hoochſtrato Antuerpiam ducunt non procul Brechſcoto, quod plus minus ſex paſſuum milia ab vrbe diſtat. Huc ſi perveniſſet hoſtis, ad vrbem aditus prorſus fuiſſet præcluſus. Id ne fieret, itineris ceP.180. leritate præueniendum eſſe hoſtem exiſtimauit. Qui per exploratores de principis aduentu certior factus, Hoochſtrato diſcedit, occupaturus viam qua neceſſe erat principi iter facere, eademque propemodum hora qua Princeps Bredam, Hoochſtratum reliquit. Licet autem quod ad celeritatem attineret nihil reliqui faceret Princeps (Nam vnico impetu, nullo dato militibus ad quietem tempore, Brechſchotum quod plus minus octodecim paſſuum millia Breda diſtat, appulit) hoſtis quod minus itineris conficiendum ſibi eſſet, aditum occupat, Principem iam itineris laboriſque moleſtia defatigatum expectaturus. Equitibus præerat Libbertus Turchius militari rei iam multos annos aſſuetus, pedites ducebat Princeps aſturcone vectus generoſiſſimo, pectora militum audacia atque ſpiritibus implens. Hoſtes quod aliquot horis Brechſcotum ante Principis aduentum occupaſſent, ſe a labore reficere cæteraque quæ ad excipiendum Principem pertinebant adminiſtrare: & licet numero & apparatu ſuperiores eſſent, inſidias incautis ſtruere cœpe-

Principis celeritas.

Hoſtes principi inſidias ſtruunt.

perunt. Vicus hic ad quem hostes consedisse iam dictum est, qua & Bredam & Hoochstratum respicit, aliquot passuum millia in solitudinem planam atque expeditam exit. In hac bonam copiarum partem (quod loci natura ad insidias struendas minus apta videretur, neque occultari copiæ aut montium obiectu, aut vallium hiatu, aut dumetis aut arbustis possent) genubus subsidere iussisse creditur Rosheymius. Vici exitum præcludebant Holsatienses atræ armaturæ Pegasarii. Iussit deinde agmen non admodum numerosum venientibus Brabantis non procul a Brechscoto via recta ostentari, credens id paucitate sua Principem ad insequendum instigaturum. Nec fefellit hostes consilium. Siquidem ad primum huius aspectum Princeps suos ad virtutem hortari: Adesse hic tantum exploratricem copiarum partem quam vel cum minimo negotio modo virtutis suæ meminisse velint delere possint. Gratulari se suæ fortunæ, cui data sit occasio qua quo in Brabantiam sit animo, demonstrare possit. Illud restare tantum, ne cuius gloriæ dii tam expectata occasione oblata fauisse milites inuidisse videantur. Qua fronte passuri sint eos superesse diutius, qui non legitime bello indicto, sed latronum more, contra leges omnes, fœdera omnia, contra vsitatum ab omnibus quantumvis Barbaris bellandi morem, nullis iustis causis moti hostiliter grassentur. Ad futuram fortunam iis quorum causa videretur iustissima. Nec debere mouere quenquam, quod impune ad ipsius Brabantiæ penetralia sint progressi, cum ne hostem quidem vnum toto itinere repererint vsquam. Deditionem arcis Hoochstratanæ non hostium virtuti, sed præsidii agrestis imperitiæ adscribendam. Posse hoc agmen priusquam propius accedat exercitus opprimi facile. Esse paucos, eosque magis prædæ quam pugnæ assuetos, equites conspici nusquam. Dubitandum non esse quin quemadmodum ab equitibus, ita & a machinis bellicis destituantur. Cæteros audita suorum fuga atque cæde, metu perculsos citra aliquem militiæ ordinem tumultuario fugituros, nec vlterius in Brabantiam progressuros.

Oratio Principis.

Si eo animo eant quo Antuerpiæ laboranti opem ferant, committendum non esse vt hic oblata a diis immortalibus occasione, consilii sui prorsus obliuiscantur. Insidias hostium in loco plano atque aperto metuendas non esse. Oculis patere circumquaque omnia. Meminerint mulos cum paucis, milites cum prædonibus, & armatos cum inermibus dimicaturos. Hæc aliaque quæ in tali negotio militum animis suggerere Imperatoris officii est, cum dixisset, equites ad insequendum misit, ipse militari gressu, (ne aut ordines perturbarentur, aut concitatior incessus milites post ad pugnam ineptiores redderet) subsequitur. Erat non procul ab eo loco quo agmen hoc conspiciebatur, arbustum non admodum densum, in hoc se hostes ad primum equitum aspectum, non dissimulanter, sed aperta fuga proripuerunt, simul vt tuti ab equitibus essent, quos norant lanceis in tali loco vti non posse, & cohortes peditum in insidiarum locum perducerent. Ad huius aditum cum equites peruenissent, vidissentque se sua spe deiectos, hostem e manibus elapsum, conatus suos prorsus esse irritos, ab insequendo desistere. Quod cum animaduertisset princeps, cum cohortibus quas ducebat ad pellendos hostes p. 281. latebris contendit. Iam signa canere, militum voces quibus se mutuo ad virtutem acuere soliti sunt, audiri, fremitu atque indignatione omnia compleri cœperant: cum subito vndique & a tergo & a lateribus erecta plus minus triginta duo signa, quæ eatenus occultata fuisse ante demonstratum est, conspiciuntur. Quæ cum prouolassent, rectaque ad insequentem fugientes principem contenderent, fugientia signa pedem referre, infestisque signis sequenti obuiam tendere cœperunt. Concurrebant & a fronte hostium equites, rectaque in principis * ferebantur: qui nouitate rei atque inexpectato aduentu perculsi, non dubia fugæ indicia præferebant. Videbant enim & numero se premi, & vndique (ni se celeriter in latus apertum deiiciant)

Fugam simulant hostes.

In apertum proferunt se hostes.

Fugiunt Principis equites.

* Subintelligendum *equites*.

liciant) circumueniendos. Itaque & si durum videbatur nomen fugæ turpitudine maculare, maluere tamen & famæ & nominis iacturam fugiendo facere, quam fortiter occumbendo patriam in periculum deuocare: arbitrantes maiorem publicæ vtilitatis quam gloriæ priuatæ habendam rationem esse, male honori studeri qui multorum excidio videretur constitutus. Rebus ita constitutis Princeps qui inter pedites versabatur, diu in incerto habuit quid consilii caperet. Nam neque manere sine periculo, neque sine ignominia potuit. In altera parte erat gloriæ studium, quod in iuuene principe tali patre nato fuisse feruentissimum, dubium non est, maxima præmia in spe victoriæ, iræ pudorisque vehementissimi adfectus: in altera maiores hostium copiæ, equitum fuga, pugnæ periculum. Hæc illo voluente, vicit tandem gloriæ studium obiectas difficultates, iræ pudorisque stimuli pugnæ pericula expugnauere. Transcurrit ergo equo concitatissimo ad equites, qui iam aliquot stadia fugiendo emensi erant, grauiter castigat, qui vix conspecto hoste maluerint turpiter & se & milites & patriam hosti prodere, quam fortiter pugnando & sibi laudem, Imperatori, militibus & patriæ salutem conciliare.

Principis varia consilia.

Oratio Principis reuocantis suos in prælium.

Hortatur vt si non sui & patriæ amore, saltem sacramenti religione permoti, in prælium redeant. Parum valuere optimi Imperatoris increpationes atque hortatus apud eos qui salutem potius in equorum celeritate quam in dextræ promptitudine posuerant. Redit ergo ad pedites, in orbem coire iubet omnes, quo aciei genere in tali euentu vtilius fingi aliud haud facile potuit. Ipse inter primos versari, compellare nominatim centuriones, administrare quæ ad congressum spectabant, acuere virtutem dictis. Meminerint pietatis quæ patriæ, fidei quæ duci sibi debebatur, sacramenti quo & diis & ipsi & patriæ essent obstricti. Iam acierum frontes propemodum coierant. Canunt itaque vtrimque signa, attollitur cœlo clamor virorum clangorque tubarum, tristissima tarantaræ vox horribili sono aures omnium percellit, audiuntur sclopetorum vtrimque tonitrua: fuitque is aliquantisper negotii status, vt nec paucitas multitudini cessura, nec multitudo paucitatem superatura videretur. Vt enim ab hostibus numero superabantur Brabanti, ita hostes animis & alacritate a Brabantis vincebantur. Erat quod Imperatorem attinebat vtriusque exercitus conditio propemodum æqualis, sed ratione diuersa: vincebat Rosheymius multorum annorum bellico exercitio Principem. Vincebatur contra a Principe audacia, atque animi in rebus dubiis præsentia. Insidiis struendis, proditionibus machinandis ille natus, hic ingenue citraque fraudem conserendis cum hoste manibus a natura fictus videbatur. Hinc factum dum nec paucos cedere virtus, nec multos ab incepto desistere pateretur copiarum numerus, vt paribus animis, pari successu, aliquantisper dimicaretur, nec fugæ aut victoriæ indicia ab alterutris præberentur. Hinc Princeps vrget, illinc instat Rosheymius. Mouet hos causæ quam sustinebant honestas, illos numeri amplitudo. Iactare hi Rosheymium diutina belli tractatione nobilem: illi Principem fortissimi patris filium fortissimum. Indignabantur hi a paucis multos, illi a prædonibus superari paucos.

Pugnæ aliquantisper dubia.

Vt autem quæ ad vicinos hostes sustinendos pertinebant a Principe prouisa erant diligenter omnia, ita quæ ad eos quos exitum vici seruasse demonstratum

p. 231. est, pegasarios atræ armaturæ milites reiiciendos spectabant, in tanta militum paucitate, in equitum suorum fuga prouideri non poterant. Hi concitatissimo cursu a fronte in Brabantos irruere, sclopetis trisulcis glandium maximam vim conicere cœperunt. Hinc factum vt ordines armorum nouitate impetuque irruentium perculsi, confunderentur. Neque enim erant equites qui equitum irruptioni opponerentur, nec in hos totius exercitus impetus dirigi ab vndique pressis potuit. Fuga igitur primum a paucis, deinde vt fit sequente multitudine paucitatem, ab omnibus copiis orsa est. Princeps quod videret se dissipatos ordines in vnum redigere, nec aduersus hostes vndique irrumpentes subsistere non posse, quem fortuna

Ordines Brabantorum perturbantur.

dedit exitum secutus, cum paucis elabitur. Nam cæteri priusquam quid ageretur cognoscere possent, vndique ab hostibus sunt circumuenti, qui deditione facta, abiectis armis se hosti commiserunt, de horum numero alii alia adserunt, conueniunt omnes duorum milium numerum supergressos non esse. Erat hora a meridie circiter sexta cum generosissimus Princeps fortunæ pressus iniquitate viam suam summa difficultate ex hostium manibus extorsit, magis prosperæ fortunæ magisque propitiæ occasioni conseruauit. Interim Antuerpiæ varia de Principis fortuna ferebantur. Aiebant quidam Hoochstratanæ arcis obsidionem ipsius virtute esse solutam, interfectam bonam hostium partem. Mox hunc cum toto exercitu ab hostibus cæsum, hostes ea victoria elatos recta ad vrbem contendere: quæ fama quo minus optata, ita propior vero fuit. Vrbs itaque tota non in luctum muliebrem, sed in virilem audaciam vlciscendique, non priuatam, sed publicam totius regionis iniuriam, cupiditatem soluitur. Iam regiones omnes diligentissime attributam sibi stationem seruabant, hostis aduentum atque obsidionem expectaturæ. Erant enim ante a Senatu singula ita ad quemuis casum prouisa vt non admodum hostis videretur metuendus. Rebus ita constitutis superuenit Princeps non fugienti, sed triumphanti similis. Iactitabat dextram cœlo miram quandam animi alacritatem præ se ferens. Confirmabat ciuium rumoris atrocitate de cæde sua perterritos animos, atque in melioris fortunæ spem erigebat. Libertus Turchius nescio quo casu itinere ab hostibus dicebatur retractus, nam cum Principe vrbem inuectus non est, sed horis aliquot post rediit. Sparsus erat huius singularis cuiusdam facinoris rumor in vulgus, quam quod verum sit autores eius viderint. Erant multi quibus ea res non parum displicere videbatur. Sed in hominem multis annis Brabantorum castris assuetum non cadebat suspicio sinistra.

Captorum numerus.

Statim Antuerpiæ ad Principis introitum.

Princeps vrbem ingreditur.

Hostes Dammum appellunt.

Vix Principe vrbem ingresso, iam certissimis signis hostes aduenisse in pagum cui ab aggere qui olim mari obiectus in eo loco fuit Dammi nomen impositum, constabat. Distat hic non multis stadiis ab vrbe qua Septemtrionem respicit, Xythi coctura nobilis, ebriosorum, furum atque latronum, cæterorumque hominum malis artibus quæstum facientium receptaculum. Eo hostes itinere defatigati, quod crederent potus copiam ibi se reperturos, applicuerant. Audiebantur e mœnibus (nam prospectum & nox & obiectæ arbores quibus omnia totius ciuitatis suburbia obsepta erant, ademerant) in ædes vi erumpentes, ostia, fenestras & qua facillimus aditus in ædes videbantur, & calcibus & vectibus a cardinibus euellentes.

Cætera omnia omnibus agris & campis profundissime silebant. Nulla vsquam vox, nullus strepitus, nullus equorum hinnitus audiebatur: non rauca taratantaræ vox, non classicorum, non lituorum, non cornuum sonitus terribilis, & auditus paulo ante dum longius abessent, tympani sonitus conquieuerat. Nec minus in vrbe silentio pressa erant omnia. Oppidani cum summo silentio stationes designatas seruabant. Mulieres præ foribus quæque suis, lychno superiori limini adfixo contra incendia, quæ a proditoribus metuebantur, incredibili taciturnitate excubabant: vt intelligas quanto periculum natura atque consuetudine sit violentius. Nusquam tota vrbe aut nolæ æreæ quarum pulsu ad laudes Deo offerendas certis noctis horis euocantur, quos religiosos vocant, audiri, nec horas æqualibus interuallis loqui, quod eo rerum statu prudentissime statutum, ne certo tempore con- p.283.
iurati proditoresque, aut conuenire in eundem locum aut quicquam tentandi consilium capere possent, deinde ne euocatricis nolæ qua ad consilia sua per vrbem euulganda vtebatur Senatus, pulsus, aliarum voce obnubilaretur. Erant præterea profunda illa noctis silentia tanto terrori hostibus, vt ad cuiuslibet folii strepitum expauescerent, neque aut arma deponere vllo noctis tempore, aut libere expatiari extra ordines auderent: adeo vt tota nocte exploratores circum ipsa vrbis mœnia consilia oppidanorum inuestigaturi reptarint, metuentes, aut de insidiis, aut de eruptione haberi tota vrbe consilia. Nec minus momenti ad hostium aduentum,

ad

ad suffossiones animaduertendas id silentium erat habiturum, ita ut ne paucorum quidem aduentus latere potuerit. Reptabat ad mœnia quæ sunt inter Cipdorpicam & Rubram portas ex vagis illis & prædonibus hostibus quidam: animaduersus est a mœnium propugnatoribus ciuibus, rogatus quid hominis esset, cuius rei gratia ita furtim expaciaretur, compendio ad vtrunque respondit, nihil ipsorum aut quis esset, aut cur venisset, interesse. Quo responso cum quo animo esset, satis indicasse videretur, ad loquentis vocem (nam audiri tantum in tenebris poterat) quidam a mœnibus destinatis eo aliquot sclopetis, hominem qua humeris collum innititur glande feriunt. Nec destitit miser licet victus, maledicere. Sed cum minis atque imprecationibus & animam efflauit. Auditæ sunt eius iam corpore cum anima luctante voces, forti homine indignissimæ. Ad futuros mox commilitones suos (quos fratres vocabat) a quibus idem percussoribus suis esset subeundum, quod iam ipse passus videretur. Circumibat tota nocte Marchio ciuitatis Guilielmus Veruia, homo patriæ ciuiumque suorum amantissimus, omnes totius *Studium Marchionis.* vrbis custodias, oppidanos ad secuturos obsidionis expectatæ labores perferendos animans, nominatim plerosque compellans. Vt enim omnibus omnis conditionis hominibus innotuerat, ita & plerosque (quæ est hominis popularitas) nouerat. Meminerint patriæ, libertatis, vxoris & liberorum. Meminerint optimo *Oratio Marchionis* Imperatore Carolo fidei datæ. Meminerint huius in ipsos indulgentiæ, atque plusquam paterni amoris. Turpissimum esse & se libertate, & fortunis omnibus ignauia propria spoliare: plusquam Scythicum amantissimam coniugem, parentes indulgentissimos, liberos dulcissimos, hosti barbaro atque immani obiicere. Qua fronte passuri sunt, non a magnæ aut potentiæ aut alioqui autoritatis eximio Principe sed a sicario abiectissimo, prædone ignobili se vinci. Non tantum indignum ea vrbis potentia, ea ciuium multitudine a sceleratissimis latronibus vinci, sed & obsideri. Esse exercitum talem a quo vt vinci turpissimum sit ita eundem vincere honestissimum. Facturos se non tantum Brabantiæ rem vtilissimam, qui ea pestiferorum hominum fece eam leuassent quorum optimus aut proditor aut latro esset, sed & diis ipsis, quibus impietas odio esset, gratissimam. Eadem fuit & Coss. L. Vrsuli & Nicolai Schermeri in procurandis iis quæ in eo rerum statu necessaria esse videbantur, diligentia, quibus a diis immortalibus nihil præsenti fortunæ dari potuit vtilius. Erat enim vtriusque tanta rerum omnis generis cognitio, vt nihil addi posse videretur. Vrsulum decorabat multarum rerum vsus, frequens diutinaque negociorum ciuilium tractatio, quæ cum tanta laude multos annos obierat, vt & ab Imperatore Carolo V. consulatus illi esset prorogatus, concessus & equitis aurati titulus, in rei prudenter consultoque gestæ argumentum: homo proditionum tumultuumque consiliis inuestigandis discutiendisque natus. Sustinuerat hic humeris suis Rempublicam Antuerpiensem Flandrico tumultu ad rebellionem, non imperii odio, sed maximæ nationis exemplo spectantem. Schermerus præ- *Nicolaus Schermerus.* terquam quod aliquot annos in Reipublicæ administratione versatus erat, varia antiquitatis lectione instruebatur: qua re factum est, vt non minus in quolibet casu recta consulere quam strenua designare potuerit. Hunc non ambitio, sed virtutis admiratio, eruditionis splendor (quod iis præsentium temporum status in quibus tumultibus atque bellis intricata sunt omnia opus esse videretur) Illustrissimæ Hungariæ reginæ totiusque illius Augustissimi Senatus calculis ad consulatus honorem promouerant. Quo enim minus dignitatem ob literarum amorem sequebatur, eo p.184. magis ob virtutis admirationem eam consequebatur. Hi velut ciuitatis clauum *Coss. ciuitatis clauum tenebant.* tenebant. Ad hoc quicquid ex republicæ vsu esse putabatur vndique ab mœnium præsidibus deferebatur. Ad hos in quolibet euentu refugium dubitantibus erat. Ab his rerum gerendarum consilia ad quamlibet fortunam capiebantur. Confluebant vndique ad hos non aliter quam olim ad Delphicum illud toto orbe nobilissimum oraculum homines, in rebus dubiis consilia, in adflictis solatia quæsituri.

Excu

Excubabant cum his aliquot alii qui consilio maxime pollere videbantur clarissimi
Godenardus Stercius. viri, Prætor vrbanus (*Amptmannum* vocant) Godenardus Stercius, ad id officii
Ioan. Vueruia. Imperatoris Caroli fauore (in cuius aula cum summa laude aliquot annos versatus
fuerat) euectus. Et Ioannes Vueruia vrbis præfectus, Schultetum vulgo nomi-
Michael Heydanus. nant. Cum his ciuitatis quæstores; Michael Heydanus auitæ nobilitatis atque vir-
Guilielmus Molitor. tutis exemplar, cuius cum alias sæpe tum hoc tumultu multa eaque clarissima in
rempublicam nostram extiterunt merita: Guilielmus cui a clauæ insignibus quibus
ædes eius notantur claua cognomen vulgo inditum, homo ad ciuitatem structuris
Heymricus Laurentius. ornandam muniendamque ingenio adpositissimo. Heymricus Laurentius vir &
probitate, & pietate, consilioque minime sinistro conspicuus. Eadem erat & iis
qui a secretis vrbis erant statio commissa, maxime iis qui consilio suo ciuitati labo-
Cornelius Graphæus. ranti alicui vsui esse videbantur. In his erat Cornelius Graphæus in Europa exce-
ptis paucis, celeberrimi nominis, in Belgica maximi ingenii poeta, olim officio
ignominiose per atros quosdam amotus, nunc cum dignitate summa per bonos
Petrus VVesebecius. Vrsulo & Dilpho Coss. eidem restitutus. Et Petrus Wesebecius vir exactissimi iu-
dicii, consilii summi, promptissimæ facundiæ, ingenii festiuissimi atque ad omnia
versatilis literatorumque cultor summus, cuius opera non parum argumenti nobis
Guilielmus Ritius Cornelius Dycius. ad scribendum suppeditatum esse libenter agnoscimus. Non prætereundus Guili-
elmus Ritius, non Cornelius Dycius, ambo corporis firmitudine non minus quam
animi præstantia valentes. Cæteri omnes aut patres aut patricii ordinis homines,
qui aut dignitatis aut authoritatis nomine commendabantur, aut vallorum propu-
gnatoribus aut sagittariorum collegiis, quæ ad forum stationes obtinebant, erant
præpositi. Est in ciuitate Sclopetariorum iuratorum collegium multis iisque forti-
bus viris constans. Est & aliud gladiatorum. Sunt & duo collegia iurata eorum
qui arcubus chalybeis vtuntur. Horum antiquissimi olim Brabantiæ Duci satellites
erant, hunc si quo illi in proximas ciuitates iter esset, magnifice & dignitatis & pe-
riculi vitandi nomine deducebant: quem deinde eius ciuitatis ad quam appulerat
Dux collegium exceptum, vlterius quo contenderet, sequebatur. Secundum no-
stra memoria institutum, & numero & præstantia non multum antiquiori impar.
Eorum quoque qui arcubus ligneis (manuarios vocant) vtuntur, itidem duo erant
collegia. Omnibus his iussus est præesse Franciscus Dilphus, imperatoriæ prorsus
dignitatis homo, qui consulatum ante annos non multos & cum Vrsulo, & Spa-
nia summa cum laude obtinuerat. Omnia hæc collegia stationes suas ad forum
maximum habebant, subsidio laborantibus mœnium propugnatoribus, futura.
Opificum collegia ad forum in tumultu concurrere solent. Opificum erant & multa collegia, qui ad curias certas in quolibet tumultu conflue-
re solebant, mittendi deinde quo aut periculum, aut rei bene gerendæ occasio vo-
carent. Quod autem huiuscemodi institutum non admodum præsenti negotio
conuenire iudicaret Senatus, decretum est, vt regionatim excubiæ in mœnibus ha-
berentur, attribuerentur cuique regioni ex magistratu qui maximæ viderentur au-
thoritatis, atque in Rempublicam fidei. Diuiditur autem tota vrbs in regiones,
Regiones Vrbis xij. siue vicos, siue insulas vocare malis, duodecim. Prima, forum maximum atque
hinc circumiacentes plateas, maxime qua & Occidentem & Meridiem spectat vs-
que ad Groeneburgicam portam complectitur. Hæc quod vt ordine prima, ita
& numero maxima esset, vallum quod est inter Groeneburgicam portam & eam
quæ a virginum sacratarum cœnobio extra eam non longe tunc posito nomen habet,
seruabat: qua parte maximum videbatur imminere periculum ciuitati, quod non
procul ab eo loco munitissimum esset Carthusiensium monasterium, quod con-
tra ciuitatem a natura & collibus, dumis & arboribus ita obseptum erat, vt facilli-
mus illinc in subiectam ciuitatem pateret prospectus, commodissimumque locum
bombardis hostium in vrbem dirigendis præbere videretur. Erat deinde superio- p. 285.
re anno eiusdem portæ vestibulum, dum nihil minus quam bellum expectamus
ad nescio quem vsum dirutum, ita vt negotio minimo porta accessum ad vrbem
hosti-

hostibus datura putaretur. Hanc commoditatem quod hostes neglecturi non viderentur, factum est vt primæ regioni quæ & dignitate & numero ciuium cæteras vincebat, hic locus attribueretur. Præerant huic Adrianus & Petrus Vledingi fratres, vt quos eatenus necessitudo copularat, periculum non disiungeret. *Adrianus. Petrus Vledingi.*

Secundæ regioni attributum est id interuallum quod est inter portam a virginibus sacris dictam, & eam cui Diuus Georgius præsidet. Sequebatur hæc Arnaldi Scuti hominis diutina magistratus functione, & senectutis reuerentia venerandi & Ioannis Happardi, qui ante annos non multos quæsturam obtinuerat, Senatum sua præsentia sæpius honestarat, imperium. *Ar. Scutus. Ioannes Happardus.*

Hunc locum excipiebat regio tertia cuius fidei concreditum erat vallum vsque ad coriariorum turrim quæ æquali propemodum interuallo, & a Diui Georgii & Cipdorpica portis distat.

Hanc in officio continebat Gabriel Triapanus vir prudentia summa, quam & multarum rerum vsus & senectus illi addidit, suscipiendus. *Gabriel Triapanus.*

Officii collegam habuit Aluarum Almarassium mira & oris & corporis dignitate reuerendum. *Aluarus Almarassius.*

Sequebatur deinde quarta regio quæ id loci quod inter turrim hanc & Cipdorpicam portam erat præsidio tenebat. Quæ ad hanc in officio continendam pertinebant, administrabantur a Ioanne Crombachio cuius fides animique magnitudo dum in Pannonia sub Cæsaris Caroli V. signis contra Turcam militaret multis exemplis enituere, vbi talem se gessit vt equitaturæ aureæ ornamenta virtute sua mereretur. Consulatum cum Cornelio Spangia superiore anno non minus fœliciter quam fideliter administrarit. Præfecturæ huius collegam habuit Iacobum, cui a ligneis malis cognomen inditum est, nuper ad rempublicam admissum vt corpore paruum; ita animo, ingenio & literis maximum. Excubabat cum hac regione natio Hispanica multis clarissimis fortissimisque viris tum & militibus non paucis quos proprio ære stipendiabantur, suffulta. Regioni quæ ad forum boarium conueniebat, adsignata erant mœnia quæ Cipdorpicam portam a Rubea separabant. Huius administratio Cornelio Berchemió & Cornelio Happardo, vt nomine, ita & nobilitate æqualibus, erat attributa. Ex horum mœnium opposito aliquot stadiis vltra templum Diuo Willebordo tunc sacrum in loco decliuiori inter Damnium, & Burgerhoutum stationes suas hostes habebant, quod is locus natura contra Bombardarum ictus videbatur munitus, nec ob angustias pauci a multis circumueniri possent. Est enim via non multos passus lata, & aggeribus obiectis, & campi accliuitate qua vrbem spectat ita formata, vt tutas prorsus latebras delitescentibus præbeat: qua Merxheimium spectat, pratis aqua intectis vndique cincta, vt nec aut a tergo, aut a fronte irruptiones vllo modo putarint sibi expectandas. Is locus a figulis, qui aliquando ob materiam fingendis testaceis vasis aptam eum inhabitasse creduntur, ollæ angulus vulgo dictus Ollæ. Desidebat hic obseruatrix copiarum pars. Cæteri non procul partim ad Breschotum partim Merxheimio in loco aperto atque expedito vbi eius pagi senatus scelerum pœnas a sceleratis exigit, consederant, qui via recta ad mœnia hæc quæ Berchemius atque Happardus seruabant, respiciebant. Itaque propter hostium viciniam & commoditates quam plurimas quæ hostem ab ea parte expectandum minitabantur, iussæ sunt negotiatorum nationes quatuor ea mœnia seruare. Collem qui a Cipdorpica primus occurrit, seruabant, Angli. Secundum Itali. Inde qui rubeæ portæ vicinus est Lusitani. His succedebant Germani. Spectata sunt eo tempore summa omnium negotiatorum in hanc rem publicam fides atque officia, maxime Italorum qui propriis pecuniis trecentos milites stipendiabantur. Obtinuit hac in re primas Saluiatorum qui eo tempore Lirensem aulam habebant, integritas atque fauor, qui licet ante paucos menses vrbis incolæ esse cœperint, tantam tamen reipublicæ præstiterunt fidem, vt maiorem non potuerint, etiamsi multis annis in eius gremio coaluissent acqui- *Ioan. Crombachius. Iacobus Houtappel. Hostium statio.*

euissentque. Aluit & aliquot institor Lusitaniæ Regis & Germanicæ nationis Foecardi, & Welseri: deinde Erasmus Schetus vt nomine & diuitiis celeberrimus, ita virtute maxime conspicuus negotiator, Casparis Scheti Homericæ Iliados dedicatione non minus quam ingenio literisque magni, pater. p. 286.

Erant cuilibet Nationi sui Duces, Centuriones, Decuriones, erant & sua signa, & tympana, gliscebat inter eos studium & æmulatio inuicem apparatu bellico superandi, qua re factum est vt omnes ita fuerint instructæ, vt nihil quod ad fidem & studium in rempublicam ostendenda pertineret vsquam potuerit desiderari. Rubeam portam excipit ea quæ a luto nomen habet. Mœnia quæ inter eas sunt præsidio seruabant Guilielmus Halmalus, summæ solertiæ atque maximæ in senatu authoritatis vir, qui vt Amptmanni officium multos annos cum multorum bono ita cum paucorum offensa administrauit. Adiungebatur huic eiusdem nominis Ranstius militaris rei longo vsu callentissimus, & animi magnitudine & corporis heroici dignitate longe eminentissimus.

Guilielmus Halmalus. *Guilielmus Ranstius.*

Proxima mœnia quæ Pisternensem portam attingunt, habebant Heymrichum Berchemium antiquæ nobilitatis hominem, & Ioannem Roecoccium optimorum parentum filium optimum.

Heymricus Berchemius. Ioan. Roecoccius. Ioannes Heydanus.

Totus deinde is tractus, qui ab ea porta ad Scaldem pertinet, vbi pons est Hartmanni Hacii dictus, Ioanni Heydano attributus est, cui præter vitæ integritatem, quæ non parum fauoris illi apud bonos quosque conciliarat, & patris optimi memoria quæ apud bonos quosque est sacrosancta, multum apud plebem illi fauoris atque gratiæ adposuit. Fungebatur cum hoc eodem officio Cornelius Vossius Senatoriæ dignitatis homo, & corporis & animi magnitudine præstans. Excipiebant hos Ioannes Nederuennius corpore ea animi pietate digno, & Guilielmus Immerselius. Horum ditio ponte iam dicto & foro piscario continebatur.

Cornelius Vossius. Ioannes Moderuennius. Guilielmus Immerselius.

Ab hoc loco vsque ad portum qui a Cereuisia nomen habet, præerant Petrus Halmalus, diutina magistratus tractatione non minus quam splendore domus nobilis, & Gelasius Asselerus ad virtutis admirationem superioribus annis ad reipublicæ munia protractus. Regio vndecima obtinebat loca proxima vsque ad portum diui Ioannis. Habuit hæc præfectos Valderum Immerselium, corpore quidem exiguum, sed pectoris celsitudine atque animi præstantia magnum. Et Ioannem Eyndensem non minus consilio quam ætate maturum. Restabat tantum id spacii quod est inter hunc portum & portam Croneburgicam. Commissum erat id Ioanni Delpho senectute & prudentia eminenti viro, & Cornelio Lyrano Marchionis Nicolai Lyrani optime de republica nostra meriti, filio. Erant & cuique regioni, præter præsides hos, centuriones, pro numero ciuium aut plures aut pauciores, quorum quisque decem decuriones suo regebat imperio. Decuriones suo præerant contubernio: qua disciplina nihil magis potuit reipublicæ salutare excogitari. Præsides centuriones obseruabant. Centurionibus curæ erat de decurionibus, Decuriones nouem eos qui suo suberant imperio in officio continebant: ita factum est vt ne pauci quidem oppidani clam consulibus abesse loco sibi designato potuerint vsquam. Hæc vrbis disciplina fuit ad hostium accessum, neque remissa fuit antequam libera ab hostium metu esset. Ad hunc modum constituta ciuitas diem cupida expectat, quo certi quid de hostium consilio e speculis exploratoribusque cognoscere queat. Et iam Titoni croceum liquerat cubile Aurora, vehebantque roseum diem aurato curru solis equi, cum hostes quos post templum Diuo Villibordo sacrum consedisse iam ab initio dictum est, subiectos campos occupant. Volitabant per omnes eius tractus semitas prædabundi, non quidem turmatim, sed palantium more, ne bombardarum ictibus feriri possent. Eiaculabantur enim oppidani tantam continuo sphærarum bellicarum vim, vt ictus vitare nullo modo potuerint gregatim incedentes. In campis templi cuius paulo ante meminimus proximis, molendina erant non pauciora quindecim, quod is lo-

cus

cus ob altitudinem libertatemque ventorum iis ſtatuendis idoneus videretur. Hæc aſcenſu non aliter quam multorum dierum inedia emaciati certatim ſuperant, convertunt horum alas ad ventum, expandunt vela. Confluunt vndique ad templum, hoc rapinas impias atque prophanas in fano depoſituri, quaſi non ſatis ſit furto atque ſacrilegio ſe contaminare, ni & deorum contemptus accederet. Hæc
p.287 cum e mœnibus proſpectarent oppidani,viderentque templum in quod Deo vota oblaturi pii conuenire ſolent, furum atque latronum factum eſſe receptaculum, impietateque iam prophanorum hominum contaminari, nec ei parcendum eſſe duxerunt: maxime quod ex eo non parum incommodi ab hoſtibus vrbi inferri poterat. Erat enim muro ſatis firmo vndique munitum, deinde turrim habebat & firmitudine & altitudine admirandam quam ad cognoſcenda ſua conſilia ad prohibendos e mœnibus propugnatores, ſphærarum iactu maximo vſui hoſtibus futuram animaduertebant. Excuſſus itaque eſt bombarda globus ferreus aliquot librarum pondere, tanta vi ut & murus qui templum ambibat perrumperetur,diſſiparentur templi valuæ, rumperetur deinde pila lapidea, cui operis ſtructura innitebatur, videreturque templum totum corruiturum. Sunt qui dicant aliquot hoſtes qui turmatim eum locum inſederant, eiusdem globi impetu extinctos, quod fugientium e templo pauor ſatis edocuit. Iam certa videbatur Coſſ. atque Senatui vrbis oppugnatio expectanda, ei rei vt proſpiceretur, iuſſæ ſunt omnes totius ciuitatis matronæ (nam viri mœnia ſeruabant) aut ancillas, aut ſeruos ſportis ligonibusque inſtructos, ad muros ablegare, quorum opera muri terra altius egeſta contra tormentorum vim munirentur. Spectata fuit horum tanta alacritas, vt vallum quibusdam in locis ad murorum altitudinem conſurgeret, quibusdam fornices totos paucis horis æquaret. Conuehebantur vndique vaſa ingentia quibus merces aſportandæ includi ſolebant, conuehebantur tota plauſtra ſarcinis lana oppletis onerata quæ omnia humo iniecta adeo condenſabantur, vt machinis bellicis non excipiendis tantum, ſed & repellendis idonea putarentur. Incredibile dictu paucarum horarum ſpacio, iuuentutis ſtudio mœnia eam induiſſe firmitudinem per tantum vrbis circuitum quæ toto eo tempore quo obſeſſa eſt ab hoſtibus ciuitas, ſufficere ad ſphærarum iactus excipiendos ſit viſa. Nec muri tantum terra ingeſta exæquabantur, ſed & vallum ipſum inferiori inſtruitur ambitu, qui muris disiectis tutas oppidanis ſtationes præberet. Recipiebant eo tempore mœnia a portis tantum propugnatorum acceſſum, cæteris partibus omnibus aut præcipitiis erant inacceſſa, aut hortis amœniſſimis impedita, quæ res cum non parum incommoditatis ad ſuſtinendos hoſtium impetus ad opem laborantibus ferendam eſſet habitura, præcipitia eodem iuuentutis feruore in molliorem acceſſum expanduntur, disiiciuntur hortorum impedimenta, & quæ ad paucorum voluptatem olim comparata erant, ad communem referebantur defenſionem. Locis plus minus quadraginta ad viæ compendium perrumpuntur priuata ædificia,per quæ gradibus ex ligneis perticis factis, in mœnia ad quemuis caſum aſcenderetur. Comportabant vndique in mœnia ex viarum ſtratis exemptas ſilices mulieres, quin & vaſis detractorum vinculorum ſtupa atque pice materia ad excipiendum ignem aptiſſima obuolutorum, tanta certatim vis comportatur, vt totæ turres excipiendis iis longe impares ſint repertæ. Infigebantur itqaue terræ altiſſimi pali qui ad ſummum culmen vltra aliquot cubitos iis circumuinciebantur, eratque mulieribus tantus animorum feruor vt ne in viris quidem maior ad repellendum hoſtes debuerit deſiderari. Dum autem hæc geruntur mittitur per Cipdorpicam portam hoſtium caduceator quod cæteræ fere omnes terra aggeſta inuiæ eſſent. Proponit miſſum ſe & Holſatiæ Ducis & Galliæ Regis nomine, vt deditionem offerat: non dubitare ſe quin oppidani eo ſint animo qui pacem quam bellum malint. Spectent præſens periculum quod non periculo, ſed commoditate vitare liceat. Iudicent ſatiusne ſit ciuilitate ſibi prodeſſe quam pertinacia fortunarum omnium & capitis diſcrimen

Hoſtium caduceator.
Oratio caduceatoris.

accerſere. Coniunctas eſſe duorum potentiſſimorum regum & Daniæ & Galliæ vires, quorum vtriusque tanta vbique eſſet potentiæ exiſtimatio, vt non ciuitates tantum, ſed & regiones ſolo nomine eſſet territura. Copiarum Ducem eſſe Martinum Rosheymium, non minus longo militiæ vſu, diutinaque armorum tractatione quam victoriarum numero longe nobiliſſimum. Imperatorem aut vndis in Argeirenſi expeditione oppreſſum, aut in littus delatum animi ægritudine ſupremum clauſiſſe diem. Atque vt maxime inter viuos agat, non poſſe ab eo aliquid præſidii exſpectari, vtpote qui a Gallia numeroſiſſimo exercitu oppugnetur, longiusque abſit quam qui paucorum dierum itinere laborantibus ſubſidio venire poſſit. Conſulant fortunis ſuis, conſulant & ſuæ & ſuorum ſaluti, efficiantque ne maiorem fidei Imperatori datæ, quam propriæ incolumitatis rationem habuiſſe vi- p.288.

Reſponſum caduceatori datum.

deantur. Reſponſum eſt ex communi totius Senatus decreto atque plebis ſententia: Videri ſibi mirum tantæ vrbis autoritatem adeo ipſis contemptui eſſe, vt non aut Rege aliquo, aut alioqui magnæ potentiæ homine Imperatore: ſed latrone ſceleratiſſimo Duce, eam tentare aggrediantur. Eſſe ſe eo animo qui fidem Imperatori optimo datam nulla quantumuis graui imminente neceſſitate, prodere velint. Fruſtra ad terrorem, Galliæ Regis & Holſatiæ Ducis authoritatem proponi apud eos, qui præter Imperatorem agnoſcant neminem. Rosheymii latronis nomen quod ad terrorem productum erat, maximo ſibi ſolatio eſſe. Non dubitare ſe quin eius latrociniis finem,ſi quid tentet, dii immortales ſint impoſituri. Imperatorem mortuum citius euigilaturum quam aut Holſatio aut Gallo conueniat. Externis auxiliis nihil ſibi opus eſſe, quibus non tantum copiæ ſint ad defendendam vrbem, ſed & ad acie in campo dimicandum. Non videre ſe quomodo & ſibi & fortunis ſuis & liberorum ſaluti ſint conſulturi, ſi optimi Imperatoris abiecto imperio, aut tyrannos aut latrones admittant. Experiantur tantum quid aut Holſatii aut Galli authoritas, aut Rosheymii victoriæ poſſint. Nulla interim vrbis pars quæ hoſtem ſpectabat aut quæ eum contingere glandibus bellicis credebat, vel minimum tempus ab eiaculatione intermittebat. Tonabat vndique cœlum, videbantur diſrumpi vndiquaque nubes, fulmina irata cœlo deiici, remugiebat citra intermiſſionem ſonitus reuerberatione aër, concutiebantur velut terræmotu

Senatus prouidentia.

aliquo vicina omnia. Exterritus ſe intra alueum condebat Scaldis. Senatus interim vt reipublicæ rationes quam firmiſſime ſtabiliret, euocarat e Flandria quæ Scaldi adiacet M. & CC. milites, qui vrbi præſidio & ciuibus refocillationi in excubando eſſent. Erant agreſtes corporibus prorſus giganteis, ſed inermes. Apparuit eo tempore mira Senatus huius noſtri prouidentia, qui inermem eam multitudinem, armis ad id repoſitis ita inſtruxit, vt præter nomen militum nihil requiri poſſe videretur. Deerant haſtæ. Allata ſunt mox harum aliquot plauſtra in forum, proiectæ in medium cuique quæ ſibi habiliſſima videbatur arripere licuit. Data ſunt ſclopeta ex publico iis qui vti nouerant. Nec hi tantum ſed tenuiores ciues armis idoneis reipublicæ ſumptu inſtructi ſunt. Nocte ea quæ Mercurii diem ſequitur multa & priuata & publica fana & prophana ædificia in ſuburbio incenſa ſunt, vt & hoſtium inſidiæ flammæ luminibus proderentur, & obſidendæ vrbis præcluderetur oportunitas. Fuit id duriſſimum Senatui ſuorum opes flammis cremare, ſed quid non extorquere potuit extrema totius ciuitatis atque adeo ciuium omnium vitæ neceſſitas. Inter Diui Georgii portam & Cipdorpicam, collegium erat virginum ſacrarum (Nonnas vocant) non multis paſſibus ab vrbis mœnibus e regione cataractæ penſilis cui firmiſſima arx ante annos non multos erecta innititur, quæ eo conſilio conſtructa erat, vt ſi id collegium ab hoſtibus occuparetur aliquando, ex hac in eos ardentes globi coniicerentur, quibus ab acceſſu prohibere poſſent. Totum hoc incendio aboletur. Cadunt aræ diuis ſacræ, cadunt & horum imagines, nec diui tonantis effigiei impiæ flammæ pepercerunt. Sortitur & collegium id virginum ſacrarum quod erat ex oppoſito portæ quæ ab iis nomen etiam-

num

num retinet, eundem euentum : prospectabant hæc e mœnibus oppidani quorum nonnulli dolorem in lachrymis, plerique in iram atque vltionem hostium effundebant. Efflagitabant etiam conuitiis portas aperiri. Ferendum non esse tantam ciuitatem non a militum: sed prædonum, proditorum atque sacrilegorum exercitu obsideri, non regibus, sed proditoribus Ducibus. Posse vel sextam oppidanorum partem ei furori obuiam ire. Coss. atque Senatus (qua erant prudentia) reputantes quantum momenti in eius vrbis fideli atque diligenti custodia positum esset, quæ opibus & authoritate totius Europæ esset nobilissima atque in cuius expugnatione non Brabantiæ Flandriæque solum, sed omnium regionum Cæsari parentium victoria posita esset: maluerint continendo ciues suos intra mœnia, ciuitatis saluti prospicere, quam emittendo portis eos & hosti obiicere, & publicam salutem in periculum vocare. Norant enim satius esse cum ignominia ciuitatem tueri quam cum gloria eandem pessundare. Eruptiones non nisi rebus desperatis in extrema p. 289. necessitate hominum esse non fortium, sed temerariorum : qui non consilio, sed furore dimicant, Stultum esse dubiam martis aleam subire, vbi pace frui liceat: maxime aduersus eos hostes, qui vt cum multa gloria vincere, ita propemodum cum dedecore vinci potuerint. Non debere fures, prædones, atque sacrilegos bonorum ciuium manu cum gloria occidi, sed aut in rota aut cruce a carnifice cum ignominia strangulari. Discussis tandem tenebris solis orientis radiis, emittebantur crebro portis, maxime iis quæ hostem spectabant, ciues aliquot, vt quid hostes in animo habeant, cognosci queat. Videbantur enim e mœnibus totum eum campum qui a Willibordo nomen habet peruagari, nunc dumis arboribusque quibus is locus munitissimus erat se tegere, rursus ex latebris in apertum se dimittere, quæ res aut suffossiones aut vallorum erectiones videbatur minitari quæ propter arbores obiectas non e mœnibus, sed per exploratores emissos cognosci poterant. Toto hoc die eadem fuit oppidanorum disciplina, quæ ad hostium aduentum fuerat. Seruabant regionum præsides accurate loca sibi designata. In officio persistebant iaculatorum iuratorum quos ad forum consedisse dictum est collegia. Periclitantis vrbis clauum tenebant Marchio, Consules atque Prætor cum iis quorum ante meminimus. Emittuntur vndiquaque ex mœnibus turribus atque portis in hostem globi, curatur ne quid in vrbe a proditoribus inferri discriminis posset. Examinantur omnes totius vrbis tabernæ popinariæ, œnopolia atque diuersoria publica, nihilque prætermittitur quod ad compescendos intra mœnia proditores, ad arcendos e mœnibus hostes spectare videretur. Ab eo tempore animus oppidanis crescere, hostibus alacritas diminui cœpit. Siquidem vt viderunt proditionis consilia discussa, coniectos eius authores in vincula, nusquam tota vrbe enasci incendium, & vrbi in horas recentia aduenire auxilia, tantam bellicarum machinarum vim in muris & turribus & portis dispositam, nec die nec nocte ab eiaculatione globorum ictibus tempus vllum intermitti, prodire se nusquam posse quin globorum ictibus mox feriantur, ad saniora obsidionis soluendæ consilia animum adiicere cœperunt, quæ vt occultiora essent secundo die ab Iacobi festo, non procul a porta rubra aliquot signa præcedente terribili taratantaræ cantu, cui concitatiores tympanorum bombi admiscebantur, velut mox vrbem assulturi erexerunt. Contorta est eo tanta bellicarum sphærarum e mœnibus multitudo, vt præ fumo clarissimo die sol conspici multis in locis nequiuerit. Qui ad Chroeneburgicam portam stationes habebant oppidani, audito hoc assultus futuri apparatu, ad Senatum referunt de incendendo Carthusiensium collegio quod extra eam portam situm esse ante demonstratum est, quod maximam oportunitatem oppugnandæ eminus vrbis, ob situm, munitionesque firmissimas habere videretur. Proponunt iniquum esse ob paucorum ambitionem, totius ciuitatis fortunas periclitari, non debere id collegium ab ea fortuna immune esse quam iam tot splendidissima ciuitatis suburbia, denique duo virginum sacrarum cœnobia essent sortita. Si

Oppidani efflagitant portas aperiri.

Eruptiones quando locum habeant.

Animus oppidanis crescit: Excidunt hostes spe oppugnandæ.

Oppugnatio simulata.

præ-

præmonstratensi cœnobio quod Michaelitarum vocant, intra vrbis mœnia sito, tantum loci ademptum sit, quantum ad ciuitatem ea parte defendendam sufficeret: iniustum esse hoc ab ea fortuna prorsus liberum seruari, quod non tantum ad oppugnandam vrbem, sed & intercludendam eandem cæterarum ciuitatum auxiliis atque commeatu locum maxime haberet oportunum. Cæteros commodius fortunam suam perpessuros, si eandem cum multis aliis haberent communem. Id ni fiat minitantur se mœnia eo in loco deserturos. Non enim posse se ciuitatem eam defendere, cuius saluti paucorum detrimentum præponatur. Iniectæ sunt ergo & in hoc faces, non paucorum odio, sed commodandi communi ciuitatis saluti studio. His studiis eo die transacto, superuenit nox quæ cum oportuna videretur hostium tormentis bellicis vrbi admouendis, quæ luce ob globorum qui ex vrbe emittebantur multitudinem nullo modo admoueri poterant, cauetur ne tota nocte vllæ eiiciantur bombardis sphæræ, ne earum sono hostium cœpta vllo modo obnubilarentur. Taciti iubentur omnes stationes suas obseruare, auremque subinde ad hostes admouere, quo strepitus equorum bombardas aduehentium exaudiri commodius posset. Silent in vrbe omnia. Nusqam aut bombardarum tonitrua, aut tympanorum bombi aut alioqui paucorum strepitus audiebatur: quod silentium eo fuit hostibus admirabilius, quo ante tumultuosiora fuerant omnia. Aliis deinde affectibus ex aliis vt fit mentem tentantibus, quum & suam paucitatem & ciuitatis amplitudinem apud animum suum reputarent viderentque in proditione qua maxime freti audaciam tentandæ vrbis conceperant nihil subsidii esse, & sceleribus iam animos ipsorum conscientiæ flagello exagitantibus, & fugam cædemque & quæ his atrociora erant minitantibus, dum machinas admouendas expectamus, hostes de amouendis iis cogitant, tum eos accessuros propius putamus, illi de discedendo consilia capiunt. Erat noctis hora quantum nobis ex syderum motu videbatur (nam horologia toto eo tempore quo vrbem accesserant hostes prosus muta fuerant) circiter prima, cum subito flagellorum quibus equi ad laborem incitabantur verbera ex mœnibus audiri, excitari pedum equorum laborantium plausus non procul Dammo, quod non multos passus ab vrbe distabat) nam in tanto silentio ne minimus quidem modus latere potuit) oppidani qui inter Cipdorpicam & Rubram portas excubabant (hi enim hostibus maxime vicini erant) hæc e mœnibus audientes, cum non mult.s ante horas de oppugnatione futura rumor per totam ciuitatem sparsus esset, ad sustinendos hostium impetus sese accingere, monereque eos qui bombardis præerant, vt eo vbi is tumultus audiebatur, globos dirigerent. Cæteris mœnibus omnibus ad quæ is strepitus non peruenerat altissimum erat silentium. Exonerata fuit igitur in eum locum, in quo is strepitus audiri videbatur bombarda, quæ & ob noctis ciuitatisque silentium tanto fragore pertonuit, vt cœlum ipsum ruere videre videretur Hoc sonitu excitati cæteri omnes machinarum præfecti, quod non frustra exoneratam hanc putarent ab ea parte qua hostes castra habebant, immisso igne non inventos, sed in regionem eam quam hostes tenebant, tormenta direxerunt, ita factum, vt vnico momento plura CCC. in hostes sint exonerata. Vagabatur eo tempore per totam ciuitatem fama, hostes mœnia ea occupasse quæ sunt inter Pisternensem portam & eam quæ a luto nomen habet, cuius famæ non dubium est quin proditores authores fuerint. Itaque nola maxima cuius signum in rebus dubiis obseruabatur, tristi atque lugubri sonitu totam ciuitatem personabat. Regionum earum præsides quas ad Scaldem excubasse dictum est, agmina sibi concredita versus ea loca agere, quæ ab hoste occupata dicebantur. Audiebantur ciuium mutuo se adhortantium voces. Iaculatorum iuratorum collegia acie instructa forum seruabant eo properatura quo vrbis periculum vocasset, ita de hostibus profligandis cogitamus, qui iamdudum solo vrbis aspectu moti fugam meditabantur. Promouerant enim machinas bellicas non ad vrbem, vt e mœnibus fieri putabant oppidani,

Hostes fugam cogitant.

Nocte vltima creduntur hostes ad vrbem accedere.

Fama sparsa de expugnatione vrbis.

p.290.

dani, sed ad fugam capessendam. Videbant eam enim Coss. atque Senatus prudentiam, quæ proditioni structæ facile consilio obuiam esse itura, & eam oppidanorum alacritatem atque vigilantiam, quæ tantulis copiis expugnari non posse videbatur. Itaque sub auroram hostes (quod noctis insidias metuerent) castra movere, non dissimulanter fugam arripere cœperunt, relinquentes vrbem inexpugnatam, ad quam expugnandam tot annis omnes impias proditionum cogitationes atque consilia adhibuerant: Non potuit eos florentissimum Galliæ regnum, non Holsatiæ atque Cliuiæ Ducum authoritas, contra vrbis amplitudinem fulcire. Qui vrbem oppugnaturi venerant, solo nomine, sola authoritate, solo eius aspectu in fugam coniiciuntur: multorum annorum proditiones extemporaneis Coss. atque Senatus nostri consiliis expugnantur. Inceditur post fugam ab hostibus circumforaneis Merxheymium. Incenditur Dammum. Incenduntur ædes multæ extra portam rubram & Cipdorpicam. Omnes eæ molæ quas in campo, qui Willebordi templum cingebant, erectas fuisse demonstratum est, incenduntur. Erant negociatoribus Antuerpiensibus plerisque splendidissima circum vrbem prædia, hæc omnia maxime quæ Septentrionem & Orientem spectabant, incendio abolita sunt. Profecti deinde per locum qui a figulis nomen habet per Burgerhoutum, omnia incendiis atque rapinis miscuerunt. Hinc Ranstum, deinde Lyram præterlegunt: a cuius oppugnatione multitudine globorum ignitorum deterriti Duffelam petunt, qua non sine maximo detrimento depopulata Louanium contendunt, certam eius expugnationem credentes, a quo & telorum missu reiecti, Gallicobrabantiam præ-
p.291. dabundi peruagantur. Hinc non paucis acceptis vndiquaque vulneribus, Galliam nunciaturi Gallo suas victorias ingrediuntur. Ad hunc modum clarissima Antuerpiæ ciuitas, primum Deorum immortalium ope, deinde Coss. atque Senatus consilio, ciuium concordi alacritate atque virtute, & contra clandestina proditionum consilia, & apertam hostium vim Caroli quinti, Imperatoris imperio seruata est incolumis.

GELDROGALLORVM GRASSATIO IN LOVANIENSES, PER MARTINVM A ROSHEIMIO AB EXIMIÆ SPEI ADVLESCENTVLO FLANDRO POSTERITATI PRODITA 1542.

Iam modo complerat dignas carbone Calendas
Mensis ab Augusto Cæsare nomen habens,
Sordida colluuies nebulonum Principe Gallo
Cum fremeret contra nobile Louanium.
Hæc igitur paucis narranti prima sororum
Cultori fer opem Calliopeia tuo.
In Mare condiderat sese Phœbeius orbis,
Alternas Luna iam subeunte vices:
Idcirco vigiles somnum petiere diurni,
Nocturnique recens turba subiuit onus,
Nox ruit inuoluens densa caligine cœlum,
Lucifero nec adhuc cura laboris erat:
Sed tamen indicium vicinis fecit ab aruis
Flamma, quod a muris non procul hostis erat.
Sueta dies festos ornare, tonantia Martem
Aera dabant tristes terribilesque sonos:
Protinus attoniti currunt iuuenesque senesque.
Nunc ferus hostis adest quilibet ore sonat.
Claudipedes, valgi, vari, nullumque retardat
Aut podagra, aut febris, vel paralysis iners,

Quod-

Quodque magis mirum est raptis properare laternis
Vidisses Clarium Pieridesque Deas.
Scilicet in tali casu miserata suorum p.193.
Cultorum Altricem numina docta puto.
I nunc, & moueat risus insignis Homerus,
Qui fieri Diuûm prælia scribit ope.
Interea æquoreis rutilum caput extulit vndis
Cynthius, ignipedes iamque reduxit equos:
Ecce cateruatim nitidis micat hostis in armis,
Cernis vt in summo monte nitere niues.
Corruscant vexilla, tubæ taratantara fundunt, p.192.
Pulsibus horrificis tympana cuncta replent.
Sed tamen impauido cleri cum plebe steterunt
Pectore, nec sæuis succubuere minis,
Pars bombardarum satagit prouoluere moles,
Pars tueres armis constabilire suis.
Hâc salices, illâc duras crepitantia quercus
Plaustra vehunt, alii stramina, saxa, picem.
Suffodiunt alii valido terræ aggere portas,
Certatim exequitur munera quisque sua.
Fœmina qua potuit quoque sedulitate iuuabat,
Pars recreat dulci membra liquore virûm,
Hæ portant cineres, aliæ longo ordine terram,
Saxaque; robustas fecerat ipse Timor.
Vt sis debilior nano (mihi crede) coactus
Acer & in pugnas ingeniosus eris.
Iamque aderat rogitans, ciuesne apprehendere bellum,
Gallorumne velint sub ditione tegi.
Consilium proceres ineunt, hostilibus armis
Sese posse negant viribus esse pares.
Denique constituunt hostis tentare superbi
Si fieri pretio lenior ira queat.
Castra petit custos inimicæ Blehemius vrbis,
Vtque aderat, soluit talibus ora sonis:
O Dux, cui medios valide penetrare Brabantos
Fors dedit, heu nobis fors inimica nimis.
Si qua fides vsquam, si qua est reuerentia iusti,
Ne precor infestes Louaniense solum.
Non etenim vestros populatum venimus agros,
Non indicta suis sunt quoque bella modis.
Si tamen in miseram placeat dominarier vrbem,
Immeritos vrbis cur mala fata premunt?
Apta magis libros quam durum euoluere ferrum,
Est ibi doctorum, nobiliumque cohors.
Quos amor huc studii longinquis traxit ab oris.
Parce vel innocuo, non meritoque gregi.
Forsitan & vestros inter proceresque Ducesque p.194.
Est, qui non doleat se hunc coluisse locum.
Si faciles estis, pietas tua præbeat aures,
Et fiat precibus mollior ira meis.
Dic pacis leges, nullam patiere repulsam,
Hoc adiuro tibi Cæsarianus eques.

Dixe-

Dixerat. Ast toruo distorquens lumina vultu,
Molles tolle preces, nil (ait hostis) agis.
p.293. *Tradite vel rapiam vobis hostiliter vrbem,*
Et tunc consilium res dabit ipsa mihi.
Ille metu trepidus, pactum vix impetrat hora,
Vt referat tutus ciuibus acta suis.
Sic tandem accelerat rapidos ad mœnia gressus,
Vix tamen in primis faucibus vrbis erat:
Vndique paulatim subrepsit perfidus hostis,
Explorans si qua parte nocere queat.
Non secus atque lupus recubans in vertice montis
Respicit errantes insidiosus oues.
Quam nihil ingenuum, quam nil sine fraude, doloque,
Galle vel infanda proditione facis.
Hostis vt hostis adest, si fidis pace sequestra,
Cur struis occulta callidus arte dolos?
At scelus hoc, oculis contemplans omnia iustis,
Non potuit tacitus præteriisse Deus.
Sed pius acciuit belli studiique magistram
Pallada, & ex imo pectoris orsus, ait:
Chara mihi ante alios diuos Tritonia, quantis
Sit subiecta malis vrbs tua nota vides.
Ergo ne tot gemmas, tot lucida sydera mundi,
Tot spes egregias auferat vna dies?
Per Styga non patiar: tu diua tuere Brabantos,
Latronumque tua funde sub vrbe manus.
Illa minax, alta diuorum sede relicta.
Contulit audaces ad loca iussa pedes.
Vtque aderat, iuuenum stimulis ardentibus iras
Suscitat, vna omnes protinus ore fremunt,
Proh scelus, an patimur vinci sine puluere muros?
An nihil omnino dextera nostra valet?
Anne vltro iugulum stricto præbebimus ensi?
Siccine nos vitæ pœnituisse, potest?
Ne desint animi, studiis bellisque Minerua
Rite præest: eius nos quoque turba sumus.
Si tamen immorimur, mortem defensa iuuabunt
Mœnia: laus paucis vincere maior erit.
Nec mora, fit clamor, redduntque tonitrua sæua
Bombardæ, credas intonuisse Iouem.
Heu quis tunc luctus fuerat, planctusque per vrbem?
Euictæ facies hæc tibi Troia fuit.
Aufugere Duces, locupletes deinde sequuti
Sunt, vel in abiectis delituere casis.
Vt taceam, varias quas assumsere figuras,
Quæ decorent libros Naso iocose tuos.
p.294. *Quam ferus heu dominus Timor est: vel muris in antrum*
Prorepes, modo dum vsserit ille tibi.
Virgo pudicitiæ, soboli matrona timebat,
Orando superos sollicitauit anus.
Et simul implerunt vlulatibus aëra magnis.
Mortis vbique pauor, magnus vbique dolor.

 Inter-

Interea cleri promptis cum ciuibus acres
Defendunt ducibus mœnia nuda suis.
Nec cessare prius morti dare corpora, quam nox
Illabens nitidum vinceret atra diem.
Ast iras hostis voluens furibundas inanes,
Subiecit pauitans anxia terga fugæ.
Nec redit: vt scopulos si quando euasit acutos
Cautus ab infaustis nauta veretur aquis.
Vos tamen o ciues diuino numine iuti
Ferte Diis memori suauia thura manu:
Seu, quod odorifero thure est acceptius omni,
Viuite, vt iratus non queat esse Deus.

Aliud in eosdem.

Hinc hinc Galle procul, procul aut bombarda repellet.
Heus fugito, sedes hic Iouis ales habet.
Perfidus ille nihil Gelrus, nil Cymber iniquus
Profuerit: cristas erigere ergo caue.
Quos duce Borbonio sensisti lenius vngues,
Ni fugis acres experiere magis.
Semiputata tibi Latio calcaria quondam:
Ergo fuge, aut totus diripiere miser.



FRAN-

FRANCISCI I.
ACTA.

LECTORI BENEVOLO
S. D.
BURCARD GOTTHELF STRUVE



Ontinentur hoc fasciculo varia, cum Germaniæ Ordinibus a Francisco I. & per litteras, & per legatos in diversis etiam Comitiis ab an. 1535. ad 1544. acta. Prodierunt ista primum hoc titulo. *Exemplaria litterarum, quibus & Christianissimus Galliarum Rex Franciscus ab adversariorum maledictis defenditur; & controversiarum causæ, ex quibus bella hodie inter ipsum & Carolum quintum Imperatorem emerserunt, explicantur: unde ab utro potius stet ius æquumque, lector prudens perfacile deprehendet. Quarum catalogum sequens pagina indicabit. Parisiis ex officina Roberti Stephani 1537. cum privilegio Regis 4.* Verum, cum scripta in hac editione non secundum temporis ordinem disposita, Freherus eundem in sua hac editione observavit. Primum inter hæc est epistola Kl. Februarii 1535. ad ordines Imperii scripta, qua partim excusare se conatur Franciscus I. de iis, de quibus fuerat inculpatus, quod Turcarum scilicet legatos admiserit, & Germanos fuerit persecutus, partim etiam opem suam offert ad discordiam de religione componendam. Faciunt huc verba Sleidani, * *cum autem hoc ipso tempore Turcici legati essent in Galliis, eoque nomine rex in odium atque suspicionem vocari sese per Germaniam audiret, illa quoque supplicia, quæ diximus, multos offenderent, Calendis Februarii dat litteras ad Imperii Principes omneis, & ordines, ac illud de Turca primum excusat, & tacito nomine, quosdam ait annis iam aliquot, ad Turcam subinde misisse legatos, & ab illo invicem accepisse, non consultis iis, quorum intererat scire, quid agerent: illos nimirum non recusasse stipendium atque vectigal annuum dependere Turcæ, quo pervenirent ad eum, quem animo iampridem conceperant, dominatum: sibi vero, si quiescere velit a bello, maximas a Turca proponi conditiones, verum eas adhuc quidem se repudiare semper, & velle, ut cæteri quoque reges atque Principes in ea pace deprehendantur: id autem quo minus fiat, in causa esse illorum ambitionem, de qua Turcarum Imperator compertum habeat, neque ferre possit ipsorum sic augescere potentiam, quæ post ipsi futura sit invidiosa: quod si autem certus esse queat, suos intra fines quemque manere, nec aliena cum iniuria suam ditionem amplificare velle, non dubium esse, quin ille remotis armis a nostris finibus, in diversos & longinquiores populos impetum sit facturus omnem: in votis igitur esse positum, ut tam potentem hostem sine cæde & sanguine removeamus: & sibi quidem optimum hoc videri consilium, ut pacis & induciarum ineantur cum eo rationes, hoc præsertim tempore, quando multis & perversis in religionem invectis opinionibus, respublica valde sit dilacerata: quod si Clementi VII. Deus usuram lucis magis diuturnam dedisset, dissidium hoc omne religionis potuisse componi: multum enim sibi cum illo super ea re sermonem fuisse, nec aliud quicquam tunc obstitisse, quo minus concilium indiceretur, quam quod Cæsari promiserat, in Italia illud habere: cum ipse contra sentiret, & quandoquidem pacata non esset Italia, Cæsar etiam atque ille copias ibi haberent, neque dum sublata esset armorum causa, ut in Germania concilium cogeretur, contenderet, nam neque sibi propter belli suspicionem, neque Germanis omnibus propter diversam religionis professionem, tutum esse in Italiam armatum accedere: veruntamen,*

* *Lib. IX. p. 250.*

men, quod Clemente Pontifice fieri non potuit, vt id Paulo III. ductore bene ſuccedat; optare ſe plurimum. In huius deinde commendationem atque laudem ingreſſus, ait nullum in ipſius creatione vitium, nullam interueniſſe largitionem, nec eſſe cur ea metuat ille, quæ nonnullis metum adferre ſolent, quo minus legitimæ ſeſe cognitioni ſiſtant: & quanquam fuerit non difficile, ſuæ gentis aliquem eo promouere dignitatis, tamen ſuaſiſſe Cardinalibus, qui ſuam tunc ſequebantur authoritatem, vt hunc diligerent: & cum deinde creatus eſſet, rogaſſe per literas atque legatos, vt loco tuto & idoneo, concilium primo ſtatim tempore conſcriberet: vt itaque bono ſint animo, neque de conciliatione religionis animum deſpondeant, hortatur: nec enim vlli ſe labori ſuo parciturum eſſe: declarent ipſi modo, quid ſe velint apud pontificem perficere. Poſt, alterum criminationis caput diluit & vel contra ſuum inſtitutum atque naturam ſeuerum ſe fuiſſe dicit in homines quosdam audaces atque facinoroſos, qui ſub religionis prætextu, reipublicæ moliebantur excidium: itaque ne longius hæc contagio ſerperet grauiter in illos vindicaſſe more maiorum: iam vero, ſi quis in eo numero fuiſſet deprehenſus homo Germanus, eodem loco ſe habiturum fuiſſe illum, quo cæteros: etenim ſi qui ſuæ ditionis atque gentis in ipſorum finibus aliquod ſimile perpetraſſent, non ſe recuſare, quo minus in ipſos acerrime vindicetur: ſed neminem eſſe repertum Germanicæ nationis, affinem huic impiæ ſocietati, quod ſibi periucundum acciderit: itaque ſuum regnum atque domicilium ipſum patere Germanis, non minus quam Gallis: huius autem obtrectationis authores id agere ſolum, vt Galliam a Germania diuellant, aſtuto nimium & inſidioſo conſilio, vt per disſidium illud, & in his offenſionibus, ad optatum ipſi finem perueniant, & vtrisque dominentur. Quantam autem ad perſecutionem Euangelicorum facem Franciſcus prætulerit, idem teſtatur Sleidanus: * *interea per Galliam nouus oritur motus in eos, qui de Lutheraniſmo erant quoquo modo ſuſpecti, cuius quidem rei hæc erat occaſio. Lutetiæ Pariſiorum, & aliis quibuſdam in locis & in ipſo regis palatio, fere eodem tempore, noctu, chartæ quædam fuerunt affixæ, in quibus de religione deque Miſſa cumprimis, multa erant perſcripta: mox inquiri cœptum eſt ac inueſtigari, & per indicium nonnulli, quidam vero per ſuſpicionem comprehenſi, habita quæſtione, viui cremantur, horribili ſane ſpectaculo. Nam ad machinam alligati, & in altum ſublati, deinde in ignem e ſublimi demisſi, & rurſus adducti, carnifice demum abſcindente funem, in ſubiectam flammam corruebant: iis etiam, qui paulo videbantur eruditiores, antequam producerentur, lingua reſecta fuit, ne vel ſupplicii cauſam, vel ſuæ doctrinæ ſummam ad populum explicarent. Erat autem huius perquam idoneus adminiſter, Ioannes Morinus, proprætor. etenim, vt ſagacisſime nouerat eos odorari & perueſtigare de quibus erat aliquid ſuſpicionis, ita etiam, cum deprehendiſſet, in irrogandis pœnis atque ſuppliciis omnem prope ſenſum humanitatis exuebat.* Hanc ipſam epiſtolam in vernaculum ſermonem translatam Operi ſuo de cauſis Belli Germanici inſeruit Fridericus Hortlederus, ** adiectis quibusdam notis politicis. Mentionem huius ſcripti quoque facit Seckendorfius, *** dicens, ſcriptum illud magis ad deuinciendos ſibi Proteſtantium Principum animos quorum aliquos in expeditione Würtenbergica iuuanda ſibi conciliauerat, quam aliorum compoſitum fuiſſe, quanquam inſcriptum fuerit omnibus.

In altera Epiſtola ad eosdem Imperii Ordines ſtudium ſuum, quod circa Concilii indictionem habeat, profitetur.

Tertium ſcriptum ad Imperii Ordines Eslingæ congregatos eſt directum, quo ſaltim declarat, ſe Guilielmum Bellaium Conſiliarium ſuum & Cubicularium in-

* *Lib. IX. p. 246.*

** *Tom. I. lib. I. c. XVIII.*

*** *Hiſt. Lutheran. lib. III. ſ. XIII. §. XXXVIII.*

timum esse missurum, qui cum Imperii Ordinibus de ratione restituendæ Concordiæ Ecclesiasticæ conferat, licet de Eslingensi conuentu nec Sleidanus, nec Seckendorfius quidquam tradant, vt exinde coniecter, consilia primum fuisse, de conuentu Eslingæ habendo, qui tamen postea Smalcaldiam fuerit translatus.

Subsequitur igitur quarto loco Guilielmi Bellaii Langæi in Conuentu Ordinum Protestantium mense Decembri 1535. habita Oratio, cuius summam Sleidanus hoc modo tradit:

Galliæ Rex, qui iam plane constituerat in Italia belligerari, legatum misit Guilielmum Bellaium Langæum ad hunc Smalcaldiæ conuentum. Is XIX die Decembris orationem habuit, & primo de suppliciis regem excusat. illum animaduertisse quidem in suæ ditionis quosdam: sed hoc ad ipsorum iniuriam nullam pertinere, tametsi maleuoli dicant, quum illos e medio sustulit, ipsorum quoque causam veluti præiudicio quodam condemnasse: rogat autem ne tam ineptis calumniis moueantur, & rem omnem diligenter secum expendant: etenim in Germania multos ab ipsorum doctrina prorsus abhorrere, quosdam non omnino subscribere, sed & ipsos qui sint eiusdem doctrinæ, non semper idem sensisse: quod nunc autem idem profiteantur, pergratum esse regi: non se dubitare, tantam ipsorum esse modestiam & humanitatem, vt nemini velint præscribere, neque hoc sibi sumant aut arrogent, vt ad suam religionem etiam inuitos adigant: regem solere de ipsis amanter & perhumaniter loqui, & ab ipsis agnoscere quædam esse sanctissime declarata, sed moderatius quædam fieri voluisse: videre quidem illum & longinquitate temporis, & hominum indiligentia, & superstitione, ceremonias in ecclesiam obrepsisse quasdam inutiles & superfluas; verum vt omnes idcirco promiscue tollantur absque decreto publico, minus ei placere: ceremonias enim esse velut adiutrices atque pedissequas religionis & singulis fuisse temporibus, & eos qui violassent, grauiter & seuere semper esse vindicatum: & cum rusticorum seditionem ipsi totis viribus oppresserint, cum anabaptistas coherceant, cum sine causa nihil facere videri velint, cur non idem de rege amico statuant? cur non cogitent, graues omnino fuisse caussas & summam necessitatem, quam ob rem in suos animaduerterit, etiamsi forte quidam minus fuerint nocentes? cuiusmodi enim sint illorum flagitia non esse huius loci commemorare, quædam enim plerumque fieri, quæ, ne cum facta quidem sunt, sciri ab omnibus expediat, cur ita facta sint, & pro temporis conditione remitti, nonnunquam etiam augeri pœnam: ipsi quidem regi, cui tam late pateat Imperium, non ad præsens modo tempus, sed ad futurum etiam respiciendum, & prouidendum fuisse, ne sua lenitate, plurimorum improbitati fenestram patefaceret: cumque natura sit & educatione mansuetus & perhumanus, necessitate coactum, vicisse naturam & aliam ad tempus induisse personam: & sicut differentes de quaq; re libenter audiat, sic etiam illis offendi, qui temere quid moliuntur, nec ad eos referunt, quorum est definiendi potestas: illos vero, de quibus pœnam sumpsit, non idem quod ipsi, verum longe sensisse diuersa. Iam, quod ad ipsorum attinet doctrinam, regem existimare, quicquid eius rei fecerint, communi factum esse consilio: cuiusmodi vero sint ipsorum dogmata in medio relinquere: nam in rebus tam arduis nolle sibi iudicis personam præ cæteris arrogare & vtrobique esse aliquid quod & probari possit & improbari: nimirum sic esse comparatum, si penes eundem sit & asseuerandi & iudicandi potestas, vt falli quis & errare possit. Beneuolentiam deinde captat, & illos refellit, qui Germanis dicebant esse cauendum ab exteris legationibus: ad ipsorum hoc pertinere detrimentum atque seruitutem demonstrat; etenim nullius populi tantas esse vires, vt diu stare possit atque florere, nisi finitimorum sit amicitia munitus & societate: sed perantiquam esse Galliæ Regum & Imperii Principum coniunctionem & vtriusque gentis eandem esse stirpem & originem, & propter situm atque propinquitatem, non vsui tantum atque præsidio, sed & ornamento inuicem esse posse: Regem igitur, quum Germanis inter se minus conuenire audit, dolere plurimum, & quantum quidem

* *Lib. IX. p. 256.*

dem ipse possit, conciliationi studere: non semel etiam esse veritum, ne dissidium hoc religionis, luctuosum aliquem haberet exitum, & quia conuenisse iam ipsos, tuendæ suæ dignitatis causa, nec etiam eos qui sint diuersæ religionis ab ipsorum acceperit excludi contubernio, spem habere illum permagnam, fore, vt ea res ad opinionum atque doctrinæ conciliationem aditum faciat: his itaque de rebus admonitum, voluisse per legationem, quid sui sit consilii demonstrare: nimirum, quia temporum hic sit status, vt commune liberumque concilium adhuc quidem cogi non possit, optimum regi videri, si Germani conueniant interim omnes & collatis sententiis rationem ineant concordiæ, quæ facile sarciri possit, modo nihil obstinate fiat, & errore deprehenso non pigeat mutare sententiam, & cedere meliora docenti: siquidem hoc fiat, regem ipsis in eo futurum esse socium & adiutorem: nam & Paulum tertium Pontificem interpellatum a Rege super eo, fateri, non sic esse traditionibus humanis insistendum, vt non pro conditione temporis, & publicæ quietis causa, mutari possint; &, si recte atque ordine omnia fiant, profiteri, multa se temporibus, multa communi concordia permissurum esse: quod si ipsis etiam placeat, vt delecti aliquot Galliæ Viri docti & periti rerum sacrarum intersint huic actioni, vel, si quos ipsi de suis in Galliam mittere velint ea de causa, longe hoc illi fore gratissimum, & ipsorum hoc arbitrio totum permittere: quod superest hortari, vt pacem inter se colant, seseque muniant coniunctis animis, id enim ad externam quoque pacem pertinere, & regem quidem ipsorum hostibus vnquam nec ope neque consilio adfuturum esse, modo, quod adhuc fecerunt, in eadem erga illum voluntate permaneant. Quid vero legatus in conuentu isto cum Protestantibus egerit, & quid in Colloquio, quod cum eo de causis Religionis die XX. Decembris, summo mane habitum, actum fuit, ex relatione Spalatini refert Seckendorfius,* qui etiam litteras Francisci inseruit Diuione die XIX. Nou. ad Electorem, d. XX. Nouembris ad Ordines scriptas, quibus testatur, se Legato suo omnem fidem velle haberi. Dum autem Bellaius mense Iunio 1536. altera vice ad Imperii Ordines mitteretur, nouas litteras de fide ipsi habenda accipiebat, quas hic quinto & sexto loco videmus exhibitas. Mittebatur iste binas ob causas in Germaniam. Prima quidem erat, vt Protestantes a Cæsare alienaret, atque in Franciscum faceret propensiores, siue vt ipse ait, vt calumnias contra Franciscum sparsas, de fœdere cum Turcis, propulsaret. Altera, vt Gallorum iura in Ducatum Mediolanensem Ordinibus proponeret, quam causam ab iisdem volebat diiudicari. Hæ igitur literæ septimo loco inseruntur. Agit de iisdem ipse Guilielmus Bellaius in Commentariis suis, ** dicens: *dum rei veritas paulatim gliscit, Langaus, quoniam videbat sibi tamen nondum tuto in omnibus locis versandi facultatem futuram, quæ adeunda sibi iudicabat, vt sui Principis & liberorum mandatum curaret, & Ordinum Imperii conuentum haberi postularet, vbi causæ illorum firmamenta & potissima rationes, in quibus cum Cæsare contendebant, explicarentur: fiduciarias, quas a Rege literas habuerat, vna cum aliis, quas ipse suo nomine priuatim scribat, quibusque quid in mandatis accepisset, fusius declarabat, ad Ducem Bauariæ Ludouicum, Comitem Palatinum, Electorem mittit: Eum rogat, vt quoniam inter seculares Electores Principem locum obtinebat, & Galliæ proximus erat, ipsa Regis & liberorum postulata collegis significanda curaret.* Eandem epistolam Commentariis suis inseruit Bellaius, sed verbis aliquantisper mutatis. Subsequitur octauo loco Francisci I. Epistola ad Imperii Electores data Decembri mense 1536. qua conuentum ad disceptandam de Mediolano controuersiam, & se aduersus maleuolorum calumnias purgandum, indici postulat. Nona Epistola ad Albertum Moguntinum Electorem est directa, qua conqueritur, Tabellarium suum, a Ioachimo II. Brandeburgico Electore in vincula fuisse coniectum. Decima est Epistola ad Ordines Imperii, qua de oblatis sibi per Solimannum pacis conditionibus agit; atque Status iterum a Cæsare alienos reddere conatur. Idem tentat Franciscus epistola sua

* *Hist. Luther. lib. III. f. XIII. §. XXXVIII. add. I.*

** *Lib. VI. p. 202.*

la sua ad Ordines, quæ vndecimum locum occupat, qua potissimum istos dehortatur, ne sumptus quosdam Imp. ad Bellum contra Turcas suppeditent, cum Solimannus professus fuerit, nihil se, nisi prouocatus, Germaniæ nociturum, atque denuo caussæ Mediolanensis decisionem vrget. Duodecima est epistola ad confœderatos Smalcaldicos responsoria, qua de amicitia sua erga eosdem testatur. Subsequitur decimo tertio epistola ad Ordines Imperii pro Francisco apologetica, qua auctor omnem bellorum culpam in Carolum reiicere conatur, quod ipse Turcas concitauerit, sub prætextu belli Turcici Massiliam per insidias capere tentauerit, oblatas pacis conditiones, easdemque æquissimas reiecerit, Turcis bellum, sola motus dominandi cupidine, intulerit, Delphinum tanto famæ suæ dispendio veneno enecari voluerit. Postquam igitur Carolum satis increpasset, tandem Franciscum Regem excusat, quod pacem cum Turcis ab iisdem oblatam colat, ne temere eundem hostem in se prouocaret, quin potius antea omnia ad bellum contra Turcas Carolo obtulerit auxilia. In caussa Mediolanensi ait, Franciscum semper prouocasse ad æquam iuris disceptationem coram Imperii Senatu. Demum conqueritur, literas suas ad Imperii Ordines scriptas, sæpius fuisse interceptas, tabellarios vel male habitos vel enecatos. Decima quarta est Apologetica cuiusdam famæ regiæ studiosi epistola, qua Franciscum de singulis, quæ ipsi fuerant inculpata, defendere conatur. Primum quod Ducatum Mediolanensem sibi velit vindicare, in quem ius ipsi sit integrum, neque renuntiationem quidpiam valere, quæ liberis ipsius minime posit præiudicare. Deinde, quod bellorum cum Cæsare gestorum ipse potissimum sit auctor, quod ex bello Roberti Marcani, Nauarreno, Sabaudico, Mediolanensi declarat, in quibus singulis non nisi prouocatus, arma contra Cæsarem tulerit: imo, in caussa Mediolanensi ipsum semper ad Imperii Senatum prouocasse. Cæsarem gloriari victoria Africana, cum tamen Franciscus Tunetanum Regem imposuisset. Præterea profitetur, Franciscum Vdalrico Würtenbergic. pecuniam suppeditasse pro Comitatu Montisbeligardensi, nec sua interfuisse, percunctari, quo eandem vellet impendere. Burgundiam autem ipsum optimo iure possidere. Demum increpat Carolum, quod pro liberatione Francisci captiui immanius pretium petierit, quam quo antea Francorum Reges se ab hostibus Saracenis redemerint. Decimum quintum locum occupat Francisci responsio ad Orationem Caroli V. Romæ a. 1536. coram Cardinalibus & Papa habitam, qua dictum Regem variorum criminum inculpauerat, cuius contenta Guilielmus Bellaius * refert, eandemq; vernaculo sermone exhibet Hortlederus ** Hæc sunt ista scripta, quæ in priori editione Parisina reperiuntur. Subsequitur nunc Oratio a Marquardo Frehero adiecta, Legatorum Gallicorum ad Imperii Ordines, Spiræ congregatos, eo quod ipsi aditu fuerint prohibiti. Audiamus de eo Sleidanum *** dicentem: *Galliæ Rex, qui facile poterat scire, Cæsarem de se grauem habiturum querimoniam ad Principes, legationem decernit amplissimam, Ioannem Bellaium Cardinalem, Franciscum Oliuerium Alenconium, Africanum Malleium, prætorem Diuionensem: Hi quum Ianuario mense venissent Nanceium, oppidum Lotharingiæ, subsistunt, & cautionem Cæsaris expectant, fœcialem enim rex præmiserat Spiram, eius rei caussa, cum literis ad Cæsarem, & priuatim etiam ad Principes Electores, quibus literis petebat, suis legatis publica fide caueri. Cum autem fere sub exitum Februarii, fœcialis eo venisset, indutus veste solenni, sicut fieri consueuit, sistitur a Granuellano, cui & literas reddit sui regis ad Cæsarem scriptas, cum aliter non posset, & sui causam aduentus explicat, & Legatis, qui non ita procul absint, iure gentium caueri petit. Iussus manere domi, & diligenter obseruatus, ne quis ad ipsum colloquendi causa veniret, quarto post die dimittitur, asperrimis verbis. Imprudenter ipsum fecisse, & magnum adiisse capitis periculum, qui sit ausus eo venire: nam regem, qui sit hostis Germaniæ, non habere quod agat intra fines Imperii, neque ius gentium illi communicandum esse: redeat ergo domum, & hæc regi suo renuntiet: non esse vero, quod post hac aut ipse*

* *Comment. lib. V. p. 186.*
** *Tom. I. lib. I. c. XXI.*
*** *Lib. XV. p. 438.*

ipſe vel quiuis alius accedat: & nunc quidem ipſi condonari factum atque remitti, clementia quadam Cæſaris, magis, quam pro ipſius merito, ſed caueat impoſterum: alioqui non laturum impune: nam feciſſe contra leges fœciales; nec in Cæſaris domicilium ei licuiſſe venire, niſi de illius permiſſu: quod ad literas attinet, quas habere ſe dicat, ita regem eſſe de republica Chriſtiana & inprimis de Germania meritum, vt in hoc rerum ſtatu Cæſar neque velit neq; debeat eas recipere, ne per illius vſitatum ſcribendi genus atq; promiſſa, vel ipſe vel etiam alii decipiantur. Hoc reſponſum gallice perſcriptum ei datur. Sic ergo remittitur cum literis regis ad Cæſarem ſcriptis atq; principes, & additi fuerunt equites nonnulli, qui Nanceium vſque perducerent. huius autem rei nihil fuit communicatum principibus, ac pleriſq; videbatur hoc ab Imperii conſuetudine eſſe alienum. Ea re cognita, legati magnis erant in anguſtiis, valde ſoliciti, quomodo ſine periculo domum redirent: collato autem conſilio cum Lotharingiæ Principe Antonio, nocte clanculum diſcedunt, inque Galliam propinquam revertuntur. Idem narrat Franciſcus Belcarius * Præconem militarem ſiue Heraldum (vt noſtro verbo vtar) Spiram miſit Franciſcus vt teſſeram liberi aditus legatis ſuis impetraret: Cæſarem enim de ſe apud Imperii ordines queſturum prouidebat: legati autem (hi erant Ioannes Bellaius, Cardinalis, Franciſcus Oliuarius qui poſtea Cancellarius fuit. Africanus Malleius prætor Diuionenſis) iam Nanceium appulerant. Herardus ſolenni veſte indutus Regis litteras ad Cæſarem atque ad Imperii ordines ſcriptas Granuellano offert; iuſſus redire domum, ne quis cum illo quicquam communicaret adhibita cuſtodia: qua triduo poſt grauiter increpitus dimittitur: in magnum capitis periculum incurriſſe, cum Rege enim Germaniæ hoſte ius Gentium in Germania haud eſſe communicandum: Cæſarem litteras eius neque velle, neque recipere debere, ne propter vana eius promiſſa nonnulli circumſcribantur. Itaque cum litteris remiſſus eſt, re cum principibus Imperii non communicata: quod a Germanorum conventuum more alienum fuit. Redeunti comites dati, qui Nanceium vſque deducerent quo reſponſo accepto Regii legati in Galliam reuerterunt. Ipſa vero Orationis contenta breuiter exhibet Sleidanus, ** dicens: Quemadmodum regis Galliæ Fecialis infectare dimiſſus fuerit Spira diximus ante: cum ergo Domum rediiſſent Legati, quam habituri fuerant in conſeſſu omnium orationem eam typis excuſam emittunt. Initio captant beneuolentiam, & vtriuſq; gentis eandem originem eſſe, neque quicquam Germaniæ accidere poſſe dicunt, quod non ad Galliam quoque pertineat: deinde criminationes aduerſariorum, quaſi Rex altero iam bello rempublicam perturbet, & fœdus cum Turca fecerit diluunt, vſi præfatione quadam, deliniendi Cæſaris cauſa & prius quidem bellum excitatum eſſe docent, quod a Sabaudiæ Duce rex hæreditatem maternam conſequi non poſſet: hoc vero poſterius, propter trucidatos contra Ius gentium, regis legatos: cum Turca nullum eſſe Regi fœdus, nullam ſocietatem niſi commerciorum, & quietis publicæ cauſſa, cuiuſmodi ſit Venetis, Polonis, & aliis nonnullis: quanquam ſi fœdus vllum eſſet, non poſſe in crimen vocari, propterea quod idem aliquando fecerint & Abrahamus & Dauid, & Salomon, & Phineas & liberi Tobiæ & Mechabæi duces, poſt etiam Honorius, Conſtantinus, Theodoſius Iunior, Iuſtinianus II. Palæologus, Leo, Fridericus primus & ſecundus, Cæſares, vſi diuerſæ religionis gentium auxiliis: & Fridericum quidem II. Saracenorum humeris in Italiam, vnde Pontifices ipſum eiecerant, eſſe reportatum; ſcire ipſos, quantas copias & auxilia non ſemel in bellum Turcicum Rex promiſerit: eius quoque rei pontificem eſſe & Senatum Cardinalium, teſtes locupletiſſimos: in Vngariam vero Turcam irruiſſe, cum eſſet ibi natum diſſidium de principatu, magis deinde fuiſſe laceſſitum bello Aphricano, poſt captam Tunetem: quod in mare Liguſticum Turcica claſſis nuper venerit, non eſſe tribuendum Regi: nec ad rem facere, quod in ea claſſe fuerit regius miniſter Polinus: etenim Barbaroſſa fuiſſe conſilium, vt Andream Auriam inueſtigaret, & opprimeret, cum id non poſſet, arcem obſediſſe Nicenam, idq; ſua ſponte: regem videlicet inducias habere cum Turca, quod alias etiam ipſis nunciarit, honeſtas & nemini pernicioſas: id autem ei non poſſe dari crimini, quum eas maximi ſæpe viri non adeo nuper expetiuerint etiam; afflictum eſſe reipublicæ ſtatum, idq; Regi vehementer dolere: pacem autem hac vna ratione poſſe recuperari, ſi quidem ea quæ ſunt Regis, optimo iure Cæſar ei reſtituat: hoc ſi poſſint efficere futurum, vt ad vim omnem externam a Germania depellendam, Rex nulli ſuo vel labori vel ſumptui vel periculo parcat. Cum ſingulis hiſce ſcriptis contulimus Sleidanum, Martini & Guilielmi Bellaii Franciſci item Belcarii Commentarios rerum Gallicarum, Petri Martyris Epiſtolas, Ponti Heuteri Auſtriam, Dauidis Chytræi Saxoniam, Franciſci Guicciardini & P. Iouii Hiſtoriam, Collectionem Tractatuum Pacis, & Varillaſii Hiſtoriam Franciſci I. e quibus etiam haut pauca, quæ ad illuſtrationem faciunt, textui ſubiecimus.

* Comment. rer. Gall. lib. XXIII. p. 753.

** Lib. XV. p. 445.

FRANCISCI REGIS GALLIARVM, p.295.

ACTITATA PER LEGATOS ET LITERAS CVM IMPERII PRINCIPIBVS VNIVERSIS, ATQVE ETIAM FOEDERATIS SMALCALDICIS, IN COMITIIS PRÆCIPVE DIVERSIS IN LOCIS CELEBRATIS.

E VETERI EDITIONE PARISIANA, DILIGENTER EMENDATA, MELIORI ORDINE DIGESTA.

I.

CHRISTIANISSIMI REGIS AD IMPERII ORDINES EPISTOLA, MENSE FEBRVARIO DATA, ANNO M D XXXIV. CALVMNIARVM IN EVM DISSEMINATARVM REFVTATORIA.

FRANCISCVS DEI GRATIA FRANCORVM REX, ETC. REVERENDISS. ILLVSTRISS. INCLYTIS, GENEROSISS. SPLENDIDIDISS. AMPLISSIMIS, SPECTABILIBVS ET PRVDENTIBVS SACRI ROMANI IMPERII ELECTORIBVS, PRINCIPIBVS, COMITIBVS, EQVITIBVS, CIVITATIBVS, CIVIVMQVE MAGISTRIS AC CÆTERIS ORDINIBVS, AMICIS, FOEDERATIS ET SOCIIS CHARISSIMIS

S.



Ellem, Amplissimi ordines, eam haberent omnes illustri & excelso loco nati, veritatis honestique rationem, vt quum aliquem neque vere neque per se ipsi honeste accusare possunt, indignum sua existimatione ducerent clam summissis calumniatoribus, falsos & commentitios rumores dissipare: profecto non inuenirentur, qui tam licenter apud vos in circulis omnibus & conuiuiis (vt nunc fieri audio) meo nomine abuterentur ad inuidiam. Qui si tamen rationis essent atque sensus vllius participes, plane intelligerent, longe aliam & maiore artificio fuisse in me instruendam accusationem, & quæ similitudinem veri saltem aliquam præ se ferret, si nos modo iactis inde discordiarum seminibus committere, si communis inter nos originis, si tot ac tantorum inuicem collatorum & acceptorum beneficiorum memoriam posse sperent aliquando conuellere. Solimanni Turcarum Regis & Christianæ religionis hostis Legatos, apud Christianissimum Galliarum Regem honorifice ac liberaliter aiunt excipi. Germanos ad eundem Regem aditu prohiberi: per huius aulam, per vicos & fora, per compita omnia, volitare homines cultu ac vestitu Turcico: Germanico incedere, flagitii loco esse: Germanis omnibus, nullo discrimine impingi violatæ religionis crimen, vt huius obtentu capi, vapulare, cædi, & ad omne supplicium rapi possint: plena esse in Galliis eiusdem gentis hominum ergastula, quibus spei nihil iam sit reliquum, nisi vt publico Germaniæ consilio comparetur ad eos vinculis eximendos numerosus idemque instructissimus exercitus. Quænam ista (malum est hominum amentia & stupiditas? Si quum nihil habent quod in me possunt vere iacere, neque aperte meam famam atque dignitatem apud vos oppugnare audent, ob idque eam subuertere per cuniculos & fraudem moliuntur, cur non fingunt aliquid ad eam rem vel aptius vel solidius? Cur in istis hærent male concinnatis & frigidis calumniis? Adeone vos vecordes arbitrantur ac stupidos, vt temere hu-

re huiusmodi rumorum & concionum ventis agitemini? vt considerare nesciatis, quid in quem, a quo vobis proponatur? vt a suppositítiis vera, a translatitiis propria, tanto rerum vsu prudentia præditi secernere nequeatis? Procul dubio amici, socii, ac fœderati veteres, si quid eorum criminum, quorum intentatione ab istis
p.296. ego vapulo, non est omnino commentitium, id isti calumniarum artifices ab iisdem ipsis, a queis mihi subornati sunt, in me transtulerunt. cui sane non criminationi (eam enim ne texere quidem possunt) sed conuitio potius atque petulantiæ, non tam ad respondendum adducor, vt ne famam negligere videar, quæ ab istis apud vos, hoc est, ab impudentissimis & leuissimis hominibus, apud grauissimos & prudentissimos viros detrimentum accipere nequeat: quam ne hanc in eorum authores aliquando recasuram inuidiam, diutius velle videar alere silentio ac taciturnitate mea. Quos nimirum pro ea quæ cum illis mihi intercedit affinitate, proque eius Imperii maiestate quod gerunt, honoris tantum atque amicitiæ gratia nominari a me posse velim: Id quod ego quum videam a me perfici nulla ratione posse, quod hæc inprimis ad eos pertineat oratio: sic enitar tamen more ac modo respondere, vt si dicenda quædam mihi erunt (vti erunt profecto) quæ sint eorum aures offensura, perfacile intellecturi sitis incidisse me in ea potius, quam ex industria descendisse. Atque hoc primum magnopere velim ex iis quærere, quum ad Turcarum Regem iidem ipsi abhinc annos aliquot iterum atque iterum Legatos miserint, & ab eo vicissim acceperint, cum litteris & mandatis fortasse minus honorificis, idque inconsultis & inscientibus iis, quos maxime consuli oportebat, quorum scire quidnam rerum illi molirentur intererat: cur id mihi de re omnium maxime ad vniuersorum decus, & singulorum quietem (vti statim audietis) pertinente non liceat? Egone sic ad eorum sim factus arbitrium, vt mittere ad neminem, a nemine accipere Legationem audeam, nisi impetrata prius ab iis venia? vt Legatos quos omnia omnium gentium iura, vel ab hoste venientes esse sacrosanctos volunt, ego pro illorum arbitrio debeam violare? Hostis autem appellatione Solimannum vt censeam (seposita interim religionis causa) vestræ quietis, amplissimi ordines, vna ratio, meumque in vos præcipuum studium effecit, dum eidem scilicet in vos armato, mei capitis & fortunarum periculo bellum indixi: dum accito in societatem eius belli Serenissimo Britanniæ Rege, quo cum omnia soleo habere communia, ego me in illum, si vnquam in vos bellum moliatur, ducem fore & antesignanum recepi: dum equitum cataphractorum tria millia, peditum quinquaginta, atque ex eorum numero, ad triginta Germanorum millia, per literas ad vos, ad Cæsarem, ad Pontificem, ad vniuersos, quarum exemplaria etiam ad Solimannum ipsum perlata sint, auctoraturum me sum professus. Et interim tamen criminabantur isti, quasi contulisset, atque adeo communicasset ille mecum sua consilia; imo quasi ego illum essem, vt in Germaniam armis inuaderet, adhortatus. Hoc est scilicet, Solimannum in vos excitare, quod illi me ipse atque meas opes omnes opponam, quod in illum vos armare, quod alere meo sumptu non recusem? At is (inquiunt) Legationem ad me misit hoc tempore. Misit sane, At qui si nos omnes sano vti consilio voluerimus, ab Opt. Max. Deo primum, deinde mea simul industria, simul in religionem eximia pietate, factum esse intelligetis, vti ex communi piorum omnium vsu ac dignitate, quam chariorem semper habui meis omnibus commodis & rationibus, eandem ad me Legationem miserit. Etenim quam ii pacem ab eo tam indignis ambirent legibus, vt eius fieri vectigales non erubescerent, quo scilicet expeditionum eius securi, minore vsurparent negotio affectatam in Christianos omnes tyrannidem: ego eam mihi ab Solimanno vltro oblatam pacem, minime quidem reiiciendis conditionibus: tamen constanter ac diu accepturum me pernegaui, nisi pios cæteros eriperem mecum omnes ab eiusdem hostis iniuria. Neque vero aliam ille ob causam in mora est, quo minus eam ab se pacem impetrari quamprimum

mum ſinat, quam quod iſtos intelligit, monarchiam in nos obſcure, ac veluti certa propemodum ſpe complecti: quibus ſi res (dum nobiſcum ille pacem colet) ex animi ſententia ſucceſſerint, inuidioſa illi futura ſit eorum potentia. Quod ſi bello inter nos cenſuerimus omnino abſtinendum, & quæ iuſte quiſque poteſt, ea retinere tantummodo voluerit; nihil ille magis cupiat, quam vt ſibi liceat, omnis item belli a nobis ſecuro, extra noſtros fines adornare alios, aut perſequi armorum apparatus. Itaque in manu habemus noſtra poſitum, vtrum ſine cæde & ſanguine potentisſimum hoſtem longisſime a nobis continere, an vt priuatam vnius aut alterius alamus ambitionem, (cuius neque finem vllum prouidere, neque fidam potentiam diutius ſperare poſſumus) rempublicam noſtram incertisſimis bel- p.297.
lorum euentis, & ancipiti vel poſt victoriam fortunæ malimus exponere. Quid cæteris eſſe optimum factu videatur, in medium ipſi afferant. Ego quidem ſi quis vllam honeſtæ pacis, vel induciarum duntaxat cum eo conditionem eſſe repudiandam cenſuerit, illum officii ſui parum eſſe memorem (ne quid grauius dicam) exiſtimo: hoc præſertim difficillimo tempore, quo afflicta bellis ciuilibus, atque perverſis non paucis in religionem inuectis opinionibus ſaucia reſpublica, nihil magis ſpectare videatur quam vel tantillum in ſecura pace laxamenti: dum ſeipſa reficiat & recreet, dum coacto vniuerſorum Concilio, ſtatuamus in his pugnantium inter ſe dogmatum fluctibus, quid dignitas Eccleſiæ, quid temporum ratio, quid ſuæ cuiusque in præſens ſalutis, & in futurum quietis cura poſtulet. Atque vtinam Numinis benignitate, ſuperſtitem annos aliquot adhuc habere nobis licuiſſet Clementem VII. Pont. Max. vidiſſetis profecto, idque perbreui, nos iterum omnes in vnum velut corpus coaleſcere. Intellexiſtis enim prope omnes, certe multi, ex Legato ad vos noſtro, quid iam eſſemus ego & ille inter nos ea de re commentati, ac prope iam pacti: atque ne tunc indiceretur Concilium, vnum hoc nobis impedimento fuiſſe, quod is Cæſari, eum ſe conuentum in Italia habiturum, receperat. Contra ego contendebam efficacisſimis (vt mihi videbar) rationibus, quum haberent ipſe ac Cæſar in Italia nulli non formidoloſos exercitus, illos magis vt in decreta ſua nos cogerent, quam adducerent, eo nos quoddammodo velle pertrahere, pro certo haberi oportere. Addebam (id quod erat) tot initis a Cæſare fœderibus, quo videlicet me acceſſu Italiæ procul ſummoueret, armatum citra rerum nouandarum ſuſpicionem, inermem citra periculum, committere illis me locis non poſſe: atque adeo non ſublatis in ea belli atque diſſenſionum cauſis, debere potius ad veſtræ Germaniæ limites, quæ vix illi Chriſtianorum iniuriæ ſuſpecta ſit, hoc tempore indici Concilium: cuius ſane indictionem, ſicut Chriſtianæ reipublicæ neceſſariam, modo loco libero, neque conuenturis infido, ita diuerſo in loco, ne aliud oriatur ex alio diſſidium, metus & periculi plenam eſſe iudicabam. Sed quod Clemente Pontifice perficere non licuit, faxit Deus Opt. Max. Paulo tertio Pontifice vt liceat. Is quantum intellexi ex omnibus iis quicunque bene cognitum hominem habent, ſemper ab omni diſſenſione inter pios abhorruit. In quo quidem Pontifice creando ſic fuere libera ſuffragia, ſic eſt ab omni ambitu & largitione, ſic ab omni vi temperatum, cenſuram nullius Synodi vt timere poſſit, quæ fortaſſe conſcientia quosdam ſuperiores Pontifices hoc infœlici ſeculo reuocare ab indictione Concilii potuit. Et hæc ſane conſtans de illius eximia virtute opinio quodque nullarum eſſe partium diceretur, ſic apud me valuit, vt quum penes eos Cardinales, qui meam hactenus ſecuti ſunt authoritatem, creandi quem vellent, poteſtas eſſe, & eorum comitiorum cardo in eorum verti calculis videretur; ego tamen non vt meæ gentis aut factionis hominem (quod facile quidem factu erat, & nonnulli adhuc ſumma ope ac ſtudio perfecere) verum vt hunc ipſum deligerent, omnis mihi adhibita eſt cura & diligentia. Quodque profiteri palam auſim, vt qui eius rei teſtes locupletiſſimos habeam omnes omnium partium Cardinales, vnum hoc in deſignationis eius gratiam impetrare volui, vti primo quoque tempore

pore

pore piorum omnium Concilium indiceret, opportuno omnibus atque tuto loco, vtque vnius Dei (quod fecisse semper dicitur) spectaret in primis decus & cultum, sarciendæque & restituendæ inter omnes concordiæ rationes. Habetis de Legatione Turcica. In qua vobis exponenda, quum ego tam apposite in hanc inciderim Christianorum concilii & publicæ tranquillitatis mentionem, magnopere vos etiam atque etiam rogo cum vt vestros quisque Concionatores moneatis, vt quam de mitigandis iis quæ circa religionem inolleuerunt controuersiis, cogitationem & curam susceperunt, eandem ne abiiciant: tum vt me certiorem faciatis super hac indicendi Concilii ratione, quid perfici a me, quid apud hunc Pontificem curari maxime cupiatis. Ego quicquid gratia apud eum valeo, & quantum ipse per me possum, id omne ad hanc rem vnam perficiendam collaturus sum & consumpturus. Iam de vestratium cæde aut captiuitate (quod isti alterum caput conflandæ mihi inuidiæ constituunt) res omnis quomodo gesta, vnde collecti rumores, & ab ipsis calumniæ ansa quæsita sit & arrepta, intelligite. Superiore Autumno sub Legati mei a vobis

p.298. reditum, quum is ab iisdem vestris Concionatoribus quosdam velut isagogicos libellos de sedandis iis controuersiis attulisset, & cur non spe imbuerer optima initio, nihil esset: ecce nobis dissensionum & mendacii parens, veritatis & quietis hostis, quosdam excitauit furiosos magis quam amentes, qui omnium expetendarum rerum subuersionem haud dubie molirentur ac tentarent: quorum ego paradoxa malo iisdem sepeliri tenebris, vnde subito emerserant, quam apud vos amplissimi ordines, hoc est, in orbis terrarum luce memorari. Tantum hoc dico, si qui vnquam inter vos eorum similes, aut longo etiam ab iis interuallo superati extiterunt, abominati (vt debuistis) illos atque execrati estis omnes. Quæ nimirum contagiosa pestis, atque ad deterrimam spectans seditionem, ne latius in Gallia serperet, omni solicitudine, industria, opera restiti. In conscios omnes quicunque fuere deprehensi, vti more maiorum ac legibus animaduerteretur effeci, nulli hominum generi parcens aut nationi. Quod si aliquis inter hos fuisset Germanici sanguinis homo deprehensus, certe in eum (pace hoc esse dictum vestra velim) eadem oportuisset me lege vti, qua nisi vicissim ego vt in meos vtamini concedam, si (quod nolim) vllum huiusce genus piaculi apud vos aliquando admiserint, indignus sim & amicitia vestra & Christianissimi principis cognomento. Sed quod mihi per iucundum accidit nemo vestri generis homo (vtinam neque nostri) inter deprehensos inuentus est, ad quem vel vlla suspicio, nedum affinitas huius culpæ pertineret. Igitur nisi (quod improbe isti videntur velle) hæretici omnes pro Germanis habeantur, nemo vestratium in Gallia cæsus est, nemo ad vllum supplicium raptus, nemo (quod sciam) habetur in vinculis. Patet aula, patent fora, patent omnia denique loca Germanis in Gallia omnibus. Germanici nominis aliquot Principes, multi equites, scholastici complures, mercatores, & opifices quam plurimi inter nos tuti agunt: quibus (vt absoluam) in Gallia liberum est, quicquid Gallis, quicquid ipsis meis liberis est liberum. Ego vero, amici, socii ac fœderati veteres, satis credo vos dudum illustribus argumentis perspexisse, quam insidiosa sit, & quo tendat hæc in me perquam impudens & conmentitia criminatio: qua me deferri qui volunt, procul dubio infensiores mihi non sunt quam ipsis vobis, quam ipsi toti Germaniæ. Quandiu autem hæc duratura est, Gallogermanorum & Germanogallorum inter nos (ita enim loqui placet) germanitas, infirmiores futuros sese perspiciunt, quam vt simul vtrosque possint opprimere. Sunt igitur in hoc toti, vt collidi nos mutuo faciant, vtricunque parti male cesserit suam fore occasionem rati, quo inualidioribus vtrisque effectis, in alterutros maiore compendio bellum capessant, & minore negotio conficiant. Sed hæc inter nos amicitia (quod ponere soleo inter DEI Optimi Maximi in vtramque gentem, Gallicam dico & Germanicam, immortalia & maxima beneficia) hæc inquam amicitia, quam isti adeo subuertere conniturtunr, longe firmioribus innititur radicibus, quam vt ma-

chinis huiusmodi conuellere eam posſint, aut vos in amicum & ſocium Regem concitare, cuius nulla in vos niſi ficta commemorari poſſit iniuria: imo vero qui maiorum ſuorum exemplo, ornamento ſemper eſſe vobis ſtuduerit, atque vſui: quemque nemo ſit mortalium, infirmum experturus vel hoſtem vel amicum.

Reuerendiſsimi, Illuſtriſsimi, inclyti, generoſi, ſplendidi, ampliſsimi, ſpectabiles & prudentes, amici, fœderati ac ſocii, Deum Optimum Maximum deprecor, opes ac dignitates veſtras vt tueatur, atque etiam augeat. Datum Lutetiæ Pariſiorum, Cal. Feb. Anno Dom. M. D. XXXV.

II. p.299.

AD IMPERII ORDINES DE INDICENDI COMMVNIS CHRISTIANORVM OMNIVM CONCILII RATIONE, CHRISTIANISSIMI REGIS EPISTOLA.

FRANCISCVS DEI GRATIA FRANCORVM REX, ETC. REVERENDISSIMIS, ILLVSTRISSIMIS, INCLYTIS, GENEROSIS, SPLENDIDIS, AMPLISSIMIS, SPECTABILIBVS, ET PRVDENTIBVS SACRI ROMANI IMPERII ELECTORIBVS, PRINCIPIBVS, EQVITIBVS, CIVITATIBVS, CIVIVMQVE MAGISTRIS, AC CÆTERIS VNIVERSIS ET SINGVLIS ORDINIBVS, AMICIS, FOEDERATIS, ET SOCIIS CHARISSIMIS,

S.

SVperioribus ad vos literis, quum ad quasdam reſponderem paſſim apud veſtrates in me diſſeminatas calumnias: obiter vobis, Ampliſsimi ordines, meum ſuper indicendo communi Chriſtianorum Concilio, ſenſum, animum, & expectationem ſignificaui: id quod fortaſſe tum feciſſem accuratius ac diligentius, ſi vel leuem coniecturam habuiſſem, fore vnquam vt (quod poſtea & literis multorum & ſermone omnium ad me perlatum eſt) iſta quorundam obtrectatione ſugillarer, me ſcilicet ad eam rem vltro ſeſe accingenti Pontifici moram vnum attuliſſe, atque etiam (ſi Chriſto placet) tam ſanctæ, piæque voluntati eius me interceſſorem obtuliſſe. Vt nunc autem ſe res habent, hoc eſt, quum iam dubitari apud omnes deſiiſſe debeat, quo ego ſim in eandem rem animo, atque teſtes habeam locupletiſsimos, & grauiſsimos omnes omnium partium Cardinales, nihil me ab ipſo Pontifice contendiſſe obnixius atque efflagitaſſe, quam vt primo quoque tempore omnes conueniremus: nihil ſane hoc tempore optare potui accommodatius, vel ad eorum, quibus ſolo vitæ meæ curſu offenſis, quæuis ſemper viſa eſt ſatis iuſta, mei criminandi cauſa, vobis prodendam audaciam & impoſturam, vel ad meam apud vos ipſos ſartam tectam ab eorundem iniuria conſeruandam dignitatem, quam vt rumores de me ſererent huiuſmodi, & ſermones, quos res ipſa confeſtim eſſe falſos quum arguat, nullam iſtis in poſterum non modo credulitatis & fidei, ſed ne exiſtimationis quidem partem relictura ſit: id quod illis contigiſſe ſpero, atque plane confido. Sub id enim tempus, quo ii ad me rumores ſunt perlati, ſuſpenſum quidem & expectantem, quid Pontifex ſtatueret, & quem ipſe locum indicendo Concilio capiendum deſignaret, commodum adueniſſe nuntiatur ab eodem ad me miſſus Rodulphus Pius Fauentiæ Epiſcopus, ſingulari vir ingenio, iudicio, atque doctrina, communicaturus videlicet mecum his ipſis de rebus, ad quas eundem ego Pontificem ſuapte incenſum natura, meis quotidianis precibus & flagitationibus inflammaram. Quum igitur res per ſe ſatis ipſa loquatur, nihil poſt hac futurum video, cur iſtorum ego animos, qui me tam grauiter ſuis maleuolentiſsimis obtrectationibus premere voluerunt, vel leuiter debeam, quamuis laceſſitus, repun-

repungere. Animi vero mei magnitudinem, & in religionem studium vt inflectam, nulla vnquam cuiusquam faciet iniuria, quin communi consilio (quoad eius fieri poterit) affectæ reipublicæ Christianæ & afflictæ remedium, atque opem præsentem vna vobiscum afferamus. Facturos porro nos operæ pretium existimo, si (quod vestro fieri velim arbitratu) aut vos ad me, aut ego ad vos virum mittam, rem totam edoctum, vti facilius inter nos omnium cogitationum nostrarum rationes explicemus. Multa certe vobis & quod ad rem, & quod ad conuentus ipsius locum ac tempus attinet, non æquo modo animo, sed libentes etiam dabimus, quo certatim ad nostras inuicem voluntates (quantum nobis per Deum ipsum licebit) aggregemur. Pium vero interim apud me retinendum censui, dum certum nobis quid actum, quid constitutum a vobis fuerit, quid curari per me, quid perfici, cupiatis, referatur. Dabitur autem semper omnis omnino a me opera, vt nec vniversa respublica vere Christiani a me animum, nec vos amici, desideretis.

p.300. Reuerendissimi, Illustrissimi, inclyti, generosi, splendidi, amplissimi, spectabiles, & prudentes, amici, socii & fœderati charissimi, Deum Optimum Maximum deprecor, dignitates & amplitudines vestras vt tueatur, atque etiam augeat. Ex Laiano saltu, die XXV. Febr. M. D. XXXV.

III.

CHRISTIANISS. REGIS LITERÆ, DE RATIONE CONSTITVENDÆ INTER CHRISTIANOS OMNES ECCLESIASTICÆ CONCORDIÆ, AD IMPERII ORDINES ESLINGÆ CONVENTVM HABENTES.

FRANCISCVS DEI GRATIA FRANCORVM REX ETC. VNIVERSIS ET SINGVLIS INCLYTÆ GERMANIÆ ORDINIBVS, CONVENTVM ESLINGÆ NVNC HABENTIBVS AMICIS, SOCIIS, ET FOEDERATIS CHARISSIMIS.

QVantopere semper hactenus elaborauerimus, vt pro iis opinionibus quæ in Christiana Ecclesia controuersæ factæ sunt, vnum in sensum ac decretum ad omni potentis Dei cultum & gloriam reducendis celebrando vniuersorum concilio indiceretur locus ac tempus: nemini vestrum non satis esse compertum existimo. Sed quum horum conditione temporum viderem multorum promptam ad hoc voluntatem retardari, dum de loco ac tempore idoneo non plane constat, decreueram (& nunc totus in eo sum) Guilielmum Bellaium consiliarium & cubicularium nostrum intimum istuc ad vos mittere, certas quasdam rationes executurum, a me pridem super hoc omnium inter mortales pulcherrimo sanctissimoque instituto iam initas, ac per eum vobis aut plerisque vestrum meo antea quidem iussu propositas, vt pro ea scilicet quæ Francicæ meæ genti vetus cum vestra intercedit communis originis & subinde renouatorum fœderum memoria, conuentum inter nos piorum & doctorum vtriusque gentis hominum ageremus, quæ veluti consultatio quædam esset rerum ad religionem pertinentium, cuius interuentu scilicet ac diuinæ bonitatis auspicio, iam nunc etiam hoc nobis tempus frustra pereat, dum Ecclesiæ iusta Synodus rite cogitur, ab omni recedentes controuersarum inter nos opinionum contentione, ad amicam veniamus earundem opinionum pacificationem & concordiam. Quod ipsum vtique si quibus expectamus a vobis conditionibus, & vestra iam mitigata dogmata nos sperare iubent, aliquando tandem constiterit; nihil dubie speramus quod inter nos ea in re constitutum fuerit, id cum a Sanctissimo Paulo tertio Pontifice, tum a futura illa iusta Synodo, laudatum omni-

omnino atque approbatum iri. Sed quum istius apud Eslingam vestri conuentus sero admodum ad me fama perlata sit, verendum mihi vt sit ne Legatus ad vos noster tempestiuus eo non perueniat: committere tamen nolui, quin his saltem meis literis, & per hunc expeditum cursorem, testatum hoc vobis facerem, simul omni ratione confirmarem, nullum esse nos vnquam vel laborem detrectaturos, vel sumptum recusaturos, quo eandem vna omnes assequamur rectæ religionis atque vitæ rationem: simul nulla vos alia in re de nobis mereri posse melius, quam in eo quod hanc in rem præstiteritis officio ac studio, prout fusius ex eodem nostro Legato intelligetis, cui nos hunc cursorem breui sequuturo nostram omnem super eo instituto mentem, animum, sensum & cogitationem aperuimus, & cui vos tantundem habere fidei volumus iis omnibus in rebus, quas meo nomine vobis expositurus, quantum nobis præsentibus & rem vna tractantibus haberetis. Quod reliquum est, amici, socii ac fœderati charissimi, Deum Optimum Maximum deprecamur, vt fortunas, dignitates, ornamentaque vestra omnia tueatur semper, atque etiam augeat. Ex Gynuilla Campaniæ Gallicæ oppido, die decimo Septemb. M. D. XXXV.

IV.

LEGATI REGII ORATIO AD EOS IMPERII ORDINES HA- p. 301. BITA, QVI CONVENTVM SMALCALDIÆ HABVERVNT MENSE DECEMBRI. ANNO M. D. XXXV.

Legationis meæ testimonium, Illustrissimi & excellentissimi Principes, vosque cæterorum ordinum amplissimi & præstantissimi viri habetis ex his quas affero a Christianissimo Galliarum Rege ad vos literis. Causas quæ omnino duæ sunt, si me (quod spero, & vos aliis conuentibus adhuc fecistis) attente ac beneuole audieritis, fideliter ex eius verbis ac breuiter expositurus sum: & earum quidem vna in eiusdem apud vos purgatione, altera in gratulatione versabitur, & commendatione sanctissimi vestri instituti, conuentusque huius quem ad constituendum vnanimem inter vos, tam de religione, quam de tuenda vestra dignitate consensionem esse a vobis indictum intelligit. Priore dum probari vobis cupit sua omnia instituta & consilia, quanta & quam sancta sit apud eum vestra omnium existimatio, declarabit. Posteriore intelligetis, si eam quam erga se adhuc habuistis, voluntatem retinetis, eandem & se, quam erga Germanos omnes semper habuit, retinere velle, vt quam veluti per manus a maioribus suis sibi traditam acceperit: quorum ipsorum ductu ac virtute, Germaniam hanc vestram, domicilium atque sedem Imperii constitutam esse, vos ex Annalibus vestris recordamini. Atque ad rem vt veniamus, Superiore hyeme, illustrissimi & amplissimi viri, Christianissimus Rex cum in Germania plenissimi calumniæ rumores de se, verbo, scriptura dissiparentur, quibusdam authoribus, qui quoniam aliquem per se aditum ad aures vestras habere posse diffiderent, ideo credulitatem ambiebant ex ementitæ legationis titulo, respondere coactus est, diuisis passim & euulgatis literis, ne silentium eius iniqui rerum æstimatores conscientiæ assignarent. Et eæ quidem literæ quum ad ipsum dimanassent cuius isti abutebantur nomine) Augustissimum Cæsarem: nihil ille antiquius habuit quam vt illustrissimo & excellentissimo Principi, Palatino Comiti Friderico, vtriusque Bauariæ Duci, tum ex Hispania in Germaniam per Gallias properanti hoc mandaret, vti Regi suis verbis fidem faceret, atque prolixe confirmaret, nihil horum aut volente, aut laudante, aut sciente se vnquam in illum esse factum. Quod Cæsaris de seipso & in istos luculentum adeo testimonium, quum abunde coarguat licentiosam, & impudentem eorum audaciam & petulantiam, plane sperat & confidit Rex Christianissimus, recentiores eorundem obtre-

cta-

ctationes, quas denuo iſti ad ſplendorem eius maculandum, ad vocandum eum in inuidiam adornarunt, fidem auribus veſtris non feciſſe. Quæ vt valeant quidem apud imperitorum aures, tamen ab ingeniis prudentum, hoc eſt veſtri ſimilium, refutandæ omnino ſunt atque repudiandæ. Duo ſunt autem quæ in eum iſti conſtituunt, inuidiæ capita: alterum a religione, alterum a Legatorum ad vos miſſione deriuatur. Atque horum duorum prius illud, quo miſcere cælum terræ conati ſunt, hoc vno videtur niti, quod in ſuorum quoſdam Rex animaduertendo, quos iſti ſentire vobiſcum aiunt, inuidioſum de vobis præiudicium ferre, atque in eis cauſam veſtram reprehenſione tacita condemnare quodammodo videatur. His ego eos quidem commoueri pro ſua intemperantia & ſtultitia nihil miror: veſtram prudentiam eouſque deſpexiſſe, vt vos ſecum ſperauerint permouere poſſe, hoc de miror. nam vt doctrinæ veſtræ Rex non faueat, non ignoratis hoc illi eſſe cum plerisque aliis & Principibus & nationibus commune. Sunt profecto & in hac veſtra Germania multi, qui a iudicio veſtro partim magnopere abhorrent, partim non omnino iiſdem verbis ei ſubſcribunt: atque inter vos ipſos qui eandem profitemini doctrinam, non fuit ſemper idem omnium ſenſus. Quod autem iam in vnum coiiſtis, hoc ipſe Rex vobis, hoc boni & pii omnes gratulantur. Non eſtis porro vos eiuſmodi, neque præ vobis hoc vnquam tuliſtis, vt omnibus velitis præſcribere, aut hoc vobis arrogare, vt volentes nolentes ad eam quam velitis omnes religionem adigatis. Et ſane de vobis ſolet ipſe amanter & perhumaniter loqui: agnoſcit quædam a vobis eſſe ſanctiſſime declarata, ſed moderatius quædam fieri
P.302. voluiſſet. Videt plane atque perſpicit, interuallo temporum & humana imbecillitate, fortaſſis & præfectorum Eccleſiæ iniuria, vel ſuperſtitioſa præpoſteraque pietate (grauius enim loqui non placet) irrepſiſſe in Eccleſiam inutiles quaſdam, & antiquatione, vel moderatione dignas ceremonias. Si quis tamen omnes ideo ceremonias auertendas putet, ſi quis iis omnibus pro vniuſcuiuſque ſiue voluntate, ſiue opinione & clamore multitudinis imperitæ, ſine vllo publico vel decreto, vel conſilio, interdictum nobis iri velit, abhorrere illum putat a maiorum conceſſis, ſi dicere non libet inſtitutis. Eſt & fuit ſemper (quod nobiſcum & vos agnoſcitis) ceremoniarum traditio Chriſtianæ comes & adminiſtra religionis: quando enim ceremoniæ in Eccleſia non fuere? quando reprehenſæ? quando non permiſſæ? quando denique fuit, vt quod licet, temere damnantes, imo quæ ſi retenta non iuuant quidem, at non obſunt tamen, arbitratu ſuo conuellentes, atque ob id in pacata republica tumultuantes, ſupplicio digni non haberentur? aut non comprimenda duceretur temeritas concitatæ multitudinis, & occurrendum perditorum audaciæ? Si vos autem ea prudentia, humanitate, clementia præditi, fortiter pro eo ac debuiſtis, ruſticorum ſceleri atque tumultui reſtitiſtis, ſi vindicandam Anabaptiſtarum inſaniam iudicaſtis, ſi de vobis cogitari vultis, vt ſine cauſa nihil facere velle videamini; cur non æquum eſt idem & vos de amico Rege cogitare? aut cur eum, quoties aliquid ſine vlla vobis cognita & aperta cauſa aliter egerit atque vultis, ideo ſine cauſa id feciſſe cogitabitis? Proculdubio neſcitis, vt eſt nobis in prouerbio, qua parte illi calceus pedem premat. Cogitare debebatis potius ab iis eſſe tentatum aliquid, quare fuerit eorum conſiliis, antequam latius malum ſerperet, occurrendum, & debilitanda illorum audacia. Egerit fortaſſis cum bonorum aliquo dolore, & propter multorum delicta peruenerit etiam aliquando ad minus nocentum pericula ſupplicium: verum, vt id fieret, non cauſa ſolum, ſed & neceſſitas eſſe potuit, quæ quanta fuerit, aut quæ ſingulorum flagitiorum capita, nihil eſt hic dicere neceſſarium. Quædam enim plerunque fiunt, quæ ne cum facta quidem fuerunt ſciri ab omnibus expedit, quare facta ita ſint: neque vobis ignotum eſt, quædam vno tempore vel diſſimulanda, vel admodum leui caſtigatione reprimenda eſſe quæ alio eadem tempore nullo ſatis ſeuero ſupplicio cohiberi poſſunt. Et prudenti Regi in tam late patente regno non quod agitur tantummodo viden-

dum eſt, verum & prouidendum quid poſtea futurum ſit: & quod agitur, quo ſit tandem, & quo conſequentiæ periculo erupturum. Hæc ſi vobiſcum expendentes bene cognitum huius Regis ingenium habeatis, agnoſcetis hunc eundem ipſum artes quidem lenitatis & miſericordiæ ab ipſa fuiſſe natura edoctum: verum horum iniquitatem temporum ſeueritatis ei perſonam impoſuiſſe, quam vt ſuſtineret ad tempus, neceſſitate naturam vinci oportuit. De hoc enim ſic habete, Si quis ei cum ratione quicquam profert, attente hic illum audit: iis ſuccenſet, qui temere quicquam moliuntur, & ad eos non referunt, ad quos diſſerendi atque definiendi authoritas iure pertinet. Quare ad ſupplicium eo ſciente qui ſunt rapti, non (quod iſti aiunt) ſentiebant ii vobiſcum, ſed a veſtra plane aberrabant ſententia. Nam quæ ipſi ſtatuiſtis aut feciſtis, exiſtimare vult Rex Chriſtianiſſimus ea vos omnia communi conſilio feciſſe atque ſtatuiſſe: recte autem an ſecus feceritis: aut ſtatueritis, nihil hic a ſe vult videri præiudicatum: ſed ne quid ſentiat quidem ipſe, in medium eſſe prolatum. Nam ſi magna eſſe res omnino videri debet, de rebus tam magnis dicere, multo omnium maximum eſſe cenſet de iis ſtatuere: temerarium vero, ſe iudicem præ aliis conſtituere. Habet vtraque pars aliquid, & quod probari & quod reprobari poſſit. Verum iidem ſi iudicent qui & diſſerunt etiam vt pii ſint atque eruditi, euenire poſſe putat, vt ſi minus conſilio, tamen caſu lapſi falſum aliquando iudicent, & quod non eadem ratione ſtatuitur, eodem eſſe iure debere non exiſtimat. Sed ego fortaſſe nimis multum re minime dubia loquor, quaſi vos aliquid in hac cauſa de ſe temere credidiſſe, aut imminutum de ſe veſtrum iudicium ſuſpicetur. Igitur venio ad aliud inuidiæ caput. Cauendum eſſe vobis denuntiant ſagaces iſti patriæ conſiliarii, ab externis Regum & Principum legationibus, qui aliud in ſpeciem agere ſimulent, aliud interim obſcure moliantur: & cum Legationem Gallicam non duxerint eſſe nominatim excludendam, quod hoc ſibi inuidioſum fore arbitrati ſunt, ita deſignarunt tamen homines ad ſuſpicionem vitandam ingenioſi, vt quod verbo non exprimunt, indicare digito videantur. Vos autem ego hic appello, qui- p. 303.
cunque adeſtis illuſtriſſimi, & ampliſſimi omnium ordinum viri. Quænam vnquam ad vos vniuerſim, ad ſingulos priuatim, ab hoc Rege Legatio de re vlla profecta eſt, quæ non eſſet cum publica totius Germaniæ, ſacroſanctique Imperii Romani vtilitate, dignitate, ornamentis coniunctiſſima? Scio equidem de qua ipſi queri maximopere legatione ſoleant. Sed cum eius reprehenſio tam ſit refutatu facilis, vt Cæſaris ipſius debilitetur, aut frangatur potius teſtimonio, qui literis ſuis vt ea fierent, quæ legatione illa quærebantur, interfuiſſe publicæ Germanorum pacis & otii teſtatus eſt. Quidnam igitur iſti moliantur, aut quo hæc animo dicant & faciant, vos pro veſtra prudentia perſpicere atque intelligere iam poteſtis. Ego fortaſſe, niſi iuſtis de cauſis ſtatuiſſem hic mihi breuiter eſſe dicendum, oſtenderem ad abalienandos a vobis ſociorum Principum & populorum animos pertinere: docere eos in re fortaſſe iudicio ſuo parua, meo autem magna patientiam veſtram tentare voluiſſe: vt ſi hoc exemplum a vobis non eſſe refutatum intelligant, progrediantur audacius ad cætera veſtræ libertatis conuellenda præſidia. Conuincerem ex hoc nihil aliud quæri, quam vt vobis nullum relinquatur ab exteris poſthac ſocietatibus præſidium contra improborum hominum audaciam, & maligna conſilia: vtque ab amicis nudi & inopes, nullaque fœderum ſocietate muniti, opportuniores eorum ſitis iniuriæ. Deprehenderem iſtorum deploratam, amentiam dicam, an impudentiam pari cum ſtupiditate coniunctam? qui vos adeo eſſe putent rudes & ignaros rerum, adeo expertes ingenii & conſilii, vt tutores vobis veluti pueris, vel vt mentis impotibus curatores dari oporteat: quaſi diſcernere ipſi nequeatis, ſi a quoquam ad vos decernuntur Legationes, accommodatæ ne ſint vobis atque vtiles: aut tam oblitos eſſe vos libertatis veſtræ (cuius propugnatæ nomine longe cæteris nationibus antecellitis) vt hoc pro nihilo habeatis, quod in Germania iſti regnum conſtituant, libertatem veſtram tollant. Etenim plane ſer-
vitus

vitus est, ab alterius nutu pendere, nec licere quem velis admittere, aut quem nolis repudiare. Sed hæc vobis ostendere, quæ sunt vobis perspicua, inutile, cum sit & superuacaneum, hoc ego tantum breuiter hic attingam, nullius tantas opes atque vires esse, vt sine multorum amicitiis diutius stare posit: Legationibus vero & mutuis officiis retineri veteres amicitias, nouas allici, placari turbatas. Adhæc vicinitatis & originis coniunctione, & alterius alteri vtili auxilio, amicitiæ quum alligentur; vos nec habere hodie potestis, nec antehac vllum habuistis, in quem ista magis quam in Regem Galliarum conueniant. Nam quis vnquam Germanici nominis dignitatem Gallis Regibus industrius, quis alacrius, quis felicius honestauit, amplificauit? Contra cuius vnquam nationis miles quam Germanicæ, paratior aut promptior fuit in discrimen se offerre pro Gallorum Regum statu, tranquillitate, pace, otio? Quæ gens altera alteri vel sedium situ vicinior, vel generis, siue Gallum & Germanum, siue Francum & Alemannum spectes, origine coniunctior? cuius alterius calamitas ab alterius magis calamitate pendet? quæ inuicem altera alteri nationes, maiori vel in pace ornamento, vel in bellis subsidio esse possunt? Itaque cum intelligat Rex Christianissimus in concordia vestra & virium vestrarum conseruatione, suarum ipsius magnum firmamentum esse repositum, atque ideo vtilitatibus vestris patere vicisim ipse velit; proculdubio quoties inter vos minus conuenire audit, nihil ducere prius solet (id quod eius plerisque ad vos literis, & Legatorum eius sermonibus, & re ipsa, vti ego existimo, didicistis) quam vt suam ad vos vna reconciliandos interponat authoritatem, curam, operam, diligentiam, studium. Atque adeo cum iamdiu intelligeret, circa religionem vos dissidere, ac piorum interim affligi conscientias, ancipiti contentione distractas, dum dubitant quid fas, quid nefas, quid liceat, aut expediat: maximopere semper est veritus, ne dissimilitudo ista rituum & distractæ sententiæ disiunctionem etiam animorum, ea vero disiunctio dissensionem inter vos pareret, quæ vt tacitis initio contineretur discordiis, tamen erumperet tandem in domesticum aliquod bellum, in quo vincere quam vinci paulo minus esse duceret parti victrici luctuosum. Sed (quæ altera est Legationis meæ causa) posteaquam Regi Christianissimo de hoc conuentu renuntiatum est, in eo vos statuisse inuicem vestrum studium ad communem retinendam dignitatem profiteri, neque si quis in religione sit disiunctus, coniungi nihilominus amicitia velit, in animum vt repellatis induxisse: tum vero magnam in spem ingressus est, & quemadmodum confidit verissimam, optimum hoc
p.304. iaci fundamentum ad dissensionum vias omnes intercludendas, & constituendam inter vos concordiam, muniendaque præsidia quietis & pacis vestræ: quinimo futurum, vt quos opinionum etiam & doctrinarum concordiam reuocet & coniungat. Quocirca per literas a quibusdam admonitus (qui aliqua sunt in hoc conventu dignatione) viris, ad hanc vestram animorum inductionem ex ipsius authoritate nonnihil accessionis fore, si Legationem ad vos eam in causam decerneret, ostenderetque non abhorrere a societatis eius vestræ (cuius nunc satagitis) coniunctione: neque illorum ipse desiderio non satisfacere voluit, neque committere, vt hoc vobis non gratularetur sanctissimum institutum & consilium. Quod ipsum quidem vt cæteri amplectantur inter se & Christiani omnes, quemadmodum esse votis omnibus optandum existimat, ita quum videat infœlicia hæc tempora moram afferre quo minus in præsentia id perfici posse speret, dissidentibus inter se Christianis Principibus & populis: dum qui locus indicendo communi piorum omnium Concilio, hoc maxime si alio vnquam tempore necessario, vnis & alteris arrideat, aliis ad hunc peruenire tutis, subsistere securis; & (quod esse præcipuum videtur ad res rite constituendas fundamentum) sententiam libere dicere non liceat: eam ob rem e totius Germaniæ commodo fore ducit, atque ad perficiendi facilitatem pertinere, conuentum vt Germani omnes inter vos interim ipsi habeatis, in quo in vnam omnes studeatis conuenire sententiam: id quod facile quidem factu

factu erit, si quæ quisque proposuerit, quum a diuersæ partis rationibus esse falsa conuincantur, aut aliquanto minus rectæ cæterorum opinioni accommodata, sequatur is alterius sententiam, & mutet consilium: neque a sua quisque dignitate vel constantia esse alienum putet, aliquid alteri condonare, potius quam obstinatione etiam rectæ sententiæ dissensionem hanc alere. Ad hoc, illustrissimi Principes & amplissimi viri, sanctissimum & pulcherrimum opus si (quemadmodum Rex Christianissimus intelligit) accingimini; id quod maximopere ad publicam Germaniæ pacem retinendam, atque adeo vestræ nationis conseruandam amplitudinem pertinere putat, ipsum vos ad eam rem socium fidelissimum, adiutorem fortissimum experiemini. Ipse etiam Paulus tertius summus Pontifex sæpe ab eo per nuntios ea de re interpellatus, inficiando non est, non eandem semper ab iisdem humanarum traditionum esse retinendam rationem, sed quamcunque temporum inclinatio & publicæ quietis vsus postulare videbitur. Ipse idem, modo rite omnia atque ordine fiant, multa se professus est temporibus, multa communi concordiæ permissurum. De se autem Rex Christianissimus vobis & Germanico nomini spondet, quicquid vobis æquum est polliceri, id se omni cura, studio, opera gnauiter esse præstaturum. Quod si vobis ex vsu fore videbitur ad decidendas controuersias vt suffragia quoque nostratium accedant, siue vobis selectos ex vestratibus doctos aliquot & pios viros mittere placuerit, siue ad vos vt ex suis mittat malueritis, habituros eum vos paratum & alacrem, & qui vobis pene sit in hoc omnium sanctissimo instituto præcursurus. Interim vos adhortari atque admonere non desistit, quam inter vos societatem inibitis, eam vt colatis omnes sanctissime, memineritisque munimenta hæc mutuæ inter vos defensionis, vincula esse pacis externæ, quod qui singulos quidem aggredi, idem etiam facessere vniuersis negotium fortasse non audeat. Et ne incertis significationibus testatam vobis Rex faciat suam adiuuandi huius consilii voluntatem, hoc vobis ego eius verbis palam ac dilucide
„polliceor, atque omni ratione confirmo, nulli eum vestræ societatis, aut vestrum
„vllius priuatim hosti, ope, auxilio, fauore, consilio esse affuturum: modo vt fe-
„cistis adhuc, parem a vobis in se respectare vestri animi voluntatem iubeatis.
Quam inuicem vobis inter vos vltro delatam amicitiæ confirmationem, sicut sibi ipsi, ita & serenissimo Britanniæ Regi Henrico, qui cum habere omnia solet bello & pace communia, iisdem legibus vt impetrarem, mandauerat. Sed quum eius adsint Oratores, ego æquum esse vt hac illis cedam prouincia, existimo. Carolum vero Geldriæ Ducem, Regis item mei necessarium, fœderatum, & socium, si a vobis eadem vt amplectamini amicitia impetrauero, rem omnium ipsi Regi gratissimam feceritis: ac pariter vtrumque semper ab omnibus inimicorum vestrorum consiliis alienissimum, amicorum amicissimum habetis.

V. p.305.

LITERÆ CHRISTIANISS. GALLIARVM REGIS AD ORDINES SACRI ROMANI IMPERII.

FRANCISCVS DEI GRATIA FRANCORVM REX, REVERENDISSIMIS, ILLVSTRISSIMIS, AMPLISSIMIS, INCLYTIS, MAGNIFICIS ET SPECTABILIBVS SACRI ROMANI IMPERII ORDINIBVS, AMICIS ET FOEDERATIS CHARISSIMIS

S. P. D.

Mittimus istuc ad vos ex nobilibus cubiculariis nostris Guilielmum Bellaium nostrum Baillivum Ambianensem, vobis nostro nomine certa quædam expositurum. Ei fidem si adhibeatis, rem nobis feceritis gratissimam.

Re-

Reuerendissimi, Illustrissimi, &c. Altissimus vos conseruet. Datum Lugduni die XXX. mensis Maii. Anno M. D. XXXVI. Sign. Francois. & paulo inferius a secretario, *Bayard*. In superscriptione autem, *Reuerendissimis, Illustrissimis, &c. Sacri Romani Imperii ordinibus, consanguineis, amicis, & fœderatis charissimis.*

VI.

AD EOSDEM LITERÆ SERENISSIMORVM EIVSDEM REGIS LIBERORVM.

FRANCISCVS DEI GRATIA, CHRISTIANISSIMI GALLIARVM REGIS PRIMOGENITVS, DELPHINVS VIENNENSIS AC BRITANNIÆ DVX, ETC. HENRICVS AVRELIANORVM, ET CAROLVS ENGOLISMORVM DVCES, ETC. EIVSDEM CHRISTIANISSIMI REGIS ETIAM FILII: REVERENDISSIMIS, ILLVSTRISSIMIS, GENEROSIS, MAGNIFICIS ET SPECTABILIBVS SACRI ROMANI IMPERII ORDINIBVS, CONSANGVINEIS, AMICIS, ET FOEDERATIS CHARISSIMIS S.

GVuilielmo Bellaio Langii Domino, Christianissimi Regis patris ac Domini nostri semper obseruandi consiliario & intimo cubiculario, ad vos de arduis ac magnis rebus nunc Legato, quædam etiam ad vos mandata communiter dedimus, super hæreditariis quibusdam nostris rationibus: quarum nomine quum eiusdem Sacri Romani Imperii beneficii & clientes simus, visum est nobis, apud vestros ipsos amplissimos ordines conqueri non debere de iniusta violenta nostrarum rerum occupatione. Cuius indignitatem vobis coram expositurо, eandem a vobis fidem adhiberi velimus, quam nobis ipsis, si præsentes vobiscum vna loqueremur, haberetis.

Reuerendissimi, Illustrissimi, &c. Deus Optimus Maximus sacrosanctum istud vestrum Imperium tueatur semper atque etiam augeat. Datum Lugduni Calendis Iunii M. D. XXXVI. Sign. *Francois, Henry, Charles*: & paulo inferius a secretario, *Clausse*. & in superscriptione, *Reuerendissimis, Illustrissimis, &c. Sacri Romani Imperii ordinibus, consanguineis, amicis & fœderatis charissimis.*

VII.

p.306. LITERÆ A LEGATO CHRISTIANISSIMI REGIS, ET SERENISSIMORVM EIVS LIBERORVM, AD PRINCIPES ELECTORES, ET ALIOS SACRI ROMANI IMPERII PRINCIPES, DATÆ MENSE IVLIO, M. D. XXXVI.

REuerendissimi, Illustrissimi, & excelso loco nati Principes, &c. Quo tempore venturus in Germaniam a Christianissimo Rege dimittebar, is & Serenissimi eius liberi, quum & literis & sermone multorum accepissent, atque ita persuasi essent, amplissimos Sacri Romani Imperii ordinis conuentum inter se hoc tempore habituros, literas & mandata communiter ad eum conuentum mihi dederant, vt senatum sibi dari flagitarem, quo vos libere ac tuto, citraque omne offensionis vllius periculum, tam de suis ad Insubres atque alias hæreditates rationibus abs se vim atque iniuriam abstractas, per Legatos earum actionum peritos edocerent, quam apud hoc sacrosanctum Imperium, in quo dignitatis suæ splendorem obtinere semper cupiunt, sui facti rationem probarent, & singula in se intentata maledicta potius quam crimina diluerent. Verum postquam in Germaniam perueni, simul didici, neque in præsens haberi, neque propediem iri Concilium: simul

ſimul mihi minime tutum fore, veſtras ſingulatim adire atque appellare Amplitu-
dines: quin a pleriſque ſumma dignatione viris amice ac ſerio ſum admonitus,
mihi extrema omnia intentari, ſi vſpiam in Germania publice apparerem. Com-
motus ſum ex eo ſane non mediocriter, neque meo tantum & Regiæ cauſæ peri-
culo (quanquam & eo quoque) ſed ipſius etiam rei nouitate, ſimul & indignitate,
quod non magis Regem meum violari, quam vos ipſos, quam ſacroſanctam hu-
ius Imperii & Germanicæ nationis authoritatem intelligebam, quibus olim cum
diuina clementia eam animi & roboris excellentiam impertierit, vt non ſua tan-
tum, verum aliena quoque ab omni iniuria vindicare, propugnare, tueri, in ani-
mum inducerent ſuum: quis non dignum omni commiſeratione iudicauerit, huc
iam veſtram recidiſſe libertatem, vt hoc vobis ferentibus atque conniuentibus, ad-
mittere quiſquam, aut repudiare vos pro ſuo arbitrio, Regum & Principum lega-
tiones iubeat? quibus velit, aditum ad vos patere, aut intercludi edicat? & iis edi-
cat nominatim, qui authores generis eosdem habent, quos habetis Imperii, ſiue
Francos eſſe, ſiue Francogermanos malueritis: quique hoc ipſo vobis concilia-
to, & veluti poſtliminio ad Latinos e Græcia reducto Imperio ſupra quæ in Ger-
mania & Italia, & vbiuis gentium vobis multo ſuo ſudore ac ſanguine pepererunt
ornamenta eius Imperii, & præſidia libertatis veſtræ, iis etiam quas peramplas ſuo-
rum antiquo patrimonio proprias ad vtramque Rheni Ripam obtinebant prouin
cias, liberaliter auxerunt nomen, atque fines Germaniæ, honeſtarunt hoc Imperium:
tum res ſuas ita vobiſcum ſemper amice conſtitutas habuerunt, vſu, ratione, concor-
dia, vt ne in grauiſſimis quidem & pertinacibus bellorum, inter Reges ſuos & Cæ-
ſares veſtros incendiis (quod non ita pridem experti eſtis) veſtra cum illis ſocie-
tas, & mutua inter vos communicatio diſſoluta vnquam aut diſſipata fuerit? Ab iis
(inquam) ius gentium in hoc imperio, vt ſociorum Legati ſint apud vos ſacroſan-
cti, quorum nomen eiusmodi eſſe debet, vt etiam inter hoſtium arma verſetur in-
colume, deſiderabitur? Sed hanc, Principes ampliſſimi & alias tam indignas quam
inſolitas ſibi factas iniurias permittit Rex æquiſſimo Dei omnipotentis arbitrio.
Ego vero, qui me videbam ab illo, & ſereniſſimis eius liberis nullam magis ob ali-
am cauſam in Germaniam eſſe miſſum, quam vt vobis quibus vt ius deſignandi
Cæſaris; ita permiſſa ſunt beneficiorum & clientelarum Imperii iudicia, contro-
verſas illorum cauſas explicarem, & eorum patrimonii occupatores ex iure manu
conſertum vocarem, de quo patrimonio iudicium detrectaſſe deferuntur, & quo
proculdubio eo carent ægrius, quod illius cauſa inter huius Imperii ampliſſimos
ordines haberi enumerarique poſſunt, atque adeo glorioſum ſibi eſſe ducunt. Ego
inquam, ne omnino mea illis legatio fruſtra eſſet, quod me coram facere ſummo
ſine periculo non poſſe admonitus eram, per literas id exequi conſtitui, atque ad
Illuſtriſſimum Principem Ludouicum Comitem Palatinum, quod is Galliæ finiti- p.307.
mus quum eſſet, in Galliam ab eius ditione receptus, minus habere videbatur pericu-
li; quas a Rege meo & liberis eius habebam literas, adiecta illis mandatorum ſum-
ma, per nuntium diligenter miſi, enixe orans, vt cum ſuis collegis, & cæteris
item Imperii ordinibus, ad quos eius rei iudicaret notionem pertinere, communi-
care de cauſa vellet, deque iuſtis illorum poſtulatis ſtatuere. At is mihi per lite-
ras ſignificauit, ſe ad ſereniſſimum Regem Ferdinandum omnia miſſurum eſſe, per
quem ad Cæſarem de iis referretur; qui ſe quemadmodum ea in cauſa debeat ge-
rere, probe norit. Sed quid ego ſapientiſſimi Principes, a Cæſare aut Ferdinan-
do ſperem, niſi vt mandata cum literis ſupprimant? Alter enim eorum Principum
ornatus eſt ſpoliis, auctus patrimonio. Vterque dum id agunt, id cogitant, in eo
laborant, vt Regem apud omnes traducant: ſtudioſiſſime (vt videtis ne quid ipſe
de inuidia deoneret, quod in eos traiiciat, itinerum obſeſſione curant: & hunc
interim criminantur nunc Inſubres ſine iure repetere, per iniuriam prius occupaſ-
ſe, nec ſubire vllius vnquam iudicium voluiſſe: quum nihil horum ſit tamen, con-

tra

tra vero fiant omnia. Nam in possessionem Insubrium, Ludouicum Regem & hunc generum & propinquum eius, ex hæreditario, auito, & proauito (vt sic loquar) iure, Maximilianus Cæsar re quæsita & deliberata misit, in fidemque & clientelam Imperii more maiorum ac de procerum consilio accepit. Tum Rex meus, huius Imperii ordines, totius controuersiæ disceptatores non modo nunquam recusauit, sed vltro etiam ac sæpe depoposcit: tantum abest vt vel in hac, vel in Sabaudiensi causa (quæ aliter etiam vobis atque habet exposita est) conflictari iudicio detrectauerit. His ego igitur tot ac tantis difficultatibus affectus, vt offensionem negligentiæ vitare tamen atque effugere possim, & pro eo officio, quod Christianissimo Regi meo, & serenissimis eius liberis debeo, illorum mandatis si non plene, saltem aliqua ex parte satisfaciam, & aliquid certi atque testati referre ad illos possim, ecquod in æquitate vestra paratum habeant perfugium. Ecce, Principes æquissimi, communiter ad vos vniuersos has literas per proprium hunc tabellarium scribo, & priuatus singulos nominatim appello, vestram omnium & singulorum fidem imploro. Respicite regni nostri, atque Regum eius, cum hoc sacrosancto Imperio antiquissimam fœderis sanctitatem, & cum vestræ Germaniæ Principibus renouatæ toties cognationis, neque vnquam intermissæ amicitiæ necessitudinem. Cogitate qui sitis, quo loco, quod sit antiquæ vestræ veræque Germanicæ libertatis officium. Expendite quid vos dare huic Imperio, quid authorum eius memoriæ reddere, quid præstare reipublicæ Christianæ debeatis. Ne sinite eo concuti ac debilitari præcipua eius capita, quorum ex amplitudine præsidia periculis, & adiumenta honoribus quærere ac sperare potest: quorum maiores præ cæteris semper, res, corpora, vimque omnem suæ potestatis, in commoda eius & incrementa consumpserunt. Hoc enim vnum omnium maximopere vos oro & obsecro. Hæc est Regiorum ad vos mandatorum summa, vt omnia deponatis, si qua ex falsis auditionibus iam omnino concepistis præiudicia: vt a quo stant iura omnia, ad eum transire opinionem iustitiæ patiamini: vt in memoriam redeatis iuris eius hæreditarii, iam inde a proauis atque atauis certi ac testati, tamque luculento Maximiliani Cæsaris testimonio ac iudicio comprobati: vt consideretis cum animis vestris vosmetipsi, Maximilianum ab huius socero pro ea (quam vocant) inuestitura, supra centena quinquagena nummum aureorum millia extorsisse: neque ita multo post coacto exercitu, (atque iisdem fortasse diuisis in eum vsum pecuniis) eundem ipsum exegisse. Meum Regem ab eodem Maximiliano Mediolani Ducem agnitum, quum iam multos annos receptum ab occupatore Principatum possedisset, a Carolo Cæsare etiam indicta causa deturbatum: cum hoc tamen iure & maiores vestri, & vos semper vsi fueritis, vt Imperii vestri beneficium ab altero in alterum transferendi ius & facultas in lege, non in vllius consistat voluntate atque audacia. Cuius legis, cum vestrum sit, æquissimi Principes, proprium ac peculiare iudicium, constituite iam apud vos, quid sit vobis ad hæc serenissimorum Principum æquissima postulata respondendum: qui vos orant, vt se quoque (sicut cæteros sacri huius Imperii Principes) dignos existimetis, quorum causam intelli-
p.303. gere non aspernemini. Mihi proculdubio, si vos esse, qui estis, recordamini, hoc est, Imperii Romani liberos ordines, & supremos eodem in imperio controuersiarum iudices; serio videtur a vobis vrgendus Cæsar, vt senatum illis dari, vt parere iudicato malit, quam vt in illa permaneat, quam nescio an satis digne iactat opinione, vt conferre se vires suas omnes, & in Regem meum experiri malit, quam in Turcam ipsum, in Christiani sanguinis & nominis hostem hæreditarium: seque profiteatur dimoueri nulla re ab hac sententia posse, quin omnia potius, atque suas ipsius omnes prouincias, quas a tergo relinqueret, expositurum prædæ Turcicæ, quam a bello caput auersurum, semel in eum Regem cœpto, cuius a maioribus ea profecto accesserunt familiæ Austriacæ opum & facultatum incrementa, quibus maxime in hoc, quo nunc eam videtis, eluctata est culmen atque fastigium.

gium. Quod si maluerit in hac perseuerare voluntate, & in nostros fines semel (vt aperte minitatur & iam fortasse aggressus est) impressionem fecerit; nihil sane Rex Christianissimus, aut liberi eius omissuri sunt, atque Deo propitio iam ad omnia egregie instructi sunt, quæ ad eum intrepide excipiendum spectant, & curari debent a patriæ suæ atque ciuium suorum amantibus ac vigilantibus patronis. Sed antequam tanta excitetur in republica tempestas, ex qua ipsi, quicquid Christo audiens est, ad exitium & vastitatem vocari non ignorant, iam inde ab initio vt ineretur via, qua sanguini parceretur, aut aliquid saltem adhiberetur temperamenti, hæc me apud vos commemorare voluerant: vt intelligatis, si ad arma cum Cæsare veniant, non suam eos voluntatem, sed tuendi se, atque iniuriæ propulsandæ necessitatem adduxisse. Quod quum præsenti mihi perficere non licuerit (multa enim frustra & apud multos sum expertus) ad extremum literarum subsidio esse vtendum duxi, Amplitudines vestras interim obsecrans, vt quid super hac æquissima Regis mei ac liberorum eius petitione statueritis, mihi per hunc nuntium rescribere ne grauemini.

Reuerendissimi, Illustrissimi, &c. Deus Opt. Max. easdem amplitudines & dignitates vestras tueatur & fortunet, atque in hoc graui & vrgente negotio, vereque ad vniuersos pertinente, tam ea vobis inspiret consilia, quæ vestri officii ratio postulat, quam quæ Christianæ rei exigit necessitas.

VIII.

CHRISTIANISSIMI REGIS EPISTOLA AD ELECTORES IMPERII, DATA MENSE DECEMBRI ANNO DOMINI M. D. XXXVI. QVA CONVENTVM AD DISCEPTANDAM DE MEDIOLANO CONTROVERSIAM, ET SE ADVERSVS MALEVOLORVM CALVMNIAS PVRGANDVM, INDICI POSTVLAT.

FRANCISCVS DEI GRATIA FRANCORVM REX ETC. REVERENDISSIMIS ATQVE ILLVSTRISSIMIS PRINCIPIBVS SACRI ROMANI IMPERII ELECTORIBVS, CONSANGVINEIS, AMICIS, ET FOEDERATIS CHARISSIMIS S.

SAtis superque amplissimi Principes, amici veteres, fœderati, & consanguinei charissimi, intellexisse vos existimo, quibus, quoties, & quam inuidiosis criminibus, ex quo primum in fortunas meas hostiliter inuasit Cæsar, accersitus oppugnatusque fuerim. Quanta vero idipsum iniuria, vt iniquorum meorum refutatis calumniis aliquando vobis constet: atque vt controuersas meas & liberorum meorum caussas vobis explicem, quarum est propria notio iudicii vestri: quemadmodum ego mea quidem interesse duco, ita vestri fortassis officii fuerit, senatum iis de rebus mihi dare: cum pro ea quæ vobiscum intercedit mihi antiqua, & quantum in me fuit, sancta semper amicitia: tum vt incommodis occurratis indies eo ex bello gliscentibus, quod earum occasione rerum subinde renouatum esse conspicitis. P. 109. Id quod ego sub initia renascentis huius belli, quum a vobis diligenter efflagitauerim (dolenter hoc, non contumeliose in vllum dicam) minorem mihi habuisse videmini, ac par erat, postulationis meæ rationem: vt qui nondum mihi tanto iam interuallo significaueritis, quid ab æquitate vestra ego ac liberi mei sperare debeamus perfugii atque præsidii. Eam ob rem vt ne temere forte, neque tam ex animo quam perfunctorie postulasse id a vobis videamur, idem in præsentia ego etiam atque etiam eo quidem accuratius efflagito, quod subinde atrocioribus affectus iniuriis atque indignitatibus, extare apud vos cupio (quicunque post-

ea casus consequetur) & petitionum mearum & conscientiæ testimonium aliquod sempiternum. Enimvero non ignoratis, quemadmodum Cæsar, vbi me satis in inuidiam rapuisse sibi visus est, longa illa & intemperanti oratione, qua publice Romæ apud summum Pontificem, & consessum Patrum, eorum in me culpam deriuare conatus est, quæ contra me ipse multa egerat: tum ad eam se accingens prædam, quam opinione ac spe velut explorata deuorabat: improuiso, atque adeo cum de firmanda inter nos pace, conciliandaque sanctiore amicitia; cum Legatis meis transigere simulabat, instructissimis terra marique exercitibus, quadripartito * me inuaserit: eo etiam animo & consilio, nunquam vt bello facturus finem esset, donec me, cæteris interim posthabitis cum priuatis tum publicis commodorum atque incommodorum cogitationibus, imperio ac fortunis omnibus (vt publice iactitabat) exuisset. Neque vero defuere, qui vt expeditius illi foret, hoc re ipsa præstare, quod ipse iam ante Neapoli scriptum, meditatum, cogitatum attulerat, Romæ non iracunde minus quam insolenter effutierat, facinus ausi sunt, omnium post homines natos deterrimum & crudelissimum, quod iam dimanasse ad aures vestras puto. Ego vero tractare nequeo sine refricatione doloris, ex patrio sensu, & acerba recordatione miserabilis & indignissimæ necis, natu maximi filii mei, cum quo quanta conciderit huius florentissimi regni expectatio, non patitur mœror vt referam. Et sane id testificari possunt externi & domestici, quicunque egregiam adolescentis indolem recordantes, temperare ipsi lachrymis non possunt. Huius ego nefandissimi sceleris, amplissimi Principes, nolim cuiusquam, nedum tanti Principis famam perstringere crimine, quod suspicionibus tantum & coniectura possit coargui. Verum ipse tam exsecrandi facinoris administer, cuius ex nominis recordatione totus horreo, Sebastianus Comes a Montecucullano,** priuatim & publice, etiam in ipso supplicii atque mortis articulo professus est, authores sibi fuisse patrandi huius atrocissimi sceleris, Antonium Læuam, & Ferdinandum Gonzagam, Principes in exercitu Cæsariano viros, seque primum a Ferdinando multis oneratum promissis, quo tollendos viros aliquot primarios susciperet, ad Cæsarem esse introductum: a Cæsare multa interrogatum, de mea cibi atque potus ratione, ad Antonium vt quæ ille imperaret exsequeretur, esse missum. Antonium, vt me primum, & ex meis item aliquot veneno tolleret, hoc mandasse. Si

* Intelligit bellum in Italia, Picardia, Campania & maritimum contra Franciscum I. gestum. Tres exercitus priores memorat Bellaius *lib. VI. p. 218.*

** Breuiter hæc narrat Sleidanus lib. X. p. 292. ad an. 1536. *Sub huius initium belli vitam finiit Galliæ regis filius natu maximus, Franciscus, octodecim annorum adolescens. Veneno periisse fama fuit, & Italus quidem Sebastianus Montecucullanus in suspitionem vocatus, habita quæstione, diuersis equis Lugduni fuit distractus, & rex datis postea literis ad Germaniæ Principes, inter alia grauem ea de re querimoniam habuit, in Antonium Leuam & Ferdinandum Gonzagam, Cæsaris administros, omnem inuidiam facti conferens.* Franc. Belcarius vero Comment. rer. Gallic. lib. XXI. p. 277. *eodem tempore Valentiam Delphinatium muniens Rex Franciscus Francisci Delphini maximi natu filii mortem, quem secum Rhodano secundo nauigantem Turnone ægrotum reliquerat, Guisanam arcem ignaue deditam Monteianem ac Boesium captos intellexit. Delphini mors vt duarum posteriorum calamitatum Rex obliuisceretur, effecit: in hoc vno animum defixit, hunc grauissime lugens, præsertim quod veneno sublatus ferebatur, quarto enim valetudinis die expirauit, paternam in liberos charitatem declarauit. In parteis dissectus est Sebastianus Montecuculus veneni propinati reus: at Antonium Leuam, ac Ferdinandum Gonzagam quasi huius facinoris authores nominauit: an quod ita res haberet, an quod tormentis finem imponi cuperet, incertum. Delphinum nonnulli ex parua pila ludo multo sudore madentem aqua frigida intemperantius hausta, alii ex nimia venere cum Lestrangia aulica matrona mortem sibi consciuisse existimarunt.* Prolixius hanc Delphini mortem exponit Guil. Bellaius lib. VII. p. 268. Belcario fere adsentitur Varillas *Hist. de François I. Tom. II. lib. VIII, p. 327.*

se. Si hæc amici veteres, fœderati, & consanguinei charissimi, tam atrox accepta iniuria digna vobis non videtur quæ hominem possit à vitæ suo statu deducere, quænam tandem esse digna possit, non video. Tametsi ego quidem tantis affectus indignitatibus, maledictis & contumeliis lacessitus, petulantibus libellis (indignissimo Regibus exemplo) traductus, clientum meorum ad defectionem sollicitatione oppugnatus, crudelissimo bello absque denuntiatione vexatus, talis filii crudeli & miserabili morte afflictus, cum me ad vlciscendas has iniurias efferret animi quidam dolor necessarius, occasionem afferrent Cæsariani exercitus, vbicunque posuerunt vestigia, mutilati, & affecti: tamen vt sanguini Christiano parcerem, & quod authorem huius victoriæ Deum dominum exercituum agnoscerem, quo nimirum vlciscente Cæsar ab audacissimo cœpto abstractus esset, potius quam humanarum virium auxilio: venienti ad me Legato Pontificis, de pace cum hoste denuo coagmentanda, lubens parui: etiam meas liberorumque meorum res interuersas eiusdem hostis beneficio accipere non recusaui. Contra hostis ne Fortuna quidem fractus minuit insolentiam, & Legati ad se Pontificii orationem, vt antea fecerat, instructissimis & promittentibus sibi victoriam exercitibus sic affectis & profligatis, p. 310. contumaciter & superbe repudiauit, seque in Italiam recepit ardens & cumulatus ira, inueteratoque odio nostri nihil quicquam nisi de pernicie nostra cogitans. Atque adeo sese de integro reparaturum vires minitatur, & eam vlturum in me de qua conqueritur iniuriam, quæ a me profecto nulla (quod sciam) in eum est profecta: nisi hoc ascribere iniuriæ voluerit, quod me supra quam voluerit aut sperauerit, eius obsistente conatibus, vel numine potius eius vlciscente contumaciam, effectum esse intelligit, vt inuectus in me iracundius, quam fortius exsequutus videatur. Quorsum hæc tandem omnis, dicetis, spectat oratio? nempe vt quam obstinato cum hoste bellum habeam, intelligatis: & cum iam is mecum agat, non quam late regnaturus, sed regnaturus ne sim, eius etiam administri an victurus; mirum vt ne vobis videatur, si me posthac mea cautio adigat (vti adiget, si ab æquitate vestra nihil impetrauero) mihi ac rebus meis vt capiam vndecunque dabitur consilium: id quod mihi antea quidem licuit semper, & nunc necesse est etiam, loquatur licet in me hostis quicquid sibi libuerit. Ego vero semper habiturus sum (quod habui adhuc) præ oculis, tum vt ne vllo scelere me astringam; tum vt cuiuscunque armis vtar, si erit necesse vti, siue ad propulsandam iniuriam, siue ad res meas & liberorum meorum repetendas; tamen iis quibus sine nostra reprehensione non possint, ea arma ne noceant.

Reuerendissimi & Illustrissimi Principes, amici veteres, fœderati & consanguinei charissimi. Deus Optimus Maximus sacrosanctum hoc vestrum Imperium vobis ac reipublicæ Christianæ tueatur, atque etiam augeat: & ea vobis inspiret consilia, quæ postulare videbitur horum temporum occasio & necessitas.

EXPO-

IX.

EXPOSTVLATORIA CHRISTIANISSIMI REGIS EPISTOLA, DE VIOLATO TABELLARIO, AD AMPLISSIMVM CARDINALEM MOGVNTINVM: QVA CONVENTVS ITEM AD DISCEPTANDAM MEDIOLANI CONTROVERSIAM POSTVLATVR: TVM ALIA QVÆDAM EXPLICANTVR, AD RETINENDÆ PVBLICÆ CONCORDIÆ RATIONEM FACIENTIA.

FRANCISCVS DEI GRATIA FRANCORVM REX, ETC. REVERENDISSIMO ET ILLVSTRISSIMO PRINCIPI ALBERTO, EADEM GRATIA ECCLESIÆ MOGVNTINÆ ARCHIEPISCOPO, SACRI ROMAN. IMPER. ELECTORI, ATQVE IN GERMANIA CANCELLARIO SVMMO, SACROSANCTÆQVE ROMANÆ ECCLESIÆ CARDINALI DIGNISSIMO, ETC. CONSANGVINEO, AMICO, ET FOEDERATO CHARISSIMO,

S.

QVum proximam ad Septemuirale istud amplissimum vestrum collegium a me scriptam epistolam tabellario ad te dabam, per te virum eo ipso in Collegio Principem cum collegis tuis communicandam; tum equidem ostendebam vehementer me demirari, neque id certe immerito, nihil iam tanto interuallo responsum a vobis fuisse ad priores Guilielmi Bellaii Legati ad vos nostri literas: quibus videlicet vbi aditus eo perueniendi sibi comperisset ipse omnes esse interclusos, postulata nostra detulisset, de priuatis illa quidem nostris rationibus, sed tamen ad officium proprie iudiciumque vestrum, & publicorum auersionem incommodorum (vt quæ maxime) pertinentibus. Interea vero dum me responsionis expectatio vestræ suspensum ac sollicitum habet, ecce tibi non admirationis nouæ tantummodo, sed expostulationis quoque oblata causa est, & ea profecto non minima. p. 311. Etenim quum iam tabellarium dimisissem, tum mihi e Germania prior ille tabellarius, cui literas suas Bellaius ad vos perferendas crediderat, præsto fuit: a quo ego quum itineris sui rationem acciperem, varie profecto & pro eo ac debui affectus sum. Initio enim quum ex eo audiebam, fuisse a plerisque vestrum humaniter & acceptum & dimissum, rescripsisse item nonnullos ad Legati mei literas: quosdam promisisse paratas literas se ad reditum eius habituros; mirifice (vt par erat) ea in me beneuolentiæ significatione recreabar. Verum vbi, quam pro redditis literis ab Illustrissimo Ioachimo Brandenburgensi Marchione, tui fratris filio accepisset iniuriam, intellexi; tum vero hac contumelia grauissime non commoveri non potui: eiusmodi enim ea fuit, nullam vt rem in hoc genere post hominum memoriam, insigniorem non modo ad vos vnquam delatam sed ne a quoquam quidem auditam esse arbitremur. Nam quid veteres illas commemorem Regum & populorum expostulatas grauius inter se, ac vindicatas acerbius iniurias? Ego enim adhuc nullam audire memini, quæ tam sine vllo exemplo quidem ea sit, magis tamen ad exemplum pertineat. Berlinum tabellarius cum literis Legati mei, & mandatis ad Marchionem venerat: tabellarius ille inquam Principis, nec id tantum, sed (vt mihi hoc meo iure dicere liceat) Christianissimi Galliarum Regis nuntius, credo & amicitiæ nostræ, & veteris societatis authoritatem aliquid valere alioqui debuisse. Sed vide, quam pro nihilo ea mihi omnia fuerint, quo minus ab eo quidem (a quo minime debui) indignissime contemnerer ac violarer. Venit ad Marchionem cum literis ac mandatis nuntius meus. Marchionem, vt fit, honorifice salutauit: reddit etiam quas ad eum habebat literas. Accipitur sane,

quod ad speciem & simulationem attinet, non omnino inhumaniter: diuertit, nec
id iniussu Marchionis, in cauponam: vnde commodius posset, quandocunque li-
beret, accersiri. Nec erat quicquam quare secus suspicari posset is, quem consue-
tudo inter nos, ac fides mutua, & libertas ad vtrosque vltro citroque commeandi,
securum præstabat: ita vt nihil omnino doli, nihil insidiarum vel periculi subesse
videretur. Atque non multo post reuocatus ad arcis ipsius ingressum, humaniter
in vaporarium est deductus, ibidemque cum aulicis aliquot iussus discumbere.
Quo post paulo ingressi viri quinque primarii, ex quibus duos tantum se nosse di-
cit, alterum Marchionis magistrum equitum (Marescallum vocant) alteri Eusta-
thio Schlebello nomen esse: cæteros, quinam essent, ignorare. Eos inquit meus
nuntius, vbi ex se de suo primum, deque Legati mei toto itinere, atque vbinam
ille tum ageret, & quo stipatorum numero iter faceret, quæsiissent: deinde ad in-
cutiendum terrorem & trepidationem, minaciter esse percontatos. Quonam ipse
in loco, & quibuscum cædem eam fecisset, cuius reus ageretur: postremo nunquid
ex eorum esset incendiariorum numero, qui tum Germaniam nocturnis incendiis
deuastarent & perderent. Cum negaret, vllius se homicidii aut incendii sibi con-
scium esse: se nuntium nostrum affirmaret: eius mandati administrum, a quo cum
nihil discessisset, nihil in quenquam hominum scienter fecisse, quod ab vllo repre-
hendi posse arbitraretur. Tum ii nihilo hac responsione facti æquiores, dum nun-
tium nostrum, vt latronis satellitem excutiunt, in earum exemplaria literarum in-
ciderunt, quas Legatus meus communiter ad vos dederat, & formis vt excuderen-
tur ea tantum gratia curauerat, vt quam ego ad æquas me demisissem conditiones,
vniuersi per Germaniam intelligerent. Ea quidem exemplaria & aliquot præter-
ea literas Legati mei, nondum iis ad quos mittebantur redditas, tum vnius atque
alterius vestrum ad Legatum eundem meum epistolas, tabellario nostro
per summam contumeliam abstulerunt: subinde sciscitantes, Annon satis sciret,
quam inter me & Cæsarem belle conueniret? annon edicto publico Gallos omnes,
& quicunque Gallicæ ditionis essent, regionis illius aditu prohiberi? quæ tanta illi
fuisset confidentia, vnde iste contemptus esset, vt non impetratis publicæ fidei li-
teris eo per se venire ausus esset, vbi libellos dissiparet huiusmodi, quo vno facto
incendiarius vere dici possit atque debeat? vtpote qui Cæsari, ac rebus eius plus
inde incommodi atque periculi attulerit, quam si pagos duodecim igne immisso
aliquando consumpsisset. Quum iterum ille mandata patroni excusaret, cum ni-
hil offensionis a se prudente fuisse ostenderet, cum testaretur antiquissimam Im-
perii vestri cum hoc Regno meo societatem, quæ publicæ fidei literarum loco esse p. 312.
sibi debuisset; quo etiam nomine & abs te Marchionis patruo, & a cæteris quos ante
adiisset Principibus, & acceptus & dimissus fuisset humaniter: illi miserum ho-
minem diuina humanaque iura atque auxilia implorantem, onustum grauibus ca-
tenis, quas tum collo, tum sinistro brachio inuolutas miserabili aspectu gestabat,
spreta Dei religione, ac humana societate, gentiumque omnium iure violato, in
custodiam crudelissime & inhumanissime coniecerunt. Habes hactenus quam
honesta & iusta causa nuntium meum fœderatus & amicus in vinculis habuerit.
Iam venio ad reliqua. Ibi cum ille totos dies quinque, grauiora morte supplicia
exspectasset, rursus iidem ad eum ingressi, diligentius exquirunt, quidnam rerum
toto itinere fecisset, dixisset, audiuisset, minati etiam, se de eo quæstionem habi-
turos, nisi vltro confiteatur omnia. Addunt illum a patrono suo iis periculis
fuisse de industria expositum, & Principes illos, qui se dixerant rescripturos, hoc
ideo promisisse, quod scirent eum nunquam ad se reuersurum. Quibus ille mi-
nis tam præsens certumque sibi supplicium capitis significari ac promitti intelli-
gebat, vt ne nunc quidem dubitet, eas pœnas se daturum fuisse, nisi diuino po-
tius beneficio quam humano subductus fuisset consilio. Quo in loco mira Mar-
chionis in me iniquitas, & improbior quædam maleuolentia & iniuria extitit.

Nam

Nam cum miser ille forte fortuna elapsus esset e vinculis, ac tum fuga, tum latebris, sibi salutem quæsiisset: Marchio edicto suo, florenos quingentos præmium ei proposuit, qui ad se fugitiuum illum retraxisset incendiarium (ita enim tabellarium ille designabat meum) quem Rex Galliarum ad vastandam igne Germaniam summisisset, quique magicis artibus & præstigiis e carcere aufugisset. Dignumne per Deum immortalem edictum, quod in Regem Galliarum, a Germano Principe, hoc est, a fœderato in fœderatum non temere tantum, sed (ne quid durius dicam) tam maligne emitteretur? Quid enim, patiensne, an dissolutus hoc in edicto videar, si æquo animo dispendium hoc famæ, hanc atrocem iniuriam, a Marchione illatam paterer? præsertim cum non modo nulla esset a me prouocatus iniuria, sed non obscura etiam mea in eum voluntate, officiis etiam meis, vel in hoc ornatus, quod ego ad eum quoque inter cæteros causam meam vltro detulissem. Ad quam tantam contumeliam & hoc quoque accedere voluit, quod miser ille hoc edicto rusticorum obiectus est furori, qui cum iacturam (vt audio) magnam ab incendio fecerant, tum etiam præmio inuitabantur ad illius perniciem. Cuius si innocentia nihil commouebat Marchionem, nihil miserrimi hominis & peregrini apud exteros solitudo, nihil afflicti & plane perditi calamitas; an etiam illum nihil nostri nominis, nihil Imperii vestri maiestas, nihil nostræ societatis & amicitiæ reuerentia, nihil humanæ communitatis leges, nihil religionis ac pietatis obseruantia debuit commouere? Dimanarant ad me quidem antea clientum aliquot meorum aliæ querimoniæ, qui se dicerent aliena quædam a commodis suis in Germania esse passos: audiebam apud vos agi, & traduci honorem meum & opinionem in circulis & conuiuiis: neque ignorabam quoties in Germaniam Legatos mittebam, siue ad refutandas aduersariorum in me calumnias, siue ad alia quæcunque procuranda negotia, eos passim intercludi, obseruari, obsideri. Postremo & hoc etiam intelligebam, de quo ego sic vobiscum expostulandum esse duco, vt quam ab æquitate vestra sit, & a nostra coniunctione alienum, vosmetipsos cogitare, proque societatis inter nos & fœderis ratione statuere, maximopere cupiam & flagitem. Intelligebam (inquam) nihilo mitius hodie cum vestratibus agi, qui mihi ad retinenda vel obtinenda mea nomen darent, quam si vobis, Imperio vestro, templis, delubris, calamitatem omnem & solitudinem attulissent. Hæc tametsi omnia vt indigna erant, ita mihi videbantur, quod Rex amicus, quod socius, quod in legitimo atque hæreditario regno more maiorum constitutus, quod alieni nunquam appetens, quod maiorum meorum in omnes officiis, meis etiam in plurimos, mihi viderer esse meo iure commendabilis: tamen ea (quoad eius fieri poterat) sic ferebam moderate, nulla vt mihi oblata sit interim de vobis bene merendi occasio, in qua non experti sitis, sicuti & in posterum (nisi vobis aliter videbitur) experiemini, summam meam in commoda eiusdem Imperii vestri communia diligentiam, in singulos ordines benignitatem, in
p. 313. omnes homines beneuolentiam & fidem. Nam nec ego meopte ingenio tam libenter de amicis bene mereri desino, quam grauate nuntium illis remitto: nec eas omnes iniurias arbitrabar, aut a vobis, aut ab vllo in quem statuendi ius esset vobis, sed a maleuolis meis atque aduersariis tantummodo proficisci: qui quum ipsi nihil intentatum vellent relinquere, quo antiquam illam inter nos consuetudinem dirimant, sibi vero persuaderent futurum, vt si nostris hominibus iniuriose in Germania habitis, ego Germanis paria in hoc regno meo rependerem, tum inter nos tandem committeremur: hac vtique persuasione moti, & spe imbuti, curauissent clientes & Legatos meos male in Germania excipi & haberi. Tum quæcunque ad me inuidia obruendum maledicta iudicabant accommodatissima, quum ex conscientia suorum in me factorum & consiliorum sceleratissime deprompsissent; neque vellent aut purgandi mei, aut quod deonerarem de inuidia, in eos traiiciendi a quibus staret inuidia, locum mihi ac facultatem vllam superesse: tum vero

 illos

illos ad vim arbitrabar animos intendere, atque in eo laborare, vt quos nullis poterant artibus disiungere, acerbitate certe suppliciorum ab eadem euerterent coniunctione, atque mutua inter nos beneuolentia. Ad postremam hanc iniuriam tantum abest vt eodem quo priores gradu ponam, vt ne dissimulare quidem eam possim: nempe qua sim ab eo affectus, a quo minime debui: & in eo Imperio, quod a maioribus meis acceperit præcipua pacis ornamenta, & libertatis suæ in periculis præsidia tutissima: liceat enim hoc mihi sine inuidia dicere: in eo (inquam) Imperio, qui cum amice semper vixerim, quod quo sponte offenderem, ne nimirum quidem vnquam in me fuit: in eo meum nuntium, & ab eo Principe, quocum ego Rex socius & amicus de summa reipublicæ Christianæ velut cum arbitro agerem (coniuncta est enim eiusdem reipublicæ periculis qua de nunc agitur controuersia) insidiose capi, contumeliose haberi, vinciri, custodiri, veste, zona, pecuniis, armis, equo, sarcinis, meis ad Principes Imperii, & Principum ad me litteris spoliari, & quo mihi grauior conflaretur inuidia, pro summisso incendiario, atque a me subornato, capitali supplicio destinari: ad hunc retrahendum, trucidandum, efferatum vulgus, & persuasione iniuriæ, & præmio proposito concitari. Ego sane, dum ille miser etiam tum iniuriæ illius ac violentiæ immanitatem, pallore, macie, trepidatione præ se ferens, catenarumque adhuc impressa ostendens vestigia, flens apud me miserabiliter casum suum deploraret: cum hoc ipso commotus sum vehementer, tum edicto illo insolenti esse me insigniter violatum, grauissime doleo. Tuam vero, amplissime Princeps, hic appello conscientiam & memoriam, ecquid aliud Legati mei ad vos literæ, ecquid mandata continebant, præter meam de iniuriis, deque itinerum infessione querimoniam, cum postulatione iuris coniunctam? idque præsertim apud eos, a quibus vt non postulassem, expectare tamen debueram. Marchionem porro auditis, nunc quoque se hac vna ratione defendentem, quod dispersa circum Germaniæ ciuitates earum literarum exemplaria, plus Cæsari attulerint incommodi, quam si opulentissimi pagi duodecim incendio illi periissent. Quodnam vero eiusmodi esse potest incommodum, nisi quod iis literis aduersus maleuolorum & obtrectatorum nostrorum calumnias, aliquando est defensa veritas? Sed hæc ratio non video quid habeat in quo possit consistere, nisi forte vnus hic fuit ab Imperio ad vos translato Cæsar, cui non modo iura Imperii omnia tradidisse Germania videatur, sed a cuius etiam præscripto nihil audeatis recedere: cuius vel iniuriis omnibus patrocinari vos oporteat: qui cuiusuis existimationi notam inurat, si quem de possessione vi eiiciat, si clam, si dolo malo in alienæ rei possessionem obrepat, eam vos confestim esse eius propriam atque legitimam iubeatis: quicunque autem re aut verbo eidem restiterit, vel ad vos prouocarit, quorum esse debet earum rerum peculiaris ac propria cognitio, hunc vos in hostium publicorum, hunc incendiariorum in numero habere cogamini. Neque enim adduci possum, vt voluntate vos potius adductos, quam impotenti eius tyrannide adactos, hæc videre ac pati posse putem. Veruntamen si acceptam a maioribus vestris libertatis, æquitatis, ac religionis gloriam retinere vultis, cur alios potius, quam vos ipsos respicitis? Cur non aliorum securi, vestri memores estis in æqui bonique iudicio? aut si patimini æquo animo, diuina humanaque iura impune violari, cur non libenter et- p. 310.
iam de antiqua illa laudis possessione deceditis? An cum apud vos toties, nunquam tamen nisi iuste querar, nunquam animos vestros, nunquam æquas aures habeam? a plerisque repudier? Senatum petens violer? cum hoste interim bellum habeam, qui omnes cum omnibus reconciliationes gratiarum in meam vnius ambiat perniciem? Cur igitur mihi non liceat iam tot annos, & has, & alias multas indignitates passo, contumeliis omnibus onerato, amicitiis, clientelis, contra fœderum leges nudato, bello crudelissimo absque denuntiatione vexato, legatorum offensione, per eum etiam a quo ius expectari oportuit, violato, rarissima indole

indole filii, crudelissima & indignissima necati morte afflicto, veneno ipse quoque vt tollerer, appetito, a vobis denique neglecto, deserto, derelicto: cur non liceat (inquam) mihi ac rebus meis aliunde capere, vndecunque dabitur consilium modo tamen vt quam ego mihi ac rebus meis adhibebo cautionem, ita eam adhibeam, vt si maledicta quidem non potero, certe crimen effugiam. Sed redeo ad postremam hanc, qua de nunc agitur, iniuriam: de qua prius quam ego apud istud amplissimum vestrum Septemuirale collegium publice conqueror, mihi visus sum facturus operæ pretium, si apud tuam familiariter Amplitudinem expostulauero. Etenim cum tu primas isto in Collegio feras, sis in Germania istius Imperii Cancellariorum summus, ingenii grauitate polleas, iis dotibus fueris, in ordinem patrum Ecclesiæ cooptatus, iis nominibus abhorrere omnium maxime debeas (vti mea quidem sententia facis) ab iis omnibus quæcunque vi ac iniuria tentari, agive a quocunque contigerit: maxime vero eidem Marchioni cum sis patruus, a quo violari ius gentium & quantum in eo fuit, disturbari vitæ societatem, moleste (vti par est,) sis laturus; non dubito quin omnem sis operam, omnem curam atque solicitudinem adhibiturus, vt ille in salutaribus tuis monitis acquiescens, memoriam huius offensionis, cum animi æquioris atque resipiscendi significatione, tum insigni aliquo deleat officio. Quod si pro ea, qua valere apud eum debes authoritate perfeceris, proculdubio pro eius personæ quam sustines officio, pro mutua inter nos fide ac necessitudine, pro maiorum opinione nostrorum, pro Christiana pietate, pro communi omnium & in præsens & in futurum otio, pace, tranquillitate laudabiliter ac sancte feceris. Summa igitur meæ apud te postulationis hæc erit, vt de Marchionis facto ita statuas, meam vt dignitatem possim apud omnes integram obtinere: deinde vt communicato cum amplissimis istis & prudentissimis tuis collegis consilio, illam seueritatem moderemini (nolo enim grauius quicquam dicere) qua in Germania passim (vt dicebam) animaduerti audio in vestrates omnes, quicunque mihi meruere milites: postremo vt iisdem istis de rebus, deque eo quod sperari vultis mihi ac liberis meis esse relictum in æquitate vestra perfugio, dilucide mihi & significantibus verbis aliquando rescribatis. Ego sane nihil rerum omnium inter homines magis ex animo cupio, quam publice ac priuatim sic inter nos conuenire, nonnihil vt potius ad amicitiam nostram coniunctionemque pristinam accedat, quam vel tantillum de ea decedat.

Reuerendissime, Illustrissime Princeps, consanguinee, amice, atque fœderate charissime, Deus Optimus Maximus Amplitudinem tuam tueatur semper, atque etiam augeat.

p. 315. X.

AD VNIVERSOS IMPERII ROMANI ORDINES, CHRISTIANISSIMI REGIS DE INDICENDO CONVENTV, DEQVE SIBI OBLATIS PER SOLIMANNVM TVRCARVM REGEM PACIS CONDITIONIBVS, EPISTOLA.

FRANCISCVS DEI GRATIA FRANCORVM REX, ETC. REVERENDISSIMIS, ILLVSTRISSIMIS, INCLYTIS ET SPECTABILIBVS SACRI ROMANI IMPER. ORDINIBVS, CONSANGVINEIS, AMICIS, FEODERATIS CHARISSIMIS S.

QVum per hosce dies crebris amicorum ad me literis, mihi significatum fuerit, Cæsarem Carolum certos homines misisse, qui a vobis auxilia peterent, tum ad nostros aduersus sacrum vestrum Imperium conatus (vt dicebat) reprimendos, tum vt Solimano Turcarum regi occurrreet, quem aiebat etiam inuitatu atque hor-

tatu noſtro exercitum in vos comparare: viſum eſt mihi pro antiqua illa inter nos iam inde a prima gentis vtriusque origine contracta coniunctione amicitia, non temere ferendum eſſe, vt inter vos inauſpicata hæc de mea erga vos omnes voluntate opinio, taciturnitate mea diutius ſeneſceret: quin potius veſtram duxi omnium & ſingulorum æquitatem & prudentiam etiam atque etiam implorandam, vt ne continuo fictis huiusmodi & commentitiis accuſationibus aures veſtræ pateant: quas accuſationes non modo me refutaturum, ſed traiecturum etiam in eum ipſum accuſatorem ſpero & confido: modo vt nos nihil grauemini, ſenatum iis de rebus mihi dare, quemadmodum ego id a vobis, & ante hac ſæpe ac diligenter petii, & nunc denuo etiam atque etiam efflagito: tum vero officii veſtri & quam ſuſtinetis perſonæ ratio mihi videtur, vt concedatis, exigere. Atque vt ad primum accuſationis eius caput veniam, prætermiſsis iis omnibus quæ contra me Cæſar nulla fœderum habita ratione multa egit, & quæ tametſi quidem tuendæ noſtræ integritatis ratio vt exponam, hoc loco poſtulat, quia tamen non flagitat, præterire malo. Ego, ampliſsimi ordines, qui nam ii ſint mei conatus, quos apud vos Cæſar tantopere vt a commodis Imperii veſtri alienos criminatur, quos publico Germaniæ conſilio vindicandos quiritatur, non video. Enimuero ſi poſteaquam omnes fruſtra ſum aggreſſus retinendæ atque ſtabiliendæ pacis inter nos & concordiæ rationes, ea tandem armis recuperare tentauero, quæ mihi per vim atque iniuriam ablata Cæſar retinet; vel ſi ſanguinem vlciſci meum aliquando in animum induxero, quem vos quibus artibus quamque crudeliter & ſcelerate iſti appetierint, audiuiſtis: ego vero neque non recordari, neque recordari ſine lacrymis vnquam poſſum: vel ſi bellum in Cæſarem hoc tempore ſuſcepero, quo is ſcilicet (poſtquam ab eius me inſidiis liberauit Deus Optimus Maximus cauſæ meæ complexus æquitatem & innocentiam) iactitare publice non erubeſcit, ſe nullius gentis aut hominis auxilium aut fauorem aſpernaturum, dum eam vlciſcatur, quam in ſe queritur a me profectam eſſe iniuriam: an me ideo Ampliſſimi ordines continuo perduellionis reum eſſe, continuo veſtri Imperii hoſtem iudicabitis? Tametſi ego quidem huius de me quærimoniæ nullam agnoſco omnino cauſam, niſi forte quod obuiam illi cum exercitu in me irruenti, ſupplex & reuinctis a tergo manibus, non prodierim, neque me ad eius pedes illico abiecerim: quemadmodum ipſe ſibi perſuadebat fore: certe apud ſummum Pontificem, apud Cardinalium Eccleſiæ Romanæ ſacrorum ordinem, apud omnes omnium Principum, ciuitatum, populorum Legatos, ita ſe facturum dictitauerat, ſi ſe habere militem exiſtimaret, adeo & rudem & inexercitatum, atque me iudicio quidem ſuo habere prædicabat. Verum ad rem vt p. 316.
redeam, Ego, Ampliſſimi ordines, etiam vt vindicaturus ſim aliquando tam atroces eas, neque homini vel diſſoluto ferendas iniurias, tantum abeſt tamen vt aduerſus veſtrum iſtud Imperium moliri ac tentare quicquam velim, vt e contrario nihil minus cupiam eius cauſa laborum ſuſcipere, quam maiores olim mei ſuſceperunt, quamque ego me ſuſcepturum antehac ſæpe obtuli. Iam quod Cæſar addidiſſe fertur, Solimanum ſe hortatu atque impulſu meo, ad inferendum Chriſtianis atrox bellum accingere: equidem de illius apparatu non ita pridem ex multorum ad me literis intellexi, in quibus erat etiam, adornare Solimanum eos exercitus quanta maxima vnquam feciſſet cura, celeritate, diligentia, idque (vti vulgo ferebantur) ad vlciſcendum id quod in Africa proxime damnum acceperat. Cur id autem exiſtimabitur meo feciſſe vel hortatu, vel conſilio, ſi quum olim a Cæſare vocarer in eiusmodi ſuſpicionem criminis, æque atque nunc etiam vocor, exitus adhuc fidem fecit me fuiſſe purum plane atque innocentem? Aduerſus autem hunc tanti hoſtis apparatum, vt ſe potius compararet Cæſar, quam vt bellum in me, (quod nunc omni conatu facit) de integro inſtauraret, æquum proculdubio vel hac vna ratione foret, quod cum illi cauſam dedit arma in nos conuertendi, dum pro Rege Afro bellum intulit, tum vero id longe audacius & maiore ſpe aggredi-
endi

endi, occasionem vnus affert, misera inter nos virium nostrarum accisione, ex hoc tumultu intestino: quem non minus obstinate nunc tuetur, quam eiusdem prius voluntarius author fuit. Sed veretur, opinor, atque refugit leuitatis & inconstantiæ sibi notam inurere, si contra quam se publice testatum meminit, non omnia suisque deque ferat tum priuata sua, tum publica rei Christianæ incommoda, potius quam vt caput sit vnquam a suscepto semel in me bello auersurus. Quin & plerique mihi nuntiant, etiam quidam a Constantinopoli recens (ego vero temere vobis affirmare non ausim) eundem ipsum vestrum Cæsarem hoc nunc vnum agere, hoc cogitare, in hoc laborare, vt quibus ego Solimani eiusdem viribus & opibus, antehac mihi ne cogitanti quidem oblatis, vti nolui, non modo ad inferendam, sed ne ad arcendam quidem iniuriam; illis ipse (inquam) Cæsar viribus vltro & ambitiose expetitis, ad me vnum exercendum, diuexandum, conficiendum abutatur. Sane vero vtcunque se res habet, mire instat Solimanus, atque inter hos apparatus mihi iam aperte denuntiat, nullum se amplius dubitationi locum reliquum esse velle, quin aperte significem, pacatone me, an hoste, in re præsertim nihil ad me præcipue, nihil ad Christianorum commune pertinente vti, sibi sperandum sit. Cogitate porro vosmetipsi cum animis vestris, amplissimi ordines, consanguinei, amici, socii atque fœderati veteres, quorsum tandem hæc mihi proponatur optionis, hoc maxime tempore necessitas: quo ego scilicet in extrema sum positus fortunarum omnium ac vitæ, salutisque nostræ dimicatione. Cogitate (inquam) ac redite quæso in memoriam eorum omnium, quæ tum iis ipsis ad vos literis, tum aliis non vnis, ad eos Principes, ad quos designandi Cæsaris cura pertinet, commemoranda duxi. Recordamini, me iam statim ab initio, cum res adhuc in apparatu magis quam in administratione belli versaretur, Legatum ad eos misisse cum mandatis amplissimis petitum atque oblatum Cæsari, iuris nostri ex moribus & exemplis disceptationem. Qui cum ipsi hortati me ad id, atque in primis vrgere debuerint, tamen postulata mea non repudiarunt modo, sed Legatos etiam & nuncios meos violari passi sunt: neque id tantummodo, sed accurrere suos clientes, & certatim ei nomina dare, qui me indicta causa, contraque ius & fas omne opprimendum, exigendumque regno susceperat: neque id tantum etiam, sed in eos quoque animaduertere, quicunque mihi ad propulsandam iniuriam atque perniciem, adducti coniunctionis nostræ memoria meruissent: atque ita animaduerti, quasi Imperio illi vestro, aris, focis, templis, periculum, vastitatem, solitudinem attulissent. Quæ cum ita omnia se habeant, quæso vos, si vt implacabili, si vt contumacissimo omnium hosti, facilius possim obsistere: si vt de altero sim securus, æque formidabili quidem ipso, sed neque adeo vel iniquo vel implacabili: si vt ne cum illo hic se coniungat (a quo illo intelligo non iam fortunas meas, vt
p.317. antea, sed vitam hanc atque animam peti) cum hoc ego pacem fecero: addite si placet, nulla interim eorum habita ratione, qui nullam ipsi periculorum & incommodorum meorum habuerunt: quæso vos (inquam) ecquænam mihi assignari eo nomine culpa, vel conflari iuste inuidia poterit? Vel si poterit, annon illam iustus dolor excusabit atque diluet? mihi vero dilectissimi consanguinei, amici socii, atque fœderati veteres, cogitata diu ratione constitutum est, pertentare malle omnia, quam vt nostram antiquam illam coniunctionem non omnino retineam: aut si minus retinere possim, testatissimus certe non relinquam, omnem a vobis eius rei culpam, a me partem illius nullam extitisse. Vos itaque re integra commonefaciendos esse duxi, quidnam ego in præsenti rerum mearum acerba ea quidem & anxia, sed inculpata difficultate, mihi capiendum esse consilii existimem. Cuius sane consilii, atque adeo cautiones, & vos quoque, nisi per vos steterit, participes fore velim & confido. Etenim ego ita omnino constitui, si quo Solimanus apparatu contendere dicitur, eo contendat: neque animum suum Cæsar ad clementiorem inclinauerit sententiam; cæteri vero Christianæ reipublicæ ordines incommode-

modorum meorum interim spectatores, quidam etiam impulsores, authores, fabricatores esse perseuerauerint; quasi salus illius in mea vnius consistat pernicie; cuius in salute consistere potius bonam partem & salutis & ornamentorum illius existimo: ego (inquam) omnino ita constitui, cum eo me depacturum, si quas aliquando potui, etiamnum impetrare possim pacis aut induciarum conditiones. Vestrum porro erit de iis omnibus (si quidem ita placet, & videtur) mihi per literas respondere, atque voluntatem significare vestram, gratumne vobis futurum sit, si quanto vos huic incendio propinquiores video, propter loca quædam in limitibus vestris ab illo iam capta, tentem ego apud illum, vt ipsi quoque ad me iisdem pacis ac induciarum conditionibus adiungamini. Atque vtinam cæteri omnes Christiani nominis ordines eo essent affectu, ea voluntate, ea denique propensione, & animorum inclinatione ad pacem, vt vnusquisque rationi obediendum sibi duceret: atque alter alteri vt ne nocere vellet, quo nos simul omnes, quicunque Christo eidem Domino militamus, communi animorum consensione viam inueniremus, qua ille ab inuasione nostri deflecteret: atque in alienas a fide nostra gentes tantummodo, vires suas & instructissimorum exercituum robur converteret.

Reuerendissimi, Illustrissimi, generosi ac spectabiles, consanguinei, amici & fœderati charissimi, Deum immortalem enixe precor, vestrum vt Imperium, vobis & reipublicæ Christianæ perpetuo conseruet ac tueatur. Lutetiæ, die XXII. Ianuarii M D XXXVI. ad calculum Gallicum.

XI. p. 318.

CHRISTIANISSIMI GALLIARVM REGIS AD PRINCIPES ET ALIOS IMPERII ORDINES EPISTOLA, QVA SENATVM DE MEDIOLANENSI CONTROVERSIA SIBI DARI POSTVLAT, ET ALIA QVÆDAM SVPER SOLIMANI EXPEDITIONE SIGNIFICAT.

FRANCISCVS DEI BENEFICIO FRANCORVM REX, ETC. VNIVERSIS ET SINGVLIS SACRI ROMANI IMPERII ORDINIBVS, FOEDERATIS, SOCIIS, ET AMICIS CHARISSIMIS S.

Qvanquam ego, Amplissimi ordines, ex superioribus non paucis meis ad vos literis, (quæ vt ad vos vniuersos & singulos aliquando peruenirent, quoquo modo potui, operam dedi,) constare omnibus arbitror, nihil prorsus intentatum nos reliquisse, vnde imminentibus ex renouato inter me ac Cæsarem bello, reipublicæ incommodis occurri posse sperauerim: quia tamen ex amicorum ad me literis conuentum a vobis Wormaciæ Vangionum propediem esse habendum intellexi; conquiescendum adhuc mihi non putaui, quin eadem quoque ipsa repeterem, quæ prioribus illis Epistolis non postulaueram modo, sed enixe etiam flagitaueram: nempe vt pro eo quem geritis magistratu, pro eo quod in commune Christianorum nomini, quod maiorum nostrorum inter nos communium memoriæ, quod mutuis vicissim inter nos acceptis & collatis beneficiis, debere videmini officio, conuentum tandem indiceretis, ad quem mihi Legatos actionum mearum omnium peritos libere ac tuto securosque offensionis omnis mittere liceat: qui tam aduersariorum meorum refellere possint maledicta (si quod forte superest eiusmodi, cui virorum illustrium famam esse subiiciendam arbitremini) quam etiam nostræ liberorumque nostrorum causæ rationes ad eas res con-

confirmare, quibus rebus sub Imperii quidem vestri clientela positis, ad nos vero pertinentibus, nullo nostro merito sumus, nullo neque more neque exemplo spoliati: qui tamen quemadmodum earum rerum causa inter eiusdem Imperii vestri clientes enumerari, dicique non inglorium nobis esse ducimus: ita nos vobis neque incommodo neque dedecori futuros arbitramur. Et Legatos quidem nostros, Amplissimi ordines, quanquam accipere a me legationem vlla de re, Imperiis atque edictis prohibeamini: iam nunc tamen vestra nixus æquitate dimitterem, nisi serius de indicto conuentu vestro accepissem: quem fortassis, & (vt ego existimo) eo animo, deque industria Cæsar improuisum & inexpectatum indici voluit, ne indictionis ad me perueniente fama, causæ mihi per legatos eo in conuentu exponendæ explicandæque (vt qui in tenebris ipse versari, quam in luce malit) occasio daretur & facultas. Duo porro percrebuisse iam video, & in ore atque sermone omnium esse, de quibus referendum Cæsar esse ducit, ac de quibus a nonnullis consultus istius vestri ordinis non infima authoritate viris quidnam ipsis ducerem esse respondendum: quoniam ad me quoque, atque ad eam quam apud vos petitionem instituti, pertinere puto visum est nostri esse officii, nostram vt vobis iis de rebus sententiam aperirem. Conqueritur apud vos Cæsar de impensarum immanitate, quas gerendo, vno eodemque tempore tot disiunctissimis in locis bello, sustinere cogitur: accedere ad id nouum a Solimano Turcarum Rege in Christi nos omnes præcipueque in Germanos bellum: imparemque ferendo ei oneri se testatur. Proinde cupit vt interim Imperii vestri senatoribus salaria, vt militi aduersus Solimani apparatum stipendia, vestro ære persoluantur. Horum primum, Imperii vestri senatum videlicet profitetur (vt est reuera) dirimendis clientum inter se controuersiis, iuri omnibus dicundo, tuendæ proborum innocentiæ, cohibendæ, improborum audaciæ, præ cæteris rebus omnibus accommodatissimum: atque ob
p.319. id multis ante seculis a priscis illis Imperatoribus sanctissime institutum. Alterum, vt Solimani occurratur conatibus, Christianis inquit in vniuersum omnibus, priuatim vero Imperio vestro, vt si vnquam alias, hoc tempore maxime necessarium. In vtroque, vt video, idem spectatur Cæsari scopus, idem finis: nimirum vt ad nummos vestros celeriter perueniat. Ad vtrumque ita respondebo, viam vobis vt aperiam, qua impensis vt quam minime grauemini, atque honoribus interim vestris & dignitatibus fruamini sine periculo. Tametsi ego quidem non ignoro ad Cæsarem debere hoc potius pertinere, vt quem existimem eo fuisse priscis illis Imperatoribus suffectum, vt qua illi olim, eadem nunc ipse solertia, cura, vigilantia, ius vnicuique reddat, Imperiumque vestrum non tueatur modo, sed augeat etiam. Quo magis mirari subit, Ampliss. ordines, audere Cæsarem ad vos scribere, sibi ad ius reddendum, ad tuendum Imperium, hoc est, ad officium proprie suum, pecunias deesse: quæ abunde tamen illi ad inferendam iniuriam, ad interuertendas Imperii opes suppeditant. Nam hoc bello, quod causatur, sicut iniusto illo quidem, ita voluntario (vt excusationem hanc prætexere nequeat) vtrumque per eum agi confirmare liquido possum. Sed quum mearum quoque partium esse ducam, & Imperio prodesse, cuius me clientem agnosco Insubrium principatus ergo, & auertere omnia quæ inimica esse videantur vestro nomini, atque dignitati: ego ad posterius hoc ita profiteor, quoniam aliquo suspicionis odore a quibusdam est deprehensum, qui eius me rei admonitum voluerunt, hanc a Cæsare denegationem salariorum aliqua in causa esse, quo minus ego quum sæpenumero conuentum indici, senatum mihi dari, exemplis ac moribus me deduci petierim, & eo tempore quo Cæsar nobis in spem veræ pacis obtinendæ ingressis, de integro eam subuertit, & quo iam, volente Deo, incitatos impetus eius retardaueram, adhuc tamen id impetrare potuerim, quod negari mihi certe sine summo Cæsaris, sine famæ atque nominis vestri aliquo detrimento non potest: profiteor (inquam) me potius quam vt hæc vestro decori denegatæ vel dilatæ iustitiæ nota insideat, vel de

veſtro ſalarium dare iudicibus cogamini, id me quamdiu noſtra cauſa Senatus habebitur, deque noſtra controuerſia diſceptabitur, ſuppeditare de meo velle: tantum vt diſceptatore Imperii populique Romani ſenatu (qui vſpiamne ſit, haud ſatis ſcio) non Caroli Cæſaris redemptorum iudicium concilio decidatur. Tametſi ego quidem (vt plane loquar) nihilo leuioribus ad me defendendum, quam Cæſari ad me offendendum impenſis opus eſſe mihi cenſeo. Sed cum videam eo rem adductam eſſe (bonam in partem accipi hoc a vobis velim, quemadmodum dico animo amiciſſimo) non grauabor, vt exemplum hoc in me Cæſar inſtituat, ſi qui poſthac (veſtris Cæſaribus ærarium publicum ad opprimendos eos exhaurientibus, quos tueri magis deceat) ius ab Imperii Senatu poſtulaturi ſint, ſalaria iudicibus vt præbeant. Iam vt ad alterum petitionis Cæſareæ caput veniam: Ego, Ampliſſimi ordines, quum viderem Cæſarem (qui occupaſſe adeo poſſeſſionem Fortunæ ſibi videatur) ardentem odio atque in me plus quam hoſtili animo, publice teſtari auſum, ſua omnia prædæ Turcicæ permiſſurum potius, quam vt bello in me abſtineret (quod ipſum ſane aliud nihil erat, quam Solimanum ad paratam & indefenſam prædam inuitare (quum viderem Cæſaris orationi reliqua conuenire), id pugnare illum ſcilicet, id agere, vt me (quantum eſſe in eo potuit) fortunis omnibus euerteret: ad apparatus Turcici famam, ad vtriusque Siciliæ trepidationem, ad populorum ſuorum diuina humanaque auxilia implorantium obteſtationem obſecrationem nihil vel parum commoueri: poſtremo cum viderem ita me a Solimano vrgeri, vt differre non poſſem, quin vel illi pacatum me fore promitterem, vel hoſtem ex profeſſo experirer, quo pacato vti poteram, & quo vti erat neceſſe: adactus ſum ea neceſſitate, quum iam vel minima dilatio temporis plena eſſe periculi mei videretur, cum altero placabiliore ſcilicet hoſte Solimano depaciſci inducias, vt aduerſus impotentem, implacabilem hoſtem Cæſarem facilius me tuerer ac defenderem. Verum iſtas inducias tamen ea ratione ſum depactus, vt quoad eius fieri potuit, non vni mihi tantummodo, quaſi veſtra cæterorum Chriſtianorum pericula pro nihilo mihi habenda eſſe ducerem, ſed Chriſtianis in vniverſum omnibus conſulere prouidereque ſtuduerim. Cuius rei vos ego teſtes appellare poſſum, ſi quidem ad vniuerſos meæ literæ peruenerunt, quemadmodum eas proximo Ianuario menſe ad ampliſſimum Cardinalem Moguntinum, vt cum cæteris communicaret, dedi: ad quem eas perueniſſe certo ſcio. Vtcunque eſt, etſi reſponſi nihil a vobis tulerim, Legatus tamen meus hanc ipſius Solimani vocem excepit, *Nihil ſe, niſi prouocatus fuerit, Germaniæ nociturum.* Ac tum fortaſſe facto facile fuerat, vt vos mecum ad easdem pacis aut induciarum conditiones adiungeremini, idque vt mihi relinqueretur integrum, quantum per obſtinationem hoſtis importuniſſimi licuit, curaui atque prouidi. Porro autem veſtrum erit ea de re (dum eſt integrum) ſtatuere, meque, ſi vobis ita videbitur, conſilii veſtri atque voluntatis admonere. Vos me ſane ad eam rem (vt quam maxime omnium velim) interprete fideliſſimo, ſponſoreque officioſiſſimo vtemini: vt qui perſiſtere cupiam in illa ipſa eadem erga vos animi beneuolentia, vobis meo iudicio non incognita. Viciſſim vero & hoc a vobis, Ampliſſimi ordines, quæ non ſemel antehac feci, diligenter etiam atque etiam poſtulo, & veluti meo quodam iure debitum efflagito, vt qui e veſtratibus milites ad me tuendum, ad conſtituendum aut recuperandum fortunarum mearum ſtatum, ſtipendia mihi fecerint: eo apud vos eſſe velitis loco, quo ii eſſe debent, qui mutuæ originis, ſocietatis, neceſſitudinis, amicitiæ memores, depellere vt decuit a cognatis, a ſociis, a neceſſariis, ab amicis iniuriam voluerunt. Tum pueri huius, per quem vobis hæ reddentur literæ, tutum itum & reditum, non a veſtra ipſorum quidem (a quibus ea timere nolo, quæ ne Barbaris quidem in mentem, vt committant, venire debeat) ſed ab eorum præſtetis iniuria, quibus nihil eſſe ſanctum experior, & fortaſſe non nemo veſtrum intelligit.

Reue-

(In the right margin, beside the line ending "in vni-": p. 320.)

Reuerendissimi, Illustrissimi, inclyti, generosi, splendidi, amplissimi, spectabiles, & prudentes amici, socii, fœderatique charissimi, Deum Optimum Maximum veneror, vt quod isto conuentu statueritis, decreueritis; fœlix, faustumque sit vobis, cunctæ Germaniæ, Imperio vestro, & Christianis in vniuersum omnibus. Medone, Parisiorum agro, Pridie Cal. M. D. XXXVII.

XII.

FRANCISCVS DEI GRATIA, FRANCORVM REX, ETC. ILLVSTRISSIMIS ET EXCELLENTISSIMIS PRINCIPIBVS IOAN. FRIDERICO EADEM GRATIA SACRI ROMAN. IMP. ARCHIMARESCHALLO, ET PRINCIPI ELECTORI, LANDGRAVIO THVRINGIÆ, MARCHIONI MISNIÆ, ETC. ET PHILIPPO HASSIÆ, CATTORVMQVE COMITI, ETC. CONSANGVINEIS, AMICIS, ET FOEDERATIS CHARISSIMIS,

S.

Redditæ sunt mihi litteræ, vestro fœderatorumque vestrorum nomine quibuscum Schmalcaldiæ tum conuentum habebatis, tertio Nonas Martias ad me datæ. Quarum tria potissimum esse capita animaduerto. Primum quidem excusatis quod superioribus eodem in loco conuentibus habitis, Orator noster nonquam expectabam responsionem tulerit: causam etiam affertis quare ne nunc quidem decerni a vobis Legati ad nos potuerint. Deinde postulatis vt hæreditariam illam beneuolentiam ac fidem, qua Germanos omnes semper sumus persecuti, perpetuo tueamur ac retineamus: neque vos & qui vobiscum eandem in societatem coierunt, a nobis destitutos velimus, quin singulari eorum atque vestræ in Ecclesiæ concordiam & Christianæ reipublicæ otium animo, voluntatique suffragemur. Postremo, quid consilii de Synodo ceperitis, significatis copiose, ostenditisque scire velle, quæ sit ea de re mens nostra. Quod ad primum attinet, multo gratissimum fuit intelligere, quicquid superiore conuentu omissum est, id neque a culpa vestra, neque abalienato a nobis animo profectum fuisse. Quamobrem qui rerum summæ apud vos præsunt, si (quemadmodum constitutum vobis esse video) Legatos ad p. 321. me sunt missuri, hos ego humanitatis genere omni sic accipere cogito, vt si literæ meæ illis (quemadmodum scribitis) suaues sunt visæ, conspectus noster nihilo minus iisdem iucundus sit futurus. Ad caput alterum sic habetote: Scire vos opinor, viri amplissimi, gentem quidem Germanicam, ex qua velut stirpe genus meum duci non solum libenter profiteor, sed magno etiam in honore pono, tanta necessitudine semper cum Francica coniunctam fuisse, vt maiores nostri vtramque fere pro vna eademque gente habendam censuerunt. Quod si qui adhuc sunt, qui non ita existiment, vehementer meo quidem iudicio falluntur, manifesteque originem nostram ignotam sibi esse præ se ferunt. Itaque mirum videri minime debet, si quæ inter cæteras nationes pacta sunt atque inita fœdera, literarum monimentis & quam validissimis fieri potuit cautionibus nitantur: qua vero inter nos necessitudine vincimur, ea demum vna sit, quæ cum ex sese ipsa consistit, tum in populi vtriusque pectoribus impressa longa temporum serie egisse radices altius, inseuisseque hanc non iam consuetudinem, sed potius naturam videtur, & ita inseuisse, vt quantumuis corruptis vetustate ac situ (si forte aliquando contingat) mutuæ beneuolentiæ velut tabulis, ipsa tamen amicitiæ inueteratæ vis non idcirco labefactetur, ac ne in dubium quidem vocetur: nec illa præteriti temporis ab omni prope æternitate memoria nobis a maioribus nostris per manus tradita, satis ad legem & authoritatem non futura sit. Deum enim hominesque testor, quantum ad me attinet, viri amplissimi, me hac in re non modo ad maiorum meorum ingenium accedere voluisse, verum etiam, vt præcederem, elaborasse. Quod mea-

quidem sententia ita est vniuerso orbi testatum & cognitum vt nihil hostes meos, eosdemque vestros (quales, estis experti) amicos, peius his proximis annis habuerit, quam quod senserint, viri sagaces, nullum aliud propugnaculum aduersum suos ad immodestum illud immodicumque totius orbis Imperium conatus, firmius nostra amicitia opponi posse. Quare nihil est cur miremini, si omnes omnium temporum calumniatores comminiscendis disseminatisque calumniis, mendaciis, confictisque in me criminibus arte & diligentia superarunt: quam solam inierunt labefactandæ amicitiæ nostræ rationem. At Dei benignitate, vestra vero prudentia, nostra item erga vos fide, de qua præmiis nullis, nulla aureorum montium pollicitatione deturbari vnquam potuimus, repulsi fractique sunt. Qua ex re iudicium ego quidem facio, magisque in dies aduerto, quam isti male operam suam ponant, communes (cur enim non ita eos appellem?) aduersarii nostri, cum insidias eorum vel pueris (quod dicitur) infantibus detectas, ac manifestas esse constet. Nihilominus tamen quoniam literis multorum ad me perfertur, eos eandem vsquequaque cautionem (vt in prouerbio est) occinere, nec proximo conuentu vllo esse pudore cohibitos, quominus odii sui virus omne in me iamdiu conceptum, in tanta tamque celebri virorum amplissimorum corona euomerent, statui mihi faciendum, vt certa quædam atrociorum criminum capita, quibus nomen meum absentis deferunt, & nos vulgo traducunt, diluenda, & causam meam agendam curarem, nimirum vt re cognita, veritatis ipsius luce, mendaciorum istorum tenebræ discuterentur. Non quo istos tamen, qui ea in me maledicta effuderunt, tanti faciam, vt illis responderi a me oportere iudicem: cum neque illi, si id sua sponte faciunt, sint eiusmodi, quibuscum mihi rem vllam esse velim: & si authorem suum ea de re laudant, ille non nesciat, quid sibi, quum quid de me secus dicere ausus est, respondere solitus sim. Quid ergo? an hoc a me agitur, vt vobis innocentiam meam probem? Nequaquam. Neque enim mihi cognitu facile quidem videtur, vtris maiorem iniuriam facerem; vobis ne, si de vestra erga nos amicitia, quæ a recta bonaque opinione separari nequeat, dubitem; an nobis, si apud vos, hoc est, viros integerrimos, ne alia existimatione simus, vereamur. Quorsum igitur hæc spectat defensio? Eo sane, vt qui genere ipso rerum potestis omnem ex omnium animis, & iuris nostri, & aduersarii iniuriæ dubitationem tollere, nunc sit vobis in promptu singulas partes, quibus alter absoluatur, alter condemnetur, explicare. Quod omnino facturos vos pro vestra erga me beneuolentia mihi ipse promitto ac recipio. porro autem hoc vos pro certo habetote, cum Apologiam quandam recognoscerem, quam ad refellenda istorum in me crimina & conuitia curaui ad vos perferendam, in ea me nihil deprehendisse, quod vel transuersum (vt aiunt) digitum a rei gestæ veritate discedat, quodque pro vero ab vni- p.322. uerso orbe recipi non debeat: & vt ita vobis persuadeatis, velim. Quod ad tertium attinet totius epistolæ vestræ caput, breue est quod responsurus sum: atque eo breuius, quod ad ea, quæ scribitis, nihil addi aut debere, aut posse videatur. Reliquum est, vt calculum meum ponam. Hoc igitur suffragium meum breuiter obsecro accipite. Eum me semper sensum in hac re habuisse, vt quemadmodum temporibus nostris perutile, vel potius necessarium arbitrarer, publicum Christianorum conuentum loco haberi libero, minimeque ad alterius partium iniuriam opportuno, eumque rite ac diuini illius Spiritus instinctu & nomine, more maiorum agitari, in quo ageretur de publica & vtilitate & Ecclesiæ totius conciliatione & consensu; si quid horum deesset, nullo modo coitionem eiusmodi probarem: & vt quod res est dicam, & antehac quidem, & nunc maxime in ea sum opinione, vt non aliter recte atque ordine concilium haberi posse mihi persuadeam, & ita persuadeam, vt contrariæ sententiæ authoribus aures nunquam sim in posterum patefacturus. De Scotorum Rege, cuius & mentionem facitis, curabo diligenter, vt quod velle ostenditis, literæ cum illo vestræ communicentur. Neque est quod dubi-

dubitetis, quin ille authoritatem meam ſit ſequuturus, pro ſuo in me ſtudio & obſeruantia, quam eandem filii pietatem in patrem interpretari poſſum, præſertim cum ipſe mihi conſcius ſim, eum a me inuicem non ſecus, quam liberos amari & obſeruari.

Illuſtriſſimi & excellentiſſimi Principes, conſanguinei amici, fœderati, chariſſimi, Deus Opt. Max. ornamenta veſtra tueatur atque augeat. Farræ, X. Calendas Iun. M. D. XXXVII.

XIII.

APOLOGETICA EPISTOLA ET SENTENTIA CHRISTIANISSIMI REGIS AD AMPLISSIMOS SACRI ROMANI IMPERII ORDINES SCRIPTA.

QVod Chriſtianiſſimi Galliarum Regis apud vos vel opinionem, vel gratiam, vel authoritatem maledictis eleuare obtrectatores ſtuduerunt, iampridem, viri Principes, ampliſſimi ordines, inclyti conuentus conciliaque Germani nominis, animaduerſum eſt, id eos quidem morbo quodam animi, ac linguæ petulantia magis quam iudicio egiſſe: at dediſſe tamen operam, quacunque id ratione tentare potuerunt, vt temporum noſtrorum omnem inuidiam in nomen Gallicum, atque in Gallorum Regem ipſum transferrent: denique vt vos nominis noſtri, ac generis totius Francici authores, vel verius parentes, a nobis abalienarent, qui veſtri & eſſe & dici contendimus. ac tametſi eorum iniquitas ſe in nonnullorum e veſtris aures nimis familiariter inſeruit, ſperaui nihilo ſecius, Ampliſſ. viri, pro veſtra æquitate & ſapientia, me facile apud vos veritati locum eſſe inuenturum, apud quos ſeſe ipſa non tueri modo atque per ſe conſiſtere, ſed refellere etiam calumniam & explodere poſſit. Eam autem veritatem, dum breuiter expono, me ſane beneuolis & attentis vobis vſurum eſſe: confido, ſpero quidem certe; tantum enim abeſt, vt omnes iſtorum omnium calumnias pertimeſcendas putem, vt etiam non dubitem quin nobis tam ſit cauſæ æquitas profutura apud vos, quam iſtis ſua impudentia vobis hanc controuerſiam diſceptantibus, obfutura. Eoque id futurum magis credo, quod anno ſuperiore itineribus per hoſtium inſolentiam quoquo verſum obſeſſis, tabellariis, qui ad vos hinc mittebantur, partim interceptis, partim interfectis, eorum etiam edicto (quo res indignior ſit) quorum iniquum Imperium diſſimulare cogebamini, cum interim nos ea ipſa cauſa noſtri apud vos purgandi locum nonniſi anguſtiſſimum haberemus, veſtra tamen æquitate factum eſt, vt vna velut Apologia, quæ ad vos & authore incerto, & itineris ratione incomperta perueniſſet, tantum valuiſſe exiſtimetur, vt conflatæ in nos inuidiæ pars non minima in calumniæ retorqueretur autores: vos etiam vt & Francorum genti, hoc eſt generi veſtro, & ipſi etiam Regi gentili atque conſanguineo, veritate comperta, eſſe cœperitis æquiores. Hæc vero quum ita ceſſerint, quid nunc tandem ſperare non poſſim? quippe non modo repreſſa, verum etiam Dei primum immortalis
p.323. benignitate, deinde Regis Chriſtianiſſimi incomparabili & virtute & fœlicitate, labefactata hoſtium noſtrorum, veſtrorum etiam aduerſariorum (ne quid grauius dicam) inſolentiæ & arrogantiæ priſtinæ cauſa, aditu que nobis ad vos ſummo veſtro beneficio, nec minori animorum veſtrorum magnitudine patefacto. Eſt certe, niſi me longe fallit opinio, cur mihi de veſtra humanitate & beneuolentia quippiam non mediocre promittam, vt qui neque mea ſponte, neque item temere cuiuslibet hominis inſiſtens veſtigiis, ſed Regis optimi, integerrimi, vobis amiciſſimi, ac propinquiſſimi autoritate fretus, vobis eadem illa confirmanda, atque iis etiam gratiora exponenda quædam ſuſceperim; quæ ante ex aliis, qui nec commendatione pari apud vos, nec gratia valerent, non ſine magna tamen animi attentione

ac vo-

ac voluptate accepistis. Quanquam ne id quidem quæ nunc agimus, tale est, vt in eo instructam valde, aut exactam, numerisue omnibus absolutam defensionem ordiar: quin potius id a nobis agitur, vt si qui forte adhuc sunt, qui superioris illius Apologeticæ epistolæ vel authoritatem, vel fidem in dubium vocent, quod ea istuc exierit, nec scriptoris nomine, vtpote incerti, nec cuiusquam subscriptione commendata: nunc tandem Regis confirmationem secuti, quam ipsius ex literis videre est, satis ea de re factum sibi esse intelligant. Nec enim ex ea ipsa Apologia (quisquis hominum tam egregia in patriam ac principem voluntate fuit, qui negotii huius rationem totam vobis exponens, innocentium causam suscepit suapte ipse sponte) est quod demere vel velim vel debeam. nam pauca sunt fortasse, quæ pro rei ipsius magnitudine addenda censeam. Eam itaque in partem hoc nostrum quicquid esse videbitur, accipiatis velim, vt quod vobis hoc legendum traditur, illius eiusdem esse partem Apologiæ existimetis: tametsi non eodem esse filo attexta videbitur. Minime vero offensum iudicium vestrum velim, sicubi res aliqua in priore illa defensione leuius perstricta, eadem in hac velut appendice vel repetetur, ad refricandam memoriam, vel copiosius aliquanto de Regis Christianiss. sententia & voluntate pertractabitur. Habetote igitur, Ampliss. viri, ex hac nostra, vt rudi fortasse & impolita sic minime fucata atque subdola defensione, mentis atque animi Regis, eiusque consiliorum summæ, imaginem & simulacrum, iconice (vt ita dicam) & ad viuum expressum: quæ prudentiæ vestræ pio specimine erit voluntatis probæ atque plane regiæ, vt significantissime loquar. Id autem a me eam in partem dictum est, vt ex eius Principis ingenio facile iudicare possitis, conficta fuisse illa crimina, scelerata aduersariorum impudentique vaniloquentia. Qui dum ipsi quidem neque pares ferre queunt, neque armis tamen de virtute contendere audent, ad conuicia se & calumnias, sua opinione firmissimum improbitatis præsidium & propugnaculum, conferunt: vnde atrocissima probra in nos, in Regem, in nomen vniuersum Francicum, velut infecta & recocta tela importunissimi homines, animo plus quam fas est hostili, iaculantur. Enimuero ex multis, & (si Deo placet) apposite ad speciem confictis criminibus, tria esse video præcipue animaduertenda, quæ maximam nobis inuidiam apud imperitos excitare queant, & quæ inter nos quidem, qui iam olim, atque a conditis propemodum nominibus & vestræ & nostræ gentis, sanguine, moribus, fœderibus, sumus quam coniunctissimi, vel grauissima odia, vel funestissimas simultates serere, atque alere possint. certe quidem eiusmodi sunt, iis vt isti se concordiam facile nostram diremptiuros, ac publicam causam iugulaturos confidant. Iam primum Carolum Cæsarem a Rege, bello indicto, interpellatum ac reuocatum ab expeditione Turcica tumultuose vociferantur. Deinde ab eodem Rege incitatum euocatumque in Christianos Regem Turcarum scelerato commento (vt interdum est maleuolentia cum amentia coniuncta) proferre non veriti sunt. Tertium illud de bello Sabaudiensi vel crimen vel maledictum huiusmodi est, atque iis argumentis instructum, pariterque (vt iam dicta) sic ieiune ac frigide tractatum, indignum vt mihi videatur, in quo refellendo contendendum mihi sit vehementius.

Horum igitur criminum primum est illud, & serie temporis vetustissimum, quo clamitant Carolum Cæsarem a bello Turcico regiis armis reuocatum. Hæc qualia molestissimi homines arma fuisse intelligant, cum nulla norim: quodnam illud sit bellum Turcicum, denique vnde sit Cæsar reuocatus, cum diu mecum reputauerim: nulla possum suspicione assequi. Non me latet, Solimanum iam ante quinquennium magno tumultu, magnaque consternatione omnium, ac pertur- p.[illegible]4.
batione in vtramque Pannoniam inuasisse: Cæsarem maximas aduersus illum & florentissimas copias coegisse, vt quidem fama fuit. Verum vt hæc omnia vera esse non inuitus credidi, quin maiora veris iactata esse, & sermone celebrata memini, ita explicare non queo quid in causa fuerit, cur trepide (vt isti volunt) se e Ger-

Germania recipientem hostem, plane etiam profligatum, fugientique similem Cæsar non sit persequutus, cur occasionem illam tantæ gloriæ, tantique ad rempublicam Christianorum momenti neglexerit: cur denique victoriam iam partam de manibus amiserit. An vt nos sæpius cum terribilissimo hoste de salute, de vita, de libertate, de fortunis omnibus dimicaremus? Num etiam tum sese interpellatum esse ac retractum a Rege dicere ipse audebit? cum id omnibus satis innotuerit, adornanti expeditionem illam Cæsari Regem ipsum obtulisse peditum millia quinquaginta, maiorem multo partem (ne quid incommodæ suspicionis esset) e Germania delectam, equitum Gallorum millia sex, adhæc tormentorum vim ingentem, nec vero tantum hasce copias suas opesque in expeditionis illius & periculi societatem ei detulisse, sed proficiscentem etiam ad bellum, simul ipso in bello res gerentem, susceptis publice pro ipsius salute atque exercitus votis, & more nostro supplicationibus indictis, insuper prosequutum esse faustis ominibus, vt assolet, absentisque rebus perinde atque suis ipsius fauisse: postremo redeunti Cæsari preciosissimam illam, atque (vt ferebatur) laboriosissimam victoriam gratulatum misisse. Iis si officiis Rex Cæsarem ab expeditione reuocauit, faciendum illi quid fuit, vt retineret? Illa profecto si hominem interpellauere, si a persequendo Regis liberalitate atque eius generis beneficiis retractus est, quibus nos maxime incitari solemus: causæ nihil est, cur vel hunc credere possim Solimano hostem fuisse; vel si fuit, necesse est iis assentiar, qui Cæsarem negant tam obstinato implacabilique esse in suos hostes animo, quam homines plerique conqueruntur: qui si (vt reliqua persequar) tanto studio tenebatur, quanto isti prædicant, Turcicarum rerum funditus euertendarum, ac non potius sic suis cupiditatibus velificabatur, vt sub obtentu pietatis ac religionis sacra æque ac profana raperet & auerteret, & vero (vt plane loquar) vt hoc præclarum Imperatorii muneris tyrocinium ad miseræ atque exanguis & spoliatæ Europæ iniquam possessionem verteret, si tanta (inquam) animi contentione in hostem Christianæ pietatis ferebatur, neque, hac simulatione religionis tot nationum, tot populorum dominationi imminebat; si nostræ denique libertati, ac fortunis omnium non inhiabat auidissime; quid accidit cur auxilia nostra tantopere necessaria, ad id bellum & vltro & hilariter delata, Imperator repudiaret? atque is Imperator qui minime tardi aut negligentis speciem præ se ferat. Sed operæ pretium est audire, quid ad conditionem eam sibi oblatam responderit. Ait ad id bellum quod susceperat, iam non ope, sed opibus, non equitibus, sed argentariis; non vi tormentorum, sed copia nummorum; non denique sibi prompto, expedito, numeroso milite; sed prompta, sed expedita, sed confestim numeranda pecunia opus esse. Et hæc cum ita perspicua sint omnibus & cognita, vt negari ne ab illo quidem ipso possint, vel si omnium impudentissimus esse sustinuerit: tamen cum a singulari bonitate & liberalitate eximia proficiscerentur; videte quæso, viri amplissimi, hoc Regis tam liberale officium, tam oportunum, tam appositum, quam maligne, quam peruerse, quam sinistrorsum Cæsar ipse interpretatus fuerit. Deus immortalis, non veritus est dicere, Italiam liberalitatis subdolæ, & officii specie repetere nos tentauisse, & ostentatione delectus Germanici ipsius Germaniæ vires imminuere & exhaurire: atque ea ratione illam inermem & nudam, nec alienis tantum, sed domesticis etiam præsidiis spoliatam, infensissimis hostibus obiicere conculcandam. Qua in re si quæ in Regem maledicta edita voluit, nunquam vera esse censuit (id quod facile ideo mihi persuadeo, quo & Regis vniuersa anteacta vita, & recentia eius in Cæsarem ipsum officia longissime ab istiusmodi flagitii suspicione absunt) si non, inquam pro veris habuerit, p.324. quali ingenio quali sit integritate & sanctitate Cæsar, qui innocentiæ nostræ hæc crimina affinxerit, apud vos ipsi cogitatote. Sin vera ea fuisse putauit, quam ex Regis ingenio coniecturam facere non potuit, eam de suo hac in calumnia fecisse, p.325. quæso vt arbitremini. Verum illa fuit, scilicet belli Turcici species, magnifice ad-

 vmbra-

vmbrata, in quo isti cum sibi ob hostem (vt loqui solent) deletum mirifice placent: tum vero de nobis ipsis, quos quo iure, quaue iniuria semper hostium numero habuere, multo magis (vt quidem est eorum sensus) triumphant, quam de hoste atrocissimo Christiani nominis. Nisi vero cum bellum Turcicum iactant, & Cæsarem reuocatum inde, ac vi extractum quiritantur, non illud in Germania gestum, tanquam momenti exigui verum posterius alterum insigne Africanum, cuius beatos illos & plausibiles triumphos a Diuo (si Deo placet) Carolo agi vidimus, significant: nullum enim video tertium esse, nec præterea vllum. Tametsi quod ad triumphum illum attinet, non dico quam sit nugatorium. Sed enim nullum iudicio meo Carolus in omni vita aut gessit, aut gesturus est bellum, quod verius Turcicum nominari aut debeat, aut possit, quam quo bello gentem illam alio tum intentam ad bellum Christianis inferendum prouocauit. Vtinamque ea falsa sint, quæ tamen sunt verissima, quæ quotidie cum ex Genuensibus & Venetis, tum ex aliarum omnium nationum hominibus audiuimus, qui in Africa aut mercaturam faciunt, aut alia ob negotia illuc commeant, imo vero quæ ex procuratoribus ipsius Cæsaris accepimus. Nemo est enim eorum quin affirmet Solimanum, cum ex Persica expeditione rediret, publice apud omnes dicto eius audientes populos per literas, (quarum exemplum legimus,) questum esse, quod cum Tunetani ciues Regis sui tyrannidem ac violentiam pertæsi, Ænobarbum Turcicæ classis præfectum ad se asserendos asciuissent, seque eius commisissent fidei; illum postea securum & nihil minus quam vim a Carolo Hispaniarum Rege (sic enim eum appellant) metuentem, repentino bello oppressum de Tunetis possessione Carolus deturbasset, id tum demum, quum ipse Solimanus in longinquam expeditionem profectus esset, ausus facere; contra fidem ab oratoribus datam nihil eum interim rerum nouaturum. Proinde admonere, Solimanum, rogare, hortari singulos & vniuersos, sibi in vlciscendo hoste, vti ne deessent. Siquidem certum ei omnino esse, vires suas omneis & copias quam primum in eum, a quo esset violatus, conuertere. Quare fabricandis nauibus, rei nauticæ instruendæ, sociis naualibus vndecunque cogendis animum intenderent: ipsum quod sui esset officii, in reliquis curaturum. Hæc si vera sunt, vt sunt verissima, equidem non video cur non recte (atque vtinam non tam vere) calumniatores homines bellum hoc posterius, bellum Turcicum nominare possint: quo quidem bello Cæsar Turcarum gentem in Christianam rempubl. prouocarit, incitarit, elicuerit. quippe cum illa gens dubio procul nihil motura in Occidentem fuerit, nisi prius lacessita vt video persuasum omnibus: impetus suos omneis, in res Persicas conuersura. Et eorum quidem consilii vel hoc inter cætera fidem faciet, quod Solimanus cum a nonnullis, quos non imprudens rerum taceo, quorumque maxime intererat mare hoc nostrum minime nobis fieri infestum, rogaretur, vt ab his nostris finibus abstineret, animum potius ad Orientis opes, quam ad Europæ vires adiiceret; respondit ille, *se non inuitum, vt quiesceret facturum, duntaxat quod posset integra sua existimatione facere: pateretur modo Carolus Ænobarbum suæ classis præfectum Tunetem, unde depulsus, repetere: cæteris de controuersiis facile transactum iri.* Deus Opt. Max. faceret, vt latam conditionem rationibus Christiani nominis accommodatissimam acciperemus, nec tam improbe atque impie vel gloriæ nostræ vel cupiditati seruiremus, vel denique obstinato animo vsque adeo obsequeremur: melius profecto & commodius rebus Occidentis consuluissemus, ac de Christiana religione salutarius statuissemus. Nam per Deum immortalem, quid causæ fuit, cur non eadem de Tunete, id est Mahumetanorum latebra magna cum nostra laude & compendio faceremus, quæ paulo ante de Methone arce ac præsidio Christianorum illustrissimo ipsis Christianis, qui nos inuocarent, proditis maximo quidem cum nostro dispendio, sed maiore multo dedecore & ignominia feceramus? Hocne illud est tandem quod isti perhibent, de quiete & salute Reipublicæ semper se cogitare?

gitare; semper esse sollicitos? sua opera, studio, diligentia, virtute, fide illa omnia sustineri & seruari? præ illis priuatarum se rerum omnium & vtilitatum suarum rationem nullam habere? An etiam id est Herculem alterum orbis liberatorem esse? alterum esse Cæsarem Romani assertorem Imperii? Hoc est religionis Christianæ propugnatorem se vnicum velle videri, atque eo nomine apud omnes inclarescere? Quod si Rex, quem isti tam pii homines neglectæ religionis, quid dixi neglectæ? imo vero proditæ & afflictæ insimulant, hac occasione oblata aut alia eiusmodi, illud nescio quod propugnaculum aut castellum ad fauces Tunetis positum Solimano non restitueret; si non tyranno omnium quos terra sustinet, impurissimo (de Rege oppidi illius loquor) amicitiam renunciaret: si non ab inhonesto fœdere, si non à consensu Christianæ pietati perniciosissimo recederet: nisi iniurias omnes, si quas ab hoste accepisset, Reipublicæ quieti benigne remitteret: nisi Africanum omne imperium & inanes illos Europæ, Asiæ, Africæ titulos otio Christianorum condonaret: nisi denique omnia faceret, vt iam ingruentum nostris ceruicibus tempestatem auerteret: quid tum, obsecro vos, quid (inquam) non essent rigidi isti censores proloquuturi? Nonne cupidum, nonne insolentem, nonne impotentem animi, nonne iam moribus præsentibus intolerandum parum illis esset eum dicere? Scelestum medius fidius, nefarium, sacrilegum, impium, humanitatis, pietatis, religionis euersorem, aris focisque infestum Regem esse clamitarent: idque non iniuria. Neque enim vllum opprobrii, vllum contumeliæ tam inuidiosum genus est, quo non dignissimum eum homines merito iudicarent. Verum in hoc bello quidnam est tandem, in quo Regis benignitatem, humanitatem, æquitatem possit Cæsar desiderare? quid quamobrem Regem sugillare iure possit? Cœpit ipse hoc triennio classem parare in nostri litoris vicinitate, omnium quas nostra vidit ætas, atque audiuit, tum robore copiarum numeroque, tum omni apparatus genere longe instructissimam. Excipiebantur eius interim voces minarum plenissimæ, quæ ad Regem solum non dubie pertinebant. deprehensi & conuicti viri nefarii aliquot, qui tantam Cæsaris classem in Massiliensem portum accipiendam, quique Andreæ Auriæ (quem vos & de fide & de nomine satis nostis) Massiliam ipsam vrbem omnium nobis maritimarum opportunissimam, tradendam susceperant, & redemerant. Detectæ iam erant insidiæ, patefacta erat scelestæ expeditionis adumbratio. nec dubium erat quin verbo quidem ad Punicæ oræ oppugnationem tanta classis, re autem vera ad Christianæ expugnationem occupationemque vrbis iam dictæ parata esse videretur. Tam insigni iniuria Rex lacessitus, nec sic quidem ab vetere instituto suo discedendum putauit. Satis tum habuit ab insidiis cauere, reique euentum opperiri: nec in causa tamen fuisse facile affirmauerim sceleratam hanc perditorum hominum coniurationem, cur tandiu Cæsar suam profectionem distulerit: nec ei moram attulisse eam spem, quod de capienda per proditionem Massilia aliquid aut cogitauisset ipse, aut sperauisset. Nam id licet verisimillimum multis visum sit, quia tamen nihil vobis ex vano haustum tradere institui, neque quenquam nisi comperta re fraudis ac perfidiæ incusare, vestro sapientissimorum virorum iudicio rem totam arbitrandam relinquo. Id demum asseuerare iure possum, simul vt detecta est proditio atque oppressa, Cæsarem qui diu nullam ob causam manifestam cunctatus Barcinone in anchoris steterat, illico cum ingenti illo apparatu soluisse. Qui iam in altum prouectus id Regiis oratoribus, quod eos persæpe antea sciscitantes celauerat, consilium expeditionis suæ tandem aperuit, & hactenus tamen aperuit, vt Regi amico, Regi sororis viro, id demum significari vellet, sese in expeditionem quandam Christianæ reipublicæ gratia proficisci, suisque verbis per ipsos Oratores rogari, vt absenti sibi Regis fides atque amicitia perinde vt præsenti constaret, nec quicquam rerum interim in Italia moliretur. Hoc posterius tametsi durum, (nam superiora cum a Rege sponte semper exhibita essent, nihil attinebat postulare) verum hoc tametsi durum, & præter æquum videbatur additum, pro ingenio Regis tamen & perpetua voluntate in rempubl. ab eo non est recusatum.

p.316.

tum. *In Italia vt nihil nouaretur*, postulabat Cæsar. id contra ius æquumque iniungi sibi probe Rex intelligebat, indignarique eam ob rem iure poterat, idque eo etiam magis, quod præter hæreditarias in agro Insubrium possesiones, quas repetere debebat, recentem Francisci Sfortiæ iniuriam Mediolanensium tyranni, nullam moram admittere, nullam cunctationem perferre intelligebat hominum opinione. quippe pro contumeliæ acceptæ magnitudine e Regis tanti dignitate non erat, Tyrannum illum sinere diuturnum fructum violati iuris gentium carpere. Et nihilo secius tamen Rex placidissimus, cum vellet reipublicæ potius quam vel dolori proprio vel dignitati morem gestum pedem domo non extulit, quamdiu in Africa Cæsar belligerauit. Hæc si ad examen æquitatis vestræ perpendentur, viri amplissimi, nec futilia esse videbuntur, nec Cæsaris ostentationibus similia. p. 327. Cæsar enim maluit alienæ tyrannidi in Africano negotio, quam suo officio, quam otio Christiani nominis & securitati consulere. Rex vero (vt cæteras causas, quæ & plurimæ erant & iustissimæ, prætercam) dolorem proprium, vindictæ occasionem cum æquitate coniunctam, publicæ tranquillitati, Christianorum quieti atque vtilitati postposuit. Neque vos latet tamen Sfortiam hac patientia Regis, hac animi æquitate indignum fuisse: qui in Legato Regis violando omnem barbarorum feritatem superauerat. Nam primum Regis Christianissimi Legatum comiter admissum, deinde crebro & familiarissime acceptum, ad extremum contra ius gentium trucidauerat. Tyrannus videlicet nulla virtute nec corporis nec animi præditus; ne inglorius moreretur, innotescere facinore immanitatis concupiuit. Et vero Diomedis illius Thracis & Busiridis Ægyptii, qui necandis hospitibus suorum nominum memoriam ab obliuione vindicauerunt, æquare gloriam contendit. etsi hoc illis præstitit in eodem genere crudelitatis, quod illi in aduenas & viatores, hic in ciuem & popularem: illi in quoslibet & ignotos homines nulliusque nominis, hic in virum nobilem, & legatione Regia functum, specimen dare ingenii barbarici voluit. Quod inauditum scelus & in primis nefarium, Rex & indignitate contumeliæ, & iustissima doloris causa percitus, vltum ire properabat: a quo etiam, cum diu hac de re satisfieri sibi postulasset, frustra habitus contemptusque erat. Neque ea tamen omnia Regium animum a communis vtilitatis atq; humanitatis studio abduxere, vt publicæ commoditati vel iuris sui vel iniuriæ persequutione præferret. Id quod tamen sine vlla cuiusquam offensione aut reprehensione facere poterat. Erant enim tum Regi ad manum omnia, quæ ad vindictam nefarii facinoris viam munirent ac rationem expedirent, tempus, res, occasio, copiæ, bonorum omnium, populi totius in optima causa consensus. quæ quamuis & viderentur, & essent maxima, non tamen tantum apud eum valuere, vt reipublicæ ratio ac vitæ consuetudo non multo plus potuerit. Vos itaque, vos appello, Amplissimi viri, vestrumque istud collegium, cuius, cuius (inquam) dignitate & gloria Imperio Romano sua constat adhuc prisca & Augusta maiestas; vos quæso atque obtestor, vt in re vestra contra veritatem atque æquitatem, calumniæ & vanitatis patroni & defensores esse ne sustineatis: præsertim cum apud Cæsarem ipsum ne dignitatis quidem istius illustrissimi collegii ius obtinere potueritis. Quanquam quid dico dignitatis? qui & saluti & incolumitati vestræ, affectatæ sibi quoquo modo tyrannidis, etsi iniquissimæ, tamen tutelam propugnationemque anteponere non dubitarit. Verum quoniam omnia sibi ignosci postulat & permitti, aliis contra nihil de summo iure remittere consueuit; hoc etiam in illus gratiam, vt æquum est, fateamur, in contentione humanitatis & beneficentiæ nimis inique Carolum Cæsarem cum Francisco Rege componi. Sit enim sane huius Regis Christianissimi, non istius Imperatoris Romani, de Christiano nomine bene & sentire & mereri. Itaque hactenus de illo & de illius in remp. voluntate dictum sit. Hoc certe quod sequitur, Regii plane fuit animi & moris, quod aliquanto post Africanum bellum confectum mortuo Sfortia, ne tum quidem Regem de sententia casus appositissimus &

tan-

tanquam cælitus oblatus deduxit. Siquidem ea mors Sfortiæ omnem aditum in vacuam possessionem veluti caducam remigrandi Regi aperuerat, absente præsertim, hoc est e Sicilia nondum egresso Cæsare: vbi tum etiam & incommoda valetudine & rerum inopia omnium ex Africa reuersus, premebatur. Neque vero erat tum in re improuisa & repentina, vnde auxilium facile mitteretur Antonio Leuæ, qui tum forte Mediolanum cum Imperio quidem, verum sine exercitu obtinebat. Contra Regi præsto erant populorum studia, si iis vti in animum induxisset, pleræque arces præfectorum voluntate, permulta oppida Insubrium munitissima patebant: iam vero Rex ipse ad radices Alpium versabatur, cum ab rebus cæteris omnibus, tum vero maxime ab exercitu paratissimus: cum tot tamen tantarumque rerum copia atque oportunitas in idem tempus illud incurrisset, nihilo ille secius temperandum sibi esse duxit, adhucque expectandum, ecquid Dux ille Sabaudiæ pateretur ad æquitatem se adduci, apud quem iam decennium erat, cum assidue per internuntios Rex ageret, vti ablata per vim & retenta, moribus sibi restituerentur. p. 318. Quæ cum ita essent, ecquis crederet Regem viribus, opibus, studiis, causa denique ipsa superiorem, adde etiam (si ita videtur) & animo & rerum vsu, nihilo (vt leuissime dicam) Cæsare inferiorem, ne ad hanc quidem occasionem loco se fuisse moturum? Nemo opinor. Atqui ne significationem quidem vllam huiusmodi dedit. Et quanquam toties ante expertus in se Cæsaris animum, & vero certior factus, Cæsarem Regiæ suæ primoribus iureiurando illo ad ostentationem Imperii exquisito affirmasse, potius extrema se exempla passurum, quam vt in Italia Regi vel tantulum retinere, in quo vestigium figere posset, per se liceat: attamen iterum atque iterum & sæpius tentandum esse iudicauit, si quo pacto hominis ingenium molliri posset & mitigari: & si minus illum æquitatis & officii respectus, at hominum certe existimatio, & temporum communium ratio eo adducere posset, vt aliquando non inuitus faceret, vt Mediolani possessione sibi cederet. id autem erat, vt alienum, quod per summam iniuriam occuparat, iusto domino redderet, non armis quæ (si in armis ius poneret) promptissima erant, sed iure, sed legibus repetenti: hoc est, vt Christianorum quieti prouideret, cuius rei causa velle se omnia præ se ferebat, tum quidem certe: nam nunc, ne simulat quidem. Neque vero fuit vlla tam iniqua conditio, quam non pro æqua, si modo ratio sui aliqua haberetur, Rex fuerit amplexurus. Acta autem res inter vtrumque per Oratores fuit, ita vt fieri aliquid posse speraretur. Quidnam igitur ille? Diem de die ex industria ducere, Regem pacis cupidissimum, studii eiusdem simulatione frustrari, dum sacramento quoscunque potest, adigit, exercitus comparat, dum pecuniam ad stipendia militum vndecunque cogit, dum locis opportunis munit oppida, dum quacunque potest ratione, quorumuis hominum animos sibi conciliat, alios etiam per fraudem ab Rege alienat. denique dum populos Regi audientes sollicitat ad defectionem, & Regis vero familiares qua spe, quibus præmiis, quibus pollicitationibus potest, calcata iusti, æqui, honestique reuerentia, corrumpit. ac ne pluribus, dum omnia omnium ingenia, qui vnquam arte, diligentia, industria, labore ad ambitionem valuere, non æquat modo, verum etiam vincit. Vbi autem hæc ex animi sententia omnia successere, tum impetu sane incredibili, viribusque post hominum memoriam formidolosissimis Regem vndique a fronte, a tergo, a lateribus adoritur: Galliam ipsam, quid Galliam dixi? imo Europam potius atque Asiam & Africam spe quadam infinita & libidine dominandi inexplebili deuorat, ne id quidem obscure ferens, se non ante quieturum, quam Regem, nec tantummodo Regem, sed Regem Christianissimum, Regem fœderatum & socium, Regem cognatum, prætereaque Regem sibi ex sororis suæ matrimonio ante alios affinem factum, de Rege priuatum, de locupletissimo egentissimum omnium, & si natura pateretur, de propinquissimo alienissimum reddidisset. Proh Deum immortalem! quo tandem ista animi impotentia eruptura est, nisi prouidentia cæle-

ftis frænos impofuerit? Mithridatem olim Regem Ponti, cum a Populo Romano iuftisfimis armis premeretur, quod maximis contumeliis ciues Romanos in Afia, fociosque affeciffet, antiquorum monimentis traditum eft poft grauisfimas clades acceptas, Fortunæ fuæ mifericordia non vicinos modo Reges ac neceffarios fibi populos commouiffe, verum etiam nationes illas, quæ fupra Euxinum pontum incolunt, immanes & barbaras, & ab omni propemodum humanitatis fenfu remotas, Regii nominis fanctitate atque reuerentia fibi ad auxilium extremique cafus focietatem adiunxiffe: vt cum illo quidem, quocum nulla alia caufa aut necesfitudine iungebantur, tamen pericula fua omnia ac fortunas communicari voluerint. Tute vero populi (vt vis) Chriftiani Imperator, non tantum Chriftianum, fed Chriftianum Regem, Regem etiam Chriftianisfimum, & quo nunc affinitatis iure vtimur, Regem fratrem tuum poft illas tot tantasque a te illatas iniurias, homo barbaris inhumanior, nullo nec dicto nec facto laceffitus, bello atrociffimo atque fceleratiffimo incautum opprimere conatus es: & quem amare, quem tueri, quem defendere, fi quis alius violaffet, debueras, omni dignitate fpoliare, omnibus fortunis euertere, fpiritum eius haurire & fanguinem exorbere voluifti. O ingenium truculentum! o mores ab humanitate Chriftiana abhorrentes, iftique Maieftati tuæ minime confentaneos! Atqui illa eft vis violati numinis, illæ funt animi confcelerati tenebræ ad lucem illuftrem caligantis, vt qui fe in grauisfimum aliquod & nefarium induunt flagitium, iis confilii acies & mentis ipfius oculi in illa vefana concitatione animi, velut tenebris intus offufis, iam fui impotentes fint. Il- P. 329.
las, illas inquam voces ab omni humanitatis more, & focietate communis vitæ diffonas & difcrepantes, non prius emifit ille in publicum, quam apud fefe ftatuiffet, ita fe diftrictum Regem & irretitum tenere, vt nullus iam recipiendi fui locus ei fupereffet. Id enim fibi nec prouidentisfime nec intelligentisfime perfuaferat. Nam Romam quidem cum paulo ante veniffet, vbi ad eam perniciem accommodatisfimos hominum fenfus inuenerat, illiusque fuæ fententiæ non fautores modo, verum etiam authores nequaquam afpernandos, illo tamen in Pontificio fenatu, illo principe orbis terrarum confenfu, negare non aufus erat, fua nihil intereffe, quod Rex Duci Sabaudiæ bellum faceret: nec fe ea re bello ab Rege laceffitum, nec fœdera ideo violata videri. Equidem etfi (vt plerique audiftis) nihil Regem tum prohibere poterat, quin exercitum, fi vellet, in quosuis promoueret Italiæ angulos: id tamen vt faceret tantum abfuit, vt etiam copias Vercellis oppido illius agri munitisfimo, & momenti fine dubio ad obtinendum Mediolani dominatum maximi, fed tum imparato retraheret, dum de omni controuerfia, Cæfare ipfo rogante, & Pontifice Paulo vrgente tranfigeretur, idque fummi illius ordines, vel potius Imperatoris ipfius (vt poftea cognitum eft) arbitratu. Et vero tum quidem eam fpem nobis Cæfar iniecerat, vt pax conuenire poffe videretur, quo facilius, dum pacis confilia fimulabat, occulta belli ftudia disfimularet: quod totum fallendi genus fic ab ifto eft adminiftratum, vt certas etiam ipfas conditiones tota de re proponeret, quæ fi reciperentur, de Mediolani poffesfione fe confeftim decesfurum oftendebat. Quas conditiones pofteaquam Cardinalis Lotharingus, vfus ad ipfum incredibili celeritate itineris, & ad eam rem miffus ab Rege Legatus, accepiffet pro poteftate, & comprobaffet; Carolus, qui illa omnia ad fallendum compofuiffet, qui videret noftras copias occafionem rei gerendæ non minimam amififfe, fuas procedere cœpiffe, qui etiam (fi Deo placet) a Marchione Salusfiorum homine perfidisfimo, quem pollicitationibus aureorum (vt dicitur) montium corruperat, milites omnes deditos ac vinctos, & prouinciam ad quam fciebat eum pro Rege mittendum, breui recepturum fperabat. Qui igitur hæc omnia in finum fibi ceffura certa iam & geftiente fpe confidebat, & præfertim qui de fuperiori rerum fucceffu in pofterum coniecturam non dubiam faceret, fententiam fe mutaffe perfricta neque fatis augufta fronte (ne quid amplius dicam) refpondit.

nec

nec id tamen (bone Deus) quum diceret, erubuisse fertur. Negauit se ad easdem, quas ipse paulo ante tulisset, conditiones descensurum, quin imo nec ad alias quidem nobis iniquiores, quas Cardinalis pacificator missus, pacis publicæ pro Regis more cupidus, alias atque alias in medium afferebat: nihilque iam nisi arma, cladem, excidium, extremam vniuersæ Galliæ perniciem loquebatur: diceres eum iurisiurandi ac societatis & fœderis fidem non officio & honestate, sed commodo atque vtilitate metiri. Atque ea fuit ad illa tempora, viri Principes, pacis toties frustra desideratæ a nobis, frustra toties tentatæ, & Cæsaris conditionum tyrannicarum summa. Nec vero quæ secuta sunt, aut æquiora, aut commodiora nobis a Cæsare fuerunt: piget enim referre quæ toto illo tempore, deinde castris ad Aquas Sestias Romanorum quondam in prouincia positis fecerit, quum ad eum etiam tum de pace referretur. Quo tempore cum Annas Mommorentius præfectus Aulæ regiæ, quem castris ad Auenionem positis Rex sibi legauerat, summam sibi rerum creditam ac mandatam vt prius in pace sapientissime, ita tum illic in bello fortissime administraret, nihil ipse quidem prætermisit quod ad pacem salua Regis ac gentis dignitate spectaret. Hic per Deum immortalem, quæ dubiis adhuc vtrinque rebus, quæ iam perditis Cæsaris, * dicta, facta fuere? quale hoc tandem est, quod iam fugam circumspectans per Pontificis Pauli internuntios, Regi iam plane victori ea ipse imperaret, quæ vel victo haudquaquam esset imperaturus, nisi videri vellet & crudelis & impudens. Sed hæc & his similia permulta prudens prætereo, simul ne in eundem maledicentiæ scopulum, ad quem aduersarii naufragium iamdiu fecerunt, ipse quoque impingam: simul vero ne non secutus mei Regis exemplum videar qui nihil vnquam tam alienum nobilis aut egregii hominis instituto duxit, quam hostem maledictis non modo lacessere, verum etiam propulsare. Cum quo vtinam ipso Rege hostes, quam facile maledicendi & insania transuersi
P.330. rapiuntur, tam essent parati vel de pacis studio, & placabilitate, vel de belli gerendi ratione, & magnitudine animi contendere: aut in has miserias in quibus hodie versamur, non essemus coniecti: aut in his diutius opes non contereremus. Nam alterum, ad arma ne iretur, facile impedisset: alterum, postquam eo ventum est, pacem, vel alterutrius fortasse interitu nobis, hoc est, Christianæ reipublicæ reddidisset. Proh Dei hominumque & vestram in primis fidem! tantamne esse hominum iniquitatem, tantam rei indignitatem, tam præposteram istorum voluntatem, vt qui se publicæ quietis & salutis vindices, nos contra, vtriusque hostes, vtriusque turbatores appellant: tamen quocunque in rerum statu positos videas, neque rem pace componere, neque dirimere bello velint? hoc enim posterius plane expeditio illa ipsorum Massiliensis docuit, nonnihil hæc etiam Belgica, in qua Rex hoc tempore ius suum armis repetere, & se suaque aduersus infestissimos hostes munire coactus est; cum in neutra hactenus progredi in aciem, & de summa rerum prœlio decernere ausi sunt, facta toties a nobis pugnandi potestate. Nam superius illud omnibus abunde probatum esse confido, consilia istorum videlicet semper a concordiæ studio ac pacis mentione aliena fuisse. Nam quod arrogantiæ genus, quod superbiæ, quod autem exemplum crudelitatis contumeliæ florentibus eorum rebus non sumus experti, & perpessi? quos non dolos & vafricias dubiis adhuc rebus eius, quam non obstinationem animi iam afflictis sensimus? Qui quam-

* Illustrat hunc locum Sleidanus lib. X. p. 291. *collectis iam viribus, & per mediam Italiam facto itinere, valido cum exercitu Cæsar in prouinciam Galliam inuadit. Rex ad Auenionem castra posuit, inter Rhodanum & Druentium flumina, & deuastatis agris, qua parte Cæsarem esse descensurum videbat, cum pugnandi potestatem non faceret in summas illum difficultates coniecit nam inopia rerum omnium Cæsar abductus, & multis hominum millibus ex inedia & contagione desideratis, Antonio quoque Leua sublato, tum reliquas copias dimisisset, Genuam redit.*

quamdiu illum fortuna in sinu veluti Iunonium puerum & partum matris suæ (vt ait ille) aureum gestauit, vix nos congressu aut colloquio dignatus est: tantum abfuit vt nos nostra repetentes æquis auribus audiret. Age postea quam de rerum successu & communi belli Marte dubitari cœptum est, quanto ille æquiorfactus est aut humanior? Qui etiam amissoad Aquas Sestias, & pene deleto exercitu, in eadem animi acerbitate amarulentiaque permanserit. quum essent tamen qui sperarent, hac offensione belli, hominis animum ad æquitatem aliquam perduci posse: idque sibi haud dubie aliisque polliceri & spondere auderent, non mediocris illi quidem neque iudicii neque authoritatis viri, quos ea de re Pontifex Paulus, Christiano nomini prospiciens, miserat: atque hoc illi ita futurum iudicabant, ea ratione maxime adducti, quod Regis Christianissimi maximus natu filius, in quo prius controuersiæ pars non minima resedisse certas ob causas putabatur, esset de medio sublatus. Hoc vnum modo verebantur, ne Rex præsente fortuna elatus eas recusaret conditiones (si iterum offerrentur) quas rebus adhuc dubiis Cæsar Regi latas, ab eoque acceptas, ipse qui tulisset & præscripsisset, improbarat ac fecerat irritas: haud facile dixerim, minorene fide, an maiore animi impotentia. Verum easdem illas si vicissim a Rege quoque ferrentur, Cæsar ipse pro rerum euentu magni beneficii loco arrepturus putabatur, & amplexurus cupidissime. De Regis animo qualis tum (vt dixi) in pacis conditiones futurus esset, in tanto rerum successu erat non paulo magis incertum. Videte nunc igitur obsecro, viri Principes, & apud vos ipsos perpendite, quam præter multorum vestramque fortasse opinionem accidit, quantoque natura magis quam fortuna in vtramuis partem humanus inclinatur animus. Mutata erat in vtroque, neque hoc paruo momento Fortunæ, id est rerum apud multos omnium moderatricis ratio: idem ingenii habitus, idem animus, eadem vtriusque voluntas remanserant, vt neque Franciscum ab humanitate secundæ res, nec Carolum aduersæ ab immanitate deterrerent. Nam illæ quidem conditiones quas aduersante Fortuna, tamen vt iniquas sibi, nec dignitati suæ conuenientes, suo iure posset ab sese amoliri, easdem obsecundante rerum cursu, velut æquas ac dignas amplitudine sua, publicæ concordiæ amore & Christianæ pacis studio amplexus est. Hic contra, populi Rom. Imperator nominis Christiani vindex (vt quidem videri cupit) & Cæsar & Augustus, quod in medio victoriarum plausu, pacis causa, vt quidem ipse dictitabat; verum vt res erat, simulandi ac decipiendi consilio obtulerat; idem ipse sublimi illo statu grauissime inclinato, cum nullus vltra fraudi locus relictus esset, ob publicæ quietis tædium sequi noluit. Itaque Rex superiores illas de pace leges, quas iure poterat repudiare recepit: Cæsar, quas a se latas, sine iniuria ac scelere immutare ne verbo quidem poterat, abrogauit. Qua in re nec existimationi suæ consuluit, nec fidei, nec hu- p. 331. manitatis, nec denique reipublicæ rationem habuisse dici potest: nec vero in Pontificis maximi authoritate esse sustinuit: postremo nec religionis metu, nec vllius aut diuini aut humani iuris reuerentia flectere animi duritiem potuit. Is vero cum nec humanam in hac re societatem violari vereatur, cum nec diuina apud eum iura interdictaque sancta sint, cum omnia incredibili cupiditate misceat, & honesti, & boni, & æqui rationem conculcet: nos denique cum tot iam annos nimis æquo animo iniurias illius nec sine contumelia passi simus, nihil otii ciuilis causa antea non tulerimus, nihil porro ferre indignitatis recusemus: ille se publicæ pacis authorem, se Patrem patriæ, se conseruatorem publicæ dignitatis: nos iuris omnis violatores, nos hostes publicos, nos turbatores otii communis esse clamitat: nunc etiam (o summam indignitatem!) cum Rex in sententia pacis, ipse Cæsar in belli pertinacia conspicue permaneat, cogitate apud vos ipsos quæso, Illustrissimi Principes, & secum quisque expendite, quid sit nobis, quid nomini Christiano, quid vniuerso orbi nostro de huius contumacia, quid de animi effrenata libidine sperandum: tum Francisci facilitatem ex diuersa parte in rempublicam cui priuatas omnes

omnes iniurias ac regni sui publicam contumeliam non inuitus faceret vt condonaret, si per aduersarium liceret, istius peruicaciæ opponite, sicque amborum ingenia, instituta, consilia comparate. Non habeo, fateor, insignes illos Africanos titulos, quos vobis pro Rege amicissimo & officiosissimo scribens in præsentia venditem. Quibus nugis, si isti non ambitionis fructum magis quam Dei immortalis gloriam in victoria illa, seu Turcica seu Africana, quæsiissent, si non hoc nomine satis a se Christiano nomini factum esse putarent, quod Solimano Turcæ rerum gestarum gloria & magnitudine atque numero victoriarum minime cesserint, nimirum non eo nobis res summa rediisset, vt tam male, tam incommode Christi Dei immortalis religio audiat apud exteras nationes ac gentes. Id quod etiam ipsum eo magis indignum est, quod a Getis & Sarmatis Romani homines (ne dicam Christiani) in religionis ac pietatis disputatione hodie reprehendimur: quippe qui hoc nobis clare exprobrant, bellum illud non Christianæ pietatis propagandæ gratia, sed imperandi studio ac libidine, aut aliena potius diripiendi suscepisse: id quod exitu fortasse non obscurissimum fuit. Multo certe plures numerantur ex iis qui Cæsarem in Africam sunt sequuti, qui a Christo ad Mahumetem descivcrint, quam qui ad Christum transierint ab ipso Mahumete. Porro autem vel apud Afros ipsos, in quos ea tum belli procella incubuit, is sermo peruagatus est, Cæsarem Christianorum omnium (vt gloriatur) Ducem, pro rerum suarum amplificatione expeditionem sumpsisse, religionis suæ illustrandæ curam aut nullam aut minimam certe habuisse. Quæ dum inter se homines barbari quidem illi, sed rerum tamen non omnino imperiti æstimatores proloquuntur; qua tandem nos infamia apud ipsos, qua istos apud omnes inuidia flagrare iudicatis? vt minime mirum sit, in contemptum venisse religionem nostram, quæ a nobis ipsis sperni publice & pene irrideri videatur. Quæ cum diligentius omnia & attentius mecum reputo, nihil profecto in ista gloria inesse video, quare præclaros istos triumphos Cæsari inuidendos esse censeam: aut cur egregiæ Regis nostri in rempublicam voluntati, & propenso ad publicum compendium animo anteponendos putem. Quam voluntatem tametsi non tam ex tota ratione mea, quam ex ipsius vita & institutis intelligere potuistis: tamen quando nos eo rapuit aduersariorum iniuria, qui ob ea quæ audistis, nomini nunc eius atrocius & inhumanius obtrectant, ad ea, quæ iam a me exposita sunt, pauca etiam nunc addere, ad istorum calumniam refellendam & conuincendam, pro eiusdem innocentia cogimur.

Et priore quidem illa accusatione, viri amplissimi, quo nomine Regem de interpellato Cæsaris in Turcas bello apud vos in inuidiam vocent, intellexistis: quam ad accusationem, non dubito quin a nobis satis pro conscientia vestra & prudentia animi sit responsum. In qua tamen, quod facile subscriptores inuene-
p. 331. rint homines sui simillimos, eo maiore animi fiducia, vel confidentia potius, alteram illam eamque longe vehementiorem sunt aggressi: quod membrum totius causæ secundum est. Non enim satis habuerunt impudenter & proterue falsoque
p. 332. obiecisse, Cæsarem a bello Turcico Regiis armis esse retractum, nisi (vt sunt audacia proiecta) ad id hoc etiam, vt priori crimini affine & satis consentaneum, adderent, Turcarum Regem a Christianissimo Rege in Christianos ipsos accersitum de industria & euocatum. Equidem vt credam, tam flagitiosi mendacii caput esse authoremque Cæsarem, ægre adduci possum: vt ne illud quidem mihi fidem faciat, quod plerique tamen vt testatum, vt compertum, vt confessum affirmant, hominem Cæsarem & Augustum tam atroci ac præcipiti ira fuisse percitum, vt Regem patrem filio charissimo orbare tanto famæ suæ dispendio voluerit. Id enim non solum a viri in Republica Principis sensu, verum ab hominis eiusmodi, cuiusmodi Cæsarem esse cupimus, ingenio est abhorrentissimum. Tametsi (verum vt fatear) permagna res non caret suspicione. siquidem constat, & eos qui venenum filio curauere, dum idem telum patri quoque intentarent, & eorum plerosque qui in eum

eum tam inhumaniter hodie inuehuntur, tantaque linguæ procacitate, tanta maledicendi libidine efferuntur, Cæsari fuisse pridem & etiamnum esse omnium qui viuunt, gratissimos atque iucundissimos: ex iisque qui nihil non possunt apud Cæsarem, nullos adhuc maiore beneuolentia quam istos, nullos amplioribus præmiis, dignitatibus, honoribus Cæsarem esse & ante & postea prosequutum. Quorum factum si ipse Casar (vt par erat, & ego quidem peruelim) fuisset detestatus; proculdubio neque tanti ac tam nefarii flagitii, neque eorum quæ partim iam commemorauimus criminum, atque artificiorum authores eo apud eum loco, eo numero esse debuerunt. Quorum vel flagitiorum vel certe artificiorum si Cæsar ipse (vt multi existimant) vel author est vel fabricator; tam astute, tam veteratorie negotium tractat, hominem vt manifesti facinoris conuincere aut tenere non possis. Quid tum enim facturum Regem non fuisse putatis, quo non descensurum, si vel authorem flagitii, vel huius se maledicentiæ Cæsar non modo præscriptorem esset professus, verum etiam si vel subscriptorem? Sed ita se res habet, vt eiusmodi calumniæ, quod nec testibus, nec argumentis, nec bonorum hominum opinione confirmari possint, ab huiusmodi criminationum artificibus, velut per cuniculos in hominum mentes insinuentur ac serpant, neque ex his sit quisquam, qui se earum authorem esse fateatur. Neque tamen cum sint eiusmodi, vt & patrono careant & assertore iusto, non fautores quoslibet interdum inueniunt, auresque pronas ad maledicta exaudienda. Quo fit vt sensim quasi per manus hominum tradita commenta maleuolorum, pro veris & exploratis cedant. Atque illa quidem etsi minime sunt tanti (quod ad fidem attinet) vt graues homines & experientes magnopere mouere debeant; Rex tamen pro suo in vos affectu, officii sui esse duxit, interesseque existimationis suæ, ea quanquam nulla, aut contemnenda authoritate nixa, tamen non contemnere: sed pro eo quanti vestram de se opinionem facit, diluere: & quod vos quoque pro se aliis respondere possitis, tractare atque absolvere. Et prioris quidem totius tragœdiæ argumentum, & supradicti commenti causam a Cæsare profectam esse, vobis (si prudentiam vestram & intelligentiam bene noui) Apologetica illa epistola pro Rege scripta, criminum refutatrix, fidem fecit: satis vero ex iis literis, si modo eas omnes accepistis, quas proximo mense Ianuario ad vestros istos ordines Rex dedit, perspectum esse vobis existimo, qui eius sit animus ad res Turcicas capessendas, quanta in Christianam rempublicam fide constet. Neque enim si sibi suisque liberis & Galliarum populis consultum cupit, continuo reipublicæ Christianæ (a qua nomen clarum atque illustre sortitus est) incommodare contendit: quod Deus omen euertat. Neque ideo se aut impium aut nefarium videri debere putat, quod salua Christianæ reipublicæ non modo quiete, verum etiam (quod ad eum attinet) dignitate rebus suis prospicit: quid suis dixi? imo vero dum Christianæ pietatis, salutis & religionis incolumitati consulit. Cum autem apud vos purgatum sese voluit, tum vero animi sui sententiam testandam esse duxit. Turcarum igitur Regem neque se excitasse testatur, neque cum eo ab aduersariis excitato statuisse rerum suarum summam coniungere: cæterum præterita fortuna, & præsenti adhuc rerum statu admoneri, ne hostem temere sibi illum (quo sibi pacato opus sit) ad superiora incommoda, ad superiores clades, velut additamentum intestinorum hostium asciscere, in seseque prouocaret. Sed illarum literarum tamen exemplar simul cum hac Apologia idcirco ad 333.
vos perferendum modo curauimus, quod incertum nobis esset, an illæ vobis redditæ fuissent, an (vt sæpe de cæteris contigit) in itinere interceptæ. Nec dubito quin quo iudicio & prudentia polletis, qua rerum peritia & vsu omnia perspicitis, ipsius Regis consilia minime improbetis. Nam qui in rerum vestrarum consiliis agitandis prudentia & circumspicientia vti soletis, circumspecto Regi prudentiaque prædito non conuenire iudicabitis, hostem talem tantumque, quantus Solimanus est, vltro in sese irritare, vt Principis non modo minime sibi amici, ve-

rum etiam hostis infestissimi atque acerbissimi Imperium constituat, vel tyrannidem potius stabiliat: præsertim cum nec adhuc vsquam Rex in sua apud amicos & socios satis iustum modum æquitatis interpretandæ inuenerit, nec vllam apud hostes immensæ cupiditatis, arrogantiæ, crudelitatis moderationem, ex iis quæ antecesserunt, se in posterum inuenturum sperare debeat. Solimanum vero quid fuit quamobrem in caput suum & fortunas conuerteret? Habet ille (vt perhibetur) nauales apparatus ingentes, classemque, vt si qua vnquam, in Græco mari instructissimam & numerosissimam, quam classem in nostram oram se appulsurum non obscure fert. Nos autem dum a Cæsare grauissimo bello & periculosissimo detinemur, quid nauium tantæ classi opponamus, certe in promptu non habemus. Quin & littus nostrum, quod hosti plus minus milia passuum ad quadringenta est expositum, cum per sese sit portuosissimum, eoque magis iniuriæ obnoxium, tum vna excepta Massilia, nulla in parte tractus totius satis ad tantos impetus excipiendos munitum est. Hæc quum sit rerum nostrarum conditio, nunquam vobis dissimulandum esse iudicauimus, pacem ab hoste in primis omnium formidabili oblatam minime repudiasse: quam si vltro tum appetiissemus, tamen consilium nostrum præsentium temporum ratio deberet comprobare. Sed pacem hanc tamen (ne forte hostium nostrorum importuna obtrectatio vobis obrepat) nec ab vtilitate communi, nec ab honestate nostra remotam reperietis, & vero summopere temporibus nostris necessariam. Quanquam ne Cæsareæ quidem ambitionis pœnas luere, si id in rem futurum Christianæ religionis videretur, recusandum esse putaremus. Verum ita suum animum antehac dictis factisque suis Cæsar, omnibus qui modo aliquid vident patefecit, vt amicitiam cum quouis mortalium fortasse, inimicitias certe nobiscum immortales sibi esse constituerit: vt nihil ipsius ratione, cum æquitate pugnantius, nihil quieti publicæ & saluti infensius existimemus; in eiusque sententiam ire, id vero arbitremur esse perniciem publicam ac bellum ciuile perpetuum indicere. Enimuero si præclari illi Cæsaris conatus, si bella ab eo suscepta eo spectabant, vt Orientis populi eius armis ad religionis nostræ partes adiungerentur; quin igitur subacta iam Africæ parte, in Asiam ipse (quod palam iactabat futurum) transibat: atque id fieri quum deberet multorum iudicio ac opinione? Nonne id & conducibilius in vniuersum fuisset, & nomini Augusto splendidius, quam cupiditate detecta atque animi impotentia, repente nullam ob causam satis dignam aut luculentam, Christianas copias in Christianissimam gentem vertere? Quod quid aliud fuit accurate rem expendentibus, quam collectam superioribus annis ex Fortuna gloriam paucis mensibus effundere? Quid vero si ne nos quidem, quos nunc in inuidiam rapit, quum eum illud facturum alii sperarent, voluntati hominum & postulationi defuimus? Equidem memini Romæ hac de re consilium haberi, in quo consilio quum multas ob causas, tum vero maxime ob vicinitatem loci (nam erat tum Cæsar ad Neapolim) multis magnisque de rebus tractatum est. In eo consilio præfuit summus Pontifex, affuit amplissimus Cardinalium ordo, Legati Ferdinandi Regis, Legati Lusitanorum, Florentinorum, Genuensium, Lucensium, Iudæorum denique qui magno numero trans inauditos quosdam & incognitos Arabiæ (vt fertur) vlterioris montes incolunt: quin & Venetorum ipsorum Legati, certatim ad eam expeditionem suscipiendam nomina dedere. Nemo erat omnium quin vires, opes, facultates, vitam etiam ipsam & sanguinem, in tam pium bellum se profundere velle diceret, præ se ferret. Tum rogatus sententiam Cardinalis nomine Bellaius, quem maxime conscium Regis consiliorum esse constabat, ecquid pro Rege Christianis-
„simo polliceretur, respondit, Regem ad ea quæ iam diximus, in Pannoniæ tu-
p.334. „multu oblata esse, additurum etiam triremes quinquaginta, & nauium quæ ex
„Oceano maximæ & instructissimæ adducerentur, numerum ingentem: ac ne ipsum
„quidem Regem, si ita videretur, ab expeditione abfuturum, æquum proinde es-

se, vt ratio eius haberetur. Id quod postea re intellecta ipse Rex protinus confirmauit, seque ea lubenter præstaturum esse, quæ pro se Cardinalis ille recepisset, promisit. Hic enim vero peruelim, vt hoc mihi lepidi isti criminatores, vnum explicent, quæ causa fuerit, cur ad egregiam tot populorum, tot Regum, tot ciuitatum voluntatem, aut potius pro republica singularem animorum deuotionem, Cæsar id quod se tantopere deposcere ostendebat & dictitabat, (præsertim quum illi factu facile esset, & vltro etiam obuium) non exequeretur. Quid a nobis amplius, quid ab vniuerso orbe vel sperare vel desiderare potuit? Quod si hanc animi nostri egregiam promptitudinem in capitis crimen ad iudicium isti adducunt, si omnia ad arbitrium suum collata, a nobis causam fuisse existimant, quare inuisi omnibus & offensi esse debeamus, quasi ab expeditione Turcica Cæsarem reuocarimus, quasi Solimanum in finium Christianorum depopulationem ac vastationem vocauerimus: iam ego quid potissimum in causa sequar, quid fugiam, quid defendam, & quid refellam, quo me vertam, ignorare fateor: cum isti rationem omnem officii & culpæ, omnem æqui & iniqui naturam peruerterint, vt quid apud eos bonum sit, quid malum, quid rectum sit, quid prauum, quæue iis rebus vocabula apta sint, iam intelligere non possim: nisi hoc forte agunt, vt nos pro rebus iustis, pro officiis præstitis, pro ingentibus meritis causam dicere cogamur. Quid ita? nempe quid ad rem Cæsaris faciat, hoc in iudicio iustitiam accusari & probitatem, iniuriam & nequitiam defendi. Hic locus est quiritandi (vt videtur) & Dei hominumque implorandi, & vestram maxime, viri integerrimi, æquitatis & iustitiæ studiosissimi, fidem in tam inaudita insolentia. Sed quoniam id e moribus gentis nostræ atque dignitate Regis minime visum iri intelligo, non eo me vehementiæ istorum indignitas impellet: non committam, vt istorum improbitate percitus, non similis esse mei, nostrorumque non meminisse videar. Quanquam in hac controuersia disceptanda non satis constitutum habeam, quid potissimum, quid primum, quid secundum ac deinceps defendam: nec vero, quid in primis accusent; imo vero, quid omnino accusent, quid querantur, quid in nobis desiderent, quid a nobis abesse velint, ignorem: cum ipsi in suis criminibus nihil constitutum habeant & definitum, nisi quod summam accusationis suæ eo referunt, vt maledictis, iisque falso excogitatis Regem Franciæ ac gentis ipsius nomen cooperire obruereque possint. Qui cum nostra benefacta in malefacta obtrectandi iniquitate vertant, etiam sua ipsi maleficia pro egregiis in vniuersum religionis nomen vobis venditant, tanta est confidentia institutæ calumniæ. Verumetiam si insolentiæ suæ finem nullum faciunt, ego pro nostra consuetudine tamen, ne vestra facilitate atque æquitate in causam nostram abuti videar, finem hic secundæ faciam refutationis. In quo probasse nobis videmur, non modo nos hac modestia, hac animi perpetua liberalitate gentem Turcarum in rempublicam non concitasse, verumetiam sua arrogantia istos & cupiditate rem Christianam communibus hostibus & domi & foris prodidisse & perdidisse.

Quod tertium ex diuisione fuit, idque postremum, quæso viri Amplissimi, paucis ex me intelligere attente ac beneuole, ne grauemini. Hoc vero ab eadem mente profectum, qua supradicta, congruentis quoque cum illius est vaniloquentiæ. Quippe Regem eundem tot aliunde calumniis oneratum, apud vos in inuidiam adducere hoc quoque nomine conantur, quod in Mediolanensem, quod in Sabaudiensem agrum, vestro, hoc est, Principum Senatus Imperiique Romani iniussu inuaserit, eaque re sic Imperii vestri ius atque authoritatem læsisse vociferantur, cum ii populi in vestra sint fide, ac vestri (vt isti dicunt) beneficiarii: vt Rex vel hoc ipso maiestatis reus apud vos agi peragique & possit & debeat. Quo in accusationis genere mirari satis non possum istorum hominum incredibilem stupiditatem summa cum impudentia coniunctam. Qui enim Regem maiestatis postulant, illi quo maxime crimine apud omnes laborant, eiusdem eum qui ab hoc

hoc quam longissime abest, insimulant: nec interim, credo, sentiunt a vobis viris perspicacissimis ea non posse non animaduerti, sicque proinde in hoc crimine se iactant, sic exultant, quasi vestrum sit aliquis, qui nesciat neminem post Caroli Magni tempora fuisse (qui primus Imperium Rom. inuexit in Germaniam) qui hunc Cæsarem non dicam superare, sed æquare quidem potuerit in dignitate Imperii ornamentis omnibus spolianda, euertenda fortunis omnibus, ne dicam intervertenda; iis qui Imperii administrationi & maiestati atque grauitati moderandæ præfecti sunt, in ordinem redigendis, ærarii opibus & facultatibus exhauriendis, atque dilapidandis. Cui enim non dico Austria ipsa, (cuius vos possessione atque clientela maiores eius defraudarunt) sed facta eius recentia non insident animo, vel potius versantur ante oculos? quæ si ego non singula quidem illa (nam infinitum esset ea commemorare) sed si ex tam multis ea saltem vulnera commemorabo, quæ in Italia, Florentina, & Pisæ: in Germania, Vltraiectum & Wirtenberga ab eo acceperunt: & si vos ea (vt facitis) recordamini, dissimulate nunc si potestis, populo Florentino, atque Pisano, libertatem a Carolo Magno Imperatore vestro & ciue datam, aliorum deinceps Imperatorum beneficio omnium conseruatam, his proximis annis nulla vestri habita ratione, vtrique populo per vim Cæsarem ademisse, * & mox Tyranno contra iusiurandum, contra Imperatoris fidem & officium mancipasse, deinde pretio accepto eidem in numerum dotis attribuisse. nam res Vltraiectensis, quando ea quidem palam est, & oculis vestris exposita, eo leuius attingenda mihi est: neminem enim vestrum latere puto, qua arte Vltraiectensi Episcopo patrimonium omne subduxerit, ** non quidem vt inopi & mendicæ plebi, vel certe iis qui præ egestate literarum studia tueri nequeunt, erogaret: sed vt totum hoc in priuatum sinum auersum sibi sumeret, aut potius consumeret. In causa sane Wirtenbergensi, *** mirum ni quod egit, satis animaduertistis, opinor enim quale fuerit, vos vidisse: atque a vobis est hoc pro rei natura & authoris ipsius ingenio perspectum. Et tamen id facinus nec prohibuisse vos, nec admissum vindicasse, certum est: si quidem ea vera sunt, quæ multorum sermone, rumoribus etiam ad nos & fama perlata sunt. An vobis hoc parum visum est, dignitatis Imperii, & vtilitatis publicæ cupidissimis, tantam prouinciam ac tam nobilem de Imperii clientela oblique esse istorum artificio exemptam? cuius Imperii beneficium eo iure erat, vt aut si quid forte esset a cliente contra fidem beneficiariam, admissum aut si ad eum casum res aduenisset, vt in familia clientelari mas nullus superstes esset, ager ille fieret publicus populi Romani. At id ius omne ita est interuersum a Cæsare, vt totum in gentilitatem Austrianam iisdem conditionibus transcriptum sit, pacto an peccato dicam nescio: certe qui-

 dem

* Facit huc P. Iouius Hist. lib. XXVII. p.190. *adiectum est, vt postquam Florentini aduersum Cæsarem, confisi incerta Gallorum victoria arma tulissent, maiestatis rei facti, libertate, & antiquis superiorum Cæsarum concessis immunitatibus seuere priuarentur, vbiterque ciuitati principem Alexandrum adolescentem imponeret, cui ipse Cæsar ad confirmanda fœdera, augendamque Alexandri dignitatem, Margaritam filiam se cælibe susceptam in matrimonium desponderet.*

** Explicat hæc loccus Wilhelmi Hedæ in Hist. Vltraiect. p. 318. qui, postquam dixisset, Fridericum Episcopum egisse cum Gallis, de commutando suo Episcopatu cum Metensi, addit: *verum Maximilianus per amicos resciuit conatus Episcopi, & quod in Galliis tractabatur, vnde ira accensus, terruit Episcopum a ceptis desistere, nec decere ipsum sanguinis sui cum extero Principe in præiudicium Romani Imperii similia concipere, nec contentus, quo huic periculo obuiaret, induxit partim suasionibus, partim minis vt Episcopatus ad eius & Caroli nepotis nominationem sub annuo censu renuntiaret.*

*** Quid in causa Wirtenbergensi actum, latius exponit Hortleder *de causis B. Germanici Tom I lib III.* Quid Franciscus in hac causa egerit, exponit Mart. Bellaius *Comment. lib. IV. p. 139.* Fr. Belcarius *lib. XX. p. 642. seqq.*

dem contra ius, contra æquum & bonum, contra morem maiorum. Id quod eo est & indignius, & multo etiam minus tolerabile: quod ea fraus in captionem Imperii conflata, in accessionem Ducatus Austriæ futura sit. Quæ Austria cum ante Maximilianum Cæsarem in fide Imperii Romani eodem, quo Wirtenbergensis ager, iure esset, ab illo ipso Maximiliano fide liberata, clientelæ immunitatem summa fraude & flagitio Imperatoris vestri consequuta est. Quæ tum iura Imperii vestri, non ab exteris nationibus, non ab hostibus tentata, sed ab Imperatoribus vestris, nimia omnino (quod pace vestra dixerim) ac plane dissoluta conniventia, erepta sunt Imperio. Quo in scelere existimo vos, Amplissimi viri, minime esse hallucinatos: sed ea temporum ratio superiorum extitit, vt facilis fortasse fuerit eius improbatio, sed difficilis intercessio. Nam illud insigne in Comiti Carpensi iniuria facta) quod nunc, vt arbitror, magnitudine iam dictorum obscuratum vos effugit) non modo aut Imperii vestri maiestatem violasse, aut Christianæ religionis authoritatem, societatem, pietatem contempsisse, verum humanitatem etiam omnem (quod in Cæsare fuit) deleuisse videtur. Erat vir ille, vt nostis, non modo gentis imaginibus, opibus, vitæ innocentia, & morum probitate, ac doctrina singulari, tota prope Italia clarissimus: verumetiam ætatis iam grauitate, & quod sartum & tectum ab omni violentia præstare eum debuerat, valetudinis perpetua infirmitate, membrorum omnium debilitate, minime ad iniuriam opportunus, indignusque omnino, qui vllo inhumanitatis genere afficeretur. Verum, vt credo, cum hæc omnia Cæsarem minus inhibere potuerint, vt manus a grauissimo & sanctissimo viro, propter tot causas abstineret; non vulgaris aliqua p. 336.
ratio eum induxit, vt vim nobilissimo illi homini nihilominus inferret. Obsecro vos igitur, viri Principes, rem vt totam cognoscere velitis. Fuerat ille inter clientes Imperii Romani in primis nominatus, cum apud Romanum Pontificem Regis Christianissimi legatione fungeretur. Apud quem Pontificem, per Deum immortalem, cui populo, cui nationi, cui Regi, cui denique Christiano homini, legatum habere, aut cui denique homini & nunc, & antea non sit, non fuerit, non olim futurum sit oratori esse liberum? At in hoc viro tamen, exempla maiorum & instituta, Carolo minime sequi visum est. Siquidem quasi violato hoc vno nomine iure publico, authoritate Imperii Romani ludibrio habita, grauissime ille tulit, vel simulauit potius, quod cum in fide populi Romani esset Carporum Comes, iniussu Imperatoris pro Christianissimo Rege legationem suscipere ausus esset. Eo de homine quid futurum esset, huiusmodi de crimine quid ipse statuturus, non magnopere quiuis anxius esse debebat (vt quidem ipse reor) qui & Cæsarem nouisset, & culpæ genus intelligeret: crederes obiurgatione contentum hominem fore, & verborum castigatione, si non qualibet, certe seueriuscula. At id aliter homini visum est. Neque enim satis habuit, aut Imperatore dignum esse censuit, admonere hominem durius, & grauius reprehendere, comminari etiam insolentius vt desisteret, ac nequid tale moliretur in posterum. Hoc ille quidem parum ad iniuriam iuris communis, parum ad libertatis contumeliam esse iudicauit: tametsi id omnes merito iniquissimi, & arrogantissimi Imperii esse existimarent: videlicet id ab isto reprehendi, quod non tantum moribus omnium & institutis receptum & vsitatum esse probaretur, verum laudandum etiam esse summopere inter omnes constaret. Existimo vos, viri Amplissimi, nihil grauius in huiusmodi culpa, seu crimine ad speciem exaggerato expectare, quam vt rem ab omnibus receptam atque probatam, Cæsar quamlibet infensus, suis decretis & condemnarit & abrogarit. Hoc vero quanto grauius est, quanto ad iniquitatis memoriam insignius, quod vir in Italia Princeps, vir summa nobilitate, summa authoritate, summa dignitate præditus, vir cuius vel humanam quamuis culpam valetudinis (vt modo dicebam) imbecillitas debilitas, membrorum omnium, ætas ante annos affecta, & ea ipsa tamen canitie matura venerabilis, deprecari debuisset: vir (inquam) ille,

qui

qui & ingenii & morum ornamentis, qui vitæ per virtutem actæ patrocinio meritæ quoque pœnæ eximendus erat: qui ob senectutem iam confectam & emeritam sacrosanctus huiusmodi legum sanctionibus esse debebat, (proh sancte Iesu) e lare suo familiari, ex auitis sedibus, e patriis possessionibus fortunisque omnibus in Regis inuidiam eiicitur, exigitur, deturbatur: * quo innocentior & indignior tam fera crudelitate, eo non meo tantum, sed aliorum multorum iudicio miserior: tumque ex omnibus fortunis, imo vero ex ipsa luce communi & spiritu eiicitur, quum nullo exemplo, nulla probabili ratione, indicta causa damnatus est. Quo autem iniuria esset cumulatior, noxa caput (quemadmodum apud iurisperitos dicitur) sequuta est: caput nunc, ipsum Cæsarem voco, qui Carpensem Principatum publicatum Imperio Romano adiudicauit, vt litem suam faceret, quam homini insonti speciose intentandam curarat. Iam non ego quidem miseri illius Comitis fortunas, nec pristinam gentilemque dignitatem per summam indignitatem ereptam, nec acceptam illam miserabilem calamitatem deploro, neque gentis nostræ, neque Christianissimi Regis propinquissimi odium conqueror: verum hac tota de re iuris gentium calcati insignem contumeliam, Imperio Romano maculam inustam, & labem Christianæ pietatis necessario dolore concitatus profero. Nam totum illud, quod sequitur, multo impudentius & tetrius, licet ad omnes quidem homines in vniuersum, verum quadam in parte tamen præcipue ad vos pertinere arbitramur. Siquidem ager ille cum factus esset publicus, vis illa quidem tanquam vestri Imperii acerbitas quædam & iniuria, tametsi nemini vnquam toleranda esse visa est, tamen quod esset nomine vestro adumbrata, quod Imperii Romani authoritate subnixa, leuior ea causa tolerabiliorque videbatur. At vero cum est a Cæsare quasi auctionante, non obscuro bonorum & gra-
p.337. vium omnium gemitu, si non publice, at domi tamen, proscriptus & addictus licenti potentatus; dici non potest, nec cogitari quidem, quanto altius omnium in visceribus sensus ac dolor indignitatis illius insederit: cum eo ventum esse videretur, vt nihil tam suum cuiusquam, tam mancipio quæsitum esset, quod non precarium esse cœpisset, ad quod libidini Cæsaris & rapinis aditus esset aliquis patefactus, intra cuius parietes diuinarum omnium rerum & humanarum, domestico quidem illo & familiari scelere, nundinæ essent institutæ. Verum id quod ad vos præcipue attinet, viri Principes, vos mihi locupletissimi testes estis, an pecuniam illam ex miseri illius hominis visceribus & cruore redactam, postea expensam reipublicæ tulerit, aut acceptam, vobis ipsique Imperio retulerit. Id quod si ipse faciendum duxisset, facinoris grauitatem aliquantum eleuaret: quasi non sibi iniquus & crudelis, sed Imperio & maiestati Augustæ esse meditaretur. Sinite igitur vos hac de re interrogari, ecquid vobis ille visus sit ex calamitosissimi senis manubiis reipublicæ commoda aut reditus Imperii auxisse. Sed enim molestus esse nolo: non exprimam vocem inuitis, & verecundantibus ipse pro vobis respondebo. Non retulisse illum: nec si retulisset, si innocentiam vestram bene noui, hanc tam ignominiosam, tam funestam & quasi miseri & innocentis sanguine redundantem pecuniam punctum temporis apud vos residere pateremini: sed tanquam ad vos inauditæ illius & incredibilis inhumanitatis labes & contagio quædam delata esset, aspernaremini. Quod igitur non vestra ille authoritate, sed suæ ipsius

---

* Intelligit Albertum Pium Carpensem Comitem, qui eo quod Gallos fauisset, Comitatu suo fuit priuatus, idemque Alfonso, Ferrariæ Duci addictus, de quo Iouius vita Alfonsi p. 386. *alio quoque ingenti Cæsaris beneficio Alfonsus cumulate est auctus: nam Carpua oppidum de quo diuturna lite cum Alberto Pio contenderat, ei cessit legitimaque possessionis iura peramplis Cæsaris codicillis est consecutus, quoniam Albertus Gallicis addictus partibus, propterea que maiestatis reus factus de iure totius feudi decidisset.*

ipsius audacia partum esse cognouerat, id nec vobiscum communicandum esse duxit sed sibi vni assignandum. Quanquam quis hoc vnquam non dicam Christianus, sed Romanus Imperator ausus est? si quis vnquam de publico auertere conatus est, id ille nec per se, nec palam, nec in manifesto facinore, sed per magistratus cupiditatis suæ administros, sed occulte, sed specie aliqua vel honestatis vel necessitatis obtenta tentauit. At vero hic nummarius populi Romani Imperator ducenta illa aureorum ducatorum millia, vel plus etiam aliquanto, quæ ex miseri illius Comitis capite redegerat, sub publici nominis velamento, sibimet ipse quasi suo iure vendicauit. Quare hac in parte saltem huius causæ, in eoque crimine disceptando, non securitatem tantum iudicum, sed inimicorum etiam & accusatorum acerbitatem & vehementiam suscipere debetis. Neque enim quo animo esse huius criminis iudices debeatis, dubitare possum, cum ad vos potissimum Imperii Rom. sanctitas & publici iuris tutela dignitasque pertineat: quos etiam apud alium iudicem acriores, quam ego sim, actores & accusatores esse oporteret. Hoc loco fortasse reclamabunt aduersarii nostri, vehementioresque assurgent: enim vero nos nec lege, nec moribus agere, qui accusationem pro Apologia scribamus, institutamque defensionem obiectorum nobis criminum inchoatam derelinquentes, in recriminationem sensim delapsi simus. Et nos quidem, quoniam æquum esse existimamus, non aduersariorum exemplis huiusmodi causam nostram tueri, quanquam summorum patronorum exemplis receptum sit & legitimum, vna cum defensione referre aduersariis criminum quæstionem, tamen innocentiæ argumentis & signis exponendis & explicandis libentius indulserim, vt nihil tale a nobis ne cogitatum quidem esse doceamus, nec in Mediolanensi causa Regem Christianissimum quicquam, quod vos offendere debeat, esse agressum facere. Neque enim in eum agrum (quod isti pro solita maledicendi & mentiendi consuetudine affingunt) inuasit, vt constat: nec si inuasisset, quicquam vos cum illo eo nomine expostulare potuissetis. Iure enim hæreditario ipsi obuenisse illius agri dominium, altera illa Apologia mihi quidem abunde probauisse videtur. Atqui per vim & iniuriam rapta, vi & armis repetere iure tum gentium, tum ciuili Romanorum, tum Pontificum licet. Hæc autem iura tam nota sunt, tam cuilibet vel imperito audita & comperta, vt nulla re magis quam communi omnium persuasione, & sensu possint confirmari. Quod porro ad Ius Imperii attinet, siue clientela, siue beneficium Populi Romani appellandum est, quod isti inuestituram suo vocabulo appellant, vtinam autem quale id est cunque, aut quodcunque vocari debet, non tanti pridem nobis Maximiliano Imperatore constitisset: aut si id factum oportuit, vtinam (inquam) dum ius nostrum toties, & pacem publicam ab Imperatoribus vestris immani pretio redimimus, eius pecuniæ portio aut in reipublicæ, aut in vestra cessisset commoda: si tamen hoc vestra amplitudine vestraque virtute non indignum existimatis. Non enim vniuersum illud nobis, quo iure quaue iniuria ablatum pretium confestim, in nostri capitis & regni huius nostri perniciem vertisset. Verum enimvero huiusmodi rerum nobis quidem pœnitendarum, illis autem pudendarum commemoratio in querimoniarum formulam aptius concipi potest, quam in verba vota facientium. Quare voce iam optantis non vtar: neque enim in præteritum aut illis aut nobis ius est, vt ea induci Senatusconsulta, & facta infecta fieri possint. Cur autem nunc de bello Sabaudiensi nobis molesti essent homines isti sapientissimi, prorsus nihil fuit. Neque hac de re mihi magnopere apud vos laborandum esse existimo. Quid enim tam ridiculum est, quam quoties bellum cum aliquo de finium vel hæreditatis controuersia necessario ab aliquo suscipitur, hoc statuere? *Qui Senatus iniussu digitum vnum commouerit, vt illius nomen vel absentis ita recipiatis, vt apud vos capitalis rei, apud vos perduellionis reus sit, aut hostis aut vobis iudicetur.* Id cum neque moribus vsquam receptum est, nec maiores vestri tam iniquam legem, tam duram, tam contumeliosam

P. 338.

ſam ſanxerunt: tum profecto exiſtimo vos, ſi res integra ad vos delata fuiſſet (quæ veſtra eſt æquitas) ſecundum Regem omnino ſententiam fuiſſe laturos. Itaque Rex ereptam progenitoribus ſuis per vim maternam hæreditatem, vi quoque, quando aliter non poterat cenſuit repetendam: cui ſi facultas fuiſſet controuerſiæ iudicio dirimendæ, iamdiu cum Duce auunculo, iudicio expertus eſſet. Longe enim illi fuiſſet optabilius recuperatoribus ab eo datis, cui dandi ius fuiſſet, re iudicio concertata ad pacatam hæreditatem integramque peruenire, citra cædem & ſanguinem, quam belli laboribus, ſumptibus & iacturis vexatum ad eandem illam direptam & exhauſtam, atque omni belli clade deformatam Marte non incruento irrumpere. Age nunc, viri Principes, iudices illi feramus, quoscunque æquitas veſtra prudentiaque cenſuerit, ni per eum factum ſit, quominus res nobis repetere iudicio non licuerit: neminem vt iniquum nobis, reiiciemus, qui æqui boni conſultus magis, quam iuris iſtius Imperatorii ſit, id eſt iuris, quod Cæſar ſibi dixit: neque vero vos nobis eum iudicem eſſe debere cenſebitis, qui Mediolanum nobis per ſummam iniuriam abſtulit, & maiore etiam nunc iniquitate retinet: nec vllum a nobis reditum in Italiam in hæreditatem noſtram non modo poſtulari, ſed ne ſperari quidem permittit. Nam quid eo eſſet iniquius? Verum quid faceremus? ad vos, cum id maximopere cuperemus, Legatos mittere non poteramus. Quid quod ne tabellarium quidem? cum itinera nobis obſtructa, cum omnes ad vos aditus nobis interclusos comperiſſemus, vos certe mihi teſtes optimi eſtis, viri Ampliſſimi, hoc toto triennio Regem tentare non deſtitiſſe, ſi quo modo tandem ſuæ ad vos iuſtisſimæ querimoniæ perferrentur, ſi quo poſſet modo fieri, vt de omnibus controverſiis, quæ ſibi cum Cæſare intercederent, diſceptationem ſuſciperetis. Quod ille non modo ne fieret obſtitit, ſed ne ad vos querelarum noſtrarum, ſuarum iniuriarum nuntius perferretur, omni ope atque opera vt prohiberet, enixus eſt: veſtram nimirum æquitatem ſapientiamque veritus: id quod ſatis, vt ſpero, comperiſtis. Neque hic libet labores commemorare, pericula recenſere, quæ quidam ex noſtris hominibus, quæ Oratores ea de re ad vos miſſi adiere. Vetera illa, quorum ſine dolore & acerbo quodam contumeliæ nobis illatæ ſenſu meminiſſe non poſſum, prætermittam. Hoc vnum tantum etſi maxime dolet, tamen operæ puto eſſe pretium exponere, quod paucos abhinc menſes accidit. Id fere eſt eiusmodi: Cum literas ad ſingulos ordinis veſtri Rex dediſſet, quibus literis Senatum ſibi media in Germania dari flagitabat, apud quem ageret, partim de controuerſiis priuatis ſuis, partim de ſumma reipublicæ nominis Chriſtiani (nam rerum ſuarum controuerſiam, non minus quam vniuerſitatis, per vos diſceptari concupierat, veſtræ tum ſapientiæ tum æquitati confiſus) videte nunc etiam atque etiam, obſecro, quam ſemper, quum æquiſſima poſtularemus, iniquis aduerſariis noſtris vſi ſimus: qui noſtras tali ac tanta de re, tam neceſſaria, tam iuſta, literas ferebant, eorum partim aut Cæſaris aut Ferdinandi edicto finibus veſtris prohibiti ſunt & excluſi: partim (vt non vaniſſimis cognitum eſt teſtimoniis) crudeliter necati. Sed hoc ab iſtis ex more ſuo perfectum: quod etſi non grauiſſime ferre, in re publi-
p. 339. cæ vtilitati tam idonea non poſſumus, hoc nobis tamen multo grauius fuit, & inſolentius viſum eſt, quod ex ordine veſtro, vnde nihil tale futurum neque in nos, neque in rempublicam Chriſtianam timueramus, inuentus ſit, qui nuntium Regis Chriſtianiſſimi, qui literas ei de re ad communem reipublicæ Chriſtianæ vtilitatem pertinente reddiderat, mox in carcerem teterrimum, * vinculis grauiſſimis oneratum, inhumaniſſime coniiceret, prius tamen capitis denuntiato ſupplicio, Sed & cuſtodia illa, (vt dicitur) loci ipſius horrore & illuuie atque ſitu, crudeliſſimi cu-

* Conqueſtus de eo iam in epiſtola ad Albertum Moguntinum ſupra n. IX.

iusdam Tyranni carnificinæ accommodata videbatur. Quam inhumanitatem, non dubitamus iſtum veſtrum in Cæſaris gratiam ſuſcepiſſe. Itaque ab illo miſero, qui in carcere erat, nihil leuius morte expectabatur: omnia in ſe tormentorum genera exquiri intelligebat. Sed eo ipſo die, qui ad ſupplicium illi erat conſtitutus, nec miſericordia cuiusquam, nec vlla humana ope aut conſilio ſed ſingulari potius DEI immortalis beneficio ſeruatus eſſe iudicatur. Deum ipſum immortalem teſtor, viri Ampliſſimi, libenter me pro inſtituto noſtro facturum fuiſſe, vt nomen eius ſilentio prætermitterem, qui flagitium hoc commiſit. Verum & officio meo & fide quam huic cauſæ præſtare plane debeo, ne hoc prætermittam, inhibitus ſum, & multo vero magis cauſa veſtra: nempe vt vos exemplum hoc deteſtati, diligentius poſthac, ne quid fiat ſimile, prouideatis. Brandeburgenſis Marchio nulla a nobis re laceſſitus, ne verbo quidem vllo, eadem qua vos nobiſcum, neceſſitudine coniunctus: ille inquam Marchio (quando nomen eius proditum oportuit) quantum in ſe fuit, Regium nuntium omni genere tormentorum excruciatum necauit, nullam etiam ob cauſam, quam quod ad eum de republica Rex, & Rex Chriſtianiſſimus, de re etiam priuata ſcribere per eum auſus eſſet. Ille quod honoris maximi cauſa factum erat, quod neceſſitudini ſummæ datum & beneuolentiæ, pro iniuria & maleuolentia habendum eſſe cenſuit. Quo facto, non modo antiquiſſima fœdera inter maiores veſtros Franciæ Regum progenitores, & Reges ipſos Francos icta, tot annos ſanctiſſime ſeruata violauit: verumetiam ius ipſum gentium, quod idem naturæ ius eſt, in tabellario Regio in vincula coniiciendo, & omnes humanitatis leges infregit: eo quoque etiam crudelior & inhumanior barbaris omnibus, quod poſtquam miſer ille ſorte diuinitus oblata e vinculis ereptus eſt, non plus apud eum Fortunæ illius diuinæ benignitas quam humanitatis eius ratio authoritatis habuit. Sed præmia multiplicia propoſuit, qui latitantem, & fame ac frigore (vt coniicere eſt) exanimatum hominem ad ſe retraheret: eamque in conquirendo diligentiam adhibuit, vt niſi prouidentia rerum huiusmodi arbitra, hominem calamitoſum furori eius ſubduxiſſet, exemplo ille quopiam abominando ſublaturus eum fuerit. Affuit miſero mire numen diuinum, fugitansque & pauore exſanguis, non mortem, quam optabat, ſed Tyranni Principis iram fugiens in latrones incidit, vel ſeruatrices potius latronum manus inuenit. Sed enim facinus deteſtandum abunde eſt quoquo modo indicaſſe: quare digreſſiunculam parum feſtiuam abrumpam, vt eo quod agebatur, redeam: ne ſcilicet in re Mediolanenſi vel Sabaudienſi diſceptanda cuiusquam, modo non iniqui, iudicis arbitrium refugiſſe Regem Chriſtianisſimum putetis, cum ne ad vos res integra deferretur, ſi deferenda fuiſſet, & temporum & hoſtium iniquitate factum eſſe videatis. Nam quos tandem iudices aut arbitros Rex inuenire tum poſſet, quibus æquis vteretur, aduerſario Cæſare, ob res paulo ſecundiores terram cœlumque territante? Cæterum quod in direptione oppidi Montis Iuelli inita inter nos fœdera violata eſſe obiiciunt, quod res nonnullæ mercatorum veſtrorum a militibus direptæ ſunt: id vero totum eſt eiusmodi, vt ab homine quopiam vaniloquo & ſycophanta confictum eſſe videatur, aut mendacio permixtum: & vero quod exacte quæſitum non fraudi nobis apud vos, ſed laudi futurum ſit. Quem enim ea in re expoſtulandi locum Rex videri poteſt reliquiſſe, cum quicquid fuit vel mercatoribus illis, vel negotiatoribus in direptione ereptum, id ſicubi compareret, integrum, Rex vt reſtitueretur curauerit: quicquid deperierat, vel fuerat corruptum, vt cuiusque de ſuo æſtimatio ad nummum perſolueretur: denique vt quicquid eſſet detrimenti acceptum, quanti cuiusque intereſſet, tantum ille auferret, vt meo quidem iudicio nec conſuetudini ſuæ, nec animo ſuo in vos, nec fidei ſuæ, nec conſtantiæ, nec grauitati potuerit cumulatius ſatisfacere.

p. 340 Absoluta sunt tandem aliquando illa tria, viri Principes, quæ ab initio susceperamus refutanda, ex quibus vobis (vt opinor) constitit, nihil fuisse aut opera, aut mandato Regis factum, quominus Cæsar in rebus aduersus Turcas gerendis operam nauaret bonam, strenuam, & vtilem reipublicæ Christianæ, religioni ac pietate a Seruatore nostro nomen, authoritatem originemque habenti. Contra vero, Regem ipsum religionis ipsius causa omnia cupientem, sic animo comparatum fuisse, eam egregiæ voluntatis significationem non obscuram dedisse, sic palam testificatum esse, vt si per Cæsarem licuisset, omne studium, omnem curam, omneis copias, in causam communem optima fide collaturos fuerit. Tantum abest, vt sciens ac prudens Rex Christianissimus tam præpostere de semetipso, de penatibus Franciæ clarissimis, de liberis, de hæredibus tanti regni, de nepotibus, de nomine denique Francorum pietatis retinentium in primis atque reuerentium mereri instituerit. Tantum vero Rex ab ea voluntate alienus fuit, vt vlla in re Imperii Romani maiestatem atque authoritatem vestram violare contenderit, vt etiam omni obseruantiæ, officii, fidei, diligentiæ genere, & semper coluerit, & in posterum, quoad per vos licuerit, colere constituerit. Vos itaque per libertatem communem, per fidem & amicitiam atque necessitudinem tum Christiani nominis, tum generis ac sanguinis nostri obtestor, vos per Christi religionem, per pietatem obsecro, viri Amplissimi, ne Regis hic tantummodo nomen, aut Francorum opinionem tentari existimetis, sed rem etiam agi vestram arbitremini, existimationis hic vestræ, æquitatis, honestatis, vtilitatis iudicium fieri. Hoc denique nunc sollicite expectari, publicane consilii vestri authoritate, importunissimi homines iniquitatum suarum atque iniuriarum authoritatem constituant & sanciant, atque innocentiæ præsidia vobis conniuentibus intercludant; an potius istic more a maioribus vestris prodito, non nobis tantum, sed reliquis Christianis nationibus, sed consensui & concordiæ bonorum & fidei, denique & æquitatis cultoribus, spes aliqua iuris sui obtinendi reliqua sit. Hac etiam in causa existimetis impotentiam istorum & insolentiam per fortunarum nostrarum strages ad libertatis vestræ ruinam, gradum sibi facere, aditum & viam munire constituisse. Ac multa quidem recensere possem, si necesse putarem, quæ nobis iure communi omnibus vobiscum intercedunt, quibus tanquam retinaculis charitatis, vniuersum nomen Christianum complecti æquabili nexu soletis. Est autem nostrum id iam non commune, sed peculiare & singulare, quod & de vobis, & de communi gentium Christianarum meritos nos esse bona vestra venia (nisi fallor) vel gloriari vel prædicare possumus. Et quidem quod stemma regium ad maiorum vestrorum originem suam refert, & generis propinquitate aliaque necessitudine arcte coniunctum, id vero ad vos priuatim viri Principes, attinet. Quod vero & maiores Regis & Rex ipse, ex quo diuina benignitate regno auctus est, libentissime fecit, atque cupidissime, quandocunque res communis poscere visa est, & tempora eius ita tulerunt, vt bene ac prolixe de nomine Christiano mereretur, id iam communem causam habet & latissime patentem. Et Christianissimi quidem Regis ea semper fuit æquitas, eaque moderatio animi, vt neminem vnquam cum posset, atque incitaretur a nonnullis, per occasionem vllam iniuria affecerit. Certe ipsum Carolum in ipsius regni auspiciis cum facile deturbare de vtriusque Siciliæ regnis potuerit, noluit: quin & illum rebus eius male pacatis protexit, ornauit, auxit, filii loco habuit: a quo postea rerum potito, & prosperis rebus elato contemptus, nullum damnum, nullam contumeliam acceptam ab eo, non humanius fortasse quam par erat, & negligentius tulit: videlicet Rex æquus & bonus, in dignitatis atque amplitudinis vestræ gratiam, necessitudinisque reuerentiam sibi vobiscum intercedentis, & alioqui rei Christianæ affectus suos dedens, quod parum sibi cessurum honori videbat, honestissimum nihilominus ac velut decorum esse duxit. Idem Rex, quo Solimanus Christianorum hostis a nostris ceruicibus communi omnium con-

ſenſu depelleretur, apud eos, qui poſſent in rempublicam plurimum, aſſidue inſtitit, opes ſuas omnes, vitam etiam non ſemel in tam piam ac ſalutarem expeditionem obtulit: nunquam non dignitatem veſtram ac Romani Imperii nomen coluit, fœdera tot ſæculorum a maioribus noſtris accepta, quæ illi vobiſcum intercedunt, ſanctisſime ſeruauit: ſingulorum etiam Germanorum ita coluit amicitiam, vt nullum honoris, nullum obſeruantiæ genus, in quenquam eorum quos ornare potuit prætermiſerit, quod poſſet a Rege omnium humanisſimo proficiſci. P.341. Hoc poſtremo perfecit, vt non tantum maiorum ſuorum apud vos authoritate & gloria, ſed ſua potius virtute & beneficiis niteretur, vt ſe & vobis & optimis quibusque auito illo & Regis Chriſtianisſimi nomine quam dignisſimum probaret. Agite dum conferte eorum facta cum noſtris, iam inuenietis omnia iis contraria. Iſtorum enim proprium eſt (ne plura dicam) quod hæc omnia pro nihilo ſemper habuerint, contempſerint, calcauerint. Hoc igitur a vobis, viri Principes, impetrandum habemus & exorandum, vt ſi ii erga vos fuiſſe videmur, qui fuimus, & quales eſſe debuimus: ſi nos iam olim quaſi coloni veſtri, nunquam ab ingenio veſtro, ſi nunquam a virtute atque indole auorum communium degenerauimus, ſi ſemper in officio fuimus, neque vnquam ab honeſto declinauimus: ſin contra illi alieni a vobis, ſi barbari, nihil veſtri ſimiles, nihil quicquam dignum vobis præ ſe ferunt: hunc Regem vobis conſanguineum & ſocium, vobiſcum idem ſentientem, pro ſuis officiis & meritis, proque veſtro more generoſo amplectimini, veſtris inquam ſtudiis ac fauore proſequimini: antiquam inter nos amicitiam, quemadmodum ille, ita vos quoque vicisſim religioſisſime colitote: neue vt exteris indulgeatis, neceſſariis & propinquis duros & acerbos vos exhibetote: neue nos vobiſcum arctisſimo ſanguinis pignore, & originis eiusdem vinculo coniunctos, alienis hominibus, proditote: quod omen Deus auertat. Quos ſi nullam aliam ob cauſam, certe auitæ, atque (vt ſic dicam) proauitæ, vlteriorisque memoriæ gratia tueri ac protegere debetis, atque iſtius amplitudinis & authoritatis ſcuto ſartos ac tectos ab omni noxa præſtare. De nobis autem hoc vobis ipſi perſuadete, ita nos animo comparatos eſſe, vt ſi quando etiam (id quod nominari nolim) incommoda aliqua ſuſpicio, aut obtrectatorum noſtrorum factio, in perniciemque noſtram coitio, aures nobis veſtras obſtruxerit, aut beneuolam iſtam mentem a nobis auerterit, nunquam tamen immemores futuri ſimus, vt antiquæ & auitæ, ita vicisſitudine officioſa obſequioſaque confirmatæ neceſſitudinis atque amicitiæ.

Reuerendisſimi, Illuſtrisſimi, inclyti, magnifici, ſpectabiles, & prudentes, ſacroſancti Roman. Imperii ordines, Deum Optimum Maximum deprecor, opes ac dignitates veſtras perpetuo vobis vt fortunet. Ex caſtris ad Contæum Belgicæ vicum. Die VII. Maii M. D. XXXVII.

XIV.

APOLOGETICA CVIVSDAM FAMÆ REGIÆ STVDIOSI EPISTOLA, QVA DE REBVS INTER REGEM ET CÆSAREM CONTROVERSIS AD INTERROGATIONEM AMICI RESPONDETVR. P.342.

TAmetſi mihi, amice optime, tuis ad me literis, quibus de imminente aut cœpto iam potius inter Regem meum ac Cæſarem bello, quæ ſint veſtrorum hominum iudicia, ſignificas, ſicut varie ita vehementer affecto, viſus es cauſæ Regiæ paulo atque vellem iniquior, tui tamen te ſimilem ſemper in omnibus præbuiſti, hoc eſt, ſincerum ſemper & plane candidum. Et ſane quod Cæſari tuo propenſius faueas, non admodum quidem ego commouebar, vt qui probe ſcirem, fere viſu eſ-

vſu eſſe ac natura comparatum, vt quorum quis ſub Imperio ac ditione vitam degat, iisdem ipſe vt plurimum faueat, & eorum cauſas enixius amplexetur. Sed quod eſſe tibi quodammodo perſuaſum intellexi, omnem omnino culpam abeſſe a Cæſare, contra, Regem meum eorum criminum affinem eſſe, quæ obiici illi ad me ſcribis; hoc vero tam me commouit initio, quam poſtea recreauit, quod tu de iis omnibus, quemadmodum a principio geſta & contracta ſint, percontandum eſſe me duxeris. Ex eo enim cœpi coniicere, ſi qua in animo tuo inſederit de Regia voluntate minus æqua perſuaſio: eam tamen haud perinde valuiſſe, neque velut radices altius egiſſe, quam vt veritate patefacta euelli atque eradicari poſſe ſperem. Alioque enim ſi quoniam Carolus dixerit, continuo Franciſcum ſine vlla dubitatione nocentem eſſe iudicares, fruſtra earum rerum explicationem, atque vt ſe habeant quæſieris. Quum igitur omnia eius non facta tantummodo, verum etiam conſilia, tibi tuique ſimilibus probari cupiam, quorum ope apud omnes conſtaturum illi ſpero innocentiæ ſuæ fructum, nihil libentius hoc tempore facturus ſum, quam vt tibi morem in hoc geram, atque ad ea capita ſigillatim reſpondeam, ex quibus præcipuam illi conflatam eſſe ſcribis inuidiam. Etſi enim nulla mihi huiuſmodi prouincia exiſtimationis Regiæ a falſa criminatione defendendæ a quoquam eſt mortalium demandata, atque ob id non ſum perinde inſtructus ex libellis, chirographis, & literis Regiis, vt hæc rata & firma eſſe poſſint: tamen ipſe per me ſatis abundeque paratus eſſe mihi videor, & hoc Regi meo me debere intelligo, pro eo quanti eum facere ſcio, bona eſſe apud veſtrates exiſtimatione. In hac itaque parte deſiderio tuo ſatisfaciam, nec officio deero meo: quin confido etiam ita me rem tractaturum, vt niſi longe me fallit opinio, demonſtraturus ſim, quæcunque tu in eum intendi ſcribis, omnia illa quidem vel omnino commentitia, atque morbo quodam animi potius quam iudicio ſceleratiſſime conficta eſſe, vel non ita certe criminoſa.

Iam primum quod ex me ſcire cupis, ex tam variis nec inter ſe conſentientibus quæ miſiſti ad me, quaſi conteſtationis cuiuſdam Cæſareæ exemplaribus, qua in Regem Cæſar ipſe apud ſummum Pontificem & Senatum Cardinalium inuectus eſt, quod eorum accedere proxime ad veram eius orationem exiſtimem: ego procul dubio, quoniam eo tempore Romæ non fui, nihil tibi quod pro certo habeam, reſpondere poſſum: neque vllum eius exemplar adhuc legere memini, in quo veritati nihil quicquam vel detractum, vel additum affirmare auſim: adeo mihi valde multi videntur in iis omnibus pro ſuo quiſque & ingenio & libidine quædam immutare, quædam amplificare, quædam imminuere voluiſſe. Inueniuntur enim hoc præſertim infœlici ſeculo, homines (vt aiebat ille) inimici otii, fama naufragi, qui quoniam nullæ in tranquilla & ſana republica eius adminiſtrandæ partes eorum eſſe poſſunt, ægri ſemper aliquid eſſe velint, & tempeſtatem aliquam excitari, vt ſit cuius ad curationem adhibiti ſibi nomen parent, vel in reipublicæ procellis & turbulentis rebus portum ipſi aliquem ex priuatis ſuis malis inueniant.
p.343. Id quod accidiſſe in hac cauſa (meo quidem iudicio) tempus declarabit. Etenim permulta legi paſſim nomine Cæſaris euulgata, quæ vt credam in mentem illi vnquam veniſſe vt tam falſo ſcilicet atque impudenter in quemquam affingeret mortalium nedum in Regem & affinem ſuum, nulla prorſus adduci ratione poſſum. Verum, vt ne ad tuam hanc petitionem prorſus nihil reſpondeam, hoc habeto: legiſſe me quidem aliquando literas, quas ad Regem Chriſtianiſſimum duo eius Oratores alter apud ſummum agens Pontificem, alter apud ipſum Imperatorem, ea de re communiter ſcripſerunt: quæ literæ, ſi Germanicum exemplar quod miſiſti typis excuſum fideliter mihi expoſitum eſt ab interprete, non admodum mihi videntur ab eodem exemplari diſcedere. Regis autem defenſio, quæ vulgo habetur, & typis excuſa eſt, quantum ego memoria poſſum repetere, mihi videtur fideliter eſſe verſa. Eius vero (vt ne poſthac dubitare poſsis) vbi primum in Gal-

liam me recepero, descriptum exemplar ex ipso (vt sic dicam) autographo tibi me curaturum recipio. Sed iam ad crimina ipsa veniamus, ex quibus in primis esse Regi meo conflatam inuidiam amice atque ingenue admones: & quod est omnium primum, clamitant Ludouicum Regem Francisci socerum fidem Maximiliano Cæsari fefellisse, quod Carolo eius nepoti Claudiam filiarum suarum natu maximam non dederit in matrimonium; quam vt illi scilicet desponderet, Mediolani principatum a Maximiliano impetrauerat, beneficio Populi Romani (quod vestrates vocabulo nouo inuestituram vocant) sibi tradi. Proinde iusta indignatione motum fuisse Maximilianum, vt pro eodem principatu aduersus Ludouicum arma caperet. Ego, amice optime, mirari satis nequeo istorum impudentissimam procacitatem, & maleuolentiam pari cum amentia & stupiditate coniunctam, qui cum hunc Regem velint etiam repetito iam inde a maioribus eius criminandi principio, in inuidiam trahere, non ferendo illo quidem atque vsitato longe minus exemplo, haud quaquam animaduerterint, quam sit promptum atque omnibus expositum intelligere, in eo non modo ipsa re, sed etiam temporibus illos errasse. Etenim ignorare non debuerunt, hodie quoque multa superesse hominum milia, qui pro testimonio possunt dicere, natu maximam Ludouici filiam non modo eo tempore, quo in Ludouici principatum Maximilianus arma intulit, verum vno etiam atque altero post anno nemini collocatam, atque adeo apud patrem adhuc fuisse: ipsum vero Maximilianum Cæsarem iam antea despondisse Carolo Mariam, Britannorum Regis Henrici septimi filiam. Præterea & hoc aliunde in promptu est coarguere mendacium; nempe ex illius ipsius Imperialis beneficii diplomate: quo nimirum & is Ludouicus, & quicunque superstites ei forent liberi, nulla prorsus conditionis adiecta mentione in clientelam accepti sunt Imperii Populique Romani: tum huic ipsi Francisco Valesiorum & Engolismorum id temporis principi, Galliarum nunc Regi, succedendi ius ad eundem principatum eodem siue clientelæ siue beneficii nomine assertum est, atque testimonio luculentissimo confirmatum, ad quod ipse proculdubio Ludouico sine liberis maribus vita functo, ex publicis tabulis & consignato Populi Romani beneficio vocatus est. Dum ex hoc igitur Ludouicum isti perfidiæ insimulant, nihil mihi aliud videntur agere, quam quod redire nobis in memoriam faciunt, Maximilianum Cæsarem parum sancte (ne quid dicam acerbius) Ludouico fidem seruasse: cuius ope cum amplissimas in Italia recepisset ciuitates, proque illo suo quod dicebam imperialis beneficii diplomate magnam vim pecuniarum, certe supra centena quinquagena nummum aureorum millia, paulo ante a Ludouico accepisset: eadem mox pecunia vsus est ad cogendum exercitum, quo principatum eundem inuaderet, cuius nomine Ludouicum in fidem re causaque intellecta, deque Principum Sacri Romani Imperii consilio acceperat. Iisdem porro ex tabulis nullo negotio refelli possunt, qui (vt scribis) Regem meum aiunt sola ditionem amplificandi cupiditate adductum, nullo alioqui vel iure vel præiudicio, ad hunc ducatum aspirasse, atque Maximiliano Sfortia per vim atque iniuriam spoliato, & antea quidem occupasse, & nunc etiam magno publicæ quietis incommodo repetere. Enimuero ingenue ac liquido Maximilianus iis tabulis agnoscit & fatetur, neque gratiosas eas fuisse, neque perperam alioqui ablatas, sed ad Regem meum hunc principatum vsque ab auis & proauis hæreditario iure pertinere. Atque, vt rem altius repetam, Io. Galeatio Mediolani duci liberi mares duo tantum * (si forte nescis) fuere, Iohannes p. 344
& Philippus, cognomento Mariæ: quorum vterque sine legitimis liberis vita functus

* Eadem fere ratione narrat Sleidanus *lib. X. p. 284.* Videri quoque potest Iouii argumentum deuolutæ hæreditatis Mediolan. ad Aurelianorum Principum domum in Grævii *Thesauro Antiquit. Ital. Tom. III. p. 331.* & Ios. Ripamontii *Hist. Mediolan. lib. VIII. p. 686. ed. Græu.*

ctus est. Soror eis inter cæteras fuit Valentina: ea nupsit Ludouico Aureliorum Duci Caroli V. Galliarum Regis filio, & Caroli VI. fratri: ea lege matrimonio adiecta, vt si Ioannis Galeatii liberorum marium series interiret, ex Ludouici autem & Valentinæ nuptiis superessent mares; illis ipsi in principatum Mediolani succederent. Eam legem (quæ si adiecta non fuisset, conciliatum alioqui non fuisset matrimonium) comprobauit summus Pontifex, ad quem erant fasces Imperii, qui tum ad interregnum redierant, translatitio iure deuoluti. Ex eo matrimonio tres nati sunt filii, Carolus Dux Aurelianorum, ex quo is Ludouicus cuius nuper meminimus, qui ad regnum Galliarum hæreditarium mortuo absque liberis Carolo eius nominis octauo est vocatus: Philippus Comes Virtutensium, cui liberi non fuere, & Iohannes Engolismorum Comes, ex quo natus Carolus huiusce Francisci Regis pater. Vides igitur Franciscum Regem huius principatus hæreditatem creuisse antiquo auito atque proauito (vt sic loquar) iure. Mortuo enim Philippo Maria, quamuis Franciscus Sfortia qui Philippi notham filiam in matrimonio habebat, ipsum ducatum occupauerit, nunquam tamen nec ipse nec eius liberi in fidem sunt Imperii Rom. eo nomine recepti; donec tandem Maximilianus Cæsar, adductus nescio quorum importunis suasionibus, Ludouicum Sfortiam, verum absque causæ disceptatione, principatus huius causa in clientelam accepit Romani Imperii. Quem eundem principatum aliquanto post re intellecta & deliberata, deque Septemuiralis collegii consilio, reiecto Sfortia in Ludouicum ipsum Galliarum Regem, eo, quod nunc dicebam, diplomate transtulit: huic autem Ludouico absque liberis maribus decedenti, Franciscus iure sanguinis vt Regni Galliarum, ita Mediolani principatus hæres fuit: atque a Maximiliano Cæsare (id quod minime tamen illi fuerat necessarium) in fidem & clientelam Imperii populique Rom. principatus eiusdem nomine acceptus est: ex quo per vim atque iniuriam, indicta causa, præter morem maiorum & feudorum imperialium iura (vt nunc loquuntur Romanarum legum interpretes) a Carolo Cæsare deiectus est. Sed hic nobis obiicitur, Regem nostrum qui se ac liberos suos captiuitate liberare vellet, si quid iuris in hoc principatu habuerit, id Cæsari ex pacto & tabulis concessisse. Ego vero, amice optime, nihil hic pertinere ad rem existimo, de iis rebus disputare, de quibus ille aduersario potestatem opinionemque facturus sit, eligat vtrum velit, validam fuisse renuntiationem necne. Minus autem de hoc disputare, quo iure, qua humanitate Cæsar supra summam pecuniæ maiorem, quam qua olim se Galliarum Reges a Saracenis hostibus redemerint, supra traditam illi sine dote sororem, supra durissimas alias conditiones hactenus apud Christianos inauditas, hanc a Rege meo extorserit auiti principatus cessionem, superstitibus præsertim filiis, ad quos ille non ex patris tantum, sed ex paterni proaui & materni aui causa pertineret. Hoc contendo, & me probaturum omnibus confido, nedum vestris hominibus, qui æquitatem apud se valere, vulgatissimaque clientelarum iura sinunt, Regem hac cessione huic liberorum suorum causæ nullum præiudicium afferre potuisse: quibus quod ex auito illo atque successionis iure quæsitum est, nulla auferri ab illis ratione potest. Quare vehementer miror hanc cessionem Regi meo ab hominibus vestris obiici, apud quos alioqui hæc clientelarum iura sancta esse soleant, eaque diligentia & religione seruari, vt pro impiis habeantur, quicunque non omnia impendere parati sint potius, quam in alias transferri patiantur familias, etiam si quid præter ea iura vel cessione (vt fit quandoque) vel venditione, vel alio quouis pacto, admissum extiterit. Familiarum enim & non personarum beneficia & iura sunt, atque ipsis adeo familiis addicta: vt si non ipse tantummodo Rex meus, sed ipsi etiam eius liberi, paternis (quæ vocatis) nedum his auitis beneficiis eo viuo cederent, inualida nec efficax eorum cessio ex iuris istius vsu, ac more vestro futura sit. Quo proculdubio magis miror, vestrum Cæsarem qui se adeo studiosum pacis & publicæ concordiæ haberi velit, innocentes

hos

hos Principes spoliando, vt eorum spoliis spuriæ mulieris hæredem augeret atque ornaret; florentissimamque regionem ereptam veris & honestissimis dominis, accersito atque turpissimo inquinaret possessore, futuram tamen hanc certam ac solidam pacem sibi persuadere voluisse. p.345. Nam vt in eis ex proprio incommodo nullus dolor insideat, tamen illa superest cogitatio, in abiecti hominis prælatione se despectos, dignitatemque suam esse contemptam: habet autem (vt ille ait) habuitque semper contumelia quendam velut aculeum, quem diutius pati, cum generosi homines, tum præterea excelso & illustri loco nati, difficillime possunt. Addis, male apud vestrates audire meum Regem, quod cum festa pace Christiana frueretur respublica ipse vnus & hoc, & priore bello, prouocando ad arma Cæsarem, summam reipublicæ tempestatem excitarit, eo maxime tempore quo alioqui Cæsar (vt inquiunt) expeditionem erat suscepturus propagandæ Christi religionis causa. Ego vero dico, & priore bello, & eo quod accendi hoc tempore videmus, non minore in præsens reipublicæ incommodo, quam in futurum periculo, semper Cæsarem fuisse prouocatorem: contra, Regem semper illata tantummodo bella propulsasse, id quod æquis & iniquis omnibus perfacile probaturum esse me confido. Atque vt de priore bello prius dicam, quod caussatur Cæsar bellum in se a Roberto Marchiano * natum, conflatum, susceptum Regis impulsu & opera fuisse: ostendam nihil horum esse, contraque habere omnia. Etenim ita res habuit: simultatem & litem primum, deinde bellum fuisse ortum, inter hunc Robertum & Emerianum regulum, idque de eius castelli controuersia cui nomen est Hyergiæ. Contigit vero vt Marchianus qui Francico regno esset finitimus, cuius etiam liberi & maximas haberent opes in Gallia, & honores gererent quam amplissimos, ei bello gerendo & sustinendo, sibi militem ex Gallia eduxerit: sed hoc proculdubio & insciente & tum grauiter ægrotante Rege fecit: qui postquam e morbo recreatus id resciuit, nihil prius habuit, quam Cæsaris ad se Legatum vocaret, seque non modo apud eum diligentissime purgaret, verum aduersus Marchianum quoque profiteretur, sese, vbi rogaretur, auxilio Cæsari affuturum. Nec cunctatus (id quod omnibus, qui rem modo inuestigare voluerint, satis constat) misso confestim, idque dispositis equis, nuntio, Gallicum militem edicto grauissimo reuocauit: cum iam Viritonum oppidum, quod tum Marchianus oppugnabat, prope vt dederetur, aut vi caperetur, esset. Quo milite reuocato, Marchianus non tantum obsidionem soluere, sed saluti suæ consulere adactus est: neque multo post oppida non pauca, & ex suis arces haud ignobiles, vi aut deditione captas amisit. Tum Carolus Cæsar, qui fortasse suspicatus est, vel volente vel impulsore Rege, bellum hoc Emeriano sibi merenti homini a Marchiano Regi merente illatum, ad se quoque pertinere; vel ab Emeriano ita persuasus, qui se imparem Marchiano sentiens, alliciendum in partes suas Cæsarem esse duxerit: copiosum interim exercitum magna vi, celeritate, diligentia comparauit. Siue igitur de Francisco iamdiu male cogitabat, & occasionem affectabat suscipiendi aduersus eum belli; siue quod exercitum omni adeo apparatu instructum dimittere, neque vllo edito insigni operæpretio dissoluere, atque impensas tantas sibi frustra esse ac perire, nec decorum nec vtile arbitratus est; progrediendum longius, & tentandam esse belli aleam iudicauit. Vtcunque certe cogitauerit, eius milites non contenti Marchiani mulctatione, in Galliam irruperunt: & antequam Rex sibi de bello cogitandum arbitraretur, Mosonem oppidum ad deditionem compulerunt, Macerias oppidum obsederunt. Rex qui publicæ pacis studio serius omnino quam hostilis apparatus fama postularet, aliquando tamen exercitum & ipse comparare cœperat. Macerias subitario immisso milite eo vsque tutatus est, dum ad eas obsidione liberandas tempus supplendo exercitui suffecerit: eo suppleto, fate-

* Integram Historiam narrat Chytræus *Saxonia lib. I. p. 323.* & Mart. Bellaius *lib. I. p. 19.*

fatemur cum obsidione soluta, & in agros Cæsareæ ditionis incursiones fecisse & traiecto amne Schalde, vi aliquot oppida cepisse: Cæsaremque ipsum, vt se periculo subduceret, compulisse. Sed hoc nemo ita vnquam interpretabitur, vt Cæsarem a Rege prouocatum audeat affirmare: quia non sua voluntate, sed adductus aliena vi & iniuria, tuendi sua necessitate compulsus, arma ceperit. Atque ideo qui hunc authorem belli faciunt, hac omissa criminatione, ad aliam confugiunt nihilominus frigidam & inualidam, sed quam tamen probari facilius imperitis rerum existimant. Adhuc enim non in causa sed in persuasione, spes eorum omnis fuit: ac dum summo artificio accusationes confingunt quam possunt suis rationi-
p.34 bus accommodatissimas, dum quæ comminiscuntur, quibus volunt, affingunt crimina, atque dum magnitudine horum, animos occupant multitudinis; nullum interim omittunt insidiarum genus, quo aditus omnes ad vos perueniendi intercludant, ne quem apud vos semel accusauerint, is purgare se vobis, & in illos retorquere falsæ accusationis possit inuidiam.

Itaque obiiciunt Regem meum aduersus Cæsarem suppetias Henrico tulisse, quem Albreti * dominum Cæsar contumeliose vocat, non dignatus eum appellatione Regia. Cuius rei historiam quæso (si forte nescis) intellige. Maximilianus Cæsar cum diu nimis ac frustra tentasset Iulium secundum Pontificem Maximum, vt Concilium publicum Christianorum indiceret, adducere, ipse tandem vel nolente Pontifice indicendum duxit. Sequuti sunt illius sententiam Ludouicus Galliarum, & Iohannes Nauarræ Reges, aliquot item alii Reges & Principes, Episcopi & Cardinales non pauci. Iulius eos omnes anathematis illius Apostolici fulmine percussos, Schismaticos & Hæreticos, esse pronuntiauit. Reges & Principes regnis & principatibus, sacerdotes sacerdotiis, quo iure, quaue iniuria esse indignos iudicauit: Regna, principatus, sacerdotia, primi cuiusque occupantis fore iussit. Occasionem hanc arripiens Ferdinandus Hispaniarum Rex, Caroli Cæsaris auus maternus, Rege Nauarræ tum absente, qui Ludouici partes sequebatur, ex improuiso regnum eius sibi finitimum, inuasit, occupauit, præsidio firmauit, & moriens Carolo nepoti per manus tradidit. Hoc iure (si summa iniuria iuris nomine censenda est) Carolus Cæsar Nauarræ regnum obtinet. Quod si fuisse iure occupatum, & nunc retinere iure contendit, prius necesse est fateatur, Maximilianum Cæsarem auum suum paternum, cuius ad causam Rex Nauarræ tantummodo se adiunxerit, multo magis Hæreticum & Schismaticum fuisse. Is igitur Nauarræ Rex cum eo tempore, quo Ludouici (vt diximus) in partibus erat, regno suo deiectus fuisset; Ludouicum ad se in regni recuperatione adiuuandum, ex fœdere obstrictum habuit. Defuncto vtroque, cum Franciscus in Galliarum, & Henricus

* Aliam caussam adducit Thuanus lib. I. p. m. 5. dicens: *Ferdinandus coniunctis cum genero viribus in Aquitaniam, in qua sibi ius Anglus vindicabat, impetum facere decreuit: & quia ad eam expeditionem opus habebat iter per Nauarræ regnum cum exercitu facere, missis Oratoribus a Ioanne Labretano rege petierat, vt sibi libere per eius regnum transire liceret. quod cum ab illo propter amicitiam, quæ ipsi cum Gallo intercedebat, non impetraret, inde occasionem arripuit inuadendi Nauarræ regni, cui iam pridem homo alieni cupidus inhiabat: quod ei facile fuit copiis generi freto, & imparato a rebus omnibus Nauarro, qui frustra auxilia a Ludouico præstolatus, exortis Agramontanorum & Bellomontanorum factionibus, tandem regno cedere, & cis Pyrenæum recepere se Benearnum coactus est.* Sic etiam Io. Mariana *Rer. Hispan. lib. XXX. c. VIII.* caussam fuisse dicit, quod cum Gallis faceret Rex Nauarræ. Eandem hanc occupationem Regni Nauarreni narrat Fugger *im Spiegel der Ehren des Hauses Oesterreich lib. VI. c. XVI. pag. 1293.* Facit huc etiam Io. Lopetz *de obtentione atque retentione Nauarræ* & Ælius Antonius Nebrissensis *de bello Nauarreno*, qui eandem occupationem regni defendit. Quid in ipsa hac expeditione gestum, exponit Petrus Martyr *ep. CCCCXCV. CCCCXCVIII. DV. DVIII. DX.* Pontus Heuterus *Rer. Austr. lib. VII. c. IV.*

aliquanto post in Nauarræ successissent regna, & easdem fœderis conditiones inter sese pepigissent: contigit vt Ferdinando ipso quoque e vita sublato Hispani Carolum eius nepotem vt principem quidem, & futurum Regem agnoscerent; Interim autem viua nec consentiente matre Ferdinandi filia, Regem salutare detrectarent. Carolus igitur Franciscus præpotentis, ac vicini regis authoritatem magno sibi vsui fore intelligens, quo ab Hispanis statim admitteretur in regnum, cum eodem fœdus atque amicitiam inire voluit: a quo nimirum ea fide receptus est, vt interim tamen Franciscus admonendum esse illum duxerit, prioris eius fœderis, quo Na„varræ Regi obstrictus esset. Pepigit Carolus, se ante constitutum certum diem „cum Henrico transacturum: alioqui fore Francisco liberum, suppetias Henrico „ferre, saluis nihilominus noui fœderis legibus, inuiolataque amicitia. Quo tempore pridem exacto, & Carolo sæpe ac frustra interpellato, neque cum Henrico decidente, appellatus ex fœdere Franciscus, non potuit petitas ac tot nominibus debitas Henrico suppetias denegare: in quo si criminari quisquam cum potest, Henricus potius quod serius, quam Carolus quod tulerit, suo iure criminari potest. Liquido igitur constare iam omnibus arbitror, qui Franciscum quidem ante quam armis a Cæsare peteretur, Henrico qui Cæsari bellum inferret, opem tulisse nouerant: sed id officio integro inuiolatoque fœdere potuisse ignorabant, Franciscum hac auxiliorum præstatione, neque Cæsarem prouocasse, neque prioris illius belli authorem dici aut haberi vlla ratione posse.

Iam ad bellum quod nunc geritur, aut imminet, veniamus, per quod Cæsar ab expeditione Turcica interpellatum & reuocatum se fuisse quiritatur. De Allobrogum inuasione ** querimonia profertur: inuasionis ratio non expenditur: iurene an iniuria inuaserit, hoc non quæritur: & quod in nullius aut modici pretii fundis, primum & maxime quæritur, quo iure quis possideat, quo iure quis eiectus sit: id vester Imperator in tam amplo patrimonio, in tot agris, vrbibus, populis, quæri non putat oportere. Cumque sine controuersia, omni & Romano, & gentium omnium, & naturæ iure, omnibus liceat, licueritque semper, occupata per iniuriam, & per legatos frustra repetita, iustis armis repetere; hoc vult idem vester Imperator vni Francisco Regi non licere. Sed operæpretium est rem p.347.
altius paulo repetere, vt intelligas Regem meum sicut in cæteris, ita in hac etiam causa, finibus suis, atque auitis, dominandi cupiditatem sibi circumscribendam censuisse. Philippo Amædei Sabaudiæ Ducis filio nupsit Margarita Borboniorum Ducis filia, sub ea conditione, vt si forte accideret Amædeum, susceptis aliis maribus liberis Philippo superstitem esse, ex eoque matrimonio Philippus libe-" ros sustulisset, ii Philippi patris loco, Amædeo auo ad eas opes succederent, ad" quas Philippus si vixisset, ætatis prærogatiua successurus erat, ipsius ordine præ-" rogatiuæ seruato, cui nascendi conditioni atque ordini præcipuus honor habe-" tur. Nati sunt ex eo matrimonio Philibertus & Ludouica: Philiberto, cui nu-" pserat Margarita Maximiliani Cæsaris filia, nulli fuere liberi. Ludouica Carolo nupsit Engolismorum Comiti, ex qua hunc Franciscum Galliarum nunc regem suscepit. Ea igitur nascendi prærogatiua succedit Franciscus, cum in omnia Margaritæ

** De bello hoc Sabaudico Sleidanus *lib. X. p. 284.* Chytræus *Saxonia lib. XIV. pag. 372.* Pontus Heuterus *Hist. Austr. lib. XI. c. IV.* Thuanus *lib. I. p. 19.* Iouius *lib. XXXV. sub initium.* Scilicet prætextus belli hic. Defunctus erat Philibertus II. Dux Sabaudiæ sine hæredibus, relicta sorore Ludouica, quæ Francisci I. mater erat, & fratribus, quorum Senior Carolus III. ipsi succedebat. Ludouica igitur soror hæreditatem allodialem petebat. Sed, verum consilium exponit Sleidanus *lib. X. p. 290.* *Franciscus conductis vndique copiis transcendit Alpes, & Sabaudiæ Ducem, Imperii Principem aggressus est, eo videlicet consilio, vt illa patefacta via, vt subiugata prouincia, longius progrederetur*, de quo etiam Guichenon *Tom. I. p. 627.*

garitæ maternæ auiæ bona, tum vt Ludouicæ matris, Philibertique auunculi, & ex eorum causa, Philippi materni aui hæres, ad omnia quæcunque censentur eo iure, vt cadere in fœminas, atque inter hæredes diuidi possint: & hac conditione Amædei materni proaui hæreditatem creuit, & ciuili, & naturæ & pactionis præterea sponsalitiæ iure. Adhæc Nicia & Villa Franca Narbonensis Galliæ oppida, Taurinorum item, siue (vt nunc vulgus vocat) Pedemontanæ Galliæ principatus, tanto iam tempore, vt ab hominum memoria initium eius rei sit propter vetustatem remotum, veterum Prouinciæ comitum in fide semper fuere. Hic etiam idem principatus mancipii lege, ita vt eximi aut mitti nequeat, addictus eiusdem Prouinciæ principatui. Quæ omnia Sabaudiæ Duces vi, fraude, clientum ad defectionem solicitatione, certe per iniuriam occuparunt, dum Comites Prouinciæ aliis essent bellis impliciti & vehementer occupati. In quorum ius cum Franciscus partim ab intestato, partim ex institutione successerit, atque aliunde iniuriam a Sabaudis acceperit, qui nonnullas arces & vicos ex Salassiorum Marchionatu, qui Delphinatus Viennensis est in clientela, multos annos vsurparunt, insigni iuris Delphinatium imminutione, atque iactura minime vulgari; nec ipse tam multis ac tam magnis iniuriis affectus, quicquam sua repetendo proficeret; tum demum omnibus antea frustra tentatis, necessario bellum intulit. Sed hoc bellum ad Cæsarem (nisi ad se ipse pertinere putet, quicunque in Francisci bona inuadant, eos vt in possessione tueatur iniusta) non video quo modo pertineat: præsertim cum initio huiusce belli Franciscus edictis grauissimis interdixerit: ne quid miles suus" vel attingeret, quod in Cæsaris quouis modo esset, re, iure, aut possessione. Nam" quod Sabaudo ait Cæsar Samarobrinensi fœdere *** cautum ac prospectum esse, abvnde Rex sua defensione ostendit, eo fœdere non caueri, vt quæ Sabaudus aliena possideret, præsertim vero illa de quibus nulla omnino mentio ascripta est in fœdere, nunquam ea restituere debeat, nec ipse ab eo spoliatus ablata per iniuriam repetere. Sed hanc tamen occasionem arripiens belli Francisco faciendi, Cæsar exercitum coegit, in præsidia regia inuasit, clientes eius & beneficiarios (vt vocant) ad defectionem solicitauit. Hoc si eum non conuincat belli authorem esse, non video cuinam tandem belli cuiusuis causa possit ferri accepta. Sed quid, Amice optime, cogitare hic putas cordatos & rerum æquos expensores, quum audiunt Cæsarem ea principe authoritate, flagitium vt sit apud eum mentiri, prætexere ipsum sibi ius legitimæ defensionis Sabaudi, aduersus affinem Regem: quibus constat vt cognatos suos, Ludouicum & Christiernum, hunc Danorum, illum Pannoniarum Reges, vt vnicum fratrem Ferdinandum, vt auitam ditionem, ipsamque adeo Romani sedem Imperii Germanicam, a Turcica defenderit iniuria? Nemo proculdubio, qui modo rem voluerit ad examen veritatis perpendere, non iam intelliget Imperatorem hunc vestrum, adeo sibi ex innocentia sua placentem; bellum hoc aduersus Regem meum, non modo qualicunque sibi oblata occasione suscepisse, sed etiam vltro appetiuisse: siue perditum iri (vt publice iactitauit) Regem cupiat, siue id commodum sibi fore putauerit initium ad alia quæ molitur, ac de quibus malo quosuis potius apud se cogitare, quam ex me referente accipere. At inquiunt Cæsariani, eo Regem animo & consilio in Allobroges mouisse, vt hoc adumbrato, maiora consequentis belli momenta tegeret, commodioremque

*** Intelligit Cameracense an. 1529. conclusum. Ludouicus Guicciardinus enim *Descr. Belgii p.447.* Cameracum eandem vrbem esse adfirmat, quam Cæsar in Commentariis Samarobrinam nuncupat. Idem contendit Hubertus Thomas Leodius *de Tungris & Eburonibus apud Schardium Tomo, I, p.343.* Ioachimus Camerarius vero in Narratione Rerum præcipuarum *ad. a. 1557.* S. Quintini fanum pro Samarobrina explicat. Et licet Christ. Cellarius *not. Orbis antiqui lib. II. c. III. p.269.* velit Samarobrinam, seu Samarobriuam esse Ambianum, hoc tamen iam ante prolixius refellit Thomas *c. l.*

que ad inuadendos Insubres expeditionem inde susciperet. Hoc vero diuinare p.348
est, & ex vana & futili coniectura, vbi deest argumentum & causa, suspicionem
quamuis pro verisimili crimine intendere. Nihil enim de Insubrium ditione mi-
les Francicus attigit, neque aliud quicquam in hac causa, quod offendere Cæsarem
debuerit, aggressus est facere. Esto vero & hoc demus aduersariis, voluisse Regem
Allobrogum & Taurinorum agros ad se iure pertinentes occupare, atque Insu-
brium finibus Imperium suum coniungere: idque potissimum eo tempore, quo
sperare suo iure potuit, vt cum tyrannus & prædo Sfortia e prouincia occupata, e vita-
que simul excessisset; pacato & volente Imperatore vestro (qui se toties id facturum
fuisse confirmarat, nisi iam obstrictam ante Sfortiæ fidem habuisset) Mediolanum
facile reciperet: si non sibi qui cessisset, at liberis certe suis, qui nec renunciarunt
vnquam suo iuri, neque non ad sua recuperanda sancta iuuari a parente potuerunt.
Quid in eo contra eundem ipsum Imperatorem vestrum, quid in fœdera pecca-
tum est? Nihil sane. Sed maleuolis quibusdam, qui nolint in Italia aut Regem,
aut eius liberos quicquam habere, vbi pedem in suo ponere possint, maluit ipse
vester Imperator, cum & fidei & famæ suæ detrimento morem gerere, quam toties
datam fidem principibus adolescentibus liberare. Nam hanc illorum voluntatem
aliquando excusauit Cæsar, quo minus Regi aut liberis eius Mediolanum redderet.
Vtcunque autem res habet, certe Mediolani fines miles noster ne attigit quidem,
æquis tantum legationibus, non armis (quæ promptissima ipsi erant) cum Carolo
Franciscus egit, vt liberis suis, si non sibi, pecunia saltem numerata impetraret id,
quod omnium concessu, quicunque sunt prudentes iuris, pertinere ad illos intel-
ligeret. Et quæ obsecro causa fuit, vt non sperare debuerit a Cæsare tam (vt vide-
ri vult is) æquo, a Cæsare cognato, a Cæsare sibi religione fidei obligato, hoc faci-
le impetrare, quod antea prædo Sfortia impetrasset? quem persæpe tamen con-
questus Cæsar esset, in se fuisse proditorem & perfidum. Nulla igitur, vir amice,
causa iusta quidem data est Cæsari a Rege meo, vt tam atrox ei bellum inferret,
nulla dum ipse lacessitus iniuria. Sabaudi namque causam nulla constante satis
ratione suam facit, qui antea sororum viros, vnicum fratrem, auorum incunabu-
la, Germanicum Imperium haudquaquam hisce conatibus vindicare vnquam in
animum induxerit. Mihi vero crede, alio spectant (vt vobis est in prouerbio)
alio tendunt remiges. At inquiunt decuisse, Regem omnem cauere occasionem
interpellandi & auertendi Cæsaris, cum a publico Christianorum conuentu, tum
a religione aduersus eiusdem hostes propaganda: quam in curam (vt illi aiunt)
mente & animo totus incumberet. Hic ego (vt plane loquar) satis assequi con-
iectura nequeo, tametsi diligenter & accurate omnia perpendi, quid in causa esse
potuerit, quare occasionem illam tantæ gloriæ, tantique ad religionem momenti
negligeret, tamque facile a tam sancto proposito, ad alienarum rerum tam ini-
quam inuasionem deflecteret, atque omnes adeo vires suas ab impio in Christia-
num, ab hoste in cognatum conuerteret, a quo fateatur necesse nullam se accepis-
se iniuriam; nisi hoc iniuriam esse voluerit, quod liberis suis ius auitum, & per
Maximilianum Cæsarem luculenter adeo confirmatum, reddi postulauerit, idque
legationibus tantum, nulla penitus vi. Ergo apud æquos istos vestros homines, ii
perturbant Christianorum pacem, ii bella excitant, ii procellam reipublicæ inue-
hunt, qui legitima via sua repetunt? Contra qui aliena occupant, & quæcunque
quacunque vi, vel iniuria semel occupauerint, de iis nolint partem vnquam ali-
quam amittere, quinetiam occupata repetentibus continuo bellum inferunt; ii
conciliatores publicæ quietis, ii publicæ salutis habebuntur vindices. Finge vero
„Regis ipsius filios ita Cæsarem appellare, Patrem nostrum, Carolo Cæsar, patri-
„monio quod secundum eum nobis eius liberis debebatur, nihil de te male meri-
„tis, id quod omnibus adeo in promptu est, vt negare ne tu quidem possis, eie-
„cisti: & eo patrimonio, quod iam olim per maiores nostros, multo suo ac suo-
rum

rum ſudore, atque ſanguine, a Longobardis potentiſſimis hoſtibus aſſertum, Im-“
perioque Romano liberaliter donatum, multis ſubinde ſeculis, ad proauos no-“
ſtros eiusdem Imperii beneficio redierat, hoc inquam patrimonio patrem no-“
ſtrum vt cederet compuliſti, & a nobis, eorum poſteris, qui hoc florentiſſimum“
Imperium, cujus adeo creuiſti viribus & opibus, poſtliminio in Europam redu-“
xerunt, per indignitatem ſummam & iniquitatem ablatum, ad nepotem calonis“
p.349. & ſpuriæ **** tranſtuliſti: eo mortuo, per vim adhuc retines. Id quoniam abs“
te iure fieri non fatemur, quoniam indignitatem & iniuriam ponere gratificationis“
loco recuſamus: quoniam apud patrem vt nos pie iuuet, inſiſtimus: quoniam“
is ſpem fortaſſe nobis aliquam præbet: maternam hæreditatem quoniam fruſtra“
tentatis omnibus, tandem armis adeundam cenſuit: ideo nos, ideo illum accu-“
ſas, quaſique nobis ipſe ad recuperanda noſtra parare gradum, & munire viam“
ſtuduerit (id quod ſi fieret, tamen crimine ac reprehenſione carere debeat) vio-“
latæ pacis & fidei apud rerum imperitos reum agis, fanaticis ſpiritibus animum“
ad nefanda hæc audendum, quæ noſtra videt ac patitur ætas addidiſſe, Turcarum“
Regi ad inuadendos pios viam paraſſe ac ſtrauiſſe, atque adeo illum in nos euocaſ-“
ſe vociferaris. Vſquequo demum & quos tandem ad fines iſtud crimen, iſtam“
querimoniam diſturbatæ pacis extenſurus es, aut quibus es certis limitibus circum-“
ſcripturus? An non, etiam ſi nos hoc auitum regnum, hoc natale noſtrum ſolum“
ac ſolium inuaſurus obſiſtamus, eo vsque proferes querimoniam? & hanc nobis“

 legem

**** Intelligit Franciſcum Sfortiam III. qui Franciſci Sfortiæ I. nepos erat. Cur autem ipſum a calone ortum dicat, ex Iouii vita Magni Sfortiæ, qui pater erat Franciſci Sfortiæ I. cap. II. patet. vbi natales iſtius Mutii Attenduli deſcribit, dicens: *non defuere, qui dicerent, ſed in gratiam Braccianæ factionis, vt Sfortianis demum principibus nouitas generis obiectaretur: Sfortiam paterno in agro ita operis præfuiſſe, vt & ſua manu faciundo operi vomeres, & ligones ſtrenue tractaret, quod vel ob id inuidioſe confictum videtur, quoniam tredecim annorum puer in Boldrini caſtra conceſſerit, neque inde redierit, niſi equeſtris ordinis miles. Sed iucundo prorſus mendacio fabulæ fidem fecit perennis fama, quæ manauit ad poſteros. Ferunt enim, quum agrum foderet, duro labore fatigatum, ab ea indignitate operis ſuſpexiſſe in cœlum & de tota vita fortunæ vota ſuſcepiſſe, ea ſorte precatum Deos, vt vota bene verterent; vibraſſeque protinus ligonem in præaltam quercum, vt credi par eſt, antiquitus Marti conſecratam, eo animi decreto, vt ſi decideret, cum æquiſſime ad perpetuum laborem eſſet reſumpturus; at ſi ramis hæſiſſet caſtra continuo ſequeretur. Verum Marti ligonem Fortuna appendit, vt fatis viam aperiret. Gloriabatur hac fabula Franciſcus pronepos, quod vel ob id familia nomen nequaquam antiquæ nobilitatis; ſed ſpectatæ virtutis auſpicio niteretur: adeo, vt quum mihi humaniter arcem ab excellenti munitione ſtructuraque toto orbe longe clariſſimam, armamentariis patefactis oſtendi iuſſiſſet, conuerſus læto ore & hanc inquit: P. Iouii, quam miraris, & hoc Imperium quo potimur, ab illo ligone habemus, quum felici noſtra ſorte in arborem a proauo contortus, fatalique ramuſculo ſuſpenſus minime decidiſſet. Vnde & illud Pontani in defunctos intemperanter genuinum dentem exercentis, quum dixit: Dux ab aratro Sfortia. Quaſi non in ſumma gloria ſit, aut certe diſpudeat C. Marii exemplo ex aratore Imperatorem euaſiſſe.* Prout autem hæc fabula a Sfortiarum hoſtibus prolata, ab ipſo Iouio refutatur, ſic etiam Ioſephus Ripamontius, accuratus alias Hiſtoriæ Mediolanenſis Scriptor lib. V. p. 611. contrarium plane teſtatur, dum ait: *erat Franciſcus Sfortia Sfortiæ Attenduli filius, cui Attendulo, ſua virtus, & fortia facta apud Reges gratiam, opesque, & inde partem Imperii, propriosque exercitus & ipſum Sfortiæ nomen muneri. Antea, Iacobus, ſiue Mutiolus fuerat: parentesque eius, Ioannes & Eliſia inter Cotoniolæ fines honeſti, præſagium accepiſſe ferebantur, fore, vt depoſito, quod ipſi impoſuerant nomine, proles ea nomen aſſumeret aliud quod fieret familiæ cognomentum & late noſcitaretur.* Hoc autem certum, Franciſcum Sfortiam I. auum Franciſci III. ex Luzia Trezania, Mutii Attenduli concubina, quam tamen vxoris loco habuit fuiſſe prognatum, prout ex Iouio diſcimus, vita Magni Sfortiæ *Cap. LXIII.* Franciſcus Sfortias I. vero Blancam, Philippi Galeatii, Mediolanenſis Ducis, ſpuriam habuiſſe in matrimonio, ex quo prognatus Franciſcus II. Imhof *Hiſt. Hiſpaniæ atque Italiæ Geneal. p. 220. ſqq.*

legem proſtitues,tibi vt quantum accipere libuerit cedamus,alioqui pacis, alioqui“
reip. alioqui religionis proditores, Turcarum, hæreticorum, impiorum, nefario-“
rum,& fanaticorum omnium fautores, euocatores, authores habeamur. Ad hanc,“
amice optime,liberorum regiorum expoſtulationem,quid obſecro reſpondereCæſar
poſſit, quod apud æquum vllum iudicem valere, aut grauiſſimæ expoſtulationis
huius aciem poſſit vllo pacto retundere? An non, ſiqui erunt (vti certe erunt)
æqui rerum æſtimatores, perpenſuri ſunt diligentius quidnam olim Francorum re-
ges Chriſtianæ præſtiterint reipublicæ vt Romani Imperii dignitas ad Germanos
primum per Carolum Magnum gentilem eum quidem veſtrum,ſed tamen & Fran-
cum & Francorum Regem inuecta, ac per eum & poſteros eius aucta atque exor-
nata fuerit, vtque per ipſos eosdem Reges noſtros Imperio veſtro acceſſerint tam
multa, quæ prius ad eos vel publice Regio, vel priuatim hæreditario iure pertine-
rent: plane vt multo ſit futurum longius, quæ ab illis, quam quæ aliunde, Impe-
rio accreuerint numerando percenſere. Contra vero Auſtrianos iſtos ab Impe-
rio, non ab Auſtrianis Imperium creuiſſe facile perſpicient. An non hoc quoque
putas exiſtimaturos, Auſtrianam familiam ea hodie de Francorum ditione poſſide-
re,quibus maxime in hoc eluctata eſt & peruenit quo nunc eam videmus faſtigium?
Profecto, vir amice,recte hæc expendentes tanta iſta iniquitas, ne dicam crudelitas,
in Regios adoleſcentes, hac generis nobilitate, hoc ætatis flore plauſibili, hac inno-
centia erga omnes,tamque decentibus hanc dignitatem moribus, magnopere debet
commouere: quodque præter hanc adeo violentam hæreditatis eorum auerſionem,
ipſi quoniam de auxilio patrem appellent, pater quoniam eis pie faueat, tam in-
digne traducantur accerſanturque inuidioſiſſimo violatæ pacis ac proditæ fidei cri-
mine, impii præterea nefariique fauoris in Turcas idque ab eo qui præter affinitatis
& cognationis iura, tam multa debeat noſtræ Galliæ. Nam vnde Auſtrianis opu-
lentus ille, ac Regius comitatus Flandriæ? vnde Sequanorum, vnde Atrebatum,
vnde Hannoniæ, vnde Hollandiæ, & alii plerique principatus? Vides igitur quam
ſit facile non tantum accuſari aliquem, ſed apud rerum imperitos reum etiam per-
agi, dum delatori ſufficit accuſaſſe: atque modis omnibus (vt dicebam) prouide-
tur, ne apud quos reus conſtituitur, ad illos defenſio eius perueniat. Sed veri-
tas ipſa tamen cum diu calumniæ tenebris merſa delituit, emergit tandem aliunde
in lucem, atque erumpit: & quo maiore artificio ne in lucem prodiret depreſſa
fuerat,eo cum ſe prodit,ſicuti maiorem parit ei, qui ſit calumniam paſſus, gloriam,
ita grauiorem affert calumniatoribus inuidiam. Id quod ego in hac cauſa vſu ven-
turum confido, ſpero quidem certe. Age vero, concedat Rex accuſatoribus ſuis,
ſe ſuorum liberorum ad eorum fortunas & iam armis vendicandas flagitationibus,
non modo non defuturum, ſed nec etiam, niſi reſtitutis iis, finem bello ſe factu-
rum. Vter tandem pacem turbat? vter impetui Turcico viam ſternit? An qui res
fruſtra moribus repetitas, iuſto bello recuperare contendit? an potius qui negligit
pacem reipublicæ aliena reſtituendo redimere, imo vero ſua repetenti bellum in-
fert: nec ſi Turca in nos inuaderet, a ſententia ſit diſceſſurus ſua? Nam hic veſter
Imperator eo ipſe animo bellum intulit, & hoc ipſum auſus eſt apud ſummum
Pontificem publice conteſtari, non ab initio quidem belli, dum in promptu Regi
erat, in Italiam arma importare, & cum ipſe ad eludendum Regem conſilia pacis p.350.
ſimulabat: verum poſtquam reuocato Regio exercitu, ita ſe illum tenere implici-
tum iudicauit, nullum vt aufugiendi locum eſſe reliquum arbitraretur: hoc tum
(inquam) ipſum auſus eſt conteſtari; ſi vel omni collecto ſuorum exercituum ro-
bore, Turca bellum Chriſtianis inferret, nihil eſſe de bello Gallico ſe remiſſurum:
„hoc eſt, Chriſto audientes prouincias ſeſe proditurum potius, quam vt eum Re-
„gem non perderet, eam familiam non deleret, cuius fide ac virtute terribilior
„eſt, fuitque ſemper impiis nationibus Chriſtiana reſpublica & iuſtitia longe com-
mendacior. O digniſſimam vocem eo, qui ſe pro pace inter Chriſtianos compo-
nen-

nenda deuouere velle, qui pro pace redimenda ſua ſe permiſſurum aliis gloriatur. At vero nihil opus eſt neque ad componendam, neque ad redimendam pacem, vt vel mactandum ſe ipſe præbeat, vel de ſuo quicquam amittat: tantum aliena quæ per ſummam iniuriam detinet, iuſtis dominis reſtituat. Quod ſi Mediolani principatum, in quo præcipua videtur harum cauſa ſimultatum conſiſtere, ad Franciſcum Regem, aut liberos eius pertinere non exiſtimat; cur non ſubit ea de re cum ipſis iudicium commune clientum Imperii? Cur eos iudices reiicit, ad quos ea proprie cognitio pertinet? Nam ad Regem meum & liberos eius quod attinet, hoc ego confirmare tibi poſſum, eos non modo conſeſſum illum Principum Imperii diſceptatorem & recuperatorem non eſſe recuſaturos, verum hoc etiam vltro & vehementer quidem depoſcere. Qua de cauſa & hoc menſe Iulio, ſub naſcentis huius belli exordia, legationem qua petebant conuentum indici, ſibi Senatum dari, deque Mediolani cauſa diſceptari, ad principes illos decreuerant. Sed eorum Legatus a grauiſſimis & authoritate ſumma viris eſt monitus, ſibi extrema intentari, ſi vſpiam locorum apprehendi eum in Germania contingeret. Huc igitur veſtra, o Germani, recidit libertas? Hoc pati poteſtis? Hoc imperii eſt veſtri ferre, vt Legati tanti Regis, cuius maiores de Chriſtiana tota republica deque veſtro Imperio tam egregie ſunt meriti ius gentium apud vos, quo ſacroſanctum ſit legationis munus, requirant? & ſiqui ſunt qui ſanctum eſſe illud velint, vix audeant tamen Legatos ad ſe Regios admittere, & cum illis de re vlla communicare? Ac ne me putes, Amice optime, hæc falſo comminiſci, is Legatus cum per intentatas ſibi ab hoſte inſidias, peruenire non potuiſſet ad Septemuiros illos, Cæſareæ maieſtatis non conſtituendæ modo arbitros, ſed tuendæ quoque authores, literarum in ſubſidio, quantum in ſe fuit, ſupplere conatus eſt: quarum exemplar ab eo qui has tibi redditurus eſt accipies: quæ cum tuto vt perferrentur ad eorum vnum curauiſſet, qui ad collegas ſuos referret, eadem de re vt Senatus Regi ac liberis eius daretur, & ii ſemel vel ab infeſtatione Mediolanenſis agri, iure ac moribus ſummouerentur, vel ab omni vindicarentur iniuria: ita ſe res iam apud vos habebant, vt is princeps auſus non fuerit cum collegis ſuis communicare: tantum ſe ad Ferdinandum de re tota refere velle dixit, fratrem ſcilicet ipſius Cæſaris, a quo nihil illi quidem poſſunt in poſterum ex præteriti temporis comparatione, niſi vim atque iniuriam expectare. Sed iam ad Cæſarem redeo. Hic ſi quantum videri, tantum ex animo velit, quieti & paci prodeſſe & conſulere in publicum; cur non a ſuſpicione ſe remouet, aliud ſe priuatum ac proprium ſub obtentu pacis publicæ ſpectare interim atque moliri? Cur non ſatis illi eſt, eius pacis ad alios fructum, ad ſe gratiam peruenire? aut cur eiuſdem pacis, cum iis ſaltem, quibus eam tanti vult vendere, non aliquod emolumentum communicat? Cur illius de qua ſtatim ago, Chriſtianiſſimi Regis diuturnæ, atque ſine vllo in hunc diem exemplo memorabilis patientiæ, non aliquam habet rationem? Sed quid patientiæ dico? Imo vero tam liberalis officii, aut potius beneficii. Nam quo ego alio nomine hoc appellem, neſcio; quod cum pulcherrimam haberet Rex occaſionem, ſimul ſuas & liberorum opes vindicandi a tam indigno atque iniuſto occupatore Sfortia, ſimul pro ſumma indignitate & iniuria ex Legato ſuo inhumaniter caſo, * illum eundem vlciſcendi; quum præſertim ab optima ducatus eius primariorum hominum parte vltro inuocaretur, & exercitus in promptu illi eſſet, qui tum in Germania conſcriptus, reque feliciter & facile confecta, cuius cauſa conſcriptus fuerat, vltro ante quam dimitteretur, nomen illi deferebat, atque vt in id bellum authoraretur flagitabat: quum (inquam) ita Rex eſſet ab exercitu, ab re nu-

* Meruillius erat, quem a. 1513. ad Ducem legatum miſerat Franciſcus, cuius necem deſcribit Mart. Bellaius *Comment. lib. III, p. 134.*

re nummaria, ab ſociis, ab rebus omnibus, quæ ad bellum celeriter conficiendum p. 331. pertinent, paratiſſimus & inſtructiſſimus; tamen rogatus à Cæſare, tum expeditionem in Africam adornante, *ne quid moueret interim, aut nouaret in Italia*, morem gerere non recuſauit, atque omnium indigniſſimæ iniuriæ vltionem & dolorem diſſimulauit ac diſtulit, tantum ne moram conatibus Cæſaris vllam afferre velle videretur. Quanquam ego (vt ingenue ac vere loquar) neque illa ex Africana victoria, in qua mirifice adeo ſibi Cæſar placet, amplificatam aut illuſtratam eſſe religionem, neque latius quam antea prædicari Chriſtum video; tantum abeſt, tam plauſibiles triumphos inde agere debeamus. Nam quid noſtra intererat, a Turcane an ab Afro Machometana prædicetur in Africa ſuperſtitio? At expulſum e ſedibus ſuis Tunetis Regem Cæſar in regnum magnifice reſtituit: Sit illud ſane magnificum & imperatorium. at hoc magis magnificum & Imperatorium fuerat, pluris non feciſſe, Regem vt impium periculo atque ſanguine piorum vtilium Chriſtianæ reipublicæ militum imminutioneque Chriſtianarum virium in regnum reſtituerit, reſtitutioneque illius Solimanum in nos a Perſicis rebus, noſtro omnium communi periculo, ſuæ vnius ambitionis cauſa reuocaret, quam vt (quod etiam homines harum rerum inſolentes facile intelligere poſſunt) Chriſtianum Nauarræ Regem, regno ſuo per iniuriam eiectum, propterea quod ex ſtudio corrigendæ quaſique reformandæ Eccleſiæ, cum Francorum Rege Ludouico, & Maximiliano Cæſaris auo, ad cogendum Concilium conſenſiſſet, quo Eccleſiæ tentaretur neceſſaria illa (vt dixi) reformatio; aut Chriſtianiſſimum Galliarum Regem, & liberos eius, ampliſſimis patrimoniis fortuniſque per vim ſpoliatos, in ſua (quod poterat citra cædem & ſanguinem, & virium Chriſtianæ reipublicæ damnum & detrimentum) reſtituere. Sed coniunctas habere fortaſſe mauult rationes cum Machometanis Afris, quam Regibus Chriſtianis: cum interea tamen Franciſcum Regem, non minus falſo quam inuidioſe, quaſi communia habeat cum Turcarum Rege conſilia, criminetur. At hoc ego, quum ipſe verbo tantum arguat, nihil proferat, nihil literis, aut teſtimoniis probet, ſed inani & nugatoria quadam maleuolentia, criminis inſimulet, verbo duntaxat refellendum duco: tum quod accuſatoris ſit crimen probare: tum quod neminem eſſe tam profligato vel potius perdito deploratoque iudicio exiſtimem, qui præſertim in tanti re momenti, putet ſatis eſſe vt quis reus peragatur, temere accuſari, vel qui conuitiationi iſti fidem habeat. modo tamen meminerit, Regem eundem per literas & nuntios quinquaginta militum millia vt minimum per id temporis obtuliſſe, quo Viennam Turca cum exercitu obſideret, atque (vt dicebam nuper) ad Africanam expeditionem profecto Cæſare, tanta in occaſione atque gerendæ rei opportunitate, pedem domo non extuliſſe. Etenim ſi ſpem Franciſcus in Turcarum viribus poſuiſſet, tum certe pro recuperandis ſuis rebus, bellum potius ſuſcepiſſet, cum illi victore exercitu longe lateque dominabantur; quam vt in hoc diſtuliſſet tempus incommodum, quo Rex eorum Solimanus, præter quas in Africa & Germania clades accepit, toties in Perſide fuſus ac fugatus fertur, iam vt Cæſariani dictitent, non de inuadendis alienis, ſed de tutandis ſuis finibus, neceſſario capiendum illi eſſe conſilium. Et vero poterat tum quidem Rex, minore impendio ac periculo ſuo arma capeſſere, vt non duobus in locis disiunctiſſimis maximeque diuerſis, a potentiſſimis hoſtibus bellum vno eodemque tempore gereretur; tum ancipiti contentione diſtractus Cæſar, ad difficillimam de Imperio toto ac ſalute dimicationem vocaretur. At Legatos Franciſcus a Turca (inquiunt) accepit, atque ſuos ad eum viciſſim ipſe miſit. Ego vero facile patior, id accuſatorem obiicere, quod ego defenſor poſſim ſine periculo confiteri, & quod accuſatus nunquam neque criminoſum, neque diſſimulandum eſſe vobis iudicauit. Acceperunt item & miſerunt ipſi etiam Cæſar & Ferdinandus, vt mirum ſit quod licere ſibi putant, cur in alio reprehendi velint. Neque vero illi Legatos acceperunt tantummodo, verum-

verumetiam munitissimas in Peloponneso vrbes, quæ vt Christum Seruatorem liberius profiteri possent, sese vltro Cæsari dediderant, ipsi iidem Solimano Turcarum p. 352. Regi, vt aliquam ab eo bonam inirent gratiam, tradiderunt, aut potius prodiderunt. Quæ quidem postea tam immaniter a Solimano sunt habitæ, vt nemo satis vnquam earum deplorare possit & commiserari calamitatem. In quibus tamen ipsis vrbibus, poterant Christiani ad Græciam seruitute liberandam, appositissimam gerendo bello arcem constituere. Sed redeo ad Turcicam legationem. Dico igitur sæpe Solimanum cum Francis pacem, vt a quibus omnium maxime gens Turcica sibi semper timuerit, vehementius expetiuisse. Dico eundem Solimanum vt Christianissimum Regem aliquo sibi demereretur beneficio, atque pacem eo facilius impetraret, suppetias ei & captiuo, & mox datis obsidibus filiis liberato, etiam atque etiam obtulisse; ita vt neminem vnquam Rex infestiorem sibi habuisse videatur Cæsare, consanguineo suo, & cognato. Illud vero contenderim tam esse Regi gloriosum, quod in tantis rerum difficultatibus tam sæpe constitutus, alienorum a religione auxilia non admisit, quam est alteri cuidam (cuius ego nomini parco) ignominiosum, studiose ambiuisse, nec vt se in clientelam ille acciperet impetrasse, quin potius ab illo magnifice despectum fuisse atque reiectum. Quod si eo loco, quo Rex meus, Cæsar vester esset: atque is a quo tam indigne ac tot afficeretur iniuriis, tantopere istam illi coniunctionis Turcicæ mentionem exprobrando inculcaret: ipse interim & præteritis incommodis, & præsenti periculo, & publica tam potentis aduersarii professione premerentur: a cæteris vero Christianis principibus se videret derelictum, ac veluti prædæ expositum: vel nescio, vel non dico, an ad superiores calamitates, ad alia præsentia pericula, tantum sibi hostem vellet, quantus est hic Solimanus, asciscere: quo pacato tamen vti promptum sibi esset atque expositum; idque maxime cum Abrahamus, Dauid, Salomon, Machabæi, & alii permulti sancti & religiosi duces, ab hoc fœderum genere non abhorruerint, non dico (inquam) an a Turcarum Rege tam liberaliter oblatas suppetias esset repudiaturus, qui non ignoret, iure Pontificio licere Christiano principi, sua per iniuriam ablata & occupata, si viribus suis nequeat, impiorum auxilio recuperare, vbi piorum illi auxilia denegentur. Vides itaque, Amice optime, quam hoc loco Regem meum traduxerint eleganter, cui cum id criminosum esse velint, quod illi tamen licuerit; id ipsum etiam quod affingunt, nemo falsum esse nesciat, qui res duntaxat istas mediocriter vnquam inuestigauerit. Verum hæc omitto, cum sit omnibus longe certissimum, nullam in orbe terrarum esse Regiam, ab hac suspicione tam alienam atque puram: vt quæ plures ab hostibus nostræ religionis triumphos numerat quam Reges: quorum regum & maiorum suorum vestigiis institisse semper hunc Franciscum Regem, etiam ipsos mea sententia, qui tam atrociter eum deferunt, si iurati dicerent, agnituros non dubito. Sed quoniam intelligunt, questum esse apud suos Solimanum, quod quum Ænobarbo suæ classis præfecto a Tunetanis euocato, ii in clientelam se illius dedissent, hunc postea insperato bello a Cæsare oppressum qui aduersus eum non pro religione bellum susceperit, quod solenne fuit priscis Imperatoribus: non pro tuenda vel amplificanda ditione, quorum altera semper omnibus, altera plerisque magno & excelso animo viris iusta belli gerendi occasio visa est: sed pro impio Rege, de se nihil merito, & fide fortasse Punica beneficium agnituro, proque sola vel gloriæ cupiditate, vel studio contentionis, quam videntur inter se de monarchia suscepisse, difficillimo tempore arma sumpserit: artificiose hoc disseminant, & quantum in se est, ante rei euentum, in aures imperitorum insinuant, vt si postea (quod est credibile futurum, & ipsi ad rationes suas & concilianda Cæsari publica Christianorum auxilia accommodatissimum esse putant) his duobus summis Christianorum principibus inter se pertinaciter conflictantibus, occasionem esse suam ratus Solimanus Rex (vt est magnanimus, gloriæ cupidus, in vindictam ardens, nec dum

adeo fractis viribus, vt nos fortassis eum esse comminiscimur) in Cæsaris ditionem impetum violenter faciat: hoc tum ipsi habeant iactum fundamentum, atque apud ignaros veri, & iam ante falsis auditionibus occupatos, verisimilitudinis ad incredulitatem argumentum: quo tum Regem traducentes, quasi ab eo sit Solimanus auxilii gratia in Christianos euocatus, ceterorum in eum Christianorum arma concitent. Neque alio consilio existimandi sunt persuasisse Cæsari, vt ea vteretur apud summum Pontificem publica testatione, cum auditu crudelissima, tum indignissima Christiani Cæsaris probitate ac virtute. At clamitant Cæsariani, visa fuisse in Africa tormenta * Francorum Regum insignibus insculpta, signaque militaria iisdem insignibus non pauca in Ænobarbi fuisse potestate. Hoc ego sicut verum- p.353.
ne sit, plane nescio: ita magnopere refutandum esse non arbitror. Nam triremes plus minus quindecim Andræas & Antonius Auriæ, vexillis, armis, tormentis, & remigibus Regiis instructissimas, a Rege ad Cæsarem deficientes ** abduxere: quarum ego aliquas cum omnibus suis impedimentis in Ænobarbi venisse potestatem intellexi. Quod si vt mihi renuntiatum est, ita contigit, neque tam in Regiis triremibus suo Cæsari seruandis, Auriæ diligentes fuerunt, quam in iisdem ab Rege ad Cæsarem furtim abducendis flagitiosi; non mirum est fuisse hoc tempore visa in Africa & vexilla & tormenta Gallica. quæ nonnunquam alias tamen, & olim, & hoc Rege, iisdem in locis fuisse visa constat: verum ad religionis nostræ illustrationem & amplificationem, & maiore siue fructu siue gloria, quam hoc tempore Cæsar intulerit.

Sed pene iam præterieram imprudens id, quod isti tam pertinaciter (vt scribis) inclamant, sese Regem ita in laqueos adductum & implicitum tenere, vt elabi nulla ratione possit, quin sit illi confitendum, se in Samarobrinense fœdus offendisse, atque Imperatori vestro iustam in se arma capiendi occasionem præbuisse, qui scilicet Huldarico Wirtembergæ Duci bellum aduersus Cæsarem suscepturo pecuniis suis affuerit. Aureis enim nummis Gallicis (quod negare nemo possit) eo in bello persolutum esse militi stipendium. Ego vero ne hoc loco Camarinam (vt aiunt) mouere cogar, ac Cæsaris male de Imperio meriti consilia detegere, maxime vellem contentos eos fuisse ipsa Regis mei super ea re defensione. Neque enim dissimulandum vobis esse duxit, pecunias ab se fuisse numeratas, sed pro montis Pellicardi Comitatu quem ex Huldarico Rex emerat. *** At quos in vsus venditori placuerit pecuniam ab emptore numeratam vertere, hoc vero non putauit sua vt percontaretur, interesse: quemadmodum neque venditoris, quo animo emptor, aut quem ad finem emerit.

Sed quoniam isti tam cupiunt esse diligentes, introspicere vt velint Regis mei non facta tantummodo, sed cogitationes etiam & consilia; ego sic vicissim illos rogare velim. Inter Galliarum Reges & hoc sacrosanctum Imperium, intercedit vetus defensionis mutuæ societas. Multo post initum est nouum fœdus inter hunc Galliæ Regem & Cæsarem, sed quo nec genere sit ipso, nec partibus, vlla ratione, antiquo illo fœderi derogatum, neque vt derogaretur, flagitare vester Impera-

* Testatur Io. Etropius *in Diario expeditionis Tunetanæ apud Schardium Tomo II. pag. 325.* quod non solum Galli Turcas de Cæsaris aduentu certiores reddiderint, sed etiam *p.331.* dicit, quod varia tormenta liliis insignita in arce Guletana fuerint reperta, addens: *non arbitror, neque alitis volatu, neque sinistro cantu occinis, neque tripudiis solistimis opus esse vt augureris, & diuines vnde tormenta illa eiusmodi notis & elogiis notata, allata, aut cuius iussu & impensis illinc fuerint fusa.*

** Causas huius defectionis enarrat Ant. Varillas *Hist. de François I. lib. VI. p.158. seqq.*

*** Sleidanus lib. IX. p.237. *Landgrauius Galliam petit, & agrum Mompelicartum regi pro certa pecuniæ summa, nomine Vlrichi Principis, oppignorat, ea lege, nisi intra tertium annum ille luat, vt tum sit regni Galliæ hæreditarius: præter eam pecuniam rex quoque mutuo se daturum promisit alteram summam, facta spe, non repetitum iri.*

perator debuit; eo ipſo appellatione imperatoria ſe indignum præbiturus. Imperator idem veſter, Huldarico Imperii cliente, ab ea paterna hæreditate deiecto, quæ tum propria & peculiari exceptione ſic addicta, & iam inde ab initio affecta erat illius gentilibus, vt iis ſuperſtitibus nequeat in aliam tranſire familiam: " tum eidem iſti veſtro Imperio ita eſt clientelæ iure obnoxia, vt extincta ea fami-" lia, ad Imperii ærarium, cuius beneficium eſt, redire debeat, neque pacto vllo mitti abalienariue poſſit: veſter (inquam) Imperator, Huldarico deturbato, eandem hæreditatem illius gentilibus (quod facere iuratus debuerat) non tradidit, quin potius, ſpreta iterum iuriſiurandi religione vſurpauit ac retinuit. imo vero ne non ſatis grauiter contempſiſſe iuſiurandum videretur, Imperii iure interuerſo, vel euerſo potius, vſurpatam ab eodem exemit, ac veluti emancipauit Imperio: vt iam nihil minus, cum tantus ſit imminutor Imperii, quam Auguſtus dici mereatur. Huldaricus igitur lauto illo atque amplo patrimonio ſuo ſpoliatus, Regem appellat ſuo & veſtri Imperii iure, vti ex fœderis antiqui formula non modo ſibi, quod non mediocrem quidem ad impellendum cauſam, ſed Imperio veſtro, quod maiorem multo vim habeat, opem ferre velit: neque patiatur opulentam prouinciam ærarii veſtri propriam, ab eo per iniuriam abalienari & diſtrahi. Finge nunc Cæſarem contra, ex nouo fœdere (per quod tamen illud vetus induci non potuit) obteſtari Regem, vt ne aduerſum ſe defendendam Imperii Romani authoritatem ſuſcipiat: alioqui præter fœdus facturum eum pronuntiare. Cedo hoc loco quemuis arbitrum. vincam equidem (vt ille ait) quocunque iudice, etiam curioſo illo inueſtigatore, Imperione an Imperatori morem gerere, antiquum publicum, an priuatum recens fœdus Rex debeat reſpicere. Vbi ad hoc ille mihi reſponderit, tum de facto Regis mei conſtituam, quid me oporteat reſpondere. Verum ego ipſum veſtrum Imperatorem hoc me onere liberaturum ſpero, imo etiam exiſtimo ipſius in Regem criminationi & conuitiis fuiſſe hoc accuſationis caput ab aliquo malitioſe additum, eoque de induſtria conſilio & ſtudio, vt huic anſam daret in Cæſarem aliquid dicendi: quod, vt facile credam, eo adducor magis, quod tam ipſe Cæſar quam etiam Ferdinandus ſuis aliquando literis, quarum ad me quoque exemplaria peruenerunt, ſicut vere, ingenue teſtati ſunt, fuiſſe omnino e re Germaniæ, ſua vt reſtitueretur Huldarico Wirtemberga. Quod ſi agnouerunt & ipſi, non eſt quare fraudi hoc eſſe Regi velint, ſi ad eius reſtitutionem Germaniæ quietis ac pacis cauſa conſenſerit.

p.354.

Subdis, & hoc nomine male audire Regem, quod Ducatum Burgundiæ, qui Cæſaris eſſe (vt inquiunt) hæreditario iure debeat, tanto iam tempore, ac tam iniuſte detineat. Sed hoc loco vt perſpicias quam frigida nitantur iſti, neque ſubſiſtente ratione, rem explicabo tibi fortaſſe non intellectam. Eudoni Duci Burgundiæ filia fuit vnica (ſi bene memini) Adella. Quæ cum Galliarum Regis filio nupſiſſet, is Ducatum Burgundiæ, velut vxorium ac dotalem Eudone mortuo ſtatim occupauit, & aliquot annos nullo intercedente pacatum tenuit, donec alter quidam extitit, eques ille quidem & nobilis, ſed peregrinus, neque admodum opibus aut viribus pollens, qui in ius eum vocarit, diſceptatoremque patrem eius Regem petierit: apud quem contendens cum dixiſſet, ad Burgundiæ Ducatum fœminas non admitti, ſe vero ab antiquis eius gentis Ducibus, idque haudquaquam intermiſſa maſculorum ſerie progenitum: permiſſa eſt cauſa parium Franciæ iudicio, qui ſunt in regno noſtro principes duodecim, proxima ſecundum Regem ac velut pari (vnde & nomen traxerunt) in ſummarum diſceptatione rerum authoritate præditi. quibus cum cauſam ille probaſſet ſuam, re diligenter quæſita, hi expulſo Regis filio, ſecundum illum equitem pronuntiarunt, & Ducatum illi, accedente Regis ipſius authoritate, more maiorum vtendum fruendum tradiderunt: quo Ducatu & ipſe, & qui ab eo mares nati fuerunt, nullo ipſis poſtea controuerſiam faciente, potiti ſunt. Poſſem & alia in rem præſentem afferre huiuſmodi

modi exempla: sed hoc vnum existimo satis esse, vt quod ab omni sit corruptorum iudiciorum suspicione tutum: verisimile cum sit, iudices illos facilius a ciue suo prædiuite, Regis filio, quam a peregrino tenui, atque ab amicis inopi corrumpi gratia, pecuniis, metu posuisse. Hoc ego inquam vno exemplo satis constare arbitror, non potuisse Cæsarem eius Ducatus hæreditatem assequi, cuius pater Philippus, filius fuerit Mariæ Caroli filiæ: ad quam peruenire Ducatus superiore illo iure minime potuerit. Vnde autem is Ducatus ad Philippum alterum, in hac familia primum Burgundiæ Ducem, & Caroli, quo de agitur, abauum, peruenerit: & quanto Rex Carolus quintus eius frater studio, labore, familiaris & publicæ rei dispendio, quamque profusa & immodica liberalitate eas nuptias illi conciliarit, aut redemerit potius, ex quibus hodie Cæsar amplas illas & opulentas habet in Gallia Belgica & inferiore Germania prouincias, longum esset, neque hic necessarium dicere. Ego vero perquam lubens prætermitto, ne hanc velut ansam arripuisse de industria videar, declamandi hoc loco aduersus posterorum illius Philippi Ducis in benemeriti Caroli Regis posteros, ingrati animi conscientiam. Nam cum isti hoc etiam Regi meo crimen obiiciant male agnitæ, Cæsaris, primum in se, qui captiuus esset, deinde in liberos suos obsides, humanitatis & liberalitatis summæ: malo crimen istud diluere, quam vel recriminatione, vel (vt loquuntur hodie) culpæ compensatione, quodammodo crimen agnoscere. In quo ego, vt ignoscas, velim, siquid mihi vel iam exciderit, vel nunc dicturus sim, quod fortasse ab Imperatore vestro dictum nolis. In hac enim contentione, in quam tuæ me literæ adduxerunt: si quidem excusatum Regem meum volo (vti velle debeo) versari hoc in genere non possum absque accusatoris contumelia: verum adeo id modeste adhuc feci, & faciam, quantum rei patitur atrocitas, vt intelligas me nolentem esse pertractum in hoc argumenti genus, non studio atque affectatione descendisse. Tractauit (inquiunt) Cæsar Regem captum liberaliter atque humaniter. Ego vero si hoc vocatis humaniter hominem tractare, quod confecto bello, atque armis longissimo iam interuallo positis, non occiderit, quodque magno suo ex redemptione commodo dimittere, quam inedia pædoreque conficiendo **** simul redemptionis pretium amittere, simul famæ periculum subire maluerit (quorum vtrumque nullis vnquam Barbarorum tyrannis in mentem vt committerent venit) non diffitebor sane humaniter fuisse tractatum Regem a Cæsare. Sed cum
memoria ipse repeto, Cæsarem supra redemptionis pretium immanius (vt dice- p. 355.
bam nuper) quam quo antea Francorum Reges se ab hostibus Saracenis redemerint, amplissimis Regem patrimoniis spoliasse, ornamentis regni quamplurimis mulctauisse, atque alias adiecisse conditiones partim quæ ignominiosæ sint, partim quas ipse Rex præstare nec si debeat possit, nec si possit debeat, quasque nemo simul ac intellexit, non iniquas, vt reuera sunt, iudicauit: ego humaniter eum fuisse tractatum nego. Mitto, quod nec dimissurus erat, quamuis iniquis iis conditionibus, nisi medici quibus ægroti Regis cura a Cæsare ipso commissa erat, diligenter eum admonuissent, vix futurum vt Rex (etiam si ad tempus recreari videretur a morbo) plene tamen conualesceret, aut diuturnioris vitæ foret. Itaque summopere Carolum hortabantur omnes, qui consultum illius commodis volebant, vt acceptis obsidibus duobus liberis natu maximis, Regem ipsum dimitteret: qui si forte in vinculis moreretur, tum aliquod inde subiturus esset Cæsar famæ suæ periculum, tum omnis illi spes expectatæ prædæ peritura. Contra vero si liberatum Regem datis obsidibus liberis, e viuis excedere contingeret, tum alterum eius loco Regem: atque si etiam is moreretur, alterum item demortui loco substitutum

**** Guicciardinus *lib. XVI. f. 590.* Varillas *Hist. de François I. lib. V. p. m. 78.* Sic etiam Guicciardinus *lib. XVII. ab initio* dicit, quod Carolus coram legato Pontificis & Venetorum fuerit questus de Cæsaris inhumanitate, quam captiuus fieret expertus.

tutum habiturus Cæsar videretur. Quibus demum hortationibus motus ac persuasus est (vt tum ego ex Cæsarianis intellexi, qui hoc palam dictionibus valetudinarium vnum permutaret, qui & ipse si conualesceret, nihilominus pro filiorum quam pro sua ipsius liberatione ac salute, pro paterno animo humanique ingenii sensu solicitus semper foret. Habes igitur qua vsus sit Cæsar in captiuum Regem humanitate atque liberalitate. Cui si consilii illius in mentem venisset,quod Samnitum Imperatori senem patrem dedisse Liuius tradit, intellexisset inter clementiam & crudelitatem quæri medium non debere. Iam erga Regis liberos vt se gesserit, intellige. Optimates viros & matronas aliquot nobiles, qui formandæ ac dirigendæ illorum ætati traditi erant, atque ipsum etiam eorum pædagogum a quo literis instituebantur, procul ab illis amandauit, cæteros omnes minoris authoritatis ministros, & in iis plerosque non ignobiles, quibuscum in Hispaniam accepta fide publica venerant, a famulatu illorum per vim atque iniuriam abstractos, contraque ius gentium ferreis compedibus & catenis vinctos in triremium suarum dedidit remigia: audio etiam minimum absuisse, quin & pumilionem abstraherent, quem vnicum apud illos Gallum hominem reliquerunt: eum (vti fertur) quod vix cubitalem excederet altitudinem, remo trahendo imparem fore arbitrantes. Eos cum in triremibus durissima quæcunque & indignissima diu passos, saltem pretio pro dominorum suorum liberatione persoluto, vna liberari decuisset: idque vt fieret, cautum fuisset ex fœderis formula: tamen rogatus Cæsar, & per nobilem virum eius rei causa illuc a Rege missum appellatus, non dimisit: neque aliud causatus interim esse dicitur, quam triremes suas, si tum eos dimisisset, ab remigum penuaria adduci posse in periculum: quasi vero non honestius fuisset mercenarios conducere, quam hanc ipsis tam insignem iniuriam facere. Verum eæ triremes, quibus miseri illi, non vt Regiorum liberorum ministros decuit, sed vt noxæ dedititii, transtris alligati vehebantur, a piratis Mauris captæ sunt, & illi ipsi ex Christianorum vinculis, in Maurorum inciderunt manus: apud quos fœde quidam perierunt quidam adhuc miserabiliorem morte vitam trahunt, procul a parentum, ab vxorum, a liberorum suorum complexibus. quibus fœlicius cecidit, ii Tunete oppido a Cæsare capto, sese in Galliam semiuiui, atque stipem emendicantes receperunt: nę quadrante quidem a Cæsare (cuius per iniuriam tam indigna passi erant) quo se domum reciperent, subleuati. Hæc est illa, quam adeo magnifice Cæsariani iactant, Cæsaris humanitas: nisi hoc addere forte velint, atque humanitatis loco ponere, quod serenissimam nostram Reginam sororum eius natu maximam, quæ nec bello capta, nec alioqui obses erat, multos annos vi tenuerunt, ne se ad Regem virum suum optatissimum reciperet.

Respondi meo iudicio ad omnia literarum tuarum capita: sed hæc velim tibi tantum, non vniuersis esse scripta existimes: quod hæc mihi a Rege meo demandata non sit prouincia: per quem ego quidem plenius edocere atque instrui tota de re potuissem. Quicquid tamen, Amice optime, his literis tibi exposui, ita mihi Deum esse propitium velim, quemadmodum bona fide, vt se habent omnia, exposui: in quo ego te fidem mihi habiturum haud dubito, vt quem adhuc nulla in re vanum esse deprehenderis.

p. 356.

XV.

EXEMPLVM RESPONSIONIS CHRISTIANISS. GALLIARVM REGIS, AD ORATIONEM, QVA CÆSAR IN EVM ROMÆ INVECTVS EST, LATINITATE DONATVM, IN GRATIAM EORVM QVI GALLICE NON NOVERVNT.

Maxime vellem, Beatissime Pater, amplissimi Cardinales, & diuersarum gentium clarissimi Legati, tum præsenti mihi adesse contigisset, quum istic Carolus

rolus Cæſar, quæ illi ſint rationes & cauſæ mecum, longa oratione vobis expoſuit. Commodius enim ad ſingula capita reſpondiſſem, neque ſuſpenſa, vt nunc, alterius tantum actione percepta, iudicia veſtra tenerentur. Sed quoniam id mihi per abſentiam non licuit, exiſtimaui mihi eſſe ſcripto ſatisfaciendum, ad ea duntaxat, in quibus honos meus agitur, & veritas inuoluitur ac tegitur: quo vos ipſa re vobis ante oculos propoſita, facilius in quo totum contineatur negotium, intelligatis. Quanquam idipſum quoque, quam mihi ſit futurum difficile, non ambigo: quod nec Cæſar Legatis apud ſe meis, illius ſuæ orationis exemplum tradere, nec Legatus eius, quæ de ſcripto recitauit, eorum deſcribendorum copiam facere voluerit. Itaque ad ea tantum reſpondebo, quæ vel ipſe memoriæ vtcunque commendaui, vel meorum ad me literis ſunt perſcripta. Sed me in his difficultatibus tuæ (Beatiſſime Pater) æquitatis rectiſſimique iudicii perſuaſio, & quam de illo veſtro ampliſſimo conſeſſu opinionem concepi, plane recreant ac reficiunt: magna vt me ſpes teneat fore, vt nudæ veritatis cauſa, etſi propter has difficultates iniquo in primis loco conſtituta, tamen aditum ad omnium & ſingulorum animos omnium affectuum vacuos inueniat. Ac ne diutius expectatione vos teneam; ſane Cæſar dum quæ a ſe faciunt, amplificare oratione, contra quæ a nobis aut ſubterfugere reticendo, aut obſcurare dicendo voluit; mihi eius quam texendam ſuſcepit hiſtoriæ dimidiam tantum partem attigiſſe viſus eſt; atque ex tota cauſa id, quod ſibi commodum eſſe iudicauit, elegiſſe. Ac primo quidem, dum ab eo exorditur loco, quod cum ego primum ad regni hæreditatem ſum vocatus, illuſtriſſimum virum Anaxonenſem ***** Comitem ad me miſerit, retinendæ confirmandæque inter nos amicitiæ gratia: ſimul meminiſſe debuit, ſe a nobis reiectum eo tempore fuiſſe, quo potiſſimum hæc amicitiæ inter nos conciliatio, magno ei futura erat (vti certe fuit) præſidio, vt ſcilicet (quod maxime omnium rerum cupiebat) e manibus ſe ſubduceret Margaritæ amitæ ſuæ, & ab aui ſui Maximiliani (qui tum eius tutelam inuiti & ingratis adminiſtrabat) poteſtate atque Imperio ereptum aſſereret. Atque dum adiicit (id quod ego etiam tum ex literis mei apud eum Oratoris intellexeram) ſe acceptis de victoria mea, deque Inſubrium receptione nuntiis, non minorem cepiſſe animo voluptatem, atque ex alia quacunque re fuiſſet accepturus: cur me ſperare non debuit, ſi par illi ſucceſſus contigiſſet, æque in ſe beneuolo futurum animo? qui quam illi eius rei memoria obſtrictum eſſe me ſentirem, nunquam præ me diſſimulanter tuli. Magis autem miror ſubiecisſe illum, ſe quum ab auo ſuo Maximiliano vrgeretur, vt dum ego Inſubrico bello implicitus eram, aliunde mihi bellum inferret, morem ei tamen in gratiam meam non geſſiſſe: quaſi vero neſciat, obligatum ſe iuriſiurandi atque exiſtimationis periculo, ne id aggrederentur, fuiſſe: vt taceam quod eodem ipſo illo tempore, ego egregiam illi, & ex animo nauabam operam: neque mihi prius eſſe conquieſcendum putaui; quam ille Hiſpanias omnes (quæ non adeo lubentes illum Regem accipiebant) dicto ſibi audientes habuerit. Nec cuiusquam ego præterquam ipſius vnius ſtare velim teſtimonio, quid tum ego, quid Legatus a me ita iuſſus, ex ipſius commodo vtilitateque ſuſceperit atque perfecerit: fauorque meus & coniunctionis noſtræ authoritas, quantum ipſius rebus opis atque incrementi attulerit. Addit ſubinde pacti ſibi cum altera filiarum mearum matrimonii mentionem. Ego vero perſancte me aſſeuero, cum ad me de obitu earum allatum eſt, non maiorem ex patrio ſenſu dolorem cepiſſe, quam quod ereptam mihi hanc videbam arctioris cum illo amicitiæ conciliationem. At cum ſubdit, eo tempore quo ego & ille ad Imperii dignitatem vna vterque aſpiraremus, ſubortam p. 357.

***** Intelligit Henricum Naſſouiæ Comitem, quem vna cum Michaele Croiiaco ad Franciſcum miſit ad fœdus concludendum Fugger *Spec. Hon. lib. VI. c. XVII. p. 1315.*

ortam primum inter nos fuiſſe quandam veluti zelotypiam & ſimultates ſubinde natas: quanquam ego tamen eius apud me Legato ſæpenumero profeſſus eram, me perinde hanc bonorum petitionem exiſtimare, atque ſi eaſdem vterque nuptias ambiremus: me adeo (vtcunque res caſura eſſet) in eadem velle cum ipſo amicitia integra inuiolataque permanere. Ego proculdubio iis me verbis apud eius Oratorem vſum eſſe non negabo: neque tum certe orationi meæ voluntas non conſentiebat. Quod vero queritur, vbi Cæſar fuit renuntiatus, me obſides ab ſe flagitaſſe, non contentum ad amicitiæ noſtræ firmamentum ſuperioribus fœderum vinculis: adhæc nouam ſibi matrimonii mentionem cum Renata meæ vxoris ſorores inieciſſe. Agnoſco equidem omnes a me initas eſſe rationes, vt hæc nobis amicitia ſancta eſſe poſſet atque ſempiterna. Atque adeo, ſi cum filiarum mearum natu maiore mihi fato erepta, altera tam tenera ætate eſſet, vt nuptiarum expectatio diuturnior eſſet futura: ego nihil mihi humanarum rerum peius agendum eſſe iudicaui, quam de renouanda (nam ea res noua * non erat) cum Renata matrimonii mentione: perſpicuum eo ipſo facere Carolo volui, me quacunque fieri poſſet ratione, retinendæ eius amicitiæ ſtudioſiſſimum fuiſſe. Nec alio ſpectauit, quam hic ipſe obiectat, obſidum efflagitatio. Etenim quod annua centena ſolatorum nummûm aureorum millia, ** quæ mihi Neapolitani regni ergo ex fœdere pactus erat, diu ſoluere differebat: ego ne concidente fide ob dilatam multorum annorum penſionem, amicitiæ quicquam decederet, obſides aut potius prædes eſſe mihi flagitandos duxi. Quos vtique petiturus non eram, ſi ad conſtitutam diem mihi Carolus nomen diſſoluiſſet. Cuius procraſtinatio tametſi paulo mihi diuturnior viſa eſt, non adeo tamen ex ea commotus ſum, vt (quod ipſe quiritatur ego vel in Germania quenquam aduerſus eum per Legatum meum ſolicitauerim, vel Robertum Marchianum vlla ratione in eum concitauerim. Mandaueram equidem Legato meo, vt ſacri Romani Imperii ordines, quibuscum me tum peruetus amicitia, tum principatus Mediolani ratio, ſociarat, per occaſionem mihi ſalutaret, meque oſtenderet non ignarum eſſe, quænam mea eſſe deberet & cum illis ſocietas, & erga illud ipſum ſacroſanctum Romanum Imperium obſeruantia. Et Legatus quidem ille meus in comitatu etiamnum agens meo, ſanctiſſime deierat, ſe præterea nihil quicquam in Germania molitum eſſe. Quod ſi ſecus feciſſe conuincatur, proculdubio nec volente, nec ſciente me, nec impune laturus id fecerit. In Robertum autem ego Caroli Oratori etiam auxilium, ſi rogarer, ex fœdere me laturum obtuli: & militem quem Robertus in regno meo inſciente me conſcripſerat, ſtatim vbi ad aures meas permanauit, grauiſſimis edictis reuocaui: nec id ſine magno Roberti incommodo, qui præter ſpem ab eo milite nudatus, haud ignobiles arces non ita multo poſt vi ac deditione captas amiſit. Nauarrorum autem Regi Henrico, quod tulerim ſuppetias, mihi hoc criminoſum eſſe minime poteſt. Etenim iis fœderibus quæ Carolo mecum intercedebant, accurate hoc exceptum erat; niſi certo præ-" finito

* Tractatus enim de ineundo cum Renata, Ludouici XII. altera filia; matrimonio, iam concluſi Nouioduni die XXIV. Martii 1514. & continentur in Recueil des Traittes' de Paix *Tom. II. p. 47.* Sed noui Tractatus d. XVI. Auguſti 1516. fuerunt ſignati, quibus, relicta Renata, matrimonium cum Ludouica, Franciſci I. & Claudii filia, tum temporis vnica, ſeu natu maiore, fuit concluſum, vti Tractatus Pacis reperiuntur in Recueil des Traittes' de Paix *Tom. II. p. 69.*

** Ita enim dicto fœdere Nouiodunenſi pactum, vt Carolus Neapolitanum regnum dotis loco, ob matrimonium cum Ludouica poſſideret, ita tamen, vt vſque ad matrimonii conſummationem, centum millia aureorum nummum, quotannis Gallo penderet, Recueil des Traittes' de Paix *Tom. III. pag. 72.* Idem indicat Iouius *Hiſt. lib. XVIII. p. 902.* pactum, vt centum millia aureorum nummum quotannis Gallo penderet, vt eo tributi nomine aliquod Gallis Neapolitano regno ius eſſe videretur.

finito tempore, cum Henrico illi conueniret, ego quas alio ex fœdere Henrico de-" bebam ſuppetias, rogatus ferre poſſem: idque etiam fide in Carolum integra, &" inuiolatis quæ inter nos icta eſſent fœderibus. *** Itaque ſuppetias Henrico tuli," ſed Carolo præmonito: atque ita tuli, magis vt mihi verendum ſit, ne Henrici conqueſtio, quod ſerius, quam Caroli accuſatio, quod tulerim, improbitatis ſit maculam allatura. Quibus ex rebus, Beatiſſime Pater, voſque ampliſſimi Cardinales, & clariſſimi Legati, ſatis (mea quidem ſententia) intelligitis, nullius nos culpæ ex hoc priore bello affines dici aut haberi poſſe. De fœdere autem Madriliensi **** (quod vocant) apud Mantuam Carpetanorum icto, iam toties ac tam abunde a nobis dictum eſt, vt hic quicquam repetere ſuperuacaneum eſſe mi- p.358. hi videatur. Tantum hoc conſtanter affirmabo, virum bello captum (id quod apud omnes conſtat) ſi poſteaquam de redemptione pepigit, adhibita cuſtodia obſeruatur, liberandæ fidei, cum habita ei non fuerit, reum non eſſe: ego vero non modo toto itinere, ex quo id fœdus ictum fuit, ſed etiam ad Fontem rapidum, quo primum ex loco ſum dimiſſus, etiam maiore quam dum eſſem Mantuæ, præſidio ac diligentia obſeruabar, adeo vt obſtrictam illis fidem habuiſſe, qui diligentiæ ſuæ potius quam fidei meæ confidebant, nullo iure condemnari poſſim: imo libera fide atque ſine vlla obligatione me ad meos receperim. Quare quod addit Cæſar, fuiſſe ſibi antequam ego dimitterer iudicatum, ex me pleroſque audiuiſſe, non ſeruatum iri eius pacis & fœderis conditiones: equidem id me dixiſſe non diſſimulabo. Videbam enim eiuſmodi eſſe conditiones, quas ſeruare, neque ſi poteram debuiſſem, neque vt vellem, potuiſſem. At fœderis Italici ſocietas, ***** a qua ſibi Cæſar, vt liberos mihi meos reſtitueret, denuntiatum fuiſſe, inquit, eo contracta fuerat, vt per eam ipſe ad æquiores adduceretur conditiones, & pro redemptione mea contentus pecunia eſſe vellet. ******

Madriliense fœdus.

Lautrecanam vero expeditionem, ſicut omni aſſeueratione confirmo, ad liberandum captiuitate Pontificem initio ſuſceptam fuiſſe, ad quod maiorum meorum exempla me inuitabant: ita fateor me liberato eo, & Cæſare ita pertinaciter omnes recuſante conditiones, omnis vt ſpes pacis iam ſublata eſſet: opportunitatem hanc ex adornati iam exercitus occaſione amplexum fuiſſe. In quo bello ſi (quod obiectat Cæſar) occubuit Lautrecus Dux ſtrenuus, imo (quod diſſimulare nequeam) bona pars exercitus fœde periit; tamen negare non poterit, quin ſi Deo Optimo Maximo viſum fuiſſet, ita meum exercitum a peſtilenti clade, ſicut

*** Intelligit ſine dubio pactum Pariſienſe d. vltimo Martii 1514. concluſum, quod reperitur in Recueil *Tom. II. p.53.*

**** Intelligit Fœdus Madritenſe in arce Madritenſe die XIV. Ianuarii 1526. pacta Franciſci liberatione, concluſum, dum ipſum Madritum dicatur Mantua Carpetanorum. Sic etiam Hiſt. Captiu. Franciſci. *lib. III. §. II. abſoluta igitur pacis pactio Mantuæ Carpetanorum decimo quarto Ianuarii anno milleſimo quingenteſimo vigeſimo ſexto inter Carolum V. & Franciſc. Valeſium Franciæ Regem perpetuæ quidem gratia concordiæ, ſed ipſa male adeo fida, vt potius cauſa quemadmodum vlteriora teſtabuntur, cædium & denaſtationis.* Vid. etiam Franc. Belcarius *lib. XVIII. p.569.* Guicciardinus *lib. XVI. pag.586.* eam vocat Madrilii, arcem & Martinus Bellaius *lib. III. p. 85.*

***** Intelligit fœdus Clementinum inter Clementem & quoſdam Italiæ Status atque Franciſcum I. contra Carolum V. die XXII. Maii 1516. initum, quod reperitur in Recueil des Traittes' de Paix *Tom. II. p.124.*

****** De hac Sleidanus lib. VI. p.158. *Galliæ rex, vbi de capta Roma cognouit, inito fœdere cum Angliæ rege, validum mittit in Italiam exercitum, Lautrecho Aquitano duce, vt pontificem liberaret. Is cum in Inſubriam veniſſet, adiutus a Venetis, Alexandriam, deinde Papiam partim compoſitione, partim vi capit, & furente milite propter captum ibi regem, poſt ingentem oppidanorum ſtragem diripit.* Latius vero hanc expeditionem deſcripſerunt Guicciardinus *lib. XIX. p. 694. 695.* Matt. Bellaius *lib. III. p. 101.* Varillas *lib. VI. p. 135. ſqq.*

sicut ab hostium vi adhuc fecerat, defendere: alio atque inclinauerit, rem omnino inclinaturam fuisse. Porro Samarobrinensis conuentus indictus cum fuisset, ******* ad ea mitiganda quæ in Madriliensi pactione iniqua nimis, neque tolerabilia videbantur, non modo non remissum aliquantum & relaxatum est, sed iniquis conditionibus iniquiores etiam sunt adiectæ: quas ego tamen accipere sum coactus, quod me tæderet indignæ ac diuturnæ liberorum captiuitatis, quorum calamitas ex dulcissima commendatione naturæ, mea mihi calamitas esse videbatur. *Samarobrinensis conuentus.*

Quæ cum ita sint, nunquam vel in maximis rei gerendæ opportunitatibus, vt a pactione discederem, aut in eam quicquam offenderem, adductus sum: imo vero quo tempore Turcarum exercitus bellum in Austriam circumtulit (ad cuius me rei mentionem Cæsar reuocat) ego Balansono, qui ab eo missus catafractos equites, & pecuniarium a me flagitabat subsidium, quanquam de pecuniis quidem non assensi, quod nummularius non sim, a quo pecunias flagitare Cæsar debeat: cui tum satis esse oportuit, quod vicies centena millia nummûm aureorum a me recens accepisset: tamen obtuli liberaliter, quod maiores mei (quibus nihil vnquam est præscriptum, vbi de ipsorum aduersus hostem religionis ageretur officio) præstare sunt soliti, id me perlubentem esse Christianæ reipublicæ præstaturum: vt copias scilicet meas omnes (etsi multæ mihi tum proponebantur a bello quiescendi occasiones) tamen ipse præsens, vel ad tuendam Italiam, cui tum etiam Turca imminebat, vel alio quocunque rei postularet necessitas, educerem: ita tamen vt Cæsari nihilominus Principem ea in expeditione locum non grauarer ex officio cedere: ac ne suspectæ cuiquam essent vires meæ, potiorem exercitus mei numerum ex milite Germanico conscribere. Quo vocatus si fuissem, eo proculdubio descensurus eram apparatu, bonam vt partem eo ex bello accepturus fuerim vel gloriæ vel periculi. Iam quod attinet ad Bononiense fœdus, atque cædem Marauilliæ, mei apud Franciscum Sfortiam Legati; non video quare horum mentionem Cæsar hoc loco facere voluerit. Nam Bononiense quidem fœdus, quem ad finem ictum fuerit, plane omnes recordamini. At Marauilliæ cædes, etiam vt ille quicquam aliter molitus sit, atque illum decuerit, (id quod minime mihi persuadeo, certe nullum a me huiusmodi habuisse mandatum scio) tam indigna tamen fuit, tam sceleris & nefandi flagitii plena, vt antea nunquam existimauerim Sfortiæ factum istud a Cæsare probatum iri: qui quo amplius habet atque latius patens Imperium, eo plurium Legatorum opera, atque apud plures vt indigeat necesse est: p.359. quanquam (vt verum ingenue fatear) vbi me intellexi de tam immani scelere apud ipsum Cæsarem, affinem & fœderatum meum, Sfortiæ vero dominum, a quo tam atrocem acceperam iniuriam, frustra querimoniam detulisse, commotus sum sane: neque dissimulabo, nihil quicquam vnquam mihi accidisse tam improuisum ac inopinatum, quam hoc turpissimum Sfortiæ facinus, laudatorem Cæsarem habuisse. Quod subinde Cæsar obiectare ausus est, a me præter Samarobrinense fœdus, quædam aduersus se in Germania esse constituta atque inita consilia; maximeque bellum Wirtenbergicum meo ære fuisse gestum: profiteor hoc ego iterum, atque agnosco, me in Germaniam sæpenumero Legatos misisse: nam & ego & maiores mei, coniunctas semper habere voluimus cum Germanis Principibus & ciuitatibus rationes: nostra etiam memoria visum est, quamuis inter se nonnunquam Cæsares & Galliarum Reges bello contenderent, Germanicæ tamen & Gallicæ nationum amicitiam & societatem non ideo fuisse dissolutam. Tum a me pecunias esse Wirtembergæ Duci numeratas, nunquam ire inficias volui: ex quo a Duce Montis Pellicardi oppidum emeram, quod is tamen anno vertente (vt inter nos conuenerat) refusa pecunia redemit atque recepit, me non perlubente profecto, qui oppidum illud quam pecuniam mihi maluissem. In quos autem vsus ille pecuni-

Balansonus. *Marauillia.* *Montbeliard.*

******* Vide supra p. 411.

cuniam esset conuersurus, nunquam ad me pertinere vt sciscitarer, arbitratus sum. At hoc magis miror, non fuisse hoc loco a Cæsare prætermissum, (de quo ego quam honeste queri possit, non video) aliquot videlicet eius ex ditione bello a meis captos homines, diutius fuisse in triremibus asseruatos: simul enim meminisse illum oportuit, quam indigne meos triremium suarum addixisset remigiis, præter æquum & honestum, ac per summam iniuriam a liberorum meorum obsidum famulatu comitatuque vi abstractos simul suos quum fateatur ipse Cæsar statim meis a se missis per me quoque fuisse liberatos, ignorare non potuit, a se ipso moram fuisse, quominus ipse suos quoque maturius ex me reciperet. Quod adiicit, quosdam in se Principes Italiæ viros, a me fuisse per Dinteuillanum * sollicitatos: ego id mihi certe non facile persuaserim: etenim neque vllum a me Dinteuillanus mandatum ea de re acceperat, neque vllum mihi cum Cæsare bellum id temporis intercedebat. Quod si mihi aliquot insignes ex Italica nobilitate viri mereant, haud video quemadmodum Cæsar initorum in se consiliorum, aut violatorum fœderum insimulare me hoc obtentu possit. Qui si voluerit, dum tam creber est in commemoranda libertate Italiæ per se restituta, hoc interim Italicæ nobilitati iugum imponere, vt ab eo cum recesserint, nulli hominum dare nomen audeant; hoc certe fuerit libertatem eorum simulatione propugnationis expugnare, ac re ipsa seruitutem ementito nomine libertatis imponere. Atque vt iam ad Mediolani Principatum veniamus, sæpe mihi Cæsar per legatos ad me suos significauerat, nisi fidem ipse Francisco Sfortiæ iam obstrictam habuisset, eum se Principatum mihi omnino traditurum fuisse. Itaque mortuo Francisco, sublataque ea excusationis causa, quum venisse tempus viderem, deesse mihi ea in occasione nolui, misi qui eum principatum mihi a Cæsare repeterent: significauit ille sese vni ex filiis æquiore animo traditurum. Aureliorum Ducem nominaui, in quem vt ego potius quam in aliorum quemuis hunc transferri principatum cuperem, multæ me & magnæ rationes inuitabant: quas quoniam ego non ad regni mei pacificationem tantummodo, sed ad totius etiam Christianæ reipublicæ pacem, otium & quietem pertinere maxime arbitrabar, Cæsari commemorandas & explicandas curaui, etiam atque etiam rogans & obsecrans, vt quæ sua esset ea de re mens & cogitatio, mihi aperte atque ingenue indicare vellet: quemadmodum & ego mea omnia consilia candidissime, citraque omnem dissimulationem eius Oratori exposueram. Tandem post multas vltro citroque nuntiorum & literarum missitationes, Orator eius acceptis (vt aiebat) ea de re mandatis, mihi asseuerauit, postulatis esse meis assensum: tantum vt principatus eius vsufructu cederem, quem deberi mihi contendebam. Nolui hanc vnam vsusfructus controuersiam retinendæ inter nos amicitiæ moram vllam afferre. Cessi, renuntiaui, Cæsarem de animo ac sensu meo certiorem feci: plane vt iam nihil videam, quod pacem inter nos atque amicitiam impedire possit, modo quæ Legatus eius est pollicitus, ea duntaxat præstare Cæsar, & caueri sibi æquis tantum & honestis conditionibus p.360 velit: quemadmodum ipse quidem eo tempore, quo hæc inter nos tractabantur, se facturum affirmabat: quippe qui fateretur, si alias proponeret conditiones, satis signi se daturum, nolle omnino vt inter nos conueniat. Igitur dici non potest, per me stare, quo minus pax inter nos fiat, quum in easdem ipsas conditiones, quæ mihi sunt ab eius Legato propositæ, descenderim: a quibus ipse si discesserit, omnis pacis in eum neglectæ pacis culpa, nulla in me residebit. Ego enim retinendæ pacis tam sum & fui studiosus, vt etiam superiori tempore, quo nec mihi Cæsar nec liberis meis Mediolani principatum restituit, nihil aduersus eum molitus sim, imo quo tempore Turcicus exercitus in Austriam mouit, non modo a bello quieui, sed copias etiam meas (vt nunc dicebam) obtuli. Et cum Cæsar expe-

Mediolani Ducatus.

* Hunc Guil. Bellaius *lib. V. p.173.* Velium vocat.

expeditionem adornaret in Africam, ego, vt ipse voluit, cum omnibus pacem colui; & quod facere tum poteram, minore quam nunc obtinente Italiam Cæsare, impendio meo, & periculo, a repetendis & recuperandis meis abstinui: qua in re tuam in primis conscientiam, Paule Pontifex Maxime, implorare mihi libet. In cæteris vero omnibus, quæ ad Christianæ reipublicæ quietem & commoda pertinent, nulli concedere velim Christianorum Principum, vt ea maiore quam ego, prosequatur affectu ac studio: cuius mei instituti esse possunt indicia solida satis & expressa, Gallorum meorum mores ac disciplina. Quamobrem Beatissime Pater, vosque amplissimi Cardinales, & clarissimi Legati, ea omnibus nota patientia, qua mihi factas iniurias hucusque tuli, hæreditaria mea, & meorum filiorum bona tot iam annos me ferente per alios occupata; interdictum, nequid mei quod in re aut possessione Cæsaris esset, attingerent; copiarum mearum a Vercellis de medio quasi iam desponsæ ac destinatæ victoriæ cursu reuocatio, & statiuis in castris nequid tumultus excitaretur collocatio; constituendæ pacis amplissima & libera facultas Cardinali Lotharingio permissa; vsusfructus de quo memini cessio, satis declarant, pacene an bello recuperare nostra maluerim. Neque vero sanctitati tuæ mirum hoc loco videri debet, si quod sentio liberius profiteor. Nam si occupator alieni quiritari audet interim ac dolere; ego quid facere debeam, qui tam ampla patrimonia videam mihi ac liberis meis per iniuriam auferri, & nostra cum ignominia retineri? Quod vero ad Sabaudiæ Ducem pertinet, non video qua ille se tueri aut defendere ratione possit, apud quem toties expostulatum sit, a quo toties flagitatum, vt decidere iudicio mecum vellet, de iis rebus, & quas a maioribus suis nullo iure occupatas, meo damno possidebat, & quas hæreditario iure pertinere ad fœlicis memoriæ matrem meam ambigere non poterat. Quæ ipsa quidem mater mea dum viueret, sæpe ad eum certos viros repetitum sua quum miserit cum mandatis (vt sororem decebat) humanissimis: ego quoque ab ipsius morte viros meæ causæ peritissimos, quique vel disceptatoribus iis, qui sunt illi a consilio, eandem in iudicium deducerent legauerim, neque quicquam in legationibus tamdiu profecerimus; necessario mihi veniendum ad arma fuit. Qua in re vero nihil a me peccatum est in ea fœdera, quæ cum Cæsare mihi intercedunt: quibus etsi prohibeor, vt ne cum vllo Italiæ Principe aduersus illum consilia communicem: non video qua ratione bellum istud Allobrogicum ad se spectare Cæsar arbitretur, vel ad eam causam vllo modo pertinere: quum interim exercitus meus (vti nunc dicebam) nihil earum rerum prorsus attigerit, quas intellectum sit ab eo quo iure quaue iniuria possideri: atque vt ne id faceret, diligenter omnibus a me fuerit interdictum. Neque enim si fœdere Samarobrinensi Sabaudiæ Ducis mentio inter Cæsaris fœderatos iniecta est, continuo tamen earum rerum quas is ad me pertinentes occuparet, ius in eum esse translatum intelligo: quum nec eo in fœdere nomen eius, vt nobiscum transigentis, ascriptum sit: nec vox de rebus meis quæ ab illo tenebantur, vlla eo in conuentu emissa. Itaque fœderis eius tabulæ, me cessisse iure meo, nulla coarguere ratione possunt. Atqui ego & antea speraui semper, & nunc etiam spero fore, vt Carolus pro necessitudine affinitateque nostra, meam potius iure ac legibus nitentem, quam iniquam Sabaudiensis causam, sibi esse suscipiendam ducat. Quanquam hoc ego tamen video (id quod satis mirari non possum) cæterorum factum, qui & ipsi armis in Sabaudiensis bona inuaserint, a Cæsare non reprehendi: duntaxat reprehendi meum, qui cum illo sim maximis vinculis & propinquitatis & necessitudinis coniunctus: neque vendicare quicquam in quo perspicuum ius, & clarius ipsa luce non habeam, voluerim: neque nisi rite repetitis rebus arma ceperim. Atque adeo, Beatissime Pater, paratus sum Sanctitati tuæ, si hoc ita libuerit, rationes omnes meas ex tabulis authenticis comprobare: vt quæcunque dixerim, nihil omnino discrepare a vero intelligas. Quod si ille animum in-

Gallorum mores.

Sabaudiensis Controversia.

p. 361.

duxerit, mea reddere: vicisſim ego, ſi quid mei præterea occuparunt, non grauabor illi reſtituere. Iam quod Cæſar inquit, ſi de pacis inter nos retinendæ conditionibus conuenire non poſſit, e re atque commodo fore Chriſtianæ reipublicæ, noſtras vt controuerſias ſingulari certamine dirimamus: *** ego quum hactenus (ſi quis vitæ meæ ſplendori notam vllam allinere tentauerit) abunde mihi ſatisfeciſſe videar: & quum hæc duelli a Cæſare commemoratio, voluntatis tantum declaratio, non etiam prouocatio eſſe videatur, aut decoris atque honeſtatis noſtræ oppugnatio; ego (inquam) breuiores eſſe noſtros enſes, quam vt tanto interuallo diſiuncti congrediamur, exiſtimo. Quod ſi nos propius occaſio aliqua ſtiterit (id quod mihi credibile eſt futurum, ſi res ad arma redierit) atque ſi tum Cæſar eandem retineat, quam nunc ſe habere oſtendit, decertandi mecum voluntatem: meque tum ipſe ad certamen prouocare velit: non recuſo, quin ſi exiſtimationis meæ defenſioni defuero, probi me atque graues viri inter profligatæ famæ homines repudient. id quod mihi tamen acerbius multo futurum eſſet, quam cum illo ſingulariter armis decertare, formidoloſius. Quod ſubinde declarauit, neque a ſe quicquam accuſandi, aut ſugillandi mei cauſa dictum, neque dicta ſua velle a quoquam ita accipi, quaſi ſpe pacis omni ſublata, iam claſſicum veluti cecinerit: ego vero non minimam ex ea re voluptatem me cepiſſe profiteor. Hæc ſunt porro Beatiſſime Pater, ampliſſimi Cardinales, & clariſſimi Legati, quæ apud vos commemorare volui, non accuſatorie id quidem, aut lædendi cuiuſpiam animo, ſed pugnandi mei cauſa: vt omnes intelligant quam ego in publicæ pacis ſtudia & commoda reipublicæ propenſa ſim voluntate: perſpiciantque omnes ad arma cum Cæſare deueniendi culpam, ſicut a me adhue abfuiſſe, ita ſemper abfuturam: id quod omnes ſine vlla dubitatione iudicaturos ſpero, & confido, quicunque ſecum accurate reputauerint: ad quas ego me continendæ pacis ſtudio demiſerim conditiones.

XVI.

ORATIO DE SENTENTIA CHRISTIANISSIMI REGIS, SCRIPTA AD SERENISSIMOS, REVERENDISSIMOS, ILLVSTRISSIMOS, EXCELLENTISSIMOS, MAGNIFICOS, SPECTABILES VIROS, VNIVERSOSQVE SACRI IMPERII ORDINES SPIRÆ CONVENTVM AGENTES, ANNO MDXLIII. p.361.

IOHANNES CARDINALIS BELLAIVS EPISCOP. PARISIENSIS, FRANCISCVS OLIVARIVS IN SENATV PARISIENSI PRÆSIDENS, ET AFRICANVS MALLEIVS BALLIVVS DIVIONENSIS, LEGATI REGIS CHRISTIANISSIMI, SERENISSIMIS, REVERENDISSIMIS, ILLVSTRISSIMIS EXCELLENTISSIMIS, MAGNIFICIS, SPECTABILIBVS VIRIS, VNIVERSISQVE SACRI IMPERII ORDINIBVS SPIRÆ CONVENTVM AGENTIBVS S.

Vtinam, Ampliſſimi ordines, non tam valuiſſet quorundam in iſto Germaniæ longe frequentiſſimo conuentu authoritas, vt quæ a Rege & nomine & reipſa Chriſtianiſſimo ad vos mandata de ſumma Republica habebamus, ea perferre inaudita vt quadam, & more inter homines maxime barbaros, nedum Chriſtianos, nunquam antea

*** De Franciſci prouocatione ad duellum plenius egi in *Synt. Hiſt. Germ. diſſ. XXXII. §. XXXI.*

antea recepto prohibiti essemus. Nisi enim vestram aliquorum humanitatem illorum acerbitas, vestram modestiam eorum impotentia superauisset: eratis profecto ea de iis malis, quæ hoc tempore vniuersum terrarum orbem complectuntur, paruo temporis momento de vobis audituri, quæ neque pronunciata a nobis esse, neque a vobis suo tempore intellecta, erit aliquando (nisi nos Dei bonitas respexerit) non vobis modo ipsis, quibus natura non eandem concessit ætatis & animorum æternitatem, non vestris liberis ac nepotibus, sed nostris quoque, sed omni Christianorum posteritati maxime dolendum. Nos certe quos cum Reipublicæ charitas, tum Regis obseruantia, communis huius vitæ rationem habere prohibuerat, effeceratque, vt omni posthabito periculo per infestos hostium gladios, atque insidias ad vestros vsque fines, ipsumque prope conspectum perrumperemus, vestra freti æquitate videlicet, vestraque veteri illa cum germanitate, tum libertate: quid nunc ab amicis & fœderatis exclusi, quid nostra omni de vobis spe deiecti moliamur, quid capiamus consilii, non satis perspicimus: præsertim quum & insperato nos id malum perculerit (quis enim hoc aut sperare vnquam potuit, aut vlla ratione prouidere?) & explorandæ in tam acerbo nuntio Regiæ voluntatis facultatem hinc temporis angustia nobis ademerit, inde hostium iniuria per summum nefas eripuerit, qui & vias circunquaque omneis obsident, & nos ipsos his mœnibus quibus continemur, pedem efferre non sinunt. Quid, quod ipse caduceator & sanctus & pacificus, qui Regis nomine literas cum Cæsari tum vobis ipsis redditum iuerat, quibus literis aditus nobis ad vestrum conspectum quæreretur, ab iis qui vestræ libertatis sese studiosos prædicant, sic est acceptus, quasi patriam vestram non recreatum, sed inflammatum venisset? Quasi vero non satis esset, tot itineris pericula vestra inprimis causa, hoc est vestræ quietis, vestræque salutis curandæ gratia, eum adiisse, nisi post blandas supplicesque appellationes, vix tandem cum incredibili minarum acerbita-
p.363. te, cum crebra carnificis ac supplicii ostentatione, denique cum atrocissimo responso, tremens ac prope ex animis dimitteretur. Ne tamen hac rerum difficultate animum despondisse videremur, causamque vel priuatam Regis ipsius, quæ nobis apud vos credita fuerat, prodidisse; vel vestram etiam, quam præcipue tractaturi eramus, deseruisse: nobis omnia animo lustrantibus illud tandem venit in mentem, quod viros olim sapientissimos fecisse legimus, quum e ciuitate, de qua erant optime meriti, eiicerentur: vt quæ suis ciuibus de Republica propter inimicorum impotentiam coram exponere prohiberentur, ea ad ipsos quoquo modo peruenire curarent. Ita quæ vobis coram exposituri eramus, eo consilio vt inde ad ampliora quædam (si res ita tulisset) aditus patefieret: ea dedimus operam vt verbis iisdem, quibus concepta a nobis fuerant, ad vos, si fieri vllo modo posset, perferrentur. Tametsi non nesciremus, vel rerum ipsarum argumenta, vel res ac sententias ipsas nouis quibusdam & paulo breuioribus commentariis facilius nos complecti potuisse. Verum ab ea nos cogitatione illud auertit, quod ne hac quidem parte voluimus aduersariorum patere insidiis: quo verbo quid significemus, diuinare perfacile potestis, qui istorum morum & ingenia iam estis pridem maximis vestris incommodis experti. Nudam igitur ipsam orationem atque simplicem, qualem de Regis Christianissimi mente desumptam adferebamus, visum est ad vos mittere: tantumque in ea mittenda interponere temporis, quantum sibi ad eam describendam librarius minime piger depoposcisset. Sic enim denique aduersariis omnem calumniandi viam præclusisse videbimur: qui si iactauerint, confictam eam derepente fuisse, & ad nostras rationes accommodatam; facile cum summis nostri temporis angustiis, tum grauissimis amplissimorum virorum testimoniis refelli poterunt. Ad huius autem sensum orationis (si quidem oratio appellanda est, simplex & minime fucata rerum expositio) si illam ingeniorum aciem quæ in plerisque vestrum summa elucescit, acriter intenderitis, facile & earum calamitatum, quæ Rempublicam hodie vexant imago sese vobis subiecerit; & Regis Christianissimi ad eas depellendas egregia quædam & prope diuina voluntas apparuerit. Quam ipsam quandoquidem vt ex animi ipsius sententia vobis coram exponamus, nulla possumus ratione impetrare: officii no-

ſtri eſſe duximus, cum in ipſum Regem, tum in vniuerſam Rempublicam teſtatum hic vobis quocunque licuit modo relinquere, nihil eum quod vel ad veſtram ſalutem pertineret, vel ad communem Chriſtiani nominis quietem, prætermittere voluiſſe. Deum Optimum Maximum quæſumus, Ampliſſimi ordines, vt veſtris animis ea conſilia, eas cogitationes inſpiret, ſic vniuerſæ Reipublicæ ſalutares, vt ea incolumi & honeſtiſſima (quod hoc rerum ſtatu minime nobis ſperandum eſt) quam diutiſſime frui vtrique poſſimus. Nantii, III. Non. Martii. M D XLIII.

XVI. p. 364.

LEGATORVM CHRISTIANISS. REGIS ORATIO SCRIPTA AD SERENISSIMOS, REVERENDISSIMOS, ILLVSTRISSIMOS, EXCELLENTISSIMOS, MAGNIFICOS, SPECTABILES VIROS, VNIVERSOSQVE SACRI IMPERII ORDINES SPIRÆ CONVENTVM AGENTES.

PEr incommode nobis accidit, Sereniſſimi, Reuerendiſſimi, Illuſtriſſimi, Magnifici, Spectabiles viri, quod quum a Francorum Rege miſſi eſſemus, de rebus maximis, & vobis Reique publicæ Chriſtianæ pernceſſariis apud vos verba facturi; acerbiſſimos de eius & erga Rempublicam & erga vos ipſos fide rumores, de quibus adhuc in itinere poſiti inaudieramus, poſtquam huc frequentes conueniſtis, plus apud quoſdam valere intelleximus, quam adhuc opinione percepiſſemus. Quod vulnus in eius cauſæ, quam tractaturi ſumus, viſcera receptum, dici non poteſt, quantam attulerit noſtris animis perturbationem. Nam quum permultæ res ſunt, quæ omnem Legatorum gratiam facile conuellant, hæc vere eſt potiſſima, quum pro eo dicendum eſt, qui de ſua exiſtimatione grauiter apud auditores laboret. Quare ab ipſo ſtatim exordio venia a vobis petenda eſt, Viri humaniſſimi, quod de noſtra oratione, hoc eſt de iis rebus, ad quarum narrationem nos de Regis Chriſtianiſſ. voluntate comparaueramus, partem aliquam reſecantes, ea ſubſtituere cogamur, quæ propria ſunt criminum excuſationi: illam autem quæ ſuperſit, ſed propius Reipublicæ rationes attingat, in ipſum orationis calcem reſeruemus. Vtrumque enim nobis imponere videtur, hinc amici vobis ante omnia reconciliandi ratio, inde veſtrarum occupationum, quibus tales Legatos non inſeruire turpe ſit, magnitudo. Neque vero id a vobis quoque eſt, Viri optimi, mediocriter petendum, vt quoniam nos, ita vt diximus, a noſtro & meditato orationis curſu ſubito depulſi, diuerſo argumento ad aliud quoddam, & prope extemporaneum dicendi genus neceſſario delapſi ſumus; vos ſi quid minus aut cultum ingenio, aut induſtria elaboratum huc attulerimus, eo libentius ignoſcatis, quod vt ſumma quadam dicendi facultate præditi eſſemus, qui intra mediocritatis laudem conſiſtimus, tamen in eas temporis anguſtias ſumus coniecti, quæ vel optimo cuique oratori ſint pertimeſcendæ. Id ſi a vobis pro veſtra humanitate, germanoque iſto animorum candore impetrauerimus, tum illud nos aſſequutum iri apud vos ipſos, quamuis aliorum præiudiciis occupatos, confidimus, vt ex noſtra oratione, & omnem de Rege amico, conſanguineo, vetuſtiſſimi fœderis iure vobis coniuncto, ſuſpicionis offenſionem facile deponatis, quod eſt hominibus Chriſtianis digniſſimum, & cum ad veſtri otii rationem, tum ad religionis conſtitutionem viam munire poſſitis, quod hoc tempore adprime vobis eſt neceſſarium. In his autem explicandis rebus, iiſque refellendis criminibus, quæ nos in Regis gratiam oportet refellere, quæcunque hic dixerimus, in eam partem quæſo accipiatis, vt non lædendi cauſa (neque enim quenquam noſtra ſponte læſuri ſumus) verum tuendæ eorum innocentiæ, qui a culpa longiſſime abſunt, ea nos

in

in medium attulisse existimetis, vtique quoties nobis tritum illud aduersariorum nomen in ore versabitur, ne illos (si quid forte erit acerbius) peti iudicetis, quos authoritas cum vestra, tum sua ipsorum ab omni contumelia vendicat: sed eos potius appellari, qui sinistræ cuiusque de Rege suspicionis authores illis fuere & huius, quam vobiscum execramur, Reipublicæ perturbationis. Qua in re si vobis paulum modo attentis beneuolisque vtemur, nemini obscurum esse poterit, vnde ægritudo illa quæ totum Reipublicæ Christianæ corpus occupauit, originem duxerit, incrementum acceperit, vires acquisierit: tum autem longe facilior vobis apparebit curatio, quorum est in primis egregia voluntas, & summa in ea re potentia. Bellum igitur (vt inde ordiamur) post hominum memoriam maximum, atque in omnis orbis partes quam latissime propagatum videmus. De eius initio non ambigitur: recens est enim de origine, de causa, de authore, de tota denique eius ratione varie inter multos:
p.365. pro cuiusque vel sensu, vel animi affectu disputatur. Ita fit, vt tradendis eius belli authoribus, eoque reprehendendis, variæ sint pro studiis partium sententiæ. De cæteris orbis partibus non deerit nobis suus ad dicendum locus: de Germania vere hoc dicere possumus, & omni asseueratione affirmamus, quod illa hodie pene omnis fluctuet, quod foris, hoc est, in suis finibus, bello; quod intus dissensionibus vexetur, nemini esse quam Rege Christianissimo acerbius. Quur enim non illi doleat, lacerari in ipsius pene oculis atque conspectu, regionem orbis terrarum nobilissimam, vnde ipse genus, vnde originem traxerit: quam primum priuatus, post ad Regni fastigium euectus, plus mortalibus reliquis coluerit: pro cuius dignitate ipsius maiores tantum periculorum adierint, tot bella gesserint, toties depugnauerint: pro cuius libertate nunquam suis opibus, nunquam suo sanguini pepercerint? neque hæc de prouincia tantum Germania, ac Germanica in vniuersum natione dicimus, qua euersa natio Gallica salua esse non possit: de ipso Imperio, de ipso (inquam) vestro hoc Imperio, hoc est de vestra dignitate, deque vestra libertate dicimus, Viri maximi, atque inuictissimi, qui ipsi regendo Imperio, vna cum his Augustissimis Cæsaribus hic præsidetis. Nam Carolus magnus item Gallorum parens, & idem vester, omnium confessione afflictum illud, propeque collapsum vnus erexit: vnus de nefariorum hominum faucibus eripuit: vnus e Græcia, vbi exulabat abiecta eius dignitas, non minus fortiter huc quam fœliciter inuexit. Nunc igitur partam tot suorum laboribus & periculis dignitatem vobis extorqueri, illa vestræ maiestatis iacta a suis maioribus fundamenta conuelli, Rex maiorum suorum summus admirator, institutorum quæ ab iis profecta sint, tenacissimus obseruator voluerit? Cur ita tandem? Qua per Deum immortalem aut vestra iniuria commotus, aut sua vtilitate adductus, de vestra pernicie cogitare debuit? Quis vnquam vel in media barbaria natus, vel inter gentes efferatissimas educatus, non ad amicorum miserias ingemuit. aut si tam fuit ferreus, vt ingemiscere nequiret, tamen eorum calamitatem, gratis & nullo suo commodo appetiuit? Quid si ostenderimus, vestram perniciem non solum Regi profuturam non esse; sed multo ei plus quam cæteris Christiani nominis Regibus obfuturam? Omittimus illa communia, tempestatis vim quæ in finitimorum agros incumbat, ex quadam velut contagione tibi pertimescendam: tunc rem tuam agi, quum ignis vicino parieti sit immissus, atque eiusmodi quam plurima, dicam ea quæ proprie ad nos ipsos, hoc est ad gentem Francicam, ad ipsumque Francorum caput pertinent. An nos hoc nescire putatis, nullam procellam post homines natos in Germaniam ingruisse, quæ non confestim ad nos perueniret? Fuere patrum memoria, qui Galliam debellarent, vincerent, opprimerent; abstinere tamen a Germania cogerentur. qui Germaniam vicerit, qui non idem Galliam quoque subegerit, nemo adhuc inuentus est. Quid ita? nostrum hic non est dicere, ne vel vestræ laudi nimium assentari, vel detrahere maiorum nostrorum virtuti videamur. Attamen neminem latet, mi-

nime-

nimeque omnium Chriſtianiſſimum Regem,qui tum in rebus gerendis annos plus
triginta exercitatus, tum omnis vetuſtatis eſt peritiſſimus; quantum ſibi periculi,
quantum liberis, quantum patriæ (quæ ei vita ipſa eſt charior) impendeat, tentata
ſemel Germaniæ libertate, ne dicam euerſa. Intellexit iam pridem (vt eſt hiſto-
riæ Germanicæ, non minus quam Gallicæ ſtudioſiſſimus) maiores ſuos, quum
vtrique prouinciæ imperitarent, diligenter cauiſſe, ſuum vt ius Galliæ, Germaniæ
ſua libertas conſtaret: neque ab re in gentis vtriusque finibus, & ad ipſius Rheni
ripas, viros aliquando collocaſſe vtrique genti ſacroſanctos, qui & Imperii maieſta-
te & ſacrorum religione patriam in officio vtrinque continerent, eſſentque Galliæ
iuxta ac Germaniæ præſidio ac ſaluti. Quid ſi nunc Franciſcus quæcunque finibus
ſuis propugnacula, quaſcunque arces Pipini, Ludouici, Caroli, illa orbis miracula
poſuere, volens ipſe ac ſciens reſcindat, diſſipet, conuellat, num eum inſanire di-
catis? Sed non inſaniet, non diſſipiet, non hoc molietur, quomodo veſtra liber-
tate oppugnanda ſuam ipſe euertat, ſibique ac ſuis ruinæ periculum ſtruat. Equi-
dem non exiſtimamus quenquam eſſe (eorum duntaxat, qui Chriſtiano nomine
cenſentur) tam profligatum, tam ab omni honeſtate relictum, vt veſtram illam li-
bertatem labefactatam velit, iusque & nomen auguſtiſſimi huius Imperii, quod p. 366.
vos ſuſtinetis, imminutum, ſed ſi forte eſt quiſpiam, is proculdubio Franciſcus
non eſt: nullius enim (nobis credite) vel quieti vel etiam ſaluti minus id condu-
cit. Dicat aliquis, non ſatis eſſe, turbare non debuiſſe, Regem Francorum oſten-
dere; non turbaſſe, doceri oportere: propterea quod inuenti aliquando ſunt, qui
in ſe ipſi ſæuirent, nedum manus ab amicis & neceſſariis abſtinerent. Quæ ſi vox,
Viri ampliſſimi, loci tantundem apud vos habitura ſit, quantum apud rerum im-
peritiores ſibi vendicaſſe dicitur; conditio certe nobis durior imponitur, quam vt
vel veſtra æquitas hoc ferre queat, vel vſu ac moribus adhuc, ne inter priuatos
quidem, ac litigantes in foro fuerit receptum. Semper a maioribus obſeruatum
audiuimus, quoties accidit in ius aliquem vocari, vt ſummo iure cum eo agatur:
qui reum egerit, qui vel capitis, vel famæ arceſſerit, neceſſitatem illi probandi im-
poſitam: huic inficiandi poteſtatem datam. Nos (vt penitus in cauſam ingredia-
mur) hoc nomine ab aduerſariis apud vos inſimulamur, nec inſimulamur modo,
ſed aperte, ſed vehementer, ſed atrociter impetimur: quod quieta quum
eſſet, velutique in portu aut ſtatione Reſpublica Chriſtiana, eam in vaſtum
bellorum ac ſeditionum pelagus coniecerimus, quodque gentem Turcicam Chri-
ſtiano infeſtam nomini, in eandem Rempublicam immiſerimus. Si nihil eiusmo-
di nos non modo feciſſe, ſed ne cogitaſſe quidem dixerimus: ſi Regi propinquo,
ac fœderato veſtro id vnquam in mentem veniſſe negauerimus: ſi nos ad ea quo-
ties obiicientur, refellenda obtulerimus: quid eſt quod præterea vel noſtri accuſa-
tores a nobis exigere, vel vos de Regis nomine atque exiſtimatione grauius ſta-
tuere poſſitis? Sed non erimus vobis tam importune in tergiuerſando moleſti, ne-
que in tantis occupationibus, quantas res veſtræ recipiunt, ſic aſtute cauſam tracta-
bimus, quaſi videamur, diem dicendo eximere voluiſſe. Quare & cauſæ ipſius
bonitate, & veſtra freti æquitate, non dubitabimus de noſtro omni iure illo, quod
defenſoris eſt proprium, decedere, quo vobis rei pernoſcendæ cupidis, veritas ipſa
nuda atque aperta ſtatim appareat. Quæcunque enim Chriſtianiſſimo Regi obie-
cta apud vos eſſe, memoria nobis ſuppeditarit, ea quantum per modeſtiam licebit,
in præſentia refellemus: de cæteris, quæ cæco quodam rumore circumferuntur,
non ita valde laboramus. Si qui tamen ſunt, qui ſe authores profiteri velint, pro-
deant: detur nobis Senatus iterum, regnet in hoc ſanctiſſimo orbis terrarum con-
cilio illa, quæ regnare debet, æquitas, rectum illud animorum iudicium locum
ſibi vendicet: niſi tenebras, ſi quæ artibus neſcio quibus veſtris forte mentibus
obductæ ſint, depulerimus; niſi calumniæ præſidia de veritatis arce deturbaueri-
mus, facile patiemur eo apud vos loco haberi, quo iſtos ſpero habebitis, ſi aut cer-
tamen

tamen iſtud detrectauerint, aut ex æquo nobiſcum contendere recuſauerint. Primum igitur dicimus, hoc maledictum, quod ab aduerſariis crebro iactatur; Regem Chriſtianiſsimum bellum in Republica bis excitaſſe, minime in eum conuenire. Neque enim ſi arma initio laceſſitus, pro patriæ ſalute ſuſcepit: ſi eadem illa de manibus abiecta, aliquanto poſt repetere coactus eſt, continuo earum tempeſtatum, quæ Rempublicam exercent, author appellandus eſt: nec veremur quo minus re per vos intellecta, ipſum hoc crimine facile ſitis liberaturi. Ignoſcendum vero hic nobis maxime eſt, Viri humaniſſimi, ſi in iis rebus commemorandis, quas niſi præuaricatores ſimus, præterire non poſſumus, leuiter eos viros quos & veneramur ipſi, & quorum nomen vobis iure eſt ſacroſanctum, perſtrinxerimus. Vtinam, Cæſar, vel huius initio belli, quod adhuc viget, tua illa in Sabaudiæ Ducem indulgentia, in armis aduerſum Regem affinem tuum capiendis non fuiſſet: vel illis poſtea Pauli Pont. Maximi opera intermiſſis, ipſum Regem ad ea reuerti tuorum ſcelerata audacia non compuliſſet: maneret hodie, maneret illa toties inter vos data acceptaque fides, illa iuriſiurandi religio, illa coniunctio animorum: nec eſſet tanto bonorum omnium mœrore, tanto Republic. malo labefactata. Nam aliud profecto, niſi contumeliæ acerbitas, labefactare illam non poterat, quæ tam firma eſſet, quæ talem ſe & tam illuſtrem omnium oculis iam iterum exhibuiſſet, quæ eos plauſus, eas acclamationes, eam hominibus Reipublic. cupidis alacritatem attuliſſet. Quis eſt enim, cui ſi proponatur tuus ille, Cæſar, in Narbonenſem Galliam pacificus adpulſus, non p.367 omnibus gaudiis exultet? Contra, ſi oſtendatur calamitas, ex iſta inter vos ſuborta immutatione, in orbem terrarum inuecta, non ad eam ingemiſcat, non perturbetur? Quod ad nos attinet, quoties ſubit animos temporis illius recordatio, quo tempore viſus eſt Rex maximus e continente ad tuam claſſem ſtadia quatuor in ſcapha* adnauigare, tu confeſtim e triremi in ſcapham deſilire, in eius munitiſſimum oppidum inermis, incomitatus ingredi, fraterne illico, nedum amice inter vos conuenire, vnam de officiorum mutua gratia eſſe contentionem; & huius miſerias temporis cum illius fœlicitate comparamus: non poſſumus non valde commoueri. Quis enim non libenter intueatur, duos orbis terrarum potentiſſimos Principes, vno Dei clementiſſimi (vt erat credibile) adflatu repente inimicitiarum oblitos, de optimo Reipub. ſtatu, de eius perpetua quiete, tam familiariter, quam tunc feciſtis, inter ſe colloqui, mala præterita abominari, optime in poſterum ominari? Quum hinc ſoror tua, fœmina ſanctiſſima, viri pene aduoluta genibus, lachrymis effuſis, quas illi lætitiæ magnitudo expreſſerat, nunc fratri ſuam fidem, nunc marito ſuum candorem, vtrique ſuam pietatem gratularetur; inde Franciſci ſoror, vt ſanctitate morum tuæ ſorori comparanda, ita præſtantia ingenii cæteris facile anteponenda, ſic te obſeruaret, vt controuerſiæ quæ de Regno Nauarræ ſumma eſt, oblita videretur? Quum te Regis liberi, paternæ in Rempub. fidei perpetui obſides, nunc tanquam orbis terrarum principem colerent, nunc veluti parentem alterum venerarentur? Quum denique quicunque aderamus, arctiſſime inter nos complexi, iſtam noſtrorum principum amicitiam, illas Bellonæ ac Martis (vt tunc rebamur) exequias, votis omnibus proſequeremur? Neque vero fuit inexpectatus quidem ille amicitiæ radius, cuius nobis conſpectum exortæ repente nebulæ adimerent, neque parua ſui diu potiundi ſpe nos impleuerat, quod biennium totum ſeſe maius indies ac præclarius orbi oſtenderit,

* Intelligitur Colloquium inter Cæſarem & Franciſcum I. a. 1538. poſt inducias Nicæenſes ad Aquas Mortuas, Galliæ Narbonenſis oppidum celebratum, de quo Martinus Bellaius Comment. lib. VIII. p. 334. *Franciſcus a Cæſare nuntium accipit, cupere ſe amplius cum eo colloqui, ſi ad Foſſas Marianas proficiſci non recuſaret, ſe libenter eo venturum. Paret Rex, & Cæſar cum eo in continente prandium ſumit cum maxima beneuolentia & amicitiæ ſignificatione: poſtea Rex Cæſaris triremem ingreditur, ibi de rebus maximis inter ſe colloquuntur.* De eodem colloquio Sleidanus *lib. XII. p.* 331. Chytræus *lib. XV. p. 385.* Belcarius *lib. XXII. p. 699.* Iouius *lib. XXXVII. p. 202.* Heuterus *lib. XI. c. X.*

derit, quam initio exhibuiſſet. Veſtrum enim neminem latere arbitror, poſteaquam vtrimque diſceſſum eſt, vt nullum prætermiſerint tempus amice inter ſe ſalutandi, placide appellandi, omnibus officiis, omni humanitate ſeſe inuicem proſequendi (mirum id forſitan vobis videbitur, quod vere dicam nec hyperbolice) conſilia etiam pleraque omnia inter ſe perfamiliariter communicandi. Nam vt illa attingam verius quam commemorem, quæ ſunt recentibus adhuc veſtigiis in hominum memoria impreſſa: quæ maior vnquam viſa eſt vel inter fratres, vel inter parentes ac liberos, voluntatum paritas, quam toto illo per Galliam Cæſaris itinere inter iſtos fuerit? De Rege perſancte confirmare hoc omni vobis aſſeueratione poſſumus eum de rebus ad ſe duntaxat pertinentibus nihil Cæſarem celauiſſe: de plerisque etiam eius conſilium ſequutum eſſe. Miſit Marchionem * Vaſti ea tempeſtate Venetias Cæſar, qui de rebus grauiſſimis ageret: iuſſus eſt Ennabaldus in ſubalpinis gentibus Prorex eo quoque vna proficiſci, quæ Vaſto e Repub. Chriſtiana eſſe viderentur, iis aſſentiri: ſiue ea nominatim agerentur, quæ res Orientis reſpicerent, ſeu ea quæ intra noſtros ipſorum cardines verterentur: & ſic iuſſus eſt, vt ad Vaſti ſententiam, hoc eſt, ad Cæſaris arbitrium, omnia referrentur.

Fuere alibi alia vel dicta, vel agitata, vel facta, quæ ſic ad ipſum (vt ita dicam) nutum Cæſaris, Rex ſui hoſpitis cultor benigniſſimus, accommodauit, quaſi non iam Franciſcus regni Francici habenas regere, ſed illas Carolus pro iudicio ſuo flectere ac reflectere videri poſſet. Omitto gratulationes, ſupplicationes, pompas, ferias, ſummum illud Regis ſtudium, ac diligentiam, nequid quomodocunque forte accideret, quod amici animum vel angere poſſet, vel leui aliqua offenſione adficere. Neque illud ſane mediocri fuit omnium voluptate acceptum, quod ſpectaculorum quippiam quum artificis errore male ſucceſſiſſet, diceretur que Cæſari aliquid perturbationis incommodæ attuliſſe; ſuborta eſt inſignis quædam ac memorabilis inter duos principes contentio, quum Rex ad rei nuntium commotus, miſerum artificem ad ſupplicium rapi iuberet. Cæſar contra niteretur: iretur interim vltro citroque, & apud alterum dolor amoris ac officii plenus locum ſibi vendicaret: apud alterum vigeret miſericordiæ coniuncta humanitas: atque id veniret in controuerſiam, quod ingreſſo Galliam Cæſare vſque a finibus Hiſpaniarum non venerat, vt in reo liberando, de ſumma Galliæ poteſtate inter iſtos contenderetur. At enim fuit illa perbella quædam inter vtrumque foris amicitiæ ſimulatio, intus inimicitiæ latebant. Non ita eſt, Viri ampliſſ. itaque mihi contingat Deo vti propitio, vti ego de altero perſuaſum habeo, de altero etiam penitus cognitum, candorem illum, qui in amborum vultu, in ſermone, in ore ſe oſtendebat, fuiſſe in ipſorum animis, atque intimis ſenſibus penitus defixum. Quid ergo eſt? Dicam plane, neque me, quominus id faciam, eius perſonæ, quam vna cum his clariſſimis viris collegis meis ſuſtineo, ratio deterrebit. Equidem exiſtimo, Viri ſapientiſſ. Deum Opt. Max. tantorum ſcelerum, quibus vrgemur, perpetuæque noſtræ in ſe impietatis pertæſum, facile paſſum eſſe homines & rerum nouarum cupidos, & ſeditionis amantes; id facinoris audere, quod facinus iſtorum principum alterum ad vltionem accenderet alterum ad iram: nos miſeri de publicæ quietis & ſempiterni otii arce, quam ante obtinebamus, illorum odiis deturbaremur. Tua illa, Cæſar, a multis deprædicata, nobis facile aliquando perſpecta virtus, animique moderatio: ille Regis Chriſtianiſſ. candor nemini non ſatis cognitus, illa integritas, nos aliter de vobis apud nos ſtatuere minime patiuntur. Sed vt aliquando ad rem redeamus, ſummatimque (diſerte tamen, vt ſumus polliciti) reſpondeamus iniquorum vel calumniis, vel cæteris maledictis: De huius belli primis initiis, cuius (ita vt dixi) nomine apud vos, Viri maximi, in inuidiam rapimur, nihil eſt quod ad ea adiiciamus; quæ vobis quandoque in Ratiſponenſi conuentu, poſt hic Spiræ a Regiis oratoribus demonſtrata ſunt. Hos enim

p. 368

* De hoc Sleidanus *lib. XII. p. 348.*

enim vobis commemorasse audio, vt Rex Christianiss. postquam crebro ad Sabaudiæ Ducem, ius suum hoc est hæreditatem quæ ad se pertineret, repetitum misisset: quum totum decennium nullum tempus, nullam rationem prætermisisset ipsius interpellandi, nec quicquam tamen impetrasset: postquam ab eodem duce etiam se vltro lacessitum, suorum equitum turmam, nondum etiam renuntiata amicitia, per insidias circumuentam, concisam vidisset, insignia sceptri Gallici iis locis, quæ maiores ne attingere quidem audebant, passim per vim & contumeliam detracta audiuisset, ad extremum sibi ad arma confugiendum duxerit: quæ sic tamen tractarit, sic se in illis gesserit, vt neminem, vno excepto Duce, læserit: nemini, ne Cæsari quidem ipsi nocuerit: cuius duces, inque iis Antonius Læuianus, qui Mediolanum cum imperio obtinebat, haud obscure Sabaudo non fauerent modo, verum hominem satis alioqui in æquo bono denegando peruicacem, tamen peruicaciorem suis promissis, suis opibus, ope, authoritate milite redderent. Audistis etiam, quanta tum fuerit nihilominus eiusdem Regis animi moderatio, vt ab agro omni Mediolanensi, qui suus & esset, & sibi pateret maxime, tanquam a re sacra sese abstinuerit: vt de reconciliatione (si qua modo intercesserat illi cum Cæsare offensio) cum per suos oratores, tum per virum clarissimum Cardinalem Lotharingum, quin & per Pontificem ipsum Max. toto illo tempore serio ac sedulo egerit. Meministis autem, vt derepente quadripartito terra marique, præsertim duobus post hominum memoriam maximam exercitibus sic petitus sit, propius vt nihil fuerit, quam vt opprimeretur, antequam spatii satis ad se colligendum, ad vires comparandas, ad munienda oppida, ad conscribendos exercitus haberet. Quare ea, quæ vobis tam nota opinor, quam quæ sunt notissima (partim enim vidistis ipsi, partim, vt diximus, ex aliis audistis) in præsentia non repetemus: præsertim quum ne ii quidem, qui acerrime causam aduersariorum tuentur, eius belli cum Cæsare initia Regi adscribant: satisque habeant hoc tempore, ei obiicere altero capite suæ accusationis, quod extinctas eius incendii faces exsuscitauerit, pactas cum Cæsare & sanctas inducias violauerit. Qua in controuersia, si vsitatum quoddam certaminis genus subirem, æquiore certe animo causam hanc omnem in discrimen deducerem. Nunc vero quum is, pro quo nunc depugnare cogimur, velit ea lege certari, vt inimicorum petulantiam alia re nulla frangamus, quam modestia, ab omni paulum modo atrociore dicto abstineamus, quam hunc securim iniecisse putatis defensioni apud vos suæ? Quid enim hac re aliud fecit, quam nobis sui defensoribus arma de manibus excussit? Nam nisi id fecis-
p.369. set, id est, nisi nos in hostem tela omni impetu vel vibrare, vel regerere noluisset, nisi in ipsius arcem calumniæ penitus inuadere prohibuisset, Deus immortalis, quæ nobis esset dicendi copia ex aduersariorum maledictis subministrata? qui essent orationis aculei, quos in istos defigeremus, suppeditati? Verum quia gerendus ei mos fuit, complura ad calumniæ confutationem prope necessaria compressimus, sed ita compressimus, vti mucronem vagina reconditum in quo stringendo, si Rex iusserit, aut si aduersariorum nos importunitas coegerit, nullam moram sumus interposituri. Interim ea in primis proferemus quæ quia sunt omnibus notissima, minime accidet iis viris, qui sunt apud vos in honore, de improuiso commoueri. Hoc enim isto accusationis capite tantum defendemus, quicunque ii sunt, quorum (vt supra diximus) sceleris atrocitate, & magnitudine contumeliæ Rex ad arma reuerti coactus est, iis potius violatarum induciarum culpam assignari oportere, quam in hunc reiiciendam. Quid faceret Rex nobilissimus, quum viros dignitate conspicuos, suos legatos, illustri apud se loco, dum iter in pacato faciunt, crudeliter contra ius gentium interfectos audiuisset? non excandesceret? non vlcisceretur? non pœnas sceleris reposceret, quacunque ratione repetere se posse arbitraretur? an potius periculum honoris, atque existimationis non adiret modo, sed eius perpetuam iacturam faceret? Ecquæ tandem fuit vnquam natio in terris, quæ non suos legatos, non dicam interfectos nefarie, sed violatos, sed pulsatos perinde vlta sit, at-

que parentum aut liberorum solemus iniurias? Verum hac in re non deesse dicuntur, qui eam religiosius tractandam fuisse existiment, putentque omnem hanc iniuriam condonari Christianæ Reipublicæ oportuisse. Quasi vero si Res ipsa publica loqueretur, iuberet Regem ea inter cæteros dignitate, ea apud omnes mortales opinione, tale in se recipere ad posteritatis memoriam ignauiæ exemplum, quale si e vestra nobilitate priuatus quispiam recipiat, non pateat illi posthac, ne ad infimos quidem militiæ ordines aditus: quasi (inquam) vellet eadem Resp. nostra ista patientia, & tacito quodam consensu, hunc morem in nomen Christianum introduci; vt per cuius fines iter exteri legati facere inueniantur, ab eiusdem milite ad hanc rem comparato, palam, in luce hominum, impune trucidentur: iis autem interfectis, ad miserarum coniugum eiulatus, ad infantium liberorum (quales erant istorum) vagitus, ad illas innoxii sanguinis lacrymabiles voces eius Regis aures occludantur, cuius ignominiæ hoc fuerit sanguine litatum. An vos hoc, viri nobilissimi, Rempubl. voluisse, an ipsum Reipub. caput CHRISTVM hanc hominibus legem sanxisse putetis? Triennium ante hanc cædem Franciscus Sfortia Mediolani tyrannus, in regione eadem eodem prope exemplo, Marauillium Regis eiusdem apud se Legatum, qui frequens illi & assiduus interdiu esset, de media nocte in suo lectulo comprehensum occidi, eius cadauer postridie proiici in forum in Regis contumeliam iusserat. Nemo Christianorum Regum, nullus Princeps, nullus aliqua dignatione vir inuentus erat, qui quum ad sese hoc exemplum (quando res ita ferret) pertinere facile intelligeret, inauditum hoc & incredibile facinus acerrime vindicandum non arbitraretur, quippe Regem Christianiss. ad arma non hortaretur; vno excepto Cæsare, cuius in fide Franciscus Sfortia esset, cuique sororis suæ filiam* paulo ante in matrimonium dederat. Cœpit igitur Cæsar a Rege ea re grauiter commoto, omni ratione, precibus omnibus, omnibus pollicitationibus contendere, (causam Reip. suis precibus prætexens) vt sceleris vltionem in suum ex Africa reditum, quo se comparabat, differret: & ita contendit vt impetraret. Quid enim tum illo pietatis nomine, tum altero necessitudinis, Cæsar a Rege, & amico, & Christiano non impetrasset? vel quid potius semper ab ipsis & ætatis & amicitiæ incunabulis non impetrauit? Interim Tyrannus moritur & moritur summo nostro dolore, quibus vlciscendæ iniuriæ ratio omnis adempta esset: magno autem Cæsaris commodo, qui illo superstite in Mediolani possessionem nondum penitus se immiserat. Quis non hoc facile iudicet, Viri prudentissimi, si tam acriter perfecta esset vltio, quam fuerat diligenter suscepta (iam enim moturus erat Rex, iam progressurus, quum istis precum & amicitiæ compedibus retentus est) quis non (inquam) iudicet, hanc posteriorum Legatorum cædem, de qua nunc tantopere laboratur, superiori successurum non fuisse? Illa enim profecto posteriori huic veluti gradum fecit, ad hancque moliendam impuris hominibus animos, atque audaciam subministrauit, neque ad eam solum, sed ad alias porro cædes ex aliis serendas, veluti sementem ac materiam præbuit, maiorem item indies præbitura, nisi hanc vlcisci velle Rex apud se statuisset. Sed expostulare primum debuit, sed admonere, sed tentare potius omnia, quam ad arma decurrere. Ille vero non admonuit? non expostulauit? Testis est hæc ipsa Germania, in qua agentem id temporis Cæsarem Franciscus aliquando tum suis promissis, tum loci genio ac religione adductum existimauit, animum adiecturum fuisse ad facti animaduersionem. Et credo adiecisset, vel sua sponte, vel vestris impulsus consiliis, nisi abeuntem de sinu vestro Italia excepisset, prouincia & multiplici ingeniorum varietate abundans, & in qua plurimum poterant ii, qui existimabantur ab eo scelere, cuius quærebatur vltio, non esse alieni. Vbi Italiam Cæsar attigit, num Franciscum cessasse putetis? num cœpta postulatione destitisse? At perstitit, appellauit, vrsit: neque vnquam obtestari, rogare, hortari desiit,

* Intelligit Christinam Christiani II. Daniæ Regis filiam ex Isabella, Caroli V. sorore.

desiit, nunc per communes amicos, nunc per legatos, & homines certos, qui apud ipsum tanquam obsignatis tabulis agerent, futuros rerum motus, ingruere bella, nisi satisfactum esset, demonstrarent: qui Paulum Pont. Max. appellarent, quo ius hac in re suum apud præsentem Cæsarem tueretur: quum prius author (vt diximus) reconciliandæ gratiæ, & paciscendarum induciarum fuisset. Quid, quod simul ac ipsos Lucam conuenisse audiuit, diserte iisdem denunciauit, nisi breui de interfectis legatis, & violato iure gentium sibi satisfactum esset, aut in culpæ authores animaduersum, sese pacta irrita, violatas inducias ex eo tempore habiturum? Hoc erat amico insidiari? hoc velle virum maximum, suum necessarium nec opinantem aggredi? Cogitate quæso apud animos vestros, Viri amplissimi, atque ante oculos vobis hoc proponite, si ea mens fuisset Francorum regi, si ea voluntas, Cæsarem incautum, implicatum, irretitum, opprimere (quod isti eum voluisse faciunt) quando vnquam facilius potuerit quam tum, quum traiecit in Africam, eo fortunarum suarum discrimine, vt aliquando in Gallia, in Italia, in hac ipsa Germania apud plerosque omnes, vel pro profligato, vel pro naufrago (vt certe erat naufragium passus) vel etiam pro extincto haberetur? Quum Neapoli, Mediolani, Genuæ supplicationes ad omnes aras pro eius salute (si forte esset superstes) decernerentur. Quum pro mœnibus vrbium, pro stationibus, pro propugnaculis, qui vim hostium quæcunque se ostendisset, arcerent, vix vlli inuenirentur: a plerisque etiam Rex ad ea inuitaretur? Erat illi proculdubio si honoris, si fidei obliuisci vellet, minus aliquanto futurum negotii, vel in suo repetendo, vel in iniuriis tunc persequendis, quam postea illo præterito tempore, quod induciis constitutum diximus, fuerit: tantumque intelligebat, in re altera sibi fore impendii, quantum haud dubie compendii in altera fuisset. Igitur (vt vno tandem verbo absoluam) quamdiu abesse Cæsar dictus est Reip. causa, vel quamdiu aliquid fuit spei purgandæ absque perturbatione rerum ignominiæ, quieuit Rex, nec quicquam interea vel mouit, vel a suis moueri est passus: tametsi in hostem imparatum, impeditum, fortasse etiam exhaustum, ipse a viris, ab armis, a machinis, a pecunia, quantum antea nunquam fuerat, paratus & instructus esset. Quæ si ita sunt (vt certe sunt, & ita esse planum vobis fecimus) non video quid iam aduersariorum criminibus relinquatur loci: nisi quod de (Turcis vt superius attingimus) ad diripiendam Rempub. per nos inuitatis tantopere vociferantur. Quo in crimine refutando, si vobis vtemur tam benignis, quam adhuc vsi videmur, profecto vobis hoc recipimus, Viri optimi, nos cum nostræ rationes innocentiæ facile esse explicaturos, tum nihil vel alienum, vel confictum vel astutum, vel denique ex vano haustum huc esse adlaturos. In hac præcipue causa, quam sumus, quam breuissime fieri poterit, tractaturi, duo nobis obiici videmus: Venisse cum Solimano in fœdus, & belli societatem: Tum eum ipsum ad nos euocasse, & in Vngaros, Germanosque concitauisse. Quod ad fœdus attinet, licet hic nobis, si volumus, communi quodam omnium gentium iure recepto vsque a parente illo Christiani seminarii Abrahamo, paruo nos negotio tueri: neque nobis defue-
p. 371. rit aut Dauidis authoritas, aut Salomonis, nec Phineæ, nec Tobiæ liberorum, nec denique ducum Maccabeorum exempla: quorum nemo, nec a prophanorum hominum commercio in priuatis rebus, nec in publicis a rei bellicæ societate abhorruit, ne si quidem cum suæ religionis hominibus bellum gerendum esset: Taceo prudens Christianorum quorundam exempla: ne mihi statim obtrudatur, non ista eorum esse hominum, qui neque falli potuerint, neque voluerint fallere. Sed tamen licebit hic nobis opinor, ea quæ sunt aduersariorum veluti propria, & vere domestica, bona eorundem venia in medium adferre. Non Federicus secundus Imperator, Sarracenorum humeris in Italiam, vnde illum Pontificum authoritas eiecerat, reportatus est? Non Luceriam eius gentis ingentem coloniam deduxit, cuius ope ac potentia tum gentes finitimas compesceret, tum eos, qui res nouas molirentur, per vim in Romani Imperii fide atque officio contineret? Sed non longe abieri-

mus: non eorum sententia, qui iuris Pontificii (quod vobis credo est sacrosanctum) peritissimi sunt, licet ii quibus aliunde auxilium defuerit, ad impiorum opem, pro rerum sibi ablatarum vendicatione, confugere? Neque vero hæc dicimus, quo vobis hac in re vel opus sit veterum, recentiumue hominum patrocinio: vel quo nos eorum exempla sequutos esse, in ope ab impiis imploranda fateamur. Quinimo vt intelligatis, quam plane, quamque præcise inficiemur: negamus Francisco Francorum Regi cum Solymano fœdus vllum intercedere, intercessisse, præter vulgare illud commerciorum, & quietis publicæ ergo: quale Venetis, Polonis, & aliis quibusdam Christiani nominis gentibus esse omnes scimus, vel quale a quibusdam maximis & præclarissimis hoc tempore viris appetitum, nec impetratum esse audimus. Neque satis perspicimus, quid in eo aut a vobis, aut ab vllo mortalium improbari debeat, si fœdus sanciuimus eorum exemplo, quos probatis maxime: si in eo sanciendo nemini nocuimus, sed contra, vel aduersariorum confessione, certe ipsorum rogatu, nonnullis profuimus: si nihil clam, sed palam, sed in luce hominum: si nihil precario fecimus, quod ad id ineundum simus non semel inuitati, fortassis etiam (vt mox dicemus) coacti: si viris in Repub. principibus, neque reclamantibus, quum præmonerentur, neque inuitis, sed omnibus approbantibus, plerisque etiam suadentibus. Et fieri quidem possit, vt non ad omnes, qui hic adestis, omnia hac in re Francorum Regis consilia peruenerint: (estis enim prohibiti) sed quicunque ex hoc ordine estis, quibus eorum cognitionem aduersariorum impotentia adimere non potuit; vel quos, adempta adhuc facultate, cognoscendi tenet cupiditas: facite pro vestra benignitate, vt rerum præteritarum apud vos paulisper versetur recordatio. Inde vtrique consequemur, vos, vt cognoscere possitis quid inter maledictum & certum crimen intersit: nos, vt nostri apud vos tam solicite purgandi vitemus necessitatem, neque enim ad rem mediocriter pertinet, intelligere vos, nihil in causa hac omni Turcica Regem Christianiss. molitum esse vnquam, nihil gessisse, nihil tractasse, cuius antequam quicquam vel gereret, vel moliretur, vel tractaret, aut frequenter hosce amplissimos sacri Imperii ordines non admoneret, aut sententiam communiter omnibus suam, singulatim autem iis, ad quos aditus suis legatis patuerit, non diligentissime atque amicissime aperiret. Extant credo per vniuersam Germaniam (vt multum suppressa sint) non vnarum ad ipsos Imperii ordines exempla literarum, quarum in quibusdam demonstrabat, vt Solymanus fœdus, vt amicitiam, vt opem sibi vltro detulisset, quum essent qui eandem magnis oblatis conditionibus ambirent, eiusque vellent esse in clientela: vt idem postea Solymanus eadem illa, sed ampliore argumento iterum ac sæpius repetiisset: vt se demum dubitationi locum relinquere nolle pronuntiasset; *Franco vel pacato iam sibi vtendum esse, vel aperto hoste, nihil esse tertium.* Hanc sibi imponi respondendi necessitatem, Rex aliorum minime securus, quum vobis significasset, iisdem videre licet exemplaribus vt vos statim interrogarit, *Velletis, cuperetis communes secum inducias honestas, vestri otii & retinendæ dignitatis gratia, cum hoste, qui vobis immineret, pacisci?* Quæ quum ad vos serio, neque semel tantum scripsisset, dicimus aliis subinde literis vobis eum ostendisse: vti ad eiusmodi demum inducias cogeretur, nisi oram suam omnem maritimam, quæ latissime in Narbonensi Gallia pateret, hinc vicino minime pacato expositam esse vellet, illinc hosti supra modum nautico apparatu instructo. Dicimus præterea Regem, p. 370. quæcunque prioribus literis vobiscum de communicandis induciis egerat, eadem his postremis iterum detulisse: vobisque Ordines ampliss. tam crebro quasi lacessitis admonitis, tum denique de induciis cum Solymano transegisse. At hoc per Deum immortalem, fuit Solymanum in vos concitare? an cum gente Turcarum de Christiani nominis pernicie pacisci? Vestram hic conscientiam appello, ordinis istius Amplissimi principes, atque delectissimi consiliarii, si quicquam in hoc facto est, quod Regi Christianissimo sinistræ vllius suspicionis notam inurat, qui & ea egerit, quæ sibi erant necessario agenda, si consultum vellet suorum saluti: & rationem

vestri

vestri habuerit, qualem eum habere oportuit, qui fœderatorum quieti vellet consulere. Tum hoc magnopere a vobis postulo, vt redeatis in memoriam eorum, quæ iis malis in quibus hodie (quod ad rem Turcicam attinet) versamur, causam atque originem dedere. Scitis vt illa nunquam satis deploranda de regno Vngariæ controuersia, principio Solymanum in Vngariam ipsam, mox in Germaniam quoque immiserit. In hac sedanda controuersia vtinam tantum, Viri optimi, Regis Christianissimi gratia apud partium alteram valuisset, quantum apud se valituram esse altera præ se ferebat. Nam si sunt qui adhuc dubitent, quantum in ea pacificanda curarum, quantum laboris impenderit: si neque literis, neque chirographis, quæ permulta sunt, fides habeatur: ac certe Legatis vltro citroque frequenter missis, quorum nunc etiam nonnulli sunt superstites: at viris quibusdam in Repub. principibus, quin & Regibus quoque aliquibus credi oportet. Et Rex quidem Christianiss. tametsi non tantum se interdum, ac volebat, proficere videret: non tamen facile vnquam despondit animum, nec destitit initiis illis, quandiu postea valuit ipsius apud Ioannem Regem authoritas, commonefacere, precari, hortari, denique omnia facere, quo eius animum ad Solymanum (vt videbatur) respicientem inde auerteret: & auertit non semel, tandiuque in officio retinuit, tum sua, tum Pontificis Clementis, tum illustri Regis Britanniæ opera, qui in id quoque incumbebant maxime, quoad necessitas (cui dicebat ille ne Deos quidem immortales repugnare posse) Regem miserum ac calamitosum ad extrema omnia descendere coegit. Itaque descendit, vt vidistis, Solymanumque Rege Christianiss. partim inscio partim reclamante, ad ferendam sibi opem asciuit. Quæ postea sunt consequuta viuo Ioanne, postea etiam mortuo, vendicante sibi regnum per tutores pupillo infante, tam libenter omittimus, quam cætera quoque (si liceret) prætermitteremus. Hoc quidem certe quod sequitur, quia de eo mendacii sumus insimulati, præterire silentio sine scelere non possumus: Quod Solymanus & Vngariam rursum inuasit, & vexauit Germaniam, ipsum esse solitum vni Tunetanæ expeditionis iniuriæ acceptum referre, affirmantem contra promissorum religionem, suos hostes id bellum suscepisse. Verum earum rerum sit penes authorem fides: constat certe, Solymanum id dispersis quam latissime per orbem terrarum literis testatum reliquisse: quumque Regii apud ipsum oratores, pro suo in Rempub. officio, hominem ab instituto reuocare omni studio contenderent, vna illis expeditio Tunetana semper obiecta est, cuius ignominiam diceret se salua existimatione ferre non posse: quæ tantum in suam contumeliam, nec in nostræ religionis propagationem excogitata susceptaque esset. Neque vero hæc in eam partem accipi velimus, vt nos existimetis vel bellum illud Africanum, aut si aliud quoduis Christianæ dignitatis causa susceptum sit, improbare. Nam si ea mente fuisset Franciscus vt improbaret, illud idem adornanti, opemque aduersus Solymanum imploranti Cæsari peditum quinquaginta millia (quorum pars maxima esset e vestratibus) equitum millia sex, cum vi tormentorum ingenti, ad eiusce belli societatem non detulisset, vti & eo tempore liberaliter detulit, & insequente anno per nosmetipsos Romæ in Pontificio illo Senatu iterum, & sæpius confirmauit. Nec mirum videri debuit, si is faceret iis rerum motibus, qui sæpe antea, tum per seipsum, tum accepto in partem eius muneris Rege Anglo, qui libens ad id ferebatur, idem se facturum, non ita valde necessario tem-
p.373. pore recepisset. Non igitur adhuc Franciscus Solymanum in Germaniam pellexit: non in vestra reiquepublicæ viscera ejus accitu hostis grassatus est. De reliquo tempore nunc est dicendum. Ad hanc rem autem diligenter quæso animos vestros, Viri sapientiss. attendite, vt eam vere, perspicue, exacteque cognoscere possitis. Præter Pannonicas expeditiones reliquas, vnam Solymanus superiore æstate suscepit: aliarum culpæ sat ostendimus nequaquam nos esse affines: quare suprema in nos transferatur potius, causæ nihil esse dicimus. Nam quod ajunt missum Rinco-

num * in Orientem, qui apud Othomanum hanc contenderet: non confecit tamen. At enim si in itinere non esset interfectus, confecisset, quis hoc diuinare posset? Quid si hoc dixero, & vere dixero, & vobis hic profiteor esse verissimum, habuisse in mandatis, vt prohiberet, vt omni & Regis, & priuata sua gratia contenderet, quo a Germania, ab Vngaria, a cunctis Reip. Christianæ finibus se abstineret, aliorsum impetum omnem belli, si tanta armorum flagrabat cupiditate, converteret? Redarguant aduersarii si mentiar, quod sane sit illis facillimum. Nec enim homicidas illos arbitror, quum de trucidatis Legatis nuntium adferrent, in mandatis, quæ Legatis a Rege discedentibus scripta signataque data essent, reddendis, negligentes fuisse. Et profecto quoscunque indices de miserorum nece adhuc habuimus (habuimus autem multos) eosdem de interceptis ipsorum mandatis, ac literis habuimus. Neque si non habuissemus, esset tamen credibile, quum vestem, quum torques, quum annulos, quum ipsam animam eripuissent; cui rei præcipue insidiabantur, quam maxime petebant, mandata, literas, commentarios, ei rei sponte sua (quum nemo esset qui intercederet) homines verecundos scilicet pepercisse. Quo magis istorum admiror improbitatem dicam; an perfidiam? qui cum hæc ita esse sciant, quum apud se habeant, tamen non proferunt, non fatentur; patiuntur autem istos interim Principes de Rege affine, & consanguineo suo male existimare, vos ipsos, aut vestrum aliquos in eodem forsitan errore versari. Obiiciat nobis hic aliquis Paulinum Regis ministrum, qui Rincono in ista Legatione successerit, apud Ænobarbum præfectum classis Turcicæ fuisset conspectum: permagnam inde suspicionem colligi, quod venerit Ænobarbus, id Regis opus fuisse. De Paulino mox dicemus. De classe, unum est quod vestris animis omnem facile suspicionem deterget. Scitis opinor, quantus noster terrestris exercitus anno superiore agrum Ruscinonensem, ad maris Hispanici oram ingressus sit, vtique ibi Parpinianum obsederit. Quod re infecta domum redierit, omnes existimant in causa fuisse vires Cæsaris maritimas, quibus nostra classis erat inferior. Si de Ænobarbo Rex cogitauerat, si accersere voluerat, quando potius accersere debuit, quam illo tam necessario tempore, quo per eum maris imperium hosti adimere potuit? at constat, tunc non fecisse. Dicat aliquis, accersisse sane, sed vt eo anno veniret, efficere non potuisse. Quid tam sit ridiculum? Nam si annum insequentem expectabatur, quod sciri oportebat, non Regem putatis in eundem quoque annum illos Ruscinonenses conatus dilaturum fuisse? Sed non distulit, sed classem Turcicam non expectauit, neque posteaquam anno insequente ea venire dicta est, insignem vllum apparatum terrestrem, cum illo maritimo (quum facile posset) coniunxit. Relinquitur ergo vt non accersierit, vt quidem non accersisse, & nos his asseueramus, & quo exaudire omnes facilius possitis, clarissima voce profitemur. Nunc de Paulino est respondendum. Fatemur successisse Rincono, fuisse in classe Ænobarbi: ipsum per mare nostrum nauigantem ab usque Thracio Bosphoro prosequutum esse. quid multa? etiam hoc addemus (si placet) cum ipso nonnullis de rebus nonnulla consilia, sed ea optima ac salutaria communicasse. Nec enim Rincono interfecto noluit Franciscus suum morem retinere, qui ab omnibus probaretur, in quo vel vestros Cæsares imitaretur, de Legato apud Othomanum habendo. Misit igitur Paulinum: nec ita repente misit, dum init apud se rationem, quomodo sitim istam inexhaustam, & redundantes suorum Legatorum sanguine gladios, aliqua ludificatione frustretur: quæ mora vtinam non eam attulisset iacturam Reip.

* Sleidanus *lib. XVI. p. 390.* *Galliæ rex; hoc durante conuentu, Cæsarem Fregosium Genuatem Antonium Rinconem Hispanum, exulem, mittit ad Turcarum Imperatorem: hi cum Paduam nauigarent, ituri Venetias, capti sunt & trucidati sub calendas Iulii mensis.* Heuterus *lib. XI. c. XV.* Iouius *lib. XL. p. 337.* Belcarius *lib. XXII. p. 717.* Guil. Bellaius *lib. IX. p. 339.* Thuanus *lib. I. p. 21.* Sleidanus *lib. XV. p. 431.*

Reipublicæ dum interim nemo apud Solymanum est, qui vel ipsam Rempublicam, p.374. (quod Rinconum facturum fuisse diximus) sapienter tuendam suscipiat, vel animum mitiget hominis, de interfectis, qui ad se mitterentur Legatis accensi, Hic Paulinus igitur, postquam aliquando sensit parum illic sibi esse negotii, bellum hic terra marique aperte geri, commerciis quæ in Ægypto & Syria nobis essent, per Cæsarem, qui mare Ligusticum, Sardoum, Siculum obtineret, facile interdictum esse: Ænobarbum naualem apparatum in prouincias Cæsaris moliri; pro magno habuit, posse huic se comitem adiungere. Itaque adiunxit, ab eoque usque dum appulit Massiliam, ne vestigium quidem discessit. Hoc puto minime a viris bonis reprehendendum: illud vero etiam commendandum, quod quacunque nauigauit Ænobarbus, factum est Paulini diligentia, ac fide (qui ad istius apparatus famam id erat curare jussus) vt quæcunque littora, quascunque oras ille attingeret, dempto tantum hostico, manus ab omnibus abstineret. Quod vero in Niceæ obsidione, * quæ post paulo consecuta est, isti tantopere de nobis triumphant, audite quæso ut se res habuerit, nihil enim affingam: nec recens modo est, verum & præsens quoque eorum, quæ dicturi sumus, memoria. Ænobarbus vbi primum mare Ligusticum ingressus est, nihil habuit antiquius, quam vt Andream Auriam Cæsarianæ classi præfectum, qui secum de rei naualis gloria certare vellet, opprimeret. Igitur hominem omnibus tanquam vestigiis persequitur: vbi videt consequi non posse, ait constare sibi rationem quomodo Niceam occupet, arcem (quod nemo nescit) ad Imperium maris Ligustici maxime accommodatam. Id Griniano viro prudentissimo, qui pro Rege nostræ prouinciæ præerat, demonstrat: rogat vt quamdiu in arcis obsidione distineretur (quam si occupet, si habere velit) loca mediterranea interim tuta sibi præstet ab omni hostium iniuria: aut si malit Grinianus munus obsidionis in se recipere, pollicetur ipse vicissim sese, qui classe valeret, omne maris periculum præstaturum, neque impediturum quominus capta a nostris Nicea Rex Christianissimus potiatur. Quid obsecro vos, Grinianus faciat, homo tum pius, tum minime ad insidias apertus? patiatur munitissimum maris Ligustici propugnaculum, quod vetus sit patrimonium Regis, indubitatumque, vbi sit portus mille nauium capax, quo possit, quoties necessitas ingruat, Othomanus nominis Christiani hostis, naues, viros, arma, commeatum in supplementum abusque toto Ægæo mari, & Æolico mittere, venire in Ænobarbi potestatem? Nonne in hac Niceæ obsidione, quæ a nobis eo nomine suscepta est, vt culpa aliqua fuerit (quæ tamen nulla fuit) satius erat nos & obsidionis tædia, & pericula oppugnationis subire, cum nonnulla spe eius expugnandæ, quam spem eandem, qualiscunque ea esset, Ænobarbo relinquere? Atenim neutrum faceremus: arceremus hominem ora nostra maritima, igni, aqua, tellure interdiceremus. Licebatne eum arcere, qui pacatus & minime hostis, ipso induciarum tempore veniret? & ita veniret instructus, vt prohibendi non esset facultas, quum in apparatu nauali pares illi esse non possemus? Fuisset hoc extremæ amentiæ, quum il-

* Sleidanus *lib. XV. p. 421. Pauli ante hoc tempus, Galliæ rex in Veromanduos cum exercitu profectus, oppidulum Landresium Cæsari adimit, & opere præsidioque munit. His ipsis quoque diebus, Barbarossa Turcicus legatus, ductore Polino Gallo, magna cum classe Tolonum appulit, quod est prouinciæ Galliæ oppidum atque portus inter Massiliam atque Niceam. Eius de aduentu rex vbi cognouit, Angianum Vendomensem cum copiis & triremibus illi mittit auxilio. Postea simul ambo Niceam versus contendunt & cum oppidum atque portum Augusti mensis die vigesimo cepissent, arcem obsident* Iouius *lib. XLIV. p. 532.* Heuterus *lib. XI. c. XX.*

illo in mari inferiores aliquanto sint nostræ opes, vel vnius Cæsaris opibus, Othomanum insuper nobis ad rationem inimicitiarum adiungere. Quare negamus in hac obsidione quicquam esse a nobis commissum in Christianam Rempublicam: in nos quidem ipsos a nobis peccatum esse, facile fatemur. Nisi enim Reipublicæ in auertendo ab oppugnatione Ænobarbo tam studiose prospexissemus, iactura a nobis tanta facta non esset, quantam virorum, armorum, commeatuum fecimus. Neque est aliud quod ea in re nobis præterea obiici queat, nisi tritum illud, & iam toties decantatum. Quod arma cum prophana gente aduersum Christianos (hostes quidem illos, sed tamen Christianos) communicauerimus. Verum id quam innocenter, quam moderate, quam religiose, superius vobis exposuimus. Quanto amicorum beneficio, testis est Italia prope omnis, quæ prætereuntem Ænobarbi classem tantum de littore salutauit. Quanto etiam inimicorum, Genuenses in fidem quodammodo Cæsaris recepti, tamen ipsi quoque fatentur. At licebit hic, credo, per vestram modestiam nobis in causæ defensione, optime quidem, sed forsitan apud vos propter inimicorum calumniam dubiæ, id vsurpare, quod vel in maxime aperta causa nemini vnquam vitio datum est, vt vel clauum clauo truderet, vel suum factum de aduersarii facto iudicibus probaret. Obsecro igitur vos, Viri perspicacissimi, vter magis reprehendendus est, isne, qui quum iustissima arma ceperit, in eis armis exercendis milite barbaro, non in rem militis, verum in suam ipsius vsus sit: an is qui generi hominum eidem, barbarorum scilicet, in causa armorum longe dissimillima ipsorum commodo militauerit? vter magis culpæ obnoxius, isne qui in suo repetendo suorum, hoc est Christianorum sanguini pepercerit, alienorum periculis sua pericula texerit: an is qui alienissimarum gentium gladiis Christianorum vitam, pro homine maxime & a religione & a fide alieno, obiecerit? Si qui hæc fecit, non reprehenditur, imo si omni laude a suis fautoribus cumulatur; vos æquissimi causarum, ac rerum æstimatores, saltem hoc dabitis alteri, vt de suo facto illo minime reprehendatur? Verum hæc nolite existimare, Amplissimi ordines, nos perstringendi Cæsaris gratia (quem honoris causa nominamus) in medium proferre. Neque enim si proferenda non essent, si supprimenda ea ipse duceret, Africanam illam expeditionem, quam pro Rege Tunetano eum suscepisse vidistis, inter res a se præclare gestas locum sibi vendicare sineret: ne in reditu, aut Vrbem terrarum dominam ouans ingressus esset, aut ab Vrbis eiusdem principe omni exquisitissimo apparatu excipi voluisset. Quod ad Regem Christianissimum attinet, equidem non dubito quin sit facile passurus, factum illud Cæsaris vel in cœlum (si ita placet) extolli: modo sibi ab ipso interim concedatur, suum vicissim minime, vti ab imperitis fit, vituperari. Nam quid tandem, Viri nobilissimi, Rex ista rerum perturbatione faciat: Bellum ab ipso necessarium geritur cum principibus totius Europæ longe potentissimis, & iis principibus, qui non dissimulent, quinimo (quod vos scitis) palam profiteantur, nunquam se conquieturos, etiam ut Germaniæ omni pereundum sit, donec funditus hominem euerterint: vt interim taceam consensum illum Regulorum, ciuitatum, conuentuum, qui quia vnius auctoritatem sequantur, in eandem Regis perniciem ex illius decreto coniurauerunt. Hæc cum ita sint, videte quæso quam iniuste, quam nullo aut veterum, aut recentium exemplo nobiscum agatur. Regnum illud Francorum florentissimum, nobilissimum, firmamentum (quandiu a finitimis vexatum non est) Reipublicæ Christianæ, vobis, Proceres Germani, vetusta necessitudine, & propria quadam (vt sic dicam) germanitate coniunctum, hoc tempore, hoc (inquam) tempore, a fronte, a tergo, a lateribus, ab hostibus infestissimis petitur, obsidetur, vallatur: nobis ad ferendos tantos, & tam incredibiles impetus non satis est militum domesticorum, propterea quod plebem Gallicam maiores nostri agriculturæ magis assuescere, quam rei militari voluerunt. Itaque pedite extero nobis opus est, vt multis ante seculis opus fuit, quoties bel-

bellum maximum gerendum fuit. Hoc Cæsar qui ſat cognitum haberet, propoſuit edicta (vt leuiſſime dicam) ſeueriſſima, *Nequis Germanus miles Franco militet : qui militauerit, capite luat :* cum vxore quidem, ac liberis mitius aliquanto agatur: Italis autem, quod fere his nitamur duabus nationibus, pœna prope conſimilis infligitur : quicunque aut in Galliam, aut in quaſcunque Regis ditiones patent militi aditus, omnes magnis diurnis nocturniſque præſidiis circumſepſit : quicunque in itinere deprehenſi adhuc ſunt, trucidari omnes iuſſit, neminem ad Regem penetrare, quoad potuit, ſiuit. Ediuerſo gentem, quam vt prophanam atque impiam decennium fere eſt exſecratus, nunc poſteaquam ſeſe in nos incitari paſſa eſt, ad militem euocandum, ad Germaniam in veſtro conſpectu omni iuuentutis robore ſpoliandam, ſummis præmiis inuitat. Neque interim licere nobis vult, omni Europæ ope atque auxilio exutis, aliunde, neque ex Africa, neue ex Aſia militem euocare: ſi euocauerimus, ſceleratos, impios, inteſtabiles pronunciat. Deus immortalis, quæ lex grauior feratur, quæ atrocior pœna ſtatuatur, quam quæ in nos ſtatuitur, aduerſus eum, qui victus, qui profligatus, qui bello captus vitam precario agere cogatur? Si & noua iſta plusquam imperatoria aduerſum nos edicta locum habeant, & omni externa ope nihilo ſecius excludamur, quid nobis denique fiat? quid miſeris & infelicibus Francis, cognatis veſtris ſuperſit, niſi vt ferreis manicis vincti, compedibus adamantinis obſtricti, iugulum irato hoſti hauriendum, ceruicem victori (quod ipſe iam præ ſe fert) implacabili feriendam præbeant? Maiores veſtri, Viri præ-
p.376. ſtantiſſimi, illi, ſæpe pro iniuria arcenda, nonnunquam & pro vlciſcenda, non dubitauerunt gentes, non modo prophanas & a religione abhorrentes, ſed exleges, ſed impias, ſed efferatas, in homines & Chriſtianos, & aliquando morum ſanctitate claros, magnis ad ſe pollicitationibus, quum tamen aliorum ope non excluderentur, allicere. Sic Federicus Ænobarbus homines impios, eosdem alter Federicus, cuius ſupra mentionem fecimus, ſibi in auxilium aſſumpſere : idem ante hos fecerant Honorius, Conſtantinus Conſtantis parens, Theodoſius iunior, Iuſtinianus ſecundus, Palæologus, Leo, omnes Imperatores, & pii, & a bonis omnibus optimi habiti. Poſſem adducere Hiſpaniarum Regem Maurogatum, & earundem Iulianum facile principem, alios item viros pios, qui aliis locis vel regnarunt, vel imperitarunt: ſed eorum malo vobis exempla propoſuiſſe, quorum exiſtimatio iſtius ſit ordinis exiſtimationi coniuncta. Ne Carolus quidem ille ob res in Republica geſtas, Magni cognomentum adeptus, veſtri huiusce Imperii idem author, & propagator, hoc exemplo interdum abſtinuiſſe traditur. Nos, vt maledictum, quod in nos hoc nomine confertur, aduerſariis concedamus, minus tamen veſtris Imperatoribus fecimus. Inducias cum Solymano, honeſtas tamen, & nemini pernicioſas, a viris maximis ambitas, bona veſtra venia, qui ſæpe a nobis ſententias (vt ita dicam) rogati non improbaueritis, pacti ſumus. Eidem aduerſum hoſtem communem noſtrum bellum gerenti copiolas noſtras quasdam ; & triremes paucas ad menſes aliquod, tum in noſtri patrimonii vendicationem, tum vt hac via Reipublicæ caueretur, adiunximus. Si vobis, Viri præclariſſimi, ea re digni videmur, quos communi veſtra amicitia, antiquo veſtro fœdere arceatis: quorum Principem Regem Chriſtianiſſimum ex hoc ordine, cui iure adnumerandus eſt (nam Dux Mediolani eſt, pro eiusque repetitione fidem veſtram ſæpe implorauit, ſæpe Senatum, quo omnis controuerſia a vobis ipſis decideretur, ſibi dari petiuit) ſi inquam æquum videbitur, vt quemadmodum ab aduerſariis de Mediolani poſſeſſione, ita a vobis de ordinis iſtius dignitate eo nomine Rex Francorum deturbetur : multum proculdubio maiorum veſtrorum, quos com-

commemorauimus dignitati, multum illorum memoriæ, quæ sancta vobis
esse debet, detraheris: magnam denique apud omnes mortales perfidiæ
notam illorum nomini inuretis. Quo scelere ne eos obstringatis, neue
illa labe perfundatis, qua vos quoque pro ea persona, quam in huius
amplitudine Imperii sustinetis, si id fiat aspergamini, vestræ grauitatis est,
Viri prudentissimi, vestræque sapientiæ prouidere: neque id tantum pro-
uidere (quod est tamen maximum, vobisque & huius maiestati loci per-
necessarium) verum id quoque, ad quod nostræ orationis vos hortaba-
mur exordio, vt memineritis quo in statu Respublica Christiana sit, vt
ægrotet, vt angatur, vt iaceat, vt medicinam aut a vobis hoc tempo-
re, aut aliunde nullam expectet. Quod præterea sumus polliciti, vt vi
omni ac ratione morbi explicata, nonnulla proponeremus quæ & ad ve-
stras istas cogitationes pertinerent, & ad medendi rationem non vulgare
quidpiam adferrent: ea videlicet Regis Christianissimi verbis vobis propo-
nimus: vt si in retinenda Germaniæ Imperiique istius dignitate partes ipsi-
us esse aliquas iudicabitis: si in sananda Republica in tollendis de medio
contentionibus ipsum posse aliquid putabitis (vt quidem certe videri debet
posse plurimum) cogitetis ipsi, quid super iis rebus ab aliis fieri oporte-
at potissimum, quid ipse præstare queat, quid efficere suo omni officio,
honore, existimatione, quam imminutam, aut ab amico neglectam
esse nolitis. Faciet enim vt intelligatis, ipsum & vestrum de rebus o-
mnibus maximis, mediocribus, minimis, iudicium plurimi fecisse; & quo-
minus quieta, florentique Republica frui possitis, per se minime stetis-
se. Aut si parum existimatis generatim hæc proponi vobis, nisi specia-
tim aliquid expromamus, quod magis vestræ expectationi respondeat: in-
eatur, Sanctissimi ordines, apud vos ratio quo modo funesta bellorum
seminaria illa quæ toties referre piget, de medio tollantur, hoc est pa-
riatur, qua est animi in vos propensione Cæsar, aut vos a se hoc im-
petrare, aut ipsam Rempublicam vt quarum rerum in possessione ver-
satur, ad Christianissimum Regem pertinentium, vti quæ optimo iure,
sed vnde casibus (vt sæpe audistis) deturbatus est, sibi illis vti frui per
Cæsarem liceat, easdemque ipso tradente obtineat, vt sane ipsorum
vtrunque suum obtinere, neutro impediente, æquum est. Hoc si fueri- p.377.
tis assequuti, eadem opera effeceritis vt Rex, communicatis inuicem (quod
aiunt) Fortunæ euentibus, vires suas, opes, facultates, vitam denique
ipsam ad Germaniæ quietem, ad vim omnem externam, quæ ei infe-
ratur, arcendam, repellendamque, libenter vobiscum & bona fide con-
iungat. Quo beneficio scio an maius aliud aut Germanica natio a po-
pulo omni sibi necessitudine coniuncto expectet, aut vobis, Amplissimi
ordines, quicquam proponi a quoquam queat, in quo aut dignitas ve-
stra magis acquiescat, aut vestra libertas. Quid est enim quod in po-
sterum ab omni gentium exterarum tumultu coniunctis semel Galliæ at-
que Germaniæ viribus pertimescatis? aut quæ est natio quam Sol aspici-
at, quæ vobis vim adferre cogitet, si intellexerit, eiusdem in castris
esse, iisdem sub signis militare, eidem parere imperio, hinc Germanici
peditatus robur incomparabile, hinc florentissimas equitatus nostri, &
Franciæ nobilitatis copias? Vel quid est quod de vobis cogitaturus sit quan-
tumcunque formidabilis hostis, si tantum audiuit perceperit, Francos at-
que Germanos, quæ gens aliquando eadem fuerit, nunc repetita memo-
ria prioris ætatis, iterum in vnam veluti stirpem coaluisse, copias, opes,
facultates, vires communis salutis causa in vnum contulisse? Quum au-

tem maiores nostri (Germanos dico, ac Francos) non ita multis seculis Thraciam, Macedoniam, Cappadociam, Græciam omnem, omnem Asiam, Syriam, Armeniam vtramque, ipsam Ægyptum (quæ prouinciæ partim ab infidis sociis tenebantur, partim ab infestissimis Christiani nominis hostibus occupabantur) anni prope unius, & alterius spatio, vel debellarint, vel ad suam authoritatem adiunxerint: Persarum, Medorum, Parthorum tyrannos toties fuderint, quoties illi in aciem prodire ausi sint: plus sexcenta millia hostium & sempiternorum, & in bellis exercitatissimorum plerumque parua manu, prœliis semper maximis cæciderint, eundem victoriæ terminum, quem sui progressus ac voluntatis fecerint: nos eorum soboles, si causam, si arma, si pericula, illorum exemplo inter nos communicauerimus, si vni Imperatori CHRISTO vnanimes, alacres vna militauerimus, erit credo verendum; ne minus fœlices simus in aris ac focis nostris tuendis (quod vos tantum cogitare audimus) quam illi in aliorum inuadendis fuerint: Nisi siqui forte sunt, qui vel nostris exercitibus imperatores desiderent, vel in imperatoribus fortunam. Sed siqui adhuc sunt, qui de ea re dubitent, ii profecto neque satis intelligunt qualem Imperatorem Germania habeat, qualem Regem Gallia, quam sapientes, quam fortes, quam & fœlices, & rei bellicæ peritos: quorum ducum apud ipsos consilia valeant, qui flos iuuentutis, quæ liberorum propago illis succrescat: quorum liberorum in aliquibus paternarum laudum, gloriæque æmulatio haud obscura iam appareat: in aliis, quibus nondum ætas id concessit, tamen indoles quædam elucescat clarissimæ virtutis. Sed eorum bonorum, quæ commemorauimus, quietis istius, quam proposuimus, tantæ ac tam indubitatæ spei fructus ad vos vt perueniat, in vobisipsis situm est, Amplissimi viri atque sapientissimi. Neque enim si ita vt debetis, in negotium hoc incubueritis, existimo Cæsarem (de cuius egregia in Rempublicam voluntate dubitare nos vetat congruens factis plerisque, assidua eius & quotidiana oratio) non inquam existimo Cæsarem illa, quæ si tantis comparentur rebus, pro nihilo habeantur, quum iuste, quum religiose, quum hoc loco petieritis, non libertati vestræ, non Germaniæ quieti, non Christiani nominis saluti esse condonaturum. Accessimus proxime ad vestram de nobis spem, Viri optimi, nisi forte etiam eam superauimus, quum vltro Regis Christianissimi verbis (sic enim in mandatis habebamus) ea vobis detulimus, quæ forsitan eratis verecundius ab illo postulaturi. Nihilominus, quoniam ad aliquid de morum quoque constitutione, & concordia religionis audiendum ipso vos orationis exordio erexisse videmur: pauca hic quædam ea de re subiiciemus. Scitis vt Rex Christianissimus tum pietate animi quadam, tum sua in vos adductus beneuolentia, nullum adhuc tempus intermiserit vestri rogandi, obsecrandi, monendi, quo tandem aliquid siue inter vos ipsos, siue communi suo vestroque consensu constitueretur: vtque apud quosdam ex hoc ordine Illustres viros,
p.378. non vno in conuentu, nec modo eodem, nunc per literas, interdum per oratores sua omni ratione id insinuauerit: denique vt illud idem ab cunctis Imperii ordinibus, Eslingæ, Wormaciæ, Haganoæ, atque hoc ipso in loco persæpe, non contenderit modo, verum efflagitauerit, suaque ad vnum id omnia detulerit. Nunc quum eadem tempestate, iisdem seditionum procellis, illis fluctibus schismatum agitetur Respublica Christiana, quibus tum agitabatur: prospicite animis vestris, Viri prudentissimi, num vel Regis eiusdem opera, vel industria eorum, qui ipsius fidem atque authoritatem sequuntur, vobis opportuna videatur, aut necessaria. Quæcun-

cunque enim Rex pius, & amicus, vel in vniuersum omnibus, vel singulatim aliquibus adhuc alibi super ea re detulit, quæ videntur esse maxima, eadem ipsa, animi affectu eodem, iisdem verbis deferenda hic vobis putauit. Pro quo singulari in vos suo amore, inque maiestatem ordinis istius vetere sua obseruantia, si vicissim eo ipsum loco habueritis, quo amicum fidum, vicinum pacificum, charum fœderatum, ac consanguineum haberi oportet, maximam existimabit sibi vos gratiam retulisse.



PAV-

PAVLI RICCII
ORATIO AD PRINCIPES ET STATVS GERMANIÆ IN SPIRENSI CONVENTV

MDXLIV.

BENEVOLO LECTORI
S. D.
BURCARD GOTTHELF STRUVE



On infrequens olim in Comitiis erat, vt priuati etiam solennes instituerent Orationes de rebus diuersis, quibus Principes vel ad certa bella suscipienda, vel ad alia necessaria hortari conabantur, vt ideo Riccius in Comitiis Spirensibus anni cIↄ DXLIV moribus illorum temporum satisfaciens, idem seruauerit institutum. Erat autem hic Riccius ex Iudæo conuersus, qui Papiæ philosophiam non sine nominis fama docuit. Maximiliano igitur fuit commendatus, ab eodemque in Medicorum suorum numerum adlectus, cui fidem & industriam suam constanter probauit. Inde Medicus factus Cardinalis Gurcensis. Vitam ipsius breuiter saltim descripsit Melchior Adami, qui, licet in scriptis ipsius recensendis sit prolixior, nihil tamen de hac narrat oratione: nec Sleidanus nec Seckendorfius in Historia Comitiorum Spirensium eiusdem faciunt mentionem. Vitæ autem morumque proponit emendationem serio faciendam, hinc bellum in Turcas suscipiendum.*

AD

* *In vitis Medicorum p. 4.*

p. 349. # AD PRINCIPES, MAGISTRATVS, POPVLOSQVE GERMANIÆ, IN SPIRENSI CONVENTV ANNO M D XLIV. HABITO, PAVLI RICII ORATIO.

DE VITÆ, MORVMQVE EMENDATIONE SERIO FACIENDA, ET BELLO IN TVRCAS SVSCIPIENDO.



Enientem *gladium Speculator cum viderit, & populo non annunciauerit, sanguinem illorum qui peribunt, de manu Speculatoris requiram.*

Magna quidem & inconsulta existimari poterit hæc mea hodierna fiducia atque præsumptio, qua ea quæ longo ante hac temporis tractu nulla quidem potuit Romanorum Pontificum sanctitas, nulla præpotentum Imperatorum authoritas, non Regum, non Principum ampla potestas, neque eruditissimorum Oratorum solertia, & consummata dicendi facultas; nunc imbecillis ego, expers eruditione & eloquentia homo, hac rudi & inculta oratiuncula, adeo intrepide audere, aggredi & tentare videor. Verum hac nostra tempestate ad tantum discriminis, ad tantum (proh dolor) calamitatis, & turbulentiæ deuentum est, vt nulla iam Pontificum, Imperatorum, Regum, & Principum authoritate præeunte, nulla suadente Oratorum facundia, res ipsa vsque adeo admoneat, vrgeat atque impellat, vt nisi summus ille cœlorum Pontifex orbis Imperator, & omnium sæculorum Rex & conditor Deus, qui pro communi mortalium salute, nec vnigeniti quidem filii sui sanguini pepercit, nisi (inquam) celeri clementia & misericordia teterrimam gregis sui sortem inspexerit, mox nihil aliud quam fidei & religionis casus & ruina, horrendumque Romani Imperii excidium, vastitas & desolatio expectandum erit. Ecce Speculator religiosissimus Princeps & Rex Ferdinandus venientem properantemque immanissimi & furentis tyranni gladium vobis sacri Imperii proceribus, vobis consultissimis magistratibus, vobis Germaniæ populis, omnibus annunciat: ne æternus ille iudex, vltor, vindexque iustus innocentium Christianorum sanguinem, qui aliorum tarditate & socordia effundi contingeret, de innocentissima eius manu requirat. Horret quippe animus, mens stupet, & cor ipsum trepidat & contremiscit mecum cogitando, ne dum viua orationis voce exprimendo miserum & formidabile excidium, dirumque naufragium, quod Christianorum dissidio & torpore protinus imminere video. En fides iam confunditur, labitur religio, corrumpuntur mores, nullus nec Principum, nec populorum mutuus amor, nullus respectus honesti, viget dominandi libido, viget habendi cupiditas, vigent solicitudo & studia ventris fraudes, rapinæ, incendia, arma. Sæuit interea, sæuit furitque truculentissimus ille Turcarum tyrannus vniuersi turbator, & perditor orbis, ac sitientissimus Christiani sanguinis insidiator & hostis: qui igne & ferro cuncta deuastat, regna subuertit, fidem obruit, eius denique furore & rabie iam vniuersa fere Istri Danubiique ora, & tota pene Illyrica tellus innocentium, heu Christianorum, iuuenum senumque, matrum & infantum sanguine, & cruore madent, optimatum coniuges prostituunt, virgines contaminant, capti-

uant, vendunt, cruciant, & sordidæ seruitutis iugo subiiciunt. Quod si immanissimi huius tyranni sæuitiam & rabiem in Christianam pietatem a primordio quis reputet, cogitetque miserum & importabile iugum, quod spurcissimum istud Barbarorum genus ceruicibus Christianorum imposuit: neminem tam inhumanum, tam rigidum Christiani nominis hominem existimo, qui non in gemitum, in mœrorem, & lachrimarum fontem prorumpat. Si enim magni & pii Constantini tempora inspicias, eiusque memoranda gesta attendas, per plane quidem intelliges, quod sacra veritatis fides, & religio, per vniuersam tunc Asiæ, Africæ, & Europæ plagam velutip. 380. limpidissimus Solis radius effulserit: nulla erat gens, nulla cogniti orbis natio, quæ Christianorum non pareret Imperio, quæ non militaret sub vexillo crucis, & genu flecteret in sublimi & inscrutabili nomine Iesu. Pax alta, & secura erat quies, omni Christiani nominis genti, gens sancta, gens electa & populus acquisitionis, donec tentator malorum Sathanas, horrendum illud Arabiæ monstrum, aspidem & Draconem Mahumetum excitauerit, qui Diabolico instinctu ementita fide, ficta sanctitate, Christianis animis insidiari cœpit, & vepribus, acerrimeque pungentibus spinis, semitam & iter Christi viatoribus intercipere conatus est, & angustam æternæ salutis portam obstruendo, lata via omnium turpitudinum & scelerum plena incedere compulit, ac sub exitialis & perniciosæ libertatis specie, totius ferme Asiæ & Africæ rudem quidem & barbaram gentem ad sui interitum & perditionem allexit. Solet enim stolidum & ignobile vulgus, alioquin ad ventrem & pecudum vitam pronum, longe facilius ad illorum trahi obsequium, qui concupiscentiæ & libidinis frena relaxant, quam illorum obtemperare monitis, qui ad religionem, ad morum vitæque mundiciem intendunt. Quemadmodum & nos ærumnoso hoc sæculo, cum non parum Germanorum dedecoris, & animarum & corporum iactura longe lateque experimur. Quippe puerorum instar, qui promptius lætiusque obediunt cuiquam inerti & petulanti homini, qui xeniola, poma, & crepitacula donat, effrenamque euagandi & cursitandi licentiam, ad eorum miseriam & ruinam concedit, quam vt probo & erudito pareant pædagogo, qui virgæ & ferulæ minis, puerilem inquietudinem & insaniam coercere, eamque ad virtutem capessendam, ad vitæ incolumitatem, & gloriæ incrementum instituere nititur.

REDEAMVS VNDE DIGRESSA EST ORATIO.

HIs igitur impii Mahumeti fallaciis, his fraudibus & præstigiis pedetentim hoc malum irrepsit, & tantum virium sibi vndique desumpsit eundo, vt iam ortum & occasum & Solis occupet vtrumque cubile: nulla fere sit cœli plaga, nulla sublunaris machinæ regio, quæ funesta hac lue infecta, & fœdo Mahumetorum ritu contaminata non appareat. Quocunque vertimus oculos, quocunque cogitatione percurrimus, vbique de Mahumetana colluuie hostes, persecutores & fidei coinquinatores nos circumdant. Sicque in angustum coartati sumus, vt ex tanto spaciosissimi olim Christiani orbis ambitu, nec vnus quidem Europæ supersit angulus, in quo ab hostium incursionibus & Christiani nominis desolatoribus, tuto degere nobis liceat. Si vero singulas per seriem cædes, & clades ab initio Christianæ calamitatis recensere velim, & ea omnia quæ nostra ignauia & ignominia ad hunc vsque diem amisimus, enumerare dixerim, transiret vtique dies, præteriret & nox, nec finem nostra haberet oratio. Transeat ergo omnis Asia, omnis Africa, taceamus veterem ignominiam: recentiora quoque Constantinopolis, olim Christiani orbis oculi, Trapezuntii, Euboeæ, & Illyris horrenda excidia prætereamus. Lamentemur & defleamus ea quæ paulo ante acta vidimus, & præsentibus annis nostros ante oculos versantur.

Vidi-

Vidimus (nondum sex circumuoluuntur anni) Rhodiorum insignem Europæ Insulam,* & Tyrrheni æquoris, totiusque Italiæ, interiorisque Hispaniæ & Galliæ littoris præsidium & columen ingenti Christianorum turpitudine & clade expugnatam, captam, & in miseram barbarorum seruitutem redactam. Paulo post Belgradum, quam Græcanicam Albam vocant, vnicum regni Pannonum, & Germanorum Imperii antemurale, & propugnaculum, nostro dissidio atque socordia cruenta expugnatione superatam, perditam, & in Turcarum coloniam subactam vidimus. Sileo tot interea per Illyrim, Carniolam, & per Pannoniam incursiones, incendia, capturas, cædes, & tot millium animarum exterminia, miserabile horrendumque auditu. Vidimus nouissime inclyti, & toto terrarum orbe celebrandi Vngariæ regni, vniuersæ Christianæ militiæ scutum & munimentum, lugubrem & lacrimabilem ruinam, & desolationem, qua immanis ille Christiani no- p. 381. minis hostis, tanta atrocitate, tanto furore, & rabie debacchatus est in Christianorum sanguinem, ut id absque acerrimo cordis cruciatu, absque mœrore, & gemitu, nec per me quidem narrari, nec a vobis audiri posse existimo. Vbi præpotentem innocentissimumque Ludouicum Regem, pie & strenue pro Christi cruce militantem, in primo floridæ iuuentutis limine, teterrimo conflictu & pugna prostratum sublatumque, ** & vno temporis momento (o perfida, o impia & crudelia fata) vno inquam temporis momento, & vita & regno priuatum exutumque vidimus. Numeroso & structissimo eius exercitu profligato, & ad internecionem quasi fuso & deleto. Et quot ibi orthodoxi piique antistites, quot strenui & nobili stemmate trucidati sunt Duces; quorum alius hasta transfixus, & per castra delatus, alius palo traiectus, alius iugulatus, alius medio sectus, alius patibulo affixus, alius aquarum gurgite absorptus, alius flagro consumptus, alius viuus defossus, aliisque horrendis, & inauditis nouæ mortis suppliciis affectus. Nondum tamen impius ille tot occisorum sanguine satiatus, mox impetit furitque passim per campos, per rura, oppida, vrbes, vbique incendia, vulnera, tormenta, cædes. Nulla perfidus ille promissa, nulla concordiæ fœdera seruat, & contra naturæ leges, contra humanæ pietatis iura infantes, infantes de maternis vberibus & vlnis iugulat in cunis transfodit, vel ad parietem fracta ceruice conquassat, matrem strangulat, senem parentem de tecto præcipitat iuuenem medio secat, vel diris horrendisque tormentis discruciat, & si quos carcere aut vinculis tenet, vel concatenatos per rapidos torrentes transducit, aut illaqueato collo per impetuosa flumina traiicit, non ad humanum aut honestatis vsum, sed ad supplicia, vel sordidam aut omni morte amariorem seruitutem reservat. Talia adeo truculenta, sic impia & nefanda facinora, nunquid auris humana, nedum Christiana, aut mortalis sensus, absque mœrore & suspiriis absque gemitu & eiulatu audire vel cogitare posset? Nulla siquidem gens tam fera, tam rigida, nulla sic inculta & Barbara natio, quin pro patriæ salute, pro gentis suæ securitate & pace, opes, corpora, vires, animumque profundat. Quinimmo & stolida ac vilissima animantium, grues, formicæ, apes, & id genus, pro vita & incolumitate gregis sui tuenda, perpetuis durisque laboribus insudant, & sua cuiusque munia sedulo prosequuntur & curant, confligunt, pugnant, & pulchram (ut Maro loquitur) petunt per vulnera mortem. At prudens & diuinum animal, sanctum Christianorum genus, tot prophetarum oraculis prænunciatum, Christi cruce conditum, Apostolorum prædicatione solidatum, Martyrum sanguine roboratum, Sanctorum legibus, & doctrinis excultum, diuorum Imperatorum, Regum & Principum religione, armisque tutatum, modo ad sui desolationem, ad miserabile sui excidium, & cladem (proh pudor) ita socors, ita somnolentum, stupidum & insensatum iaceat! Nam & adamas omni metallo, & saxo durior, solo hirci sangui-

* Videri possunt Iacobi Fontani *de bello Rhodio libri tres* & Melchioris Soiteri *descriptio belli Pannonici* in Schardii Tomo secundo.

** Vid. Stephani Broderithi *narratio de prælio ad Mohatium.*

ſanguine emollitur, & eliqueſcit: at Chriſtianæ pietatis hominum, ſic aſpera ſic rigida ſint præcordia, tam dura ſint pectora, ut tanta, & nunquam ſatis deploranda innocentium Chriſtianorum cæde, ſanguine & cruore atteri, molleſcere, aut vlla in parte flecti nequeant. O miſeram, o miſeram, miſeramque ſponſam talibus commiſſam paranymphis, qui eius aduerſus calumniatores tutelam, non modo negligunt, & floccipendunt, ſed eam inſuper nonnulli fucato ſuo dogmate; fallacibus pravisque doctrinis prophanare, & effrena (quam Chriſtianam vocant) libertate & libidine diſſipare & ſubuertere, nullo vnquam temporis momento deſiſtunt. Vbi ubinam priſca illa Germanorum gloria, & omnibus ſeculis formidabilis fortitudo, & ſpectata virtus, qua Germanas duriſſimas bello gentes: nec a Romanis quidem, orbis terrarum dominis, licet non ſemel crudeli animo petitas, nusquam tamen victas & ſubactas legimus? Vbi vbinam prior illa Germanorum victus modeſtia, & ipſa pacis & concordiæ altrix, diſſidii & ſimultatum expultrix, frugalitatis & parſimoniæ virtus? Qua Germani præ cæteris mortalibus (ſi præſtanda eſt Hiſtoriæ fides) auri & argenti maximarum peſtium fuere ſpretores, qua & omnem veſtimentorum ſpernebant cultum, & amictuum protinus abiiciebant blandimentum, qua & vlni contemnebant, ac ignorabant, vſum, nec aliunde id importari permittentes, quod eius intemperie, & luxu mentem hebetari, & ad labores homines molleſcere & effeminari arbitrabantur. Vbi vbi denique prior ille Germanorum fidei fervor, & pertinax religionis cuſtodia & obſeruantia cuius merito eximium Imperii decus, quod primo ab Aſſyriis, Perſis, Macedonibus ad Romanos pervenit, vltimo loco ad Germanos commigravit, vti ad eos qui præ cæteris nationibus digni habiti ſint, quibus Chriſti vexillum, eiusque reipublicæ cuſtodia & gubernacula committantur. Nunquid tanta, & omni ævo memorabilis extincta eſt Germanorum gloria, tantus roboris & fortitudinis ſplendor euanuit, vt nulla ſit reliqua reſipiſcendi facultas, nulla expectatio priſtini decoris, laudisque recuperandi? Longe & procul auertant id Superi. Quinimmo ſi vlla vnquam futura eſt ſpes labentem Chriſtianorum orbem reſtaurandi, ſi vlla datur fiducia orthodoxam pietatem in priſtinam eius ſpeciem ſuumque vigorem reſtituendi, hanc vel maxime quidem in Germanorum præſidio, virtute, & ope ſitam exiſtimo. Cum innata ſint Germanorum proſapiæ fidei, religionis, & militaris diſciplinæ ſemina. Quæ tametſi modo non coalueriut, obſtantibus diſſidio, pompæ libidine, & intemperie victus, quæ præclaram hanc ſementem obnubilant, ſuffocant, & corrumpunt, facile tamen in priſtinum vigorem floremque reſurget, ſi hæc tria omnium quidem malorum radix & fomentum abſtuleris.

p. 382.

Diſſidium namque, livor, & ſimultas quantum incommodi, quantum damni, & ruinæ humanæ ſocietati afferat, concordia vero & amor quantum incolumitatis, & vitæ dulcedinis pariat, operæ precium minime fore exiſtimo id longa verborum & orationis ſerie oſtendere, cum id palam, clariusque res ipſa demonſtret, naturæ quoque, & rerum ordo, immo & ipſa iumentorum conditio doceat, & ſacra authoritas multis quidem modis admoneat. Concordiam enim & vnanimitatem tanti facit diuina authoritas, vt eam religionis etiam obſeruantiæ, & altaris ſacrificio anteponendam ſtatuit. *Si offers*, inquit, *munus tuum ad altare, & ibi recordatus fueris, quod frater tuus habet aliquid aduerſum te, relinque munus tuum ante altare, & vade prius reconciliari fratri tuo.* E diuerſo diſcordiam, & odia vsque adeo abhorret diuina ſollicitudo, vt & ipſum nephandum idolorum cultum diſſenſionis ac diſſidii crimini poſtponendum docuerit. *Particeps*, inquit, *idolorum Effraim dimitte eum, diuiſum eſt cor eorum, nunc interibunt.* Omne enim regnum (inquit veritas) *in ſe diuiſum deſolabitur, & omnis civitas, vel domus diuiſa contra ſe non ſtabit.* Docuit idipſum claro experimento prudens vir Sertorius. Duos enim equos in medium produxit, vnum ſolidum robore & floridum annis, alterum vero languidum, tabe & annis confectum, exinde languidi & ſqualidi equi caudam iuueni & viribus potenti homini euellendam tradidit: Floridi autem & robuſti equi caudam, imbecilli & ſeni homuncioni erun-

can-

caudam commisit. Tum vir iuuenis suo robori innixus, & tabidi equi imbecillitate inspecta, caudam vno & perpetuo tractu totam insimul extirpare incaute ac temere, & frustra denique præsumpsit. Senex vero homuncio, perspicacius rem considerans, ipsius floridi & robusti equi caudam in exiles portiunculas diuisit & sparsit, quas minutatim & tractuum frequentia extraxit, ita vt breui temporis spacio vniuersam robusti equi caudam tabidus ille senex nulla molestia, nulloque labore funditus euulsit. Quo sapiens vir ille admonuit, quodcunque exiguum & tenue robur, si concors, si iunctum fuerit, non facile etiam a solidiori ampliorique potentia vinci aut superari posse: e diuerso quo valida & perampla potestas, si disiuncta & sparsa fuerit, a quauis exili & imbecilli manu opprimi, subiugari, & extingui poterit. Docet idipsum sagax iumentorum instinctus, quod strenuus ille Dux Dacum Cotio in Principum illius gentis consessu prudenti quidem facto ostendit. Duos enim ferocissimos canes congredi, & in invicem sævire permisit, quos vbi acriori certamine, & rabie ferocire cognouerit, lupum clam superimmitti iussit, quem canes cum vidissent, evestigio, omni eorum lite dirempta, concordi fœdere in lupum profligandum conuersi sunt. Si igitur bruta stolidaque iumenta priuatum certamen & odium, vt in communem hostem insurgant, deponere non dubitant: tu qui rationis compos es, homo, qui Christianæ pietatis cultor, qui rerum publicarum moderator, quid debeas, quid ad te spectet, tuipse cogita & considera. Docet idipsum naturæ & rerum
p. 383. ordo, quod vniuersa quæ natura ipsa effingit atque producit, sola concordia gignit, ac genita conseruat, quod quamuis in omnibns & singulis, quæ naturæ opere constant, plane appareat, evidentius tamen hoc in nostra humana compagine videre & experiri licet. Vbi si concordiam, & mutuam membrorum opem abstuleris, mox in tabem & corruptionem tota corporis tui moles redigatur necesse erit. Nosti haud dubio sapientis apologum, quem & nunc sedulo rogo attendas. Pedes & manus conquesti de viscerum tranquillitate, & ocio ventris, suosque perpetuos motus & agitationes lamentantes, ineunt demum consilium, quo decernunt nil exinde operis & ministerii sui impartire visceribus & ventri. Venter autem & viscera inanita, a pedibus manibusque solitum sibi subministrari petunt alimentum, illi stolida pertinacia negant, longa tandem inedia, & defectu restaurantis, iam innatus calor hebetatur, & vis naturæ labitur, ipsi quoque manus & pedes titubantes, & iam naturæ casum persentientes annixe sollicitant, & omnem operam dare, opemque præstare festinant: at sero nimium, iam prostrata est eorum mouendi & agitandi virtus, deest & ventri cibum concoquendi facultas. Evenit denique ex pertinaci illo membrorum dissidio, vt paulo post squaleant omnes corporis artus, extinguatur calor, spiritus evolet, & vniuersa demum compago in putridum cadaver conuersa sit. Apologus, nostri temporis calamitatem perplane, si aduertis, designat: vbi pedes & manus ruris scilicet coloni, opifices, & plebei, aduersus reipub. viscera & moderatores, nefanda temeritate insolescunt. Rudes enim agricolæ, & plebei, Principum & magistratuum munia & gubernacula ambiunt, macellarii & pistores sacerdotii ministeria & opera sibi præsumunt. Sutores & cerdones se legum & sacrorum Canonum interpretes iactitant. Mulierculæ (o insania, o furor) mulierculæ de mysteriis, & reconditis fidei Sacramentis philosophari, & censere non dubitant. Cave, cave inquam, iterum dico cave, & cœli auertant omen, & tu, nisi maturius ociusque resipiscas, & animum a contentione, & livore temperes, ac vnum quodque reipub. tuæ membrum id muneris exerceat, quod diuina sanctio, & naturæ ordo cuiq; distribuit, mox parem experiaris exitum, quem & præfata dissidentium membrorum compago misere persensit.

Luxus vero perniciosissima reipublicæ labes quantum iam vniuersam Germanorum gentem occupet, & quam procul hæc ipsa a maiorum suorum frugalitate & modestia degeneret, nemo est qui non iudicat. Ratus siquidem homo ille, cum quantumlumcunque nobilitatis iactitet, vel alicuius opulentiæ ciuem, mercatorem vel opificem agat, qui indumentorum cultu lanea dignetur veste, nisi exotico & peregrino

Britanniæ aut Hiberniæ vellere contexta: qui non ignominiosum putat ovinis vulpinisque tegi pellibus, aut qui vulgaris lanificii pileo,& sago sit contentus: nisi bino & trino ex oloserico, & purpura martrina aut sebelina (ut vocant) pelle subducto, splendeat indumento, & nisi pileo (quod byretum appellant) ex Lugduno Galliæ adventitio luxuriet, coccineo margine circumsepto, & aureis exculto fibulis, cum sinuosis ex purpura vittis, idque scissurarum varietate, flatibus, imbribus æstuantibusque solis radiis sit peruium. Diploide quoque & caligis cum fuluo, aut vermiculari substrato serico, quod per fissuras,& rimulas sexcentum transfulgeat: nec non & byssina camisia, aureo, & acupicto circumdata collo limbo, similique fastu & pompa lasciviat. Taceo inexplebilem mensæ, & obsoniorum libidinem, qua non tribus, non quatuor esculentis, non vna vel bina vini, aliorumque potuum varietate sunt contenti: neque satis reputant, bis terque in die ad mensam recumbere, nisi & somnifero noctis poculo Pizinum, Falernum, Ribolium, Creticum, & id genus meri ingurgitent, quibus omnem sane prouentum, quæstus, fortunasque omnes absumis, corporis simul & animi vim, roburque prosternis. Fies viribus imbecillior, in re pauperior, ad religionis opera segnior, ad consilium obtusior, ad bellicum apparatum impotentior. O scelestam & flagitiosam pompam, o crudelem & impium luxum inanem, qui illustrium domos dissipas, optimatum cognationes disperdis, destruis regna, & omne sublime Imperium subuertis, & nemo est qui te caueat, qui reiiciat vel contemnat. Si digitum tuum virulenta lues corrumpit, si manum si pedem venenata vlcera inquinant, non dubitas digitum manum pedemque ferro & igne totum absumere, vt residuum corpusculi tui custodias, & serues incolume. At pro vniuersæ Christianæ reipubl. incolumitate & tutela, quam ob exorbitantem luxum tuum, & effrenam pompæ libidinem, in vltimo iam exterminii& vastitatis discrimine constitutum,& vides & palpitas, nec vnum tamen (o dedecus, o pudor) nec vnum nocturnum poculum, non vnum obsoniolum, neque minimam blandidulam vestem, & amictus pompulam, fastumque abscindendum vel temperandum ducis. p.384.


Quod si nulla te pietas, nulla religio, aut primorum tuorum gloria, & virtutis splendor moueat, vnicum hoc pientissimi Ferdinandi Regis exemplum te inflectere, allicere & trahere debet. Procul sit omne lenocinium, & palpans adulatio, ex re ipsa loquor, quæ omnem hanc laudem longe quidem superat & præcellit, nouit ille, qui est reconditorum scrutator & cognitor Deus. Is enim religiosissimus Rex Ferdinandus, tanto stemmate, & alto sanguine natus, in tam sublimi sceptrorum, & regnorum specula constitutus, iuuentutis in eo florentibus annis, calcato tamen iuuenilis spiritus ardore, reiectis voluptatibus, spretisque omnium delitiarum illecebris, nulla (vbi de religione, & publico commodo agitur) nulla aduersa, nulla incommoda, nec æstus, nec frigora, non ventos, imbres, aut grandines horret, nullis vigiliis, nulla inedia, nec quibuscunque anxiis laboribus frangitur, & modo tanquam solers & vigil Christiani gregis Speculator, ac strenuus antesignanus crucis, aduersus trucem & furibundum Christiani orbis exterminatorem in aciem ad pugnamque descendere,& pro commisso sibi grege copias, opes, vires, animumque obiicere non formidat.

Exaudiri autem mihi video susurrantis, & secum murmurantis vocem dicentem: Et quid mirum, quod Rex Ferdinandus arma moueat, copias colligat, vires conatusque omnes in hostem intendat? cum eius iam interest & ad eum præ cæteris Germaniæ potentatibus spectat, impii tyranni furorem impetumque compescere, qui eius Pannoniæ, Croatiæ, & Dalmatiæ regni iam viscera penetrat, incendit, vastat, & quæque regni illius præsidia & propugnacula occupat, cæteri vero Germaniæ Principes, magistratus, & populi, adhuc procul sunt ab hoste, nondum illorum pulsat fores, nullius confinia, nullius adhuc limina tangit. Hæc tecum cogitas, hæc murmuras, hæc dicis? O improuidam, o vanam nec homine dignam vocem. Si enim non prius resistendum, non pius bellum parandum dixeris, quam cum vibrantem iam hostis gladium, & mucronem in te stringi videris, flammarum & incendii voraginem

palpitando ſenſeris, quod obſecro inter hominem & iumentum, quod inter prouidam & rationalem creaturam, & inter belluam diſcrimen facies? quandoquidem nullum eſt adeo torpidum ſtupidumque belluarum genus, cum videt, cum ſentiat hominem, aut feram inuadentem, quin mox inſurgat, dente ferociat, cornu & calce petat, vel vnguibus feriat perſequentem. Aut quis adeo incircumſpectus, & expers conſilii homo, qui non iudicet, qui palam non videat, ſi adhuc ſemel horrendum illud monſtrum in Vngariam irrumpat (quod faciet, niſi tua religio, prudentia & arma reſiſtent, cum regni illius iam claues, arces & præſidia occupet) quin ſtatim in Auſtriacas prouincias irruet, & cuncta ferro & igne ſolita truculentia & rabie vaſtabit. Et quid tunc quæſo obſtabit, quis iter claudet, & aditus obſtruet, quin eveſtigio, veluti perfracto magni fluminis aggere, impetus illius nulla tunc mole, nullis obicibus contineri poteſt. Sic impius ille Tyrannus mox per Bauariæ, Sueuiæ, Rheni, & Saxonum plagas impetat, ferociat, ruinis & cædibus omnia compleat: adeo (auertant id Superi) vt Rhenus & Albis, quemadmodum Danubius & Iſter, innocentium Chriſtianorum inficiantur cædibus, ſanguine & cruore rubeant. Sed eſto, & admiſſo (quod tamen nemo prudens dixerit) vt ſæuus ille tyrannus, cum Vngariam ſubegerit, Auſtriam euerterit, pedem ibi ſiſtat, & in te gladii ſui furorem non conuertat, nunquid tibi videretur humanum, nedum pium & Chriſtianum, populi tui ruinam & cladem dimiſſis conniuere palpebris, & veluti ignauus & ſtupidus homo aliorum calamitatem, complicatis in vnum manibus ſpectare & intueri? Si in foribus ciuis tui tecta rapi incendio, eiusque ædes, ſuppellectilem, coniugem, infantes crudeli vorari flamma videas, nonne impius & ſceleſtus reputaberis homo, ſi mox non clamites, vicinos excites, aduoces, & tu ipſe præcipiti pede aduoles, manu & dorſo, viribusque omnibus opem feras? Sic euangelica veritas ouem vel bouem qui in
p. 385. foueam ceciderit, eripiendum enunciat: ſi & Moſis ore præcipit vt aſinum ſub opprimente onere iacentem erigas & ſubleues: fidelem hominem, & vaſtam Chriſtiani nominis multitudinem, pro qua Chriſtus ſeruator ſputa, flagella, crucem, vulnera, plagas, amarulentæ denique mortis ſupplicia non abhorruit, tu qui Chriſti ſeruum ſpondes, qui auditorem & factorem verbi polliceris, de profunda hac anguſtiarum fouea & voragine eripere, & de truculenta manu trucidatoris, ſanguinem tuum ſitientis protegere & eruere abhorrebis? Abſit nefanda hæc crudelitas, horrendaque impietas, ab innata Germanorum ſodalitate & dulcedine, qui non aliunde vocati ſunt Germani, niſi ex eo quod ſe mutua benignitate, & amore quaſi fraterno ſanguine iuncti amplectuntur, & fouent. Cuius olim beniuolentiæ & fraternæ concordiæ merito nulla fuit vnquam orbis terrarum natio, nulla quantumcumque dura & atrox bello gens, quæ tanta virtute & gloria Tyrannorum impetum & violentiam coercuit, ſuamque genuinam libertatem tutati ſunt, quemadmodum Germani. Quis enim populorum, quæ gens vel natio Magni Alexandri Macedonis, orbis domitoris vim repreſſit, eiusque impetum compeſcuit, ne Danubii ripas excederet, niſi Germani? Darius Hidaſpis filius, & Cyrus præpotentes Aſiæ reges, Danubium traiicientes auſi non ſunt attingere Germanos. Octaui Augusti legiones apud Cariſcos ad internecionem deleuerunt Germani. Tiberium quoque Vindelicos armorum impetu aggreſſum, in fugam, & extra ſuos limites coëgerunt Germani. A Veſpaſiano ſummo poſtea Imperatore duabus & triginta pugnis commiſſis ſuperari, & vinci non potuerunt Germani. Longobardorum diuturnam tyrannidem, quæ nulla Regum neque Principum potentia, & nullo robore retundi & cohiberi potuit, ſuperarunt & extinxerunt Germani. Tanta denique & tam acris erat Germanorum belli, & pugnandi virtus, vt natum ſit inter finitimos adagium; *Male qui pugnare velit, cum Germanis pugnet.* Si prioribus ergo ſeculis Germani, dum adhuc ſub mundi ſeruiebant elementis, & muta Gentium colebant ſimulachra, nec dum regale ſceptrum, nec dum imperii faſtigium adepti, virili ſemper audacia, & inconcuſſo animo & robore aduerſus regum imperia, ferociſſimarumque gentium irruptiones & impetus, ſuam libertatem & gen-

gentis ſuæ tranquillitatem pacemque tutati ſunt, modo ſumma religione, ſummæ
veritatis fide inſtructi, diuinis legibus moribusque inſtituti Imperatoria maieſtate
decorati, militari diſciplina & armis præ cunctis gentibus muniti: quanto condecen-
tius, quanto oportunius, atque glorioſius pugnandum ſit vobis aduerſus atrociſſimi &
furibundi Tyranni gladium, aduerſus ſeruilem & ſpurciſſimam omnium mortalium
colluuiem, quæ non modo agros domosque vaſtando, ſuppellectilem diripiendam
quærit, ſed vitam veſtram, filiorum, matrum, & infantium ſanguinem & oſſa petit,
ſacratiſſimæ fidei, & religionis exterminium affectat, principatus veſtros veſtrumque
imperium non vt poſſideat, ſed vt perdat, deleat & extinguat, requirit, quod non ſe-
mel ex impio & polluto huius Tyranni ore auditum eſt. Non prius velle reuocare
manum, ferrum & ignem a Chriſtiano populo, nec ſatiari ſe poſſe Chriſtianorum ſan-
guine, donec illorum tollat & exterminet imperium eiusque memoriam & nomen
funditus deleat & extinguat.

Agite igitur, exurgite vos ſacri Imperii proceres, vos conſulentiſſimi magiſtra-
tus, & populi omnes agite, & arma, tela, enſesque arripite, & rumpite moras ante-
quam cadant de montibus vmbræ, & repentinæ indelebilesque ærumnarum vos te-
nebræ comprehendant. Iam ad arborem poſita eſt ſecuris, iam peſtifera illa lues
veſtra ad vsque limina ſerpſit, paululum moræ ſi feceritis, actum erit de fide, de re-
ligione, imperio & principatibus veſtris. Agite itaque & exſurgite dum tempus eſt,
dum parum adhuc diei eluceſcit, & pientiſſimum Crucis anteſignanum Regem co-
mitamini Ferdinandum, qui pro religione, pro Chriſtiano populo, pro veſtroque
imperio, ſceptra, regna, copias, fortunas, viresque opponere non formidabit. Agite
denique pro illius fide, qui pro vobis in Cruce pependit, agite pro religione, pro-
pter quam ſancti dira ſubierunt mortis tormenta. Agite pro imperio, principatibus
& magiſtratibus veſtris: quæ Othones, Henrici, Federici, cæterique maiores veſtri,
religione, armis, ſuoque ſanguine adepti, & tutati ſunt. Agite pro veſtro, pro fi-
liorum, pro coniugum, & innocentium paruulorum ſanguine & cruore, quem pe- p. 386.
tiit, quem ſitit immanis ille & furibundus Dei & naturæ hoſtis. Age denique, & diſſi-
dium liuoremque depone, depone faſtum & pompæ libidinem, depone luxum & in-
temperiem victus, vt illa tibi innata virtutum ſemina coaleſcant, & in priſtinum
gloriæ, & in ſplendoris tui germen floremque reſurgant, eriſque viribus incolumior,
in re opulentior, religionis cultu vigilantior, ad conſilium perſpicacior, ad
bellicum apparatum munitior, in cunctis denique rebus tuis gerendis, acti-
bus & ſucceſſibus tuis eris felicior, & in omne æuum beatior.



IOA-

IOACHIMI CAMERARII
HISTORIA
BELLI SMALCALDICI.

LECTORI BENEVOLO
S. D.
BURCARD GOTTHELF STRUVE



Nsignis vir erat Ioachimus Camerarius, cuius vitam & elogia præter Melchiorem Adami, plures alii scripserunt. Sufficit nobis elogium Thuani hic adduxisse, dum ait : * Camerarius loco nobili, sed in modicis opibus natus, ad hæc specie ingenua præditus nobilitatem generis, quantum per conditionem & ætatem licuit, nobilibus exercitiis retinuit, equitandi peritia insignis, de qua ad Xenophontis librum, quem de re equestri scripsit, a se Latine versum ac notationibus explicatum, peculiarem commentarium subiecit. De cetero cum vitam otio litterario consecrasset, post perceptam vtriusque linguæ exactam notitiam, quam & variis scriptis illustrauit, non solum ad bonos auctores in vtraque lingua interpretandos tam poetas quam oratores & historicos, sed etiam in solidioribus philosophiæ mathematicarum artium, & postremo theologiæ studiis multa commentatus est, ad quæ omnia, quod pauci ante illum fecerunt, politioris litteraturæ ornamenta semper attulit, variis in omni doctrinæ genere lucubrationibus aut dum vixit, editis aut post mortem a tanto patre dignis filiis publicatis, quæ sparsim & diuersis temporibus ac locis per particulas edita, cum eiusmodi sint, vt iis ad rem litterariam plurimum emolumenti sit redundaturum, simul omnia aliquando edi reipublicæ maxime interest. Constans ac perpetuus Philippi Melanchthonis amicus fuit, eius studiorum, voluntatum, ac consiliorum particeps, & cum ipse Lipsiæ larem fixisset, & ille Vitembergæ profiteretur, per literas amicitiã eam toto XXX annorũ tempore coluerunt, & Melanchthonis quidem literas ipse Camerarius post mortem eius studiose collectas ac digestas publicauit, suis non insertis, quarum partem filii post patris obitum, tum alias ad diuersos duobus voluminibus distinctas ad utilitatem publicam ediderunt. Tandem vir optimus & de rep. tot exantlatis laboribus bene meritus ex hac vita migrauit XV Kal. Maias. *Reperitur hæc Historia in Catalogo Scriptorum eiusdem, quam breuiter quidem, ast accurate descripsit Camerarius, ita, vt Protestantium errores minime reticeat. Græco sermone eandem scripsit, vt, prout ipse testatur, Græcorum etiam gens de gestis istis edoceatur. Simon Stenius vero, Lomacensis, qui Heidelbergæ Græcas litteras docuit, & sub initium seculi superioris vixit, hanc historiam in latinum transtulit sermonem, atque supplementum adiecit, in quo prœlium ad Mühlbergam, vna cum Io. Friderici Electoris captiuitate describit. Hanc ipse Stenius Frebero transmisit, prout ex ea, quæ statim subsequitur epistola patet.*

* *lib. LIX. p. 66.*

BELLI SMALCALDICI
ANNO M. D. XLVI.
INTER CAROLVM V. CÆS. ET PROTESTANTIVM DVCES GESTI,
COMMENTARIVS
GRÆCO SERMONE ELEGANTER SCRIPTVS

A

CL. V. IOACHIMO CAMERARIO

PABEPERGENSI.

CVM

VERSIONE LATINA ET SVPPLEMENTO

SIMONIS STENII LOMACENSIS.

V. N.

MARQVARDO FREHERO

CONSILIARIO PALATINO.

SIMON STENIVS

S. D.

Remitto ad te, Vir nobilissime, Camerarii ξυγγραφὴν *Latine a me redditam. Quia autem nonnulla deesse videbantur, visum est & illa supplere, & quidem breuiter, vsque ad captiuitatem Saxonis: quæ recte (vt puto) hanc conscriptionem finit, vt Iliada mors Hectoris. Nam quæ secuta, ex vita Mauritii peti poterunt, vel multo magis ex aliis luculentis historicis Vale & me ama. Sign. XVIII. Iulii. M. DC. VI.*



DE BELLO SMALCALDICO. p. 389.

Ἐπειδὴ καθέστηκε τηλικοῦτος τὸ μέγεθος πόλεμος, αἰφνιδίως μὲν ἐξαφθεὶς, σφοδρότατος δὲ τῇ ὁρμῇ ἀεὶ τὰ ἐχόμενα εἰς τὸ πρόσω νεμόμενος, ἔδοξέ μοι ξυγγράφειν τὰ ἐγνωρισμένα ἡμῖν, δυοῖν μάλιστα ἕνεκα, τοῦ μὲν ὅτι ἑώρων ἄρχεσθαι ἤδη ἐκβαίνειν πρὸς τὸ τέλος τὰ πολλὰ, ὑπὸ τῶν πάλαι προειρημένα ἔκ τε τινῶν ἀστρολογικῶν ἐπινοιῶν καὶ ἀδήλων χρησμῶν τε καὶ ἐνθουσιασμῶν, καὶ δὴ κατὰ τὰ παρὰ τοῖς πρεσβυτέροις ὥσπερ πατροπαράδοτα μαντεύματα ᾀδόμενα τε καὶ φατιζόμενα. ἕτερον δ' ὃ προετράπην ἐπὶ τὴν ξυγγραφὴν τόδ' ἦν, ὅτι ἐτεκμηράμην πάνυ πολλοὺς ἔσεσθαι τοὺς ἱστορησομένους τὰ νυνὶ γεγονότα, καὶ ὡς τὸ εἰκὸς ἕκαστον ἐκθήσεσθαι τὰ πεπραγμένα κατὰ τὸ αὐτῷ δοκοῦν τε καὶ ἀρέσκον. ἐπιπροσθοῦντος ἀεί τι τῇ ἀληθείᾳ τοῦ πάθους, καθάπερ τις ἤτοι φιλίας ἢ μίσους ἔχοι πρὸς ἑκατέρους τοὺς διεστηκότας. οὐ γὰρ χειρῶν μόνον καὶ παρασκευῆς καὶ ἔργων κίνησις μεγίστη ἦδε, ἀλλὰ καὶ φρενῶν καὶ γνώμης καὶ σπουδῆς ἐπίστασις δεινή τις ἐγένετο παρὰ πᾶσιν, ὡς εἰπεῖν, ἀνθρώποις. ἡγησάμην δὲ πρὸς τοὺς μεθ' ἡμᾶς ποτε γενησομένους, εἴπερ τισὶν εἴη ἐπιμελὲς ἴσως ἐπιγνῶναι τὰ συμβεβηκότα ἀδεκάστως τῇ μνήμῃ παραδοθέντα, καὶ οὐ διαστραφέντα τῇ τοῦ διηγησομένου οἷον προσνεύσει τινὶ ἐπὶ θάτερον τῶν συρραγέντων μέρος, διὰ ταῦτα δεῖν ᾠόμην ἐπὶ τὸ διαφθορεῖν

QVANDOQVIDEM bellum ingens repente inſtar incendii exarſit, & vicina quæque deinceps continua vehementia impetus ſui corripuit & abſumſit: viſum eſt ea conſcribere, quæ de eo mihi innotuerunt, duas potiſſimum ob cauſas: primum enim videbam paulatim euenire, & ad exitum perduci ea, quæ magno numero iampridem prædicta fuere, tum ex aſtrologicis quibuſdam conſiderationibus, tum ex oraculis obſcuris & enthuſiaſmis, ſecundum diuinationes a grandioribus natu decantatas & celebratas, quod a patribus ſe has accepiſſe dicerent: deinde ad conſcriptionem etiam hoc me incitauit, quod coniiciebam multos fore, qui hiſtoriam de iis, quæ modo facta ſunt, deuulgaturi eſſent, & vnumquemque de rebus geſtis expoſiturum ea, quæ ſuæ opinioni arriderent, cum ſemper obſtruere luminibus veritatis affectus ſoleat, quatenus nimirum quiſque vel amore vel odio tangitur partium diſſidentium. Non enim tantum manuum & apparatus, & facinorum motus hic extitit maximus, ſed animorum etiam, ſententiarumque & ſtudiorum apud omnes (vt ita loquar) mortales vehementia. Putaui autem poſterorum etiam reſpectu (ſi forte aliquibus curæ erit cognoſcere ea quæ acciderunt, caſte & integre memoriæ tradita, nec narrantis inclinatione quadam in alteram digladiantium inter ſe partem detorta.) Putaui igitur hac de cau-

p.390 causa incorruptam narrationem & historiam quandam sinceram contexendam esse de iis, quæ quasi in propatulo & in oculis omnium gesta forent. Optarim autem hanc elaboratam fuisse ab vno aliquo ex iis, qui & scirent omnia, & primas quasi rerum causas attendendo essent assecuti, qui veluti consiliarius fuerit & ad deliberationes adhibitus ab iis qui vniuersis negociis præfuerunt. Hic enim vt oculatus testis accurate possit commemorare, quæ passim factitata fuere: & plenius atque eruditius exponere, cum in ciuili prudentia & experientia, spectatior sit, quam nos. Quia autem incertum erat, num talis aliquis scriptor inueniri posset, nos rem aggressi sumus, plurimorum sane & maximorum, (qualia omnino sunt, quæ causam & initium belli præbuerunt) ignari, & in elocutione minus fortasse exercitati, quam debebat esse is, qui ad huiusmodi conscribenda accedat, facultate orationis prorsus destitutus. Verum enim vero non potuimus non rationem habere veritatis manifesto in periculo versantis, propter sermones tum in circulis & conuiuiis vsurpari solitos, tum multorum literis disseminatos. Cæterum libero, &, (vt ita dicam) aperto ore narrationem exponemus sine omni fortassis ornatu, & in qua aliquid desiderari possit, non tamen falsam aut gratificãtem cuiuscumque sane vel auribus vel voluntati: imo sine omni dissimulatione ea etiam indicare conabimur, quæ forte in mentem venerint de cognitis & deprehensis. Ac visum est vti lingua Græca, vt etiam, si fieri possit, hæc gens de his omnibus veritatem edoceantur. Est autem patria mihi vrbs nomen sortita a monte pauonis in finibus Franconiæ, vbi alueos suos miscent Moganus & Rhegnessus. Ita enim in quibusdam de Carolo Magno confectis monumentis scriptum legitur; Nomen autem nostrum * Græcorum lingua versum erit Anastasius.

Multis igitur in Germania motis disputationibus, tum de doctrina ecclesiastica, tum de institutis ac ritibus, quæ in hac continentur, cum errorum impietas defenderetur manifesta, vt constabat omnibus, atque in multis deprehen-

τινα λόγον καὶ ἀκραιφνῆ ἱστορίαν τῶν φανερῶν γοῦν καὶ ἅπασι πρὸ ὀμμάτων γεγενημένων πραγμάτων ἀποδείξασθαι, καὶ βουλοίμην ἂν ἐξεργάσασθαι ταύτην τινὰ οὐ μόνον τῶν εἰδότων ἅπαντα καὶ παρηκολουθηκότων ταῖς ἄνωθεν αἰτίαις, ὡς σύμβουλον ἀπ᾽ ἀρχῆς τυγχάνοντα, καὶ συνέδρον τῶν προεστηκότων τοῖς ὅλοις, καὶ ἀκριβῶς τὰ ἑκάστοτε ἀποτελεσθέντα, ὡς αὐτόπτην γενόμενον διελθεῖν δυνάμενον, ἀλλὰ καὶ φύσει μᾶλλον ὑμῶν πολιτικὸν νοῦν ἔχοντα, καὶ ἐμπειρίας ἐπὶ πλεῖον ἥκοντα, καὶ ἐκφράζειν ἐπὶ τὸ σαφέστερόν τε καὶ λογιώτερον ἐπιστάμενον. ἀδήλου δὲ ὄντος εἴτις τοιοῦτος ξυγγραφεὺς εὑρεθείη που, ἡμεῖς δὲ τὸ λοιπὸν ἐπεβαλόμεθα τῷ ἐγχειρήματι τῶν τε πλείστων καὶ μεγίστων οἷα εἰσὶ πάντως τὰ αἰτιώδη ἀρχικὰ ἀγνῶτες, καὶ τὰ περὶ τὴν λέξιν ἧττον ἠσκηκότες ἢ ἐχρῆν τὸν ξυγγράψαι ταῦτα προῃρημένον, τῆς δὲ τοῦ λόγου δυνάμεως παντάπασιν ἄμοιρος ὤν. ἀλλ᾽ οὐ γὰρ οἷοί τε ἐγενόμεθα περιόψεσθαι τῆς ἀληθείας περιφανῶς ἤδη κινδυνευούσης ἐκ τε τῶν ἀγοραίων τούτων καὶ συμποσιακῶν καὶ τῆς διὰ γραμμάτων ἐνδείξεως, διαθρυλλουμένων, τὸ λεγόμενον, τοῦ τε στόματος ἀνοίγομεν πύλας, καὶ ἐνδεῆ μὲν ἴσως πάνυ δὲ ἀκαλλώπιστον ἐκτιθῶμεν τὴν διήγησιν, οὐδαμῶς δὲ ψευδῆ ἢ κατακεχαρισμένην οὑτινοσοῦν οὔτ᾽ ἀκοῇ, οὔτε βουλήσει, καὶ μηδὲν ὑποστειλάμενοι δηλῶσαι πειρώμεθα, ἅτινα καὶ ἐπὶ τῶν καταληφθέντων ἐνθυμηθῆναι ἡμᾶς ξυμβῇ. ἐδόκει δὲ χρῆσθαι ἐν ἑλληνικῇ γλώττῃ· ἵνα καὶ πῶς οἱ Ἕλληνες διδαχθεῖεν περὶ τούτων τὴν ἀλήθειαν. ἔστι δ᾽ ἐμοὶ πατρὶς μὲν ἡ καλουμένη ταῶνος ὄρος πόλις μεθορία τοῖς Φραγκοῖς ἔνθα σχεδὸν ὅτε Μογάνος καὶ Ῥήγνησσος συρρέοντες μίσγονται ἀλλήλοις. οὕτω γὰρ ἔν τισιν Bamberg. ἐπὶ Καρόλῳ τῷ μεγάλῳ ὑπομνήμασι ποιηθεῖσιν ἀναγέγραπται, ὄνομα δὲ εἰς τὴν Ἑλλήνων γλῶσσαν μεθερμηνεύεται Ἀναστάσιος.

Πολλῶν τοίνυν συζητήσεων ἐν τῇ Γερμανίᾳ γεγενημένων περί τε τῆς ἐκκλησιαστικῆς διδαχῆς, καὶ τῶν ταύτῃ ἐμπεριεχομένων ἐπιτηδευμάτων τε καὶ θεσμῶν, ἀναμφισβητήτως ἤδη χειροδεικτῶν, ἃ ἐν πολλοῖς κατεφο-

* Ioachimus.

ράθη καὶ ὑπό τινων τρανῶς κατεδείχθη, σφαλμάτων καὶ ἀσεβημάτων ὑπερασπιζομένων καὶ τῶν τὸ ἐκκλησιαστικὸν κράτος κατειληφότων τά τε κέρδη καρπουμένων καὶ τῷ ἀξιώματι ἐπαρθέντων οὐδ' ἀκαριαῖον ἀποστῆναι ἐθελόντων οἷς κατηγορούμενοί τε καὶ ἐλεγχόμενοι ὑπό τινων τῷ τε ἀληθεῖ προσεχόντων καὶ τὴν εὐσέβειαν κατορθοῦν ἐσπουδακότων κακῶς ἤκουον, τότε δὴ σύμπνοιά τις καὶ κοινωνία ἐποιήθη ὑπό τινων ἐν τῇ Γερμανίᾳ δυναστῶν τε καὶ πόλεων ἀντιλεγόντων καὶ μὴ προσδεχομένων τὴν περὶ τῆς πρὸ τοῦ ἀνεξετάστου καὶ πολλαχῇ διεφθορυίας, ὡς ἔφασκον, διδαχῆς ἐντολήν τε καὶ παραγγελίαν, ὥστε μηδὲν νεωτερίσαντας ἄνευ προκρίματος τηρῆσαί τε καὶ προσίεσθαι πάντα τά τε ἐπιπολάζοντα τῶν τε δογμάτων καὶ ἐθῶν ἐν ταῖς ἐκκλησιαστικαῖς οἰκονομίαις. Διαμαρτυρία τε τις νομίμως παρενετέθη, ἣ μὲν τῆς ὀρθοδόξου καὶ καθολικῆς πίστεως καὶ ἀληθείας ἀντιλάβεσθαι, καὶ ἐθέλειν ποιεῖν ἅπαντα ὡς ἑκάστοις προσήκει, ὑπακούειν τε οἷς χρὴ καθ' αὐτοὺς ἅπαντας, ἐκτὸς τοῦ κατὰ τῆς ἀτρεκοῦς τε καὶ εὐαγγελικῆς διδασκαλίας κυρωθέντος ἐντάλματος. ἐξ οὗ δὴ τοῦτο τὸ ξυνεστηκὸς ἐκλήθη τὸ τῶν διαμαρτυρισάντων μέρος. καὶ ἐν τοῖς

Sleidanus lib. 6. p. 173. Seckendorff lib. 2. f. 14. Io. Ioachim Mullers Historie Evangelischer Stænde Protestantes.

συλλόγοις τῶν ἐκκλήτων οἱ συγκροτοῦνται ὑπὸ τοῦ αὐτοκράτορος πρὸς τὰ παραπίπτοντα περὶ τῶν κοινῶν ὁμήγυρις καλεῖται τῆς ἀρχῆς, ἐνταῦθα ἄρα οἱ διαμαρτυρήσαντες ἀπὸ τῶν λοιπῶν ἀπεσχίσθησαν χρηματισάντων δῆτα ὑπήκοοι, ὥσπερ ποιοῦντες τὰ δέοντα ἡσυχῇ καὶ οὐδεμιᾶς ταραχῆς αἴτιοι ὄντες. τῆς καὶ διαφορᾶς αὐξανομένης Κάρολος Αὐτοκράτωρ Καῖσαρ σεβαστὸς τότε ἐν Ἰταλίᾳ παρεπιδήμησεν ἄλλων τε ἕνεκα, καὶ δὴ πολέμου τοῦ πρὸς τῶν Γαλατῶν βασιλέα ἀεί πως ἀναβλαστάνοντος, καὶ ὡς οἶμαι, τὴν στεφάνωσιν κατά τινα ἀρχιερατικὸν νόμον, ὑπὸ Κλήμεντος τότε ἐπὶ τῇ Ῥώμῃ προεδρεύοντος, οὐδὲ πάρεργον κομισόμενος, καὶ παραστησόμενος τὴν τῶν Φλωρεντίνων πόλιν ἐναντιουμένων τῷ Κλήμεντι, ἀξιόλογα χρήματα, ὡς ἐφάσκετο παρ' αὐτοῦ λαβών, τὴν τῶν Φλωρεντίνων δουλείαν ὥσπερ ὠνησαμένου. τότε γοῦν προαγορευθέντος συλλόγου

Sleidan. lib. 6. p. 181. Georg. Cœlestin. Hist. Comit. Aug. Hortleder. lib. 1. c. 9. Seckendorff. lib. 2. f. 20. & sqq.

ἀρχικοῦ ἐπὶ τὴν Οὐινδελικῶν καλουμένην σεβαστήν, διαθεὶς κατὰ νοῦν ὁ Αὐτοκράτωρ Κάρολος ἐν Ἰταλίᾳ παρεγένετο καὶ αὐτὸς δι' Ἄλπεων προ-

ſum & a nonnullis liquido demonſtratum; cumque illi, qui in Eccleſiis dominabantur, & earundem reditibus fruebantur maxima dignitate præditi, ne tantillum quidem ab iis, quorum accuſabantur & conuincebantur opera quorundam veritatis ſtudio religionis correctionem ſerio quærentium, decedere vellent, ob id male audirent; tunc conſpiratio quædam & ſocietas in Germania inita inter quosdam Principes & ciuitates admittere recuſantes mandatum & edictum de doctrina, neque examinata antehac, & multipliciter corrupta, cum præciperetur ſine præiudicio & nouitatis ſtudio ſeruanda & amplectenda eſſe omnia dogmata & ritus tum in eccleſiaſticis diſpenſationibus vſitatos. Proteſtabantur autem illegitime, ſe orthodoxam & catholicam fidem ac veritatem amplecti, & velle vnumquemque præſtare quod deceat, etiam obedientiam iis quibus debeatur, excepto mandato aduerſus veram & Euangelicam doctrinam promulgato. Vnde factum eſt, vt hoc fœdere coniuncti, *Proteſtantes* appellarentur. Atque in comitiis ii qui euocantur ab Imperatore ad publicas deliberationes, Ordines vocantur Imperii. Tum igitur Proteſtantes a reliquis ſe ſeiunxerunt, nihilominus profeſſi, ſe dicto audientes eſſe, quippe qui nullarum turbarum autores, quiete facerent, quæ ſui muneris eſſent. Porro creſcente diſſidio, Carolus Imperator Cæſar Auguſtus eo tempore in Italia commorabatur, tum aliis de cauſis, tum quod bellum aduerſus Gallorum regem non ſine tumultu ſubinde fruticaretur. Forte etiam (vt puto) ſecundum quandam Pontificiam legem, a Clemente tunc Romæ præſidente ſe coronari obiter volebat, a quo (vt perhibebatur) magnam vim acceperat pecuniæ, vt Florentinorum vrbem Clementi aduerſantem Pontificiæ ſeruituti ſubiiceret. Eo igitur tempore Comitiis Imperii Auguſtæ Vindelicorum edictis, Imperator Carolus rebus Italicis ex animi ſententia compoſitis, per Alpes profe-

p.192. profectus Auguſtam petiit; cuius præſentiam per neſcio quot menſes expectauerant, qui accerſiti fuerant; tum Electores Eccleſiaſtici, tum alii Principes & proceres ac ciuitatum legati. Aderant ibidem & Gallici legati, & Britannici, itemque ex Dalmatia & Pannonia miſſi. Campegius autem a Clemente electus, Carolum ſecutus, vna cum ipſo eques vrbem ingreſſus eſt XV. die Iunii. Porro omnia plena erant bonæ ſpei de rebus vniuerſis, & incredibilis animorum erga Carolum alacritas. Sed nihil vtiliter actum: imo ſemina tum iacta multorum & magnorum malorum, & maior quam antehac vbique ferme confuſio & perturbatio extitit. De controuerſiis autem Eccleſiaſticis Proteſtantes confeſſionem quandam, (vt aiebant) ſuæ veræ fidei & concinentis cum ſcriptura ſacra & doctrina Prophetarum & Apoſtolorum, ac qui his ſucceſſerunt Sanctorum Patrum exhibuerunt: a quo tempore ii, qui huic adhæreſcebant, etiam *Confeſſioniſtæ* appellati. Eſt autem illa confeſſio talis, vt maxime digna videatur, quæ legatur ab omnibus, qui veritatem amant, & mendacium oderunt, tum propter accuratam & ſimplicem, tum propter ſinceram ac piam expoſitionem. Sed ipſa hoc oſtendat, vt dici ſolet. Cæterum cum nihil tunc concluderetur, & proteſtantium factio indies validior fieret, accedentibus ad hanc ſubinde aliis, biennio poſt Comitia iterum Ratisbonæ edicta. Cumque iam per Vngariam Turci progreſſi denuo Viennam aggreſſuri viderentur, res inter partes diſſidentes, ita cum Imp. compoſitæ, vt induciæ & pax eſſet inter ipſos vsque ad Synodum vel conuentum alterum, in quo de controuerſiis diſceptetur. Atque ita ſocietate de communi conſilio inita, apparatus belli ſumma omnium voluntate decretus, Turcorum impreſſionem auertit. Poſt hæc claſſis aduerſus Tunetem miſſa, & anno poſt bellum Gallorum rex aperte mouit, & Carolus contra Maſſiliam copiis ductis, re infecta diſceſſit, vt ita aliquot annis per Germaniam quisque in ſuo principatu ſine

πορευόμενος εἰς σεβαστὴν προσδοκοῦντων μῆνας οὐκ οἶδ᾽ ὅσους ἐκεῖ τὴν παρουσίαν αὐτοῦ πάντων τῶν προσκεκλημένων, τῶν μὲν ἐκ τῶν ἐπτὰ τοῦ ἀρχιαιρεσιαστικοῦ ἀξιώματος πλείστων, τῶν ἄλλων δὲ ἀρχόντων τε καὶ δυναστῶν καὶ ἐκ τῶν πόλεων πεμφθέντων ἁπάντων. παρῆσαν δὲ καὶ τῶν ἐκτὸς οἵτε παρὰ τοῦ τῶν Γαλατῶν βασιλέως, καὶ τοῦ τῶν Βρετανῶν, ὑπό τε Δαλματῶν καὶ Παννονίων ἀπεσταλμένοι. ὁ καὶ Καμπήγιος ὑπὸ τοῦ Κλήμεντος κατειλεγμένος εἵπετο τῷ Καρόλῳ, καὶ ἅμ᾽ αὐτῷ εἰσέλασεν ἵππῳ εἰς τὴν πόλιν τῇ τοῦ ἰουνίου ι. ε. η. ἦν δὲ ἅπαντα μεστὰ ἀγαθῆς τινὸς ἐλπίδος περὶ τῶν ὅλων, καὶ προτυμία εἰς τὸν Κάρολον ἀμύθητος, οὐδὲν δὲ ἐπράχθη τῶν χρησίμων, ἀλλὰ καὶ πολλῶν τε καὶ μεγάλων κακῶν οἱονεὶ σπορά τοτε κατεβλήθη, καὶ ἀκρισία τε καὶ ταραχὴ μείζων ἢ πρὸ τοῦ ἀπολυταχοῦ σχεδὸν ἐγένετο. περὶ δὲ τῶν ἐκκλησιαστικῶν διαφορῶν οἱ διαμαρτυρήσαντες ὁμολόγησίν τινα τῆς αὐτῶν ἀληθοῦς, ὡς ἔλεγον, πίστεως καὶ συμφώνου ταῖς τε ἁγίαις γραφαῖς τῶν τε προφητῶν καὶ ἀποστόλων διδαχῆς, καὶ τῶν ἐν ὁσίοις πατέρων μετ᾽ ἐκείνους προενεγκάντες ἐξέθηκαν, ἀφ᾽ οὗ χρόνου καὶ ἐξομολογηταὶ οἱ ταύτῃ ἐμμείναντες ἐπεκαλοῦντο. ἔστι δὲ ἐκείνη διά τε τὸ ἀκριβὲς καὶ ἁπλοῦν καὶ ἀκέραιον καὶ εὐσεβὲς ἅμα καὶ ἀξιωθῆναι ἐν τοῖς ὅτι μάλιστα τοῦ ἀναγινώσκεσθαι ὑπὸ πάντων οἷς φίλη ἡ ἀλήθεια καὶ ἐχθρὸν τὸ ψεῦδος. δειξάτω δὲ τοῦτο αὐτὴ, κατὰ τὸ λεγόμενον. ἀλλ᾽ οὐδενὸς περαινομένου τό τε καὶ τοῦ τῶν διαμαρτυρησάντων στίφους ἰσχυροτέρου καθ᾽ ἡμέραν γενομένου προστιθεμένων ἀεί τινων ἐκείνοις, μετὰ δύο ἔτη ὕστερον συλλόγου αὖθις ἐν τῷ ῥηγινοπυργίῳ γενομένου τῶν Τουρκῶν ἤδη διὰ Παννονίας παρελθόντων, καὶ σπευδόντων τὸ δεύτερον ἐπὶ τὴν Βίενναν σύμφασιν ἐποίησαν, τὰ διεστηκότα μέρη σὺν τῷ αὐτοκράτορι περὶ ἐκεχειρίας καὶ εἰρήνης ἀχθησομένης μεταξὺ αὐτῶν ἄχρις συνόδου ἢ συλλόγου ἑτέρου ἐν ᾧ τὰ ἀμφίλογα διαγνωσθῇ. καὶ οὕτω συμμαχίας γενομένης καὶ κοινοβουλίας καὶ παρασκευῆς ὁμοθύμου τῶν Τουρκῶν προσβολὴ ἀπεκρούσθη. μετὰ ταῦτα ἐστάλη ὁ ἐπὶ τὸν Τύνητα στόλος, καὶ ἔτει ὕστερον πόλεμος ἐξηνέχθη λαμπρῶς ἤδη τοῦ τῶν γαλατῶν βασιλέως καὶ ἐπὶ τὴν Μασσυλίαν στρατευσάμενος ὁ Κάρολος ἄπρακτος ἀπῆλθεν. ὥστε ἐνιαυτοῖς μέν τισιν ἐν Γερμανίᾳ ἀδεῶς ἐν αὐτεξουσίᾳ διάγειν ἅπαντας. τὴν δὲ διαφορὰν οὐχ ἧττον ἐπιτείνεσθαι, καὶ εἰ

δια-

Sleidanus, lib. 7. p. 181. *Coeleſtinus* Tom. I. f. 72. *Seckendorf.* lib. 2. ſ. 24.

Confeſſio Auguſtana.

Confeſſioniſtæ.

Sleidanus lib. 18. p. 121. *Seckendorf.* lib. 3. ſ. 4. 5. 9. *Turcica irruptio.*

διαμαρτυρήσαντες φοβέμενοι μὴ παρὰ γνώμην βιασθέντες πάθοιέν τι ἀγκέστερον, ἐκ ἀδήλων ἔσῶν τῶν καθ' αὐτῶν μηχανῶν, συνελθόντες ἐποίησαν ἐπιμαχίαν τε καὶ συμμαχίαν προστατέντων τῦ τε Σαξονικῦ ἑνὸς ἐκ τῶν ἑπτὰ ἀρχαιρεσιαστῶν, καὶ τῦ τῆς Ἡσσίας ἄρχοντος, οἳ καὶ ἡγεμόνες καὶ πολέμαρχοι ἀπεδείχθησαν. ἐγένετο δὲ ἡ σύστασις κατὰ πάντων ὁμοίως τῶν αὐτοῖς ἐπιβουλευσόντων ἀορίστως. ὃ καὶ μάλιστα δοκεῖ δῆξαι τὴν τῦ Καρόλου φρένα ὑπονοήσαντα καθ' αὐτῦ μάλιστα τὴν συμμαχίαν γεγενῆσθαι. ἐκεῖνοι δ' ὅμως τοῦ τῶν Γαλατῶν βασιλέως ἐχθρωδῶς τότε διακειμένου πρὸς τὸν Κάρολον καὶ σύμμαχος ἐκείνοις γενέσθαι καὶ αὐτὸς ἐθέλων, τοῦτο μὲν παντάπασιν ἀνήσαντο, κατὰ σφᾶς αὐτὰς δὲ ταῖς συνθήκαις ἐμμένοντες διετέλουν. ἐπράχθη δὲ τὰ περὶ τῆς συμμαχίας δεκαετοῦς ἐν πολίχνῃ πρότερον ἀδόξῳ κειμένῃ ἐπὶ τοῖς μεθορίοις τῶν Φραγκῶν τε καὶ Δυριγγῶν, ἥνπερ διὰ τὰ συχνὰ τῦ σιδήρου ἐργαστήρια χαριεντισάμενοί τινες χαλκίδα ὠνόμασαν, ἄλλως δὲ ὄνομα ἐχούσαν σκολιὸν καὶ ἀνεκφώνητον τῇ τῶν Ἑλλήνων γλώσσῃ. οὐχ ἁπάντων δὲ ταύταις ἐμπεριληφθέντων, οὔτε γὰρ ὁ μαρχίων, οὔτε ἡ Νωρικὴ καλουμένη πόλις ἐκείνων ἦν, ἐξενίκησεν ὡς τήνδε μερίδα χαλκιδικὴν λέγεσθαι ξυμμαχίαν. μετὰ ταῦτα καὶ τὸ Βελγικὸν στασιάζειν ἦρξε καὶ διὰ τὴν ἀκουιτανίας τε καὶ κελτικὴν σπονδῶν οὐσῶν ὁ Κάρολος ὅτι τάχιστα διερχόμενος καὶ εἰς ὑπερβολὴν ὑπὸ τοῦ συγγενοῦς βασιλέως τῶν γαλατῶν, εἶχε γὰρ οὗτος τὴν τοῦ Καρόλου ἀδελφήν, φιλοφρονούμενος τὰ ἐκεῖ παραλαβὼν ἐξ ἐνδόσεως καὶ ζημιώσας βαρέως τοὺς δοκοῦντας αἰτίους τῆς ἐπισυστάσεως γεγενῆσθαι οὕτω δὴ πρὸς τὰς καταλλαγὰς τῶν περὶ τὰ ἐκκλησιαστικὰ διαφερομένων αὖθις ἀπέκλινε. ἐγένοντο δὲ ἐκκλήσεις τῶν ἐλλογιμωτέρων εἶναι δοκούντων ἐπί τε τὸ ἀγνώϊον καὶ τοὺς βαγγίνας, καὶ τὸ ῥηγινοπύργιον, καὶ πολλῶν μὲν λεχθέντων τε καὶ ἐπισημανθέντων, ὀλίγων δὲ πάνυ ἀξιολόγων μέντοι καὶ περισπουδάστων ὁμολογηθέντων τι καὶ ἐπὶ τὸ σαφέστερον ἐκτεθειμένων καὶ ὑπ' ἀμφοτέρων δοκιμασθέντων, ἐν οἷς ἦν τό, ὅτι μόνῃ τῇ πίστει δικαιοῦνται οἱ μετανοοῦντες τῶν ἀνθρώπων, ὅπερ κεφάλαιον ὂν τῆς εὐαγγελικῆς διδασκαλίας, παραδοξότερον ἐξηγεῖσθαι ἐδόκει.

Sleidanus lib. 8. p. 2 0. Hortleder Tom. I. lib. 8. Seckendorf lib. 3. §. 1. & sqq.

Smalckalden.

Smalcaldicum fœdus.

Sleidanus lib. 13. p. 36 . Seckendorf lib. 3. §. . n. 6.

Iustificationis articulus.

metu degeret, dissensionibus nihilominus interim crescentibus. Ac Protestantes veriti, ne ex aliorum violentia plagam aliquam insanabilem acciperent; cum machinationes aduersus ipsos obscuræ non essent, societatem & fœdus coiërunt, autoribus duce Saxoniæ vno ex Septemuiris, & Hassiæ Principe, qui etiam belli duces declarati. Fœderis autem ratio hæc fuit, vt iniretur indefinite aduersus omnes, similiter ipsis insidiantes: quod putabatur pupugisse mentem Caroli, suspicantis contra se maxime societatem hanc initam, in quam tamen regem Galliæ, hostem tum Caroli, recipere prorsus recusarunt, cum hanc ipsam ambiisset. Atq; ita soli ipsi in pactis perstitere. De societate autem illa ad decennium duratura actum in oppidulo non admodum prius celebri attingente fines Franconiæ & Duringiæ, quod oppidulum propter frequentes ferri officinas quidam eruditi Chalcidem appellarunt, cum nomen alias habeat adeo tortuosum, vt Græca lingua exprimi nequeat. Verum enim vero cum non omnes pactis illis comprehenderentur (neque enim Marchio, neque vrbs Norica iis continebatur) ita factum, vt societas illa fœdus diceretur Chalcidicum. Post hæc seditione in Belgio exorta, Carolus propter Aquitanicum ac Celticum fœdus Gallia maxima celeritate emensus, & ab affine Rege, (habebat enim in matrimonio sororem Caroli) summa humanitate exceptus, cum in Belgio sponte obsequium præstaretur, grauiter multatis iis, qui viderentur esse autores seditiosæ coitionis, ita tandem ad componendas controuersias Ecclesiasticas denuo animum appulit. Atque euocati, qui putarentur esse celebriores & doctiores, tum Hagenoam, tum Wormatiam, tum Ratisbonam. Ibi cum multa dicta essent & notata, pauca interim non contemnenda, tamen & studio digna, confessione omnium & liquidius exposita, & ab vtraque parte approbata fuere, in quibus erat hoc, *Sola fide homines resipiscentes iustificari.* Quod cũ caput esset Euangelicæ doctrinæ, videbatur absurdiore interpretione de- p.3[illegible]

praua-

p.394 δόξῃ καὶ παρὰ τοῖς πολλοῖς οὐχ ὑγιῶς καταλαμβάνεσθαι καὶ γίνεσθαι ὥσπερ τινὰ λόγον ἀργόν. τοῦτο δ' οὖν τοῦτο τὸ κεφάλαιον ῥήμασί τε καὶ νοήμασι διακριβωθὲν καὶ γραφῇ περιληφθὲν οὕτως ἐξεπονήθη. μετὰ ταῦτα δὲ ὁ ἐπὶ τὴν Λιβύην στόλος, καὶ ἡ ἐκεῖ ἀτυχία συνέβη, καὶ ὁ ἐν τοῖς Μεσσαπίοις πόλεμος τῶν γαλατῶν ἐποτρυνόντων καὶ συμπραττόντων τὸν Κάρολον κατέλαβε τὴν καλουμένην Γελδρίας χώραν αὐτῷ τε προσήκειν φάσκοντα καὶ οὐκ ἐθέλοντα ἐᾶσαι κατέχειν αὐτὴν τὸν Ἰουλιακέα. ἐκ τούτου καὶ παραδόντα αὐτὸν ἑαυτὸν λαβὼν τὸν Ἰουλιακέα καὶ συῤῥαγέντα πρὸς τοὺς γαλάτας διαπολεμήσας πόλεμον, οὕτω δὴ πρὸς τὰ ἐν τῇ γερμανίᾳ κάμνοντα καὶ διὰ τὴν ἑτερογνωμοσύνην τῶν παρ' ἀμφοτέροις προεστηκότων νοσοῦντα ἀπέστρεψε πάλιν. οὐκ ἐξῆν δὲ αὐτῷ μὴ προσποιουμένῳ ἠρεμεῖν, ἐπικειμένων ἀδιαλείπτως τῶν περὶ βίας ἀδίκου, καὶ ἐξελάσεως, καὶ ὕβρεως ἐπικαλουμένων, καὶ ἀξιούντων βοηθῆσαι αὐτοῖς παρὰ τοὺς νόμους προπηλακιζομένοις τὸν αὐτοκράτορα ὥσπερ κοινὸν νομοφύλακα τινὰ καὶ πατέρα τῆς πατρίδος ἡ δὲ τῶν ἐκκλησιαστικῶν λεγομένων ἐφόρμησις ἀπαράσχετός τις ἐγίγνετο. καὶ ἐπεσκοτεῖτο ὁ Κάρολος ταῖς κατηγορίαις τε καὶ κραυγαῖς τῶν ἐκβεβλῆσθαι τῶν ἰδίων ἢ ἀφαιρεθῆναί τι βιαίως διατεινομένων, ἐν οἷς πρωτεῖα ἔφερον ὅ τε τοῦ κατὰ τὸ ἐν τοῖς Δυριγγοῖς Νεοπύργειον ἐπισκοπείου ἀντιποιούμενος, καὶ τὸ τῶν σεβαστῶν ἱερατικὸν τέλος ὑφ' οὗ ἐπειδ' ἂν ἀπέθανεν ὁ πρότερος ἐπίσκοπος ὁ σταδιανός. γενόμενος εἷς τῶν πάνυ ἐπιεικῶν, ὁ δὲ νῦν ἐκεχειροτόνητο παροξυνθείς τι πρότερον ὑπό τινων καὶ καρδινάλις ἀναγορευθείς, σφοδρότατα ὑπολαμβάνεται ὁ κάρολος ἐκπικρανθῆναι. οὐχ ἡσύχαζον δὲ καὶ οἱ φυγάδες σαξονικοί, καὶ οἱ τοῦ πρὸ ὀλίγου αἰχμαλωτισθέντος βρουνοσβιγέως συγγενεῖς τε καὶ φίλοι ἀλλὰ ἤθελον ἐν τῇ τῶν γερμανῶν ἀρχῇ κατὰ τοὺς νόμους τά τε βίᾳ παραληφθέντα ἀποδοθῆναι καὶ διαφθαρέντα ἀποκατασταθῆναι καὶ οὕτως καταδικάζεσθαι τοὺς ἀλλήλους ἐγκαλοῦντάς τι. ἐδόκουν δὲ οἱ χαλκιδικοὶ σύμμαχοι μάλιστα ἐσφάλθαι ἐν τούτῳ, ὅτι ἄγαν προπετῶς καὶ καταφρονητικῶς ἰδίαις ἀγηνορίησι κατὰ τὸν ποιητὴν πεποιθότες, ἅπαντα διαχειρίσαντες διετέλουν, ἀμελοῦντες παντάπασι τῆς τῶν ἄλλων εὐνοίας, καὶ μήτε ἔργοις μήτε λόγοις ἀγαθοῖς τὴν προθυμίαν

prauatum, non sano sensu, a vulgo accipi, & fieri sermonem quasi fatuum. Hoc igitur caput tum & verbis & sensu accurate elaboratum, & scripto comprehensum est. Post hoc secuta infelix illa in Africam expeditio maritima, & excepit Carolum bellum in Messapiis, incitantibus & adiuuantibus Gallis: cum Geldriam ad se pertinere Carolus diceret, negaretque se permissurum, vt Iuliacensis dominus eius esset. Quo paulo post in deditionem accepto, & bello Gallico finito, ita ad res Germaniæ male se habentes, & propter præsidium vtriusque partis dissidentes animos, valde laborantes iterum se conuertit. Non licebat autem illi, nulla simulatione vtenti, quiescere, cum sine intermissione instarent ii, qui de vi iniusta, & expulsione ac contumelia conquerebantur, quique probris & ignominia contra leges affecti auxilium implorabant Imperatoris, quem scirent communem esse legum custodem, & patrem patriæ. Imprimis autem intolerabilis propemodum erat Ecclesiasticorum importuna compellatio, quorum accusationibus & vociferationibus Carolus tantum non obtundebatur, cum suis se bonis per vim euersos & spoliatos dicerent. Inter hos primas ferebat tum is, qui Episcopatum Neoburgensem in Duringia sibi vendicabat, tum Canonicorum collegium Augustanum: a quo Carolus iam pridem ab aliis irritatus putatur vehementissime esse exasperatus, mortuo iam priore Episcopo Stadiano viro admodum moderato, cui successerat iam alius Cardinalis titulo insignitus. Non etiam quiescebant exules Saxonici, & cognati atque amici ducis Brunonisuicensis paulo ante capti. Hi volebant in Germanorum imperio secundum leges reddi per vim erepta, & corrupta restitui in integrum, ac tum demum concedi disputationes, si qui alii aliis litem intendere vellent. Ac socii fœderis Chalcidici existimabantur admodum in eo errasse, quod valde petulanter & insolenter, suo, (secundum Poetam) robore freti, omnia perpetuo administrassent, nulla prorsus ratione habita aliorum beneuolentiæ; cum putarent neque factis neq; verbis bonis alio-

Iulius Pflug. Episc. Naumburg.

Ottho Truchsis Cardin.

rum voluntates alliciendas esse, aut opem adiungendam, neq; quicquam vel honoris vel beneficii conferendum, præterquam in eos, qui vna socii essent, & quicquid forte offerretur ad ipsos traherent. His enim plurima liberaliter largiri, plurimum honoris tribuere, quod hi consueuissent iucunde conuersari cum Principibus, & promte inseruire in iis, quæ ipsis grata esse intelligerent. Atq; multi ex his, amici erant (vt dici solet) inter pocula; pauci vero conducibiles. Reliquorum atque adeo etiam sociorum nulla haberi ratio, imo suauius erat ipsis quosuis, quorum opera vti poterant, molestia afficere, & cogere, quam partibus suis adiungere eos, a quibus & verbis commendati & reipsa adiuti essent. Vnde accidit vt multi alieno essent erga ipsos animo, & non pauci sibi nonnihil metuerent ab illorum potentia. In hoc igitur non parum illi videbantur aberrasse a b vtili, & offendisse ad fortunam. Nonnulli tamen supra modum ferme occupati tum in litibus, & criminum defensionibus, conscribi etiam libelli & orationes, ad quas regerebantur maledicta, vt fit (quemadmodum dici solet) inter ancillulas panem vendere solitos, multaq; huiusmodi & deformia admitti. Tandem vero cum inter ipsos socios suspiciones sinistræ nascerentur, atq; ea fierent, de quibus paulopost dicetur, fœdus illud dissolutum est, elapso iam decennio. Sed de hoc in sequentibus.

Redeo nunc ad Caroli cogitationes de Germanorum dissensionibus, & ad hominum ambitiosorum & auarorum studia & artes, quibus incitarunt Imperatorem, vt in hostium numero haberet, & pœna afficeret violatores legum & diuinarum & humanarum. Atque hoc ipsum fieri volebant mature omni conatu, ne occasione temporis inter lites elaberetur, cum ad eos verborum disceptatione opus non sit, qui facto lædant. Venit autem Carolus post bellum Gallicum, pace ex animi sententia facta, Wormatiam, quo accesserunt & alii Ecclesiastici ordinis præcipui, & Cardinalis Farnesius, nepos Pauli III. Romani Pontificis. Ab his ferebatur magna vis pecuniæ promissa Carolo, si contumaces illos & legum contemptores armis & vi belli domitos deleret. Sed Carolus (vt puto) intelligens magis

Colloquium VVormatiæ. Sleidanus lib. 16. p 482. Seckendorf lib. 3. § 62.

προθυμίαν θεραπέων ἡγέμενοι, μήτε συνέργες p. 395
τινὰς προς; τὰ πράγματα ποιητέον εἶναι, ἤτοι τιμὴν ἢ χάριν ἀναλῶντας, πλὴν τῶν συμμετόχων, καὶ πρὸς αὐτὰς ἀεὶ ἔτι ἀκόντων εἴ τι τυγχάνοι τι πρὸς γιγνόμενον, τούτοις γὰρ καὶ πλεῖστα ἐχαρίζοντο καὶ ἐπιτιμῆς ἔλαχον μεγάλης, ἀνθ' ὧν πρὸς χάριν ὑπεργεῖν τε καὶ συνεῖναι τοῖς ἄρχουσιν εἰώθησαν. ἦσαν δὲ πολλοὶ μὲν παρὰ κύλιξί φασι φίλοι, παῦροι δ' ὠφελήσιμοι. τῶν δ' ἄλλων καὶ αὐτῶν ἤδη τῶν συμμάχων, οὐδεὶς λόγος, λυπεῖν τε μᾶλλον καὶ ἀναγκάζειν ἅπαντα τὸν ὑπηρετήσοντα, ἢ προσαγάγεσθαι τούς τε δράσαντας καὶ εἰπόντας ἴδιον ἦν αὐτοῖς. συνέβη γοῦν καὶ ἀλλοτρίως ἔχειν πρὸς αὐτὰς πολλὰς καὶ οὐκ ὀλίγους ὑποδεδιέναι τὴν ἐκείνων δύναμιν. καὶ ταύτη μὲν ὅτι ἁμαρτεῖν τοῦ χρησίμου, καὶ προσπταῖσαι τῇ τύχῃ ἐδόκουν. ἤσκουν δέ τινες εἰς ὑπερβολὴν τὸ δικανικὸν καὶ νομικῶς ἀπολογεῖν. περὶ τῶν ἐγκλημάτων καὶ ἐγράφοντο βιβλία καὶ λόγοι καὶ ἀντιλοιδορίαι ὥσπερ παρ' ἀρτοπώλισιν, ὥς φασιν, ἐγίγνοντο. τέλος δὲ καὶ ἐν αὐτῷ τῷ συμμαχικῷ ὑπονοιῶν παραφυομένων καὶ γιγνομένων τῶν ἐν τοῖς μετ' ὀλίγον ῥηθησομένων, διελύθη ταχέως τὸ συστὰν ἤδη καὶ τοῦ τῶν δέκα ἐτῶν χρόνου ἐξελθόντος. ἀλλὰ περὶ τούτου ὕστερον λεχθήσεται. ἄνειμι δὲ ἐπὶ τὴν τοῦ Καρόλου περὶ τὰ διάφορα τῶν Γερμανῶν διάνοιαν, καὶ τὰς τῶν φιλοτίμων τε καὶ φιλοκτεάνων σπουδάς τε καὶ τέχνας τοῦ ἐπισπέρχειν αὐτὸν ὥστε ἐν ἐχθρῶν ἀριθμῷ θέμενος τιμωρεῖτο τοὺς παραβάντας, ὡς ἔλεγον κατηγοροῦντές τε καὶ σχετλιάζοντες πάντα νόμιμα πρός τε θεὸν καὶ τοὺς ἀνθρώπους. ἠξίουν τε γίνεσθαι τοῦτο ἐν τάχει καὶ παντὶ σθένει καὶ μὴ παριέναι τὸν καιρὸν ἐγκαλεῖν δοκοῦντα δικαίοις καὶ λόγοις διακρίνεσθαι τοὺς ἔργῳ βλάπτοντας. ἦλθε δὲ Κάρολος μετὰ τὸν γαλατικὸν πόλεμον τῆς εἰρήνης κατὰ τὴν αὐτοῦ γνώμην πεποιημένης εἰς τοὺς Βαγγιόνας, καὶ παρεγένοντο οἵ τε ἄλλοι τοῦ ἱερατικοῦ τάγματος πρῶτοι. καὶ Καρδίναλις Φαρνήσιος υἱωνὸς ὢν Παύλου τοῦ τρίτου πάπα ῥωμαίου, ὃς ἐφάσκετο ἀργυρίου μέγα χρῆμα ἐπαγγείλασθαι τῷ Καρόλῳ δεθὲν ὑπ' αὐτῶν εἰ τοὺς αὐθάδεις ἐκείνους καὶ ἀνόμους ἐπιτρίψειεν ὅπλοις καὶ δυνάμει πολεμικῇ. Κάρολος δὲ ὡς οἶμαι, ἐννοῶν,

gis

ῥᾳδίως μᾶλλον τὴν αὐτῶν δυναστείαν καὶ τὸν πλοῦτον καὶ τὸ ἀξίωμα καταστῆσαι ζητεῖν ἢ τὴν ἀλήθειαν καὶ κατόρθωσιν τῆς ἐκκλησιαστικῆς οἰκονομίας, οὐκ ἐδικαίου αὖθις αὐτὸν διάκονον τῆς οὐ πάνυ ὁσίας ἐκδικήσεως. ἔτι γοῦν αὖθις αὖ πρὸς συζήτησιν ἐξεκλήθησαν ἑκατέρωθεν ἔκ τε τῶν ὑπηκόων εἶναί τε καὶ προσαγορεύεσθαι βουλομένων, ἔκ τε τῶν διαμαρτυρησάντων εἰς τὸ ῥηγινόπυργιον ἄνδρες παιδεύσεώς τε καὶ ἀρετῆς ἐπαίνου κτησάμενοι παρὰ πᾶσιν. ὁ δὲ Μελάγχθων πάσαις προτέραις συζητήσεσι παραγενόμενος τότε οἴκοι κατελείφθη. ἔτος ἦν ὅτε συνῆλθον ἐρχόμενον τότε ἕκτον καὶ τεσσαρακοστὸν μετὰ τὸ πεντακοσιοστὸν καὶ χιλιοστὸν τῆς ἐν σαρκὶ καὶ σωτηρίου ἐκ παρθένου γεννήσεως Ἰησοῦ Χριστοῦ, ἀπὸ δὲ σεβαστοῦ συλλόγου ἑκκαιδέκατον. οἱ δὲ τῶν διαμαρτυρησάντων φάσκοντες οὐδ᾽ ἐξ ἴσου γίνεσθαι τὴν συζήτησιν οὔτε ἀκίνδυνον εἶναι τὴν αὐτῶν ἐκεῖ ἀναστροφήν. οὕτω δὴ ἀνακληθέντες, χωρὶς τῆς τοῦ Καρόλου συγχωρήσεως ἀπῆλθον ἐπ᾽ οἴκου, ἀτελῆ καὶ ἀνήνυτα καταλιπόντες ἅπαντα. αὐτοὶ δὲ ἀπολογίαν ξυγγράψαντες εὐπροσώπους αἰτίας τῆς ἀποχωρήσεως κατέλεγον. καὶ ἦν ἀληθὲς ὅτι οἱ τῶν ἐναντίων συζητηταὶ τὰ πρότερόν που καὶ συμφωνηθέντα καὶ διασαφηθέντα καὶ γραφῇ δηλωθέντα, πάντα ἀνατρέπειν καὶ ἀνασκευάζειν ἐτόλμησαν καὶ ἄνωθεν ἀρχόμενοι ἠθέλησαν διαπορεῖν περὶ τῆς σεβαστῆς ἐξομολογήσεως κεφαλαίων ἐξαρχῆς ἁπαξάπαντων. τοῦτο δὲ εὐθὺς ὕποπτον τοῖς τῶν διαμαρτυρησάντων ἦν, καὶ ἀφόρητον ὑπελαμβάνετο, εἰ ἐξουσίαν ἔχοιεν οἱ ἐναντίοι καὶ τὰ ὁμολογηθέντα καὶ διηκριβωθέντα πρότερον, δόξαν που αὐτοῖς, ταράσσαι καὶ μεταβαλεῖν. οὐ γὰρ διοικουμένου τοῦτον τὸν τρόπον τοῦ πράγματος ἐλπίδα τις ἂν ἔχοι, ἤτοι τελευτήν ποτε τῶν ἀμφισβητήσεων ἢ διαλλαγὰς ῥᾳδίως περὶ τῶν ἄλλων εὑρίσκεσθαι, ὅπου καὶ ἀπαιτεῖν ἐξαῦθις δευτέρας τινὰς ψήφους καὶ εὐθύνας καὶ τὰ μηκέτι ἀμφίβολα ὑπὸ δίκην ἀγαγεῖν οὐκ αἰσχύνοιντο. ὁ δὲ Κάρολος ὅμως τὴν ἀκέλευστόν τε καὶ ἀσυγχώρητον τὴν ἀποστροφὴν ἐκείνων χαλεπῶς τε καὶ ὀργῇ φέρων, ἔγραψε πρὸς τοὺς ἐν τέλει τῆς αὐτοκρατορικῆς ἀρχῆς, ἐντειλάμενος παρεῖναι αὐτοπροσώπους ἅπαντας, καὶ τοὺς διαμαρτυρήσαντας διαβαλλόμενος καὶ ὅτι ἀπῄεσαν ἐκεῖνοι ἀπορρήξαντες τὴν συζήτησιν καταιτιώμενος τε αὐθάδειαν καὶ δῆλος ἦν τῷ

gis ab ipsis quæri corroborationem suæ potentiæ, & opulentiæ, dignitatis, quam veritatem & correctionem Ecclesiasticæ dispensationis, non æquum tum iudicabat, præbere se ipsis ministrum non admodum sanctæ vltionis. Ita igitur denuo ad disputandum Ratisbonam vtrinque euocati, tum ex iis, qui volebant esse & dici obedientes, tum ex Protestantibus viri doctrinæ & virtutis laude clari apud omnes. At Melanchthon, qui omnibus superioribus disputationibus affuerat, tum domi relictus est. Annus erat, quo tunc conuenerunt, sextus & quadragesimus, post millesimum & quingentesimum a salutari Iesu Christi natiuitate in carne ex Virgine, ab Augustanis Comitiis decimus sextus. Cæterum Protestantium Theologi, cum dicerent, mi[nus] institutam esse disputationem neque commorationem in illis locis periculo vacare, ita reuocati illi sine Caroli venia domum abierunt, rebus omnibus relictis imperfectis conscriptaq; Apologia speciosas sui discessus causas enumerarunt. Ac verum sane erat, aduersæ partis disputatores ausos fuisse omnia euertere & refellere, quæ antea communi consensu explanata & scripturæ testimoniis perspicue confirmata fuerant: quin etiam exorsi quasi ab initio, de omnibus Augustanæ confessionis capitibus dubitationes mouere voluerunt. Hoc statim Protestantium Theologis suspectum esse, & videri intolerabile, si liceat illis confessione omnium approbata & accurate examinata pro suo arbitrio, & refutare & mutare. Non enim re ad hunc modum administrata quenquam sperare posse, vel finem aliquando harum disputationum inuentum iri, vel compositiones faciles de aliis; cum non pudeat ipsos de integro nouas requirere sententias, noua iudicia, & quæ amplius ambigua non sunt ad disceptandum reducere. Carolus tamen, quod sine suo iussu & concessu abiissent, grauiter & iniquo animo tulit, & mandata dedit ad Imperii Principes, vt ipsi coram comparerent omnes, criminatusque est Protestantes, & propter abruptas collocutiones ipsorum contumaciam inculauit. Atque apparebat, ob

Sleidanus lib. 13. p. 378. Seckendorf lib. 3. §. 23.

hoc factum valde ipsum indignari quod adsui contemptum referebat existimabatque puniendos tandem esse eos, qui semper aliqua in re aduersarentur, & tardius dicto sibi audientes essent. Accepta igitur ab Ecclesiastico ordine pecunia, quam promiserant, & conducto in Italia per Pontificem Romanum milite, collectisque Hispanicis vndique copiis, cum Ordinibus, qui tum Ratisbonæ præsentes erant, de capitibus pro more propositis deliberare, exercitumque simul conscribere, & proceres quosdam alieniore animo a Saxone & Hesso propter priuatas causas & controuersias de territoriis (quales sæpe inter vicinos principes & ciuitates exoriri solent, ex auaritia, & insolenti ferocia) sibi conciliare & cum eis agere, vt equites & pedites conducerent, quibus vti posset cum opus esset. Atque harum copiarum opera inprimis, quod magnus numerus peditum esset, eorundemque Germanorum, victoria potitus est, gente hac tum voluntate tum viribus distracta. Simul igitur Imperator proceres inescatos ad se attrahere, simul ciuitatibus per literas significare, constituisse se nonnullorum audaciam & contumaciam despectricem vlcisci, recusantium facere ea quæ leges iubent. Etsi autem abstinebat a nominibus, satis tamen ostendebat, apparatum futurum contra fœderis Chalcidici socios, & præcipue contra belli duces, monebatque vt desertis illis nec verbo nec facto quemquam ex iis iuuarent. Quia autem nouerat, ex Protestantium numero esse tum illos Principes, tum etiam ciuitatum proceres: fide illis data constanter affirmauit, se armis non vsurum aduersus doctrinam, vel ea, quæ ipsi in Ecclesiarum administratione innouassent. His palam auditis, omnia tumultus plena erant, & belli duces, persuasi se habere Imperatorem beneuolum, & si quid forte prius factum esset, illud omne abolitum, iniquissime tulerunt improuiso & repente sibi bellum ab Imperatore illatum iri. Cum autem totum negocium suspectum haberent, maxime tamen ipsos exterruit promissio facta a Carolo Ecclesiastico ordini, se scilicet non amplius passurum, vt ritus receptæ religi-

Saxoni & Hessi aduersarii.

γεγονότι μεγάλως ἀγανακτήσας καὶ καταφρο- p.397 νηθῆναι τῇ δόξῃ, καὶ ἡγησάμενος τοὺς ἀεί τι ἐναντιουμένους καὶ βραδύτερον ὑπακούοντας κολάσαι δεῖν. ταῦτα γοῦν ἐπαγγελθέντα παρὰ τοῦ ἱερατικοῦ τάγματος χρήματα λαβών, καὶ ἐν τῇ Ἰταλίᾳ διὰ τοῦ ῥωμαίου ἀρχιερέως μισθωσάμενος ἐπικουρικόν, καὶ τὰς ἰβηρικὰς δυνάμεις πάντοθεν συλλέξας, τὰ μὲν ἔπραττε συμβουλευόμενος κατὰ τῶν παρόντων τελῶν ἐν τῷ ῥηγινοπυργίῳ, καὶ τὰ κεφάλαια προτείνας, ὡς εἴωθεν ἀεὶ τοῦτο γίνεσθαι, στρατείαν δὲ ξυνήγειρεν ἅμα καὶ δυνάστας τινὰς ἀλλοτριώτερον ἔχοντας πρός τε τὸν Σαξονικὸν καὶ Ἡσσιακόν, δι' αἰτίας καὶ πλησιοχώρους διαφοράς, οἷαι πολλάκις ἔκ τε πλεονεξιῶν καὶ φρονήματος τοῖς γειτνιῶσι δυνάσταις τε καὶ πόλεσιν ἐμφύονται, ᾠκειοῦντό τε αὐτῷ καὶ ἔπειθε ἱππεῖς τε καὶ πεζοὺς παρασκευάζειν ὥστε ἔχειν ἑτοίμους ἣν δέῃ χρῆσθαι. δι' οὓς ζὴν τῷ πεζῷ παμπληθεῖ ὄντι καὶ αὐτῷ γερμανικῷ μάλιστα τῆς νίκης ἐπήβολος ἐγένετο, τοῦ ἔθνους βουλήσει τε καὶ δυνάμει διαχωρισθέντος. καὶ τοῦθ' ἅμα ἐποίησε τοὺς δυνάστας δελεασθέντας ἐπισπασάμενος, ἅμα δὲ ταῖς πόλεσιν ἐπιστείλας, ὅτι ἐν νῷ ἔχει ἐπεξιέναι τὸ θράσος τε καὶ αὐθάδες καὶ ὑπεροπτικόν τινων οὐδὲν ποιεῖν τῶν νομίμων ἐθελόντων, ὀνομάτων μὲν ἀπεχόμενος, ἐμφανίζειν δὲ οὐχ ἧττον ὅτι ἡ παρασκευὴ γένοιτο κατὰ τῶν χαλκιδικῶν συνωμοτῶν, καὶ ἐν πρώτοις τῶν πολεμάρχων. παρῄνει τε αὐτοὺς τῆς πρὸς ἐκείνους κοινωνίας ἀποστάντας οὔτ' ἔπει φασὶν οὔτ' ἔργῳ αὐτοὺς ὠφελεῖν. ἐπεὶ δὲ ἤδη τῶν διαμαρτυρησάντων εἶναι τούς τε δυνάστας ἐκείνους καὶ τούτους τοὺς ἐν πόλεσιν, πίστεις τε ἔδωκεν καὶ βεβαιότατα ἐποιήσατο αὐτοῖς, ὅτι κατὰ τῆς διδαχῆς, καὶ τῶν ὑπ' αὐτῶν νεωτερισθέντων ἐν τῇ τῶν ἐκκλησιῶν διοικήσει τοῖς ὅπλοις οὐκ ἂν χρῆσθαι βούλοιτο. τούτων ἐκπύστων γενομένων πάντα ἦν θορύβου μεστά, οἱ δὲ πολέμαρχοι πειθόμενοι εὔνουν ἔχειν τὸν αὐτοκράτορα αὐτοῖς, καὶ εἴ τι γένοιτο πρότερον διαλυθῆναι ἅπαν, δεινὸν ἐποίουν ἐξ ἀπροόπτως καὶ αἰφνιδίως πόλεμον ἐκεῖνος ἐποίσειν αὐτοῖς ἔμελλε. ὑφορωμένους δὲ ὅλην τὴν πρᾶξιν ἐφόβει μάλιστα αὐτοὺς ἡ τοῦ Καρόλου, ὡς ἐλέγετο, τοῖς τοῦ ἱερατικοῦ τέλους γενομένη ὑπόσχεσις, τοῦ μη-

onis

p. 398 ἤ ἔτι περιϊδεῖν μετατιθέμενα τὰ τῆς νενομισμένης θρησκείας ἔθη, καὶ ὅτι πρόθυμος ἦ τοῖς πιεζομένοις αὐτὸν ἐπιβοηθεῖν, καὶ ἀμύνειν τοῖς κακῶς πράτ͂ουσι, καὶ ἦν ἀληθὲς ὅτι γράμματα ἐπεπόμφει ὁ τῆς ῥώμης ἀρχιερεὺς πρός τε ἄλλους τινας καὶ δὴ πρός τε σαρμάτας καὶ τὸ τῶν ἐλβετίων κοινὸν, ἐν οἷς διαῤῥήδην ἰσχυρίζετο, ὅτι ὁ Κάρολος πόλεμον ἤδη πρὸς τοὺς ἀποστάτας ἐξενεγκάμενος εἴη, καὶ προηγορεύετο δεήσεις τε καὶ εὐχὰς ποιεῖσθαι ὑπὲρ νίκης. τὸ γὰρ θρυλλούμενον ὅτι καὶ ἀπεστάλκει τινὰς φάρμακα ἐμβαλοῦντας τοῖς φρέασι καὶ πυρπολήσοντας τὰς κώμας καὶ πόλεις τῶν διαμαρτυρησάντων καίπερ παραδοθὲν ὡς καταλῆπτον, οὐκ ἂν πιστεύσαιμι ἔγωγε, οὔτε πιστεύσας ἐπιχειρήσαιμι ἂν διϊσχυρίζεσθαι ὅτι ἔχει οὕτως, διά τε τὸ ἀπίθανον καὶ σκαιόν. τοῦτο οὖν παραλείφθω ἡμῖν. τὸ δὲ κατάγνωσις τῆς τῶν διαμαρτυρησάντων διδαχῆς καὶ ἔχθος τοῦ παπα ἐδόκει τότε παρειληφέναι συνεργὸν, ἢ μᾶλλον πρόμαχον τὸν Κάρολον ἐκ τριῶν τεκμηρίων. ἦν δὲ τοῦτο τοῖς τε ὁμολογηθεῖσι καὶ ὑπὸ τοῦ Καρόλου ἐνδειχθεῖσιν παντάπασιν ἀπᾷδον, περὶ ὧν ἀναγκαῖον μικρὸν παρεκβάντα διαλέγεσθαί τι, ἵνα οἱ ἐντυχόντες καὶ περὶ τούτου τὴν ἀλήθειαν καταμανθάνωσι. τῶν διαμαρτυρησάντων διὰ τὴν ἐναντιουμένην συνείδησιν, οὐ φασκόντων οἷοί τε εἶναι μὴ οὐχὶ πρεσβυτέραν ἄγοντες τήν τε τιμὴν τοῦ θεοῦ, καὶ τῇ ἁγίᾳ γραφῇ ὡς θεοπνεύστῳ οὔσῃ ὑπακούοντες μᾶλλον ἢ ταῖς τῶν ἀνθρώπων παραδόσεσι, τὰ φανερωθέντα ψεύδη καὶ πρὸς δήλους ἀπάτας ἀποδοκιμάζειν, καὶ μὴ δύνασθαι προσίεσθαι ἤ τινα παρὰ ταύτην διδαχὴν ἢ τῶν ἐθῶν χρῆσιν, ἔδοξε δὴ ξυνελθοῦσι τοῖς τέλεσιν εἰς τὴν τῶν νεμετῶν πόλιν καλουμένην σπεῖραν προεδρεύοντος τότε Φερδινάνδου βασιλέως περὶ τούτων δεῖν σύνοδον οἰκουμενικὴν χρόνῳ ποτε γενέσθαι, μεταξὺ δὲ τούτου ἑκάστοις ὅπως αὐτοὶ ἐλπίσαιεν τῷ τε θεῷ καὶ τῷ αὐτοκράτορι λόγον ἀπαιτήσαντι ποιῆσαι τὸ ἱκανὸν, οὕτως ἐν εὐσεβείᾳ τε καὶ ὑποταγῇ διαβιῶναι καὶ προσδόξαν γενέσθαι τὴν σύνοδον ἐντε τῇ γερμανίᾳ καὶ ἄδολον καὶ ἀκολάκευτον καὶ οἵαν ἂν κατὰ τὴν τῶν χριστιανῶν ἐλευθερίαν εἰκὸς, οὐ καταδεσποζούσης ἰσχύος τι ἢ δυνάμεως ἀμέτρου τῶν ἀσθενεστέρων. ἤρεσε τῇ ταῦτα οὕτως καὶ συγκατεψη-

onis mutarentur; promptéque opitulaturum oppressis & afflictis vim propulsando. Sane certo constabat, litteras fuisse missas à Pontifice Romano tum ad alios, tum ad Polonos & Heluetiorum commune; quibus diserte affirmabat, Carolum iam bellum indixisse desertoribus vel apostatis, præcipiebatque vt preces & vota fierent pro victoria. Nam quod vulgo ferebatur, missos fuisse ab eodem, qui puteos veneno inficerent, & vicos & oppida incenderent, & quasi res deprehensa esset, asserebatur; equidem non crediderim, aut si crediderim, neutiquam tamen pro certo coner affirmare: quod & minus probabile videatur, & ab omni humanitate alienum. Hoc igitur a nobis omittatur. Cæterum condemnatio doctrinæ Protestantium, & odium Papæ videbatur tum assumsisse quasi adiutorem vel potius propugnatorem Carolum, ex huiusmodi coniectura. Hoc autem ab iis, quæ Carolus ipse promiserat & ostenderat, plane discrepabat, de quibus per digressiunculam quandam necesse est aliquid disserere, vt si qui nostra lecturi sint, de hoc toto negotio veritatem discant. Cum Protestantes conscientiæ refragantis respectu dicerent, se non posse non improbare mendacia palam detecta & fraudes manifestas, quod antiquius ducerent & Deo suum honorem tribuere, & obedire Scripturæ potius sacræ vi diuinitus inspiratæ, quam traditionibus humanis, & adderent, hanc causam esse, cur nollent quicquam præter hanc doctrinam & rituum in hac monstratum vsum admittere: hæc cum dicerent, visum est iis ordinibus, qui in vrbe Nemetum Spira appellata conuenerant, præside tum Ferdinando Rege, oportere tandem aliquando de his Synodum conuocari œcumenicam. Interim quo pacto quisque speret, & Deo se & Imperatori rationem reposcenti satisfacturum esse, ita in pietate & subiectione vnicuique viuendum esse, & expectandum fore, vt Synodus in Germania celebretur sine vi, la fraude & adulatione, & qualem par sit celebrari secundum Christianorum libertatem, ita vt infirmiores nullius potentioris dominatu immoderato opprimantur. Placuere hæc, atque ita decreta, vna cum

Sleidanus lib. 17 p. 515. Hortleder Tom. 1. lib. 3. c. 12. Hortleder Tom. 1. lib. 3. c. 27 Sleidanus lib. 18 p. 558.

Comitia Spiren. Sleidanus lib. 15. p. 406. Seckendorf. lib. 3. §. 13.

aliis de quibus tum deliberatio instituta, & pro more rata habita. Non enim Protestantes minus, sed magis sperabant, se ex sacris literis omnibus liquido demonstraturos, quod Romana factio, & huius coniurata omnibus in locis sacerdotum natio, defecerit a Christi Ecclesia, & violauerit pietatis canones. Se autem recessisse aiebant ab iis, qui nomine, non re, Ecclesiastici essent; simulque lacessebant omnes, qui vellent cum ipsis de veritate colloqui. Motum autem hoc negotium ab initio ex improbis, & ad quæstum paratis nundinationibus, cum nonnulli audaces, vel potius impudentes homines nomine Papæ abuterentur ad decipiendum simplices & religiosos Germanos, ex quorum superstitione mercedem sponte oblatam illi tanquam fructum aliquem colligerent. Ac sane quod fiebat, apud homines grauiores, & inuidiosum erat & indecorum: apud homines politos & eruditos, ridiculum; qui etiam quotidie magna cum libertate salsis iocis hoc ipsum exagitabant: eoque magis, quo magis ea, quæ in occulto callide excogitata fuerant, in lucem producerentur. Atque reuera audacia ipsa erat quidem horribilis & admirabilis. Sed cum illud quod prætendebatur, paulatim dilaberetur: nempe potestas Papæ tum in cœlo, tum apud inferos, nuda illa deinceps partim neglecta fuit, partim non sine irrisione flocci habita. Venales enim proponebantur defunctorum animæ, quas licebat redimere certo soluto pretio, & peccatis suis quisque qualibuscumque hanc veniam impetrare poterat, numerata pecunia quantam institor petebat. Ac nummi collecti ab illis negociatoribus insumebantur in varias voluptates, cum de Germanorum stolidorum opibus animo illi quieto delicatissime viuerent. Vocabatur autem hæc mercatura, *Venia peccatorum.* Et (si verum dicendum est) res non erat dissimilis iis, quæ fiebant olim ab Isidis aut Syriæ Deæ ministris, qui similiter hominibus stolidis Deæ huius beneficia venditabant. Atque hoc probrum detectum etiam alia simul quasi vlcera sacerdota-

φήθη τοῖς ἄλλοις περὶ ὧν τότε ἡ σκέψις καὶ p.399
ἐκυρώθη ὡς ἔθος. οὐ γὰρ ἧττον ἤλπιζον οἱ διαμαρτυρήσαντες πολύ, μᾶλλον δὲ διδάσκειν τε ἐκ τῶν ἁγίων γραφῶν καὶ πᾶσι καταστήσειν φανερόν, ὅτι τὸ κατὰ τὴν ῥώμην καὶ τούτῳ ἐνώμοτον πανταχῇ ἱερατικόν, ἀποστατικόν τε εἴη τῆς τοῦ χριστοῦ ἐκκλησίας, καὶ παραβατικὸν τῶν τῆς εὐσεβείας κανόνων. αὐτοί τε ἀπὸ τῶν ὀνόματι μὲν ἐκκλησιαστικῶν ἔργῳ δ' οὐδαμῶς, ἀναχωρῆσαι ἔφασκον, καὶ προὐκαλοῦντο ἀεὶ περὶ τῆς ἀληθείας τοὺς βουλομένους συζητῆσαι. παρεκινήθη δὲ ἀρχῆθεν τὸ πρᾶγμα ἐκ πάνυ φαύλων καὶ ἐσχεδιασμένων τινῶν πρὸς χρηματισμὸν ἐργασιῶν, καταχρώντων τολμηρῶν ἢ μᾶλλον ἀναισχύντων τινῶν τῷ τοῦ λεγομένου πάπα ὀνόματι πρὸς τὸ ἁπλοῦν καὶ εὐλαβὲς τῶν γερμανῶν καὶ τῆς δυσιδαιμονίας αὐτῶν μισθὸν τῶν ἑκουσίων εἰς φορῶν ἐκκαρπούντων. ἦν δὲ γενόμενον παρὰ τοῖς μὲν σεμνοτέροις ἐπίφθονόν τε καὶ ἀπρεπές, παρὰ δὲ χαρίεσσι παγγέλοιον, οἳ καὶ ἔσκωπτον εἰς τοῦτο καθημέραν παρρησιαστικώτερον, ὅσα τὰ ἐν παραβύστῳ τεχνασθέντα ἀεὶ μᾶλλον ἐπὶ τὸ φῶς προσήγοντο. καὶ ἦν ἐτεὸν τόλμη δεινὴ μὲν αὐτή, τοῦ δὲ προσχήματος κατὰ μικρὸν ἀπορρέοντος τῆς ἔν τε οὐρανῷ καὶ παρὰ τοῖς κάτω τοῦ πάπα αὐτεξουσιότητος, γυμνὴ τὸ λοιπὸν τὸ μὲν παρώφθη, τὸ δὲ καὶ σὺν χλευασμῷ ἐξουθενώθη. ἀγορὰ γὰρ προὐτίθετο ἀποχημένων ψυχῶν, ἃς ἐξῆν νόμισμα ῥητὸν δόντα λυτρῶσαι. καὶ παραπτώματα ἴδια ὁποῖα οὖν συγγνώμης ἐτύγχανον εἰ τακτόν τις ἀργύριον καταβάλοι. τὰ δὲ γενόμενα χρήματα ἀνηλοῦντο ὑπὸ τῶν ἐργατῶν εἰς παντοίας ἡδονάς· οἳ τὰ τῶν ἀνοήτων γερμανῶν ἐν πολλῇ ῥαθυμίᾳ κατευωχοῦντο. συγγνώμην δὲ ἁμαρτημάτων τοῦτο ἐκαλεῖτο. καὶ εἰ ἀληθὲς εἰπεῖν ἔξεστιν οὐκ ἀνόμοιον ἦν τὸ γιγνόμενον τοῖς ὑπὸ τῆς ἴσιδος ποτὲ ἢ συρίας θεᾶς θεραπόντων τῶν παρὰ ταύτης τοῖς ἄφροσι τῶν ἀνθρώπων τὰς θείας πωλούντων εὐεργεσίας. ἔμελλε δ' ἄρα τοῦτο τοὔνειδος ἀνακαλυπτόμενον καὶ ἄλλ' ἅμα ὥσπερ ἕλκη τοῦ ἱερατικοῦ σώματος συνεμφαίνειν. οὐ μὴν ἀλλὰ μεταξὺ τούτων δεινή τις ἐν τῷ βίῳ ἀταξία καὶ

συγ-

p.400 σύγχυσις ἐπεπίλασε. τῆς γὰρ ψευδοῦς καὶ ἀπατηλῆς διδασκαλίας καὶ δοξῶν ματαίων ἐλεγχομένης καὶ καταδήλου γενομένης τοῖς πολλοῖς, ἄσχετός τις ὁρμὴ κατέλαβε τοὺς πλείστους ὥστε λέγειν τι καὶ πράττειν κατὰ τῶν πρότερον ἁμαρθῆναι δοκούντων, καὶ ὥσπερ ὁ παρ᾽ ὁμήρῳ στατὸς ἵππος ἀκοστήσας παρὰ φάτνῃ δεσμὸν ἀπορρήξας θείει πεδίοιο κροαίνων· οὕτω δή τοτε ἅπαντες σχεδὸν ἀγαλλόμενοι καὶ χαίροντες ἐξεφέροντο ἀπορρίψαντές οἱονεὶ ἄχθος τι τῆς ἱεροδουλείας, καὶ τοὺς χαλινοὺς τῆς ἐν τῷ ἅπασιν ἀδιακρίτως πιστεύειν εὐηθείας οἷς ἐκ παλαιοῦ συνείχοντο διαρρήξαντες. τὸ δὲ καλούμενον ἱερατικὸν οὐχ ὅτι μᾶλλον τότε αὐτὸ ἐπὶ τὸ βέλτιόν τε καὶ σωφρονέστερον ἐσχημάτιζεν, ἀλλὰ καὶ αὐτὸ ὥσπερ ἀδείας τυχὼν ἐξώκειλεν εἰς παντοίας ἀμορφίας τοῦ βίου, ὥστε αἰτιματίζεσθαι σφόδρα καὶ διαβόλως ἔχειν παρὰ πᾶσι σχεδὸν, παρέσχον δὲ καὶ αὐτοὺς πάνυ εὐχερεῖς πρὸς κατάλυσιν τῆς σκληροτέρας καὶ ἐπιπόνου μᾶλλον ἀγωγῆς, καὶ τὸ ἀμελεῖν ῥητῶν τινῶν ταλαιπωριῶν, καὶ τῆς τροφῆς ἡδυπαθείᾳ καὶ τῶν ἐσθήτων ποικιλίᾳ ἐνδιαθρύπτεσθαι. ὅσοι δὲ τηρεῖν τὰ παραδοθέντα ἐβουλήθησαν, ἐκεῖνοι ὥσπερ εἰς οὐρανὸν διὰ ταύτην ἐπιμονὴν ἀλλόμενοι τοὺς ἄλλους ἀνθρώπους ὑπερεώρων. τὸν δὲ νοῦν ἀληθείας ἐπιγνώσει κοσμεῖν, καὶ τὰς πράξεις πρὸς τὸν ὀρθὸν λόγον ἐφαρμόζειν, οὐδεὶς ἂν τῶν προὔργου τι εἶναι ὑπελάμβανεν. μόνον δὲ ἦσαν τοῖς ἱεροῖς τῷ θρησκεύειν καθυποκρινόμενοι κατὰ τινὰς θεσμοὺς οὐ παλαιοὺς, ἀλλὰ χθὲς καὶ πρώην εἴποι τις ἂν τεθέντας ὁπότε τὸ τῆς ῥώμης ἐπισκοπεῖον ἐξεκεκορύφωτο ἤδη, καὶ ὑπέρτατον κράτος κατειλήφει, καὶ ἐπικολουθηκότες τρόποις τισὶ καὶ σχήμασιν, οὓς παρά τε τῶν πρότερον μαθεῖν, καὶ νυνὶ σεμνύνονται, καὶ ὧν ἔχουσιν ἀναγραφὰς πρὸ χρόνου βραχέως κατασκευασθείσας· οἷς ἕπονται μὲν, ἀλλ᾽ εἰρήσεται γὰρ τὰ γιγνόμενον, ὥσπερ τυφλὸς τυφλῷ οὐχ ἡγῷ· οὐδ᾽ ἐξετάζοντές τι εἰς τὸ ἀκριβέστερον, οὔτ᾽ ἐνθυμούμενοι, εἴ τι κάλλιον ἂν καὶ ὠφελιματέ-

lis corporis ostensurum erat. Interim tamen mirifica quædam perturbatio & confusio in vita frequentari cœpit. Cum enim doctrinæ falsitas & fraudes opinionumq; vanitas ita vulgo innotuisset, vt manifesto quasi teneretur: maior pars vehemente impetu abrepta est & ad dicendum & agendum aliquid aduersus ea, quæ antea perperam admissa videbantur, & quemadmodum apud Homerum *Abruptis vinclis satur ad præsepe caballus, Egressus campis gestit saltare per æquor*: Sic tunc omnes ferme exultare & gaudio efferri, abiecto quasi onere S. seruitutis, & frenis stolidæ simplicitatis in credendo quibuslibet sine vlteriore inquisitione ruptis, quibus olim constringebantur. At sacerdotalis ordo non modo non ad meliorem & modestiorem vitam maiori studio se conformare, sed etiam ipse impunitatem nactus, in varia vitæ probra se conicere, vt præter infamiam qua flagrabat, omnium etiam criminationibus esset expositus, præberetque se valde facilem ad tollendam illam duriorem & molestiorem viuendi rationem, & negligendum certas quasdam corporis afflictationes, vt ita in victus suauitate, & vestium varietate, iucunde luxuriari possent. Quicunque autem traditionum obseruantes esse volebant, illi tamquam in cœlum ex hac tolerantia euolaturi, reliquos homines præ se contemnebant. At mentem veritatis cognitione exornare, & actiones ad rectam rationem accommodare, nemo existimabat esse operæ pretium. Tantum erant occupati in sacris tractandis, & cultu peragendo, secundum quasdam ceremonias neutiquam priscas, sed admodum recentes & tum introductas, cum Episcopatus Romanus ad altissimum dignitatis fastigium euectus est, & summum in omnes alios dominatum occupauit: cum interim imitarentur mores & habitum, quos etiamnum gloriantur didicisse a maioribus, quorumque descriptiones habent ante breue tempus elucubratas. Quæ omnia illi sequuntur quidem, sed (dicatur enim id quod res est) vt cæcus cæcum ducem, non inquirentes aliquid accuratius, neque cogitantes, num possit aliquid inueniri pulchrius & vtilius, quam

quam id, quod obſeruatum, damnum importet, & ſimul Deo inuiſum reperiatur, hominibusque intelligentibus ſtultitia, elegantioribus & doctioribus luſus videatur. Cæterum corroborati & confirmati opibus & coniuratorum numero, territoriique ampli poſſeſſione tuti degunt, (vt putant) neminem curantes. Conſpicatus vero aliquis magnificentiam Germanorum in iis quæ donarunt ordini ſacerdotali, extructionesque cœnobiorum, & templorum ædificationes, merito dicere poſſet, illa quidem omnia eſſe monumenta pietatis veterum, in præſentia vero (etſi forte memoratum moleſtius eſt) impietatis officinas. Auxerunt autem illa magno ſtudio, & accepto vno talento tantum lucrati ſunt, vt vnum illud decem alia acquiſiuerit. Tandem poteſtati ſuæ ſubiecerunt ipſos Reges & Principes, & quicquid in terris aliquem dominatum obtinuit. Nam qui Sacerdotalem ordinem reprehendebant, & eundem corruptelarum in doctrina conuincebant, non arduum putabant eſſe demonſtrare, ipſos quidem ſeſe efferre ſplendido Eccleſiæ nomine, ſed longiſſime ab eo eſſe remotos, ſi quis vel ſcripturæ ſacræ, vel propriarum traditionum & conſtitutionum adducat ipſis Canones, ad hos conſiderando examinet, tum dogmata & actiones, tum ſtudia ipſorum & totam vitam. Eſt igitur confuſio horribilis, neque vlla ſpes reliqua, fore vt gloria Dei illuſtretur ab aliis, qui præ aliis omnibus ſuam gloriam & eminentiam quærunt. Quemadmodum autem veteres Sapientes aiebant, in perniciem vitæ honeſte degendæ iuſtitiam ab vtilitate neſcio a quibus alteram ab altera disiunctam fuiſſe, ſic ſi quis dicat, diuitiarum opulentia principatusque potentia ſacerdotali ordini conceſſa, Eccleſiæ adminiſtrationem plane euerſam fuiſſe, a vero (puto) non aberrauerit. Vt iam Eccleſia inſtar nauigii, expoſita fluctibus & ſubmerſionis periculo, vix vndarum alluuiem & ventorum flatus ſuſtineat. Suſtinebit tamen, vbi, quocunque ſane tempore, apparebit Seruator, qui tempeſtatem increpet. Ac tum iterum

ρως γένοιτο, ἢ ὃ καὶ τηρούμενον ἂν βλαβὴν φέροι p. 401
καὶ τῷ θεῷ ἅμα ἐχθρὸν εὑρεθείη ἄν, τοῖς τε νουνεχέσι τῶν ἀνθρώπων ἄνοια, τοῖς δὲ χαριεστέροις παιδία δοκείη. κρατυνόμενοι δὲ καὶ βεβαιούμενοι τῇ τε τοῦ πλούτου δυνάμει καὶ τῶν ἐνόρκων πλήθει καὶ χωρῶν τε καὶ γῆς πολλῆς κτήσει, ἐν ἀσφαλεῖ διάγουσιν, ὡς οἴονται, οὐδενὸς φροντίζοντες. εἴποι δ' ἄν τις τῶν γερμανῶν μεγαλοπρέπειαν κατιδὼν καὶ τὰ παρ' ἐκείνοις τῷ ἱερατικῷ τέλει δεδωρημένα, καὶ τὰς τῶν κοινοβίων κτήσεις, καὶ τῶν εὐκτηρίων οἰκοδομέσεις, ὅτι ἐστι μὲν ἐκεῖνα ἅπαντα μνημεῖα τῆς εὐσεβείας τῆς πάλαι, τῆς δ' ἐν τῷ παρόντι, εἰ καὶ ἐπαχθέστερον ἴσως ἐπεῖν, ἀσεβείας ἐργαστήρια. ηὔξησαν δὲ πάνυ σπουδαίως αὐτὰ καὶ λαβόντες ὥσπερ ἓν τάλαντον οὐκ ἐν μακρῷ τοσοῦτον ἐκέρδησαν, ὥστε τὸ ἓν ἐκεῖνο, ἄλλα δέκα προσεργάσασθαι. ἀμέλει καὶ ὑποχειρίους εἶχον ἤδη κατεξουσιασθέντας καὶ βασιλέας καὶ ἄρχοντας, καὶ πᾶν τὸ ἐπιχθόνιον κράτος. οἱ γὰρ μεμφόμενοι τῷ ἱερατικῷ καὶ ἐλεγχόμενοι τὴν τῆς διδαχῆς διαφθοράν, οὐδὲν ἡγοῦντο ἔργον εἶναι τὸ δεῖξαι ὅτι αὐτοὶ μὲν κομποῦνται τῷ τῆς τοῦ χριστοῦ ἐκκλησίας ἐνδόξῳ ὀνόματι, εἰσὶν δὲ τῶν ὡς πορρωτάτω ἐκτός; εἴτις ἤτοι τοὺς τῶν ἁγίων γραφῶν ἢ ἰδίων παραδόσεων καὶ διατάξεων αὐτοῖς προσάγοι κανόνας; καὶ πρὸς τούτους διασκέψαιτο πρῶτον μὲν τὰ δόγματα καὶ τὰς πράξεις, ἔπειτα καὶ τὰ ἐπιτηδεύματα καὶ ὅλον τὸν βίον. ἐστι δ' οὖν ἡ σύγχυσις δεινὴ, καὶ οὐκ ἄν τις ἐλπίζοι τὴν τοῦ θεοῦ δόξαν ἐκλάμψεσθαι παρὰ τῶν ἐν τοῖς πρώτιστα τήν τε δόξαν καὶ ἐξοχὴν ἰδίαν ζητοῦσιν. ὃν δὲ τρόπον οἱ πάλαι σοφοὶ ἐπ' ὀλέθρῳ τῆς καλῆς ἀγωγῆς ὑπ' οὐκ οἶδ' ὡντινῶν τὸ δίκαιον καὶ τὸ συμφέρον ἀπ' ἀλλήλων διακεχωρίσθαι ἔλεγον, οὕτω εἰπών τις ὡς οἶμαι, οὐκ ἂν ἁμαρτοι; ὅτι πλοῦτος περιουσία τῆς ἀρχῆς τε καὶ δυνάμεως περιποιηθεῖσα τῷ ἱερατικῷ τὴν ἐκκλησιαστικὴν διοίκησιν ἀνέτρεψεν, ὥστε τὴν τοῦ χριστοῦ ἐκκλησίαν ὥσπερ πλοῖον κατὰ τὸ θρυλλούμενον βαπτιζόμενόν τε καὶ κλυδονιζόμενον μόλις ἔτι ἀντέχειν πρός τε τῶν κυμάτων ἐπίκλυσιν, καὶ τῶν ἀνέμων πνοάς. ἀνθέξει δ' ὅμως ἐπιφανέντος ὅτε δή ποτε αὐτοῦ

con-

p.402. τοῦ σωτῆρος καὶ ἐπιτιμῶντος χειμῶνι, καὶ ὀφθήσεται αὖθις αὖ γαλήνη ἀνίσχοντος ἡλίου, καὶ διασκεδάζοντος τὴν τοῦ τύφου τε καὶ τοῦ ἀεὶ πρὸ προτεινομένου ἀξιώματος νεφελώδη φαντασίαν. οἱ μὲν οὖν νῦν ἔχοντες προφάσει τῶν ἱερῶν διοικήσεων πολλὰ καὶ ἀγλαὰ κτήματα, ἐστὶ δ᾽ ἐν αὐτοῖς οὐδὲν, κατὰ τὴν παροιμίαν, ἱερὸν, ὤφειλον μὲν βουλευσάμενοι ὁδόν τινα ἐξιχνεύειν ἥπερ αὐτοί τε οὐκ ἀφαιρεθήσονται τῶν ὑπαρχόντων, καὶ τῆς ὑποκρίσεως ἀπελαθείσης οὐκ ἂν ὅπερ οὐκ εἰσὶν ἔτι οὐδὲ προσαγορεύοιντο. τὴν δὲ τοῦ θεοῦ τιμὴν, καὶ τὸ τοῦ εὐαγγελίου κήρυγμα καὶ τῆς ἀληθείας διδάγματα περί τε πλείστου αὐτοὺς ποιεῖσθαι δέον, καὶ τὸ πᾶν κράτος ἐπιθεῖναι τούτῳ. οἱ δὲ περιμαχοῦντες τοῖς δὲ χάριν ἂν εἶχον, ὡς ἐγὼ πείθομαι, θεῷ εἰ φυλάξαντες ἐκεῖνοι ἅπερ καὶ ἔχουσιν, οὐκ φέρειν μόνον πόλεμον πρὸς τὴν ἀλήθειαν βούλοιντο. καὶ δώῃ θεὸς καρδίαν θεοφιλῆ πᾶσιν, ὥστε καθ᾽ αὑτὸν ἕκαστον εὖ θεῖναι σπουδάζειν τὰ πρός τὸν θεόν τε καὶ τοὺς πέλας, καὶ ὁ μὲν Κάρολος ὡς τὸ πρῶτον ὑπέστη, τὴν συναχθῆναι ἐσπούδαζεν. ἐμπόδιον δὲ ἀεί τι ἐνέπιπτεν ἤτοι παρὰ τοῦ τῆς ῥώμης ἀρχιερέως ἢ παρὰ τῶν διαμαρτυρησάντων. ἠρίζετο δὲ καὶ περὶ προεδρείας τε καὶ ἐπιψηφίσεως, ὑφ᾽ ὧν γίνεσθαι χρεὼν, καὶ πρότερον ἔτι περὶ τῆς περιαγγελίας, ἃς διὰ τὰ πρωτεῖα τῆς ἐπισκοπῆς αὐτοῦ ἅπαντα ἴδια εἶναι ὁ τῆς ῥώμης ἀρχιερεὺς ἔλεγεν. οἱ δὲ τῶν διαμαρτυρησάντων ταύτην ἤδη σαφῆ εἶναι πρόκρισιν ἔφασκον, καὶ ὅτι ἀφόρητον τοὺς αὐτοῖς δικαστάς τε καὶ ἀμφισβητητὰς γίνεσθαι. δεῖν γὰρ οὐχ ἧττον τὸ ἱερατικὸν σύστημα ὑπόδικον παραστῆναι καὶ εὐθύνας δοῦναι τῶν διδασκομένων τε καὶ ἐπιτηδευομένων ὑπ᾽ αὐτῶν, ἢ σφᾶς αὐτούς. δίκας τε γίγνεσθαι ἴσας τε καὶ ὁμοίως ἀμφοτέρων, δικαζόντων μὲν τῶν οὐδὲ πέρα τῶν μερῶν καὶ μόνῃ τῇ ἀληθείᾳ πιστῶν τε καὶ φίλων, ἐξεταζομένων δὲ τῶν δογμάτων ἄνευ ἐριθείας τε καὶ ζήλου κακόφρονος. τούτοιν δὲ ἀμφοῖν γιγνομένοιν κατὰ τῶν τῆς ἁγίας γραφῆς καὶ ταύτῃ κατηκολουθηκότων ἐν τῇ τῆς καθολικῆς ἐκκλησίας ὁμονοίᾳ ὀρθοδόξων ἐπισκόπων τε καὶ διδασκάλων. οὐκ ἠρνοῦντο δὲ οἱ ἄλλοι ὡς ἦν μὲν παρὰ

conspicietur tranquillitas exoriente sole, & dissipante speciosas nubeculas superbiæ & insolentiæ, & quæ ad omnia ferme prætenditur, dignitatis. Cæterum qui colore quodam sacrarum administrationum, multas & splendidas possessiones tenent, cum *in ipsis nihil* (secundum prouerbium) *sacri sit*, ii re deliberata debebant inuestigare aliquam viam, qua fieri possit vt iis, quæ habent, non priuentur, vtque depulsa sanctitatis simulatione, id quod non sunt amplius, non etiam appellentur. Quod si Dei honorem, & Euangelii præconium, ac veritatis doctrinam, quemadmodum par erat, plurimi facerent, ac illi omnem dominatum concederent, profecto ii, qui cum ipsis digladiantur (vt mihi persuadeo) Deo gratias agerent, si illi retentis iis, quæ habent, quiescere tantum velint, nec veritati bellum inferre. Deus det omnibus cor Dei amans, vt vnusquisque suo loco studeat recte collocare ea, quæ & Deo & hominibus debentur. Ac Carolus quidem, vt initio promiserat, studiose id agebat, vt Synodus conuocaretur; sed semper aliquod impedimentum incidebat, vel Pontificis Romani culpa, vel Protestantium. Litigabatur etiam de Præside, & de suffragiis, a quibus illa fieri deberent, cum paulo ante quæsitum foret, penes quem ius esset indicendi Synodum, potestatem huius rei, vt sibi propriam Pontifice Romano vendicante. Protestantibus contra contendentibus, hoc ipsum manifestum esse præiudicium, neque ferendum vt iidem & iudices sint & rei. Non enim minus oportere iudicio subiici sacerdotalem ordinem, & rationes reddere tum doctrinæ, tum studiorum, quam ipsos; ita vt de vtrisque sententiæ ferantur æquales & similes, a neutra tamen parte, sed ab iis qui solam veritatem fideliter adamarent; vtque dogmata examinarentur absque contentione & malitiosa æmulatione. Amboque hæc vt fiant secundum doctrinam sacrarum literarum, & has secutorum in Catholico Ecclesiæ consensu orthodoxorum Episcoporum & doctorum. Non negabat

bat autem & altera pars, multa apud se esse quæ correctionis indi[illegible]ant, non tamen oportere sibi in controuersiarum disceptatione æquari eos, qui vel inuidia vel odio perciti ipsos adorturi essent, ac nomina quorundam aduersariorum commemorabant, appellantes simul eos *p[illegible] & nihili homines, & planos*; volebantq; non ab his, sed ab iis, qui capita essent Ecclesiæ, perfectam controuersiarum diiudicationem petendam. De his cum aliquandiu disceptaretur, tandem Synodus a Paulo III. indicta fuit Tridenti, ac dicebatur hoc ipsum factum fuisse Carolo assentiente, qui vellet hanc esse Synodum promissam, quod Tridentum vrbs Ferdinandum Regem dominum agnosceret, quodque Imperat. quasi inspectore omnia futura essent, quæ fieri debeant. Protestantes contra neque tutum sibi illuc aditum fore, neque commorationem ibidem periculo vacaturam aiebant, quod sine omni dubitatione Tridentum extra Germaniæ fines situm esset: negabantque se suffragari posse iis qui dicerent, hanc esse illam decretam Synodum liberam, quam nemo suspectam habere debeat. Ac videbatur vtraque pars perperam egisse, Carolus quidem partim occultando omnia, neque explanando, quid sentiret de iis, quæ Synodus constituisset, & permittendo Synodum progredi in dogmatibus sanciendis, cum interim inauditos condemnaret illa Protestantes: partim diplomatis quibusdam editis controuersa dogmata disceptando iubendoque vt nonnulla etiam extremæ absurditatis conuicta & crederentur tamen & obseruarentur. Protestantes autem [illegible] prorsus omnia, quæ [illegible] modo [illegible]rent, & vocationi pertinaciter obsistendo, quæ fortassis nulla futura erat, [illegible]eret; æquum certe foret ipsos rationem reddere suæ doctrinæ, neque lucem defugere, & quæcunque huiusmodi dici solent. Oportebat igitur tandem initium existere eorum, quæ quo sane modo & tempore ad exitum perducenda sint, Deus solus nouit. Synodus igitur semel conuocata non desinebat insectari aduersariorum dogmata, pro argumentis vtens suis propriis axiomatibus. Et Carolus putaba-

Sleidanus lib 14. p. 407.

[illegible] σφῶν οὐκ ὀλίγα κατορθώσεως [illegible], p. 403. [illegible] δὲ κατ' αὐτῶν τοὺς [illegible] ἢ ἔχθρα [illegible] τῇ [illegible] παρέξεσθαι, καὶ ὀνόματα λέγοντές τινων τῶν ἐναντίων λοιμούς τε καὶ [illegible] καὶ πλάνους ἀποκαλοῦντες, οὐ τούτων, ἀλλὰ [illegible] ἐν τῇ ἐκκλησίᾳ κορυφαίων, τὴν διάκρισιν τελείαν τε καὶ τὴν [illegible] αὐτῶν [illegible] ἠξίουν. τούτων οὖν ἀμφισβητουμένων [illegible] χρόνον τινα ὄντων. τέλος δὴ σύνοδος [illegible] Παύλου τοῦ τρίτου [illegible] τῇ Τριδέντῳ, καὶ ἔλεγον τοῦτο σὺν τῇ τοῦ Κα[illegible] πραχθῆναι, [illegible] ἐπεὶ ὁ [illegible] τὴν εἶναι τὴν ὑπεσχημένην σύνοδον, τοῦ γὰρ Τριδέντου πόλεως [illegible] βασιλέα κύριον εἶναι, [illegible] πάντα [illegible]. οἱ δὲ [illegible] οὔτε ἀσφαλῆ [illegible] οὔτε ἀκίνδυνοι [illegible] ἀντέλεγον, [illegible] νίας ὅρων [illegible], καὶ [illegible] ἤθελον συγκαταβῆναι [illegible] εἶναι τὴν [illegible] τε καὶ ἀνύποπτον σύνοδον. καὶ ἐδόκουν οὐκ ὀρθῶς ποιῆσαι ἀμφότεροι, ὅτε Κάρολος τοῦτο μὲν ποίαν γνώμην ἔχοι περὶ τῶν ἃ ἂν ἡ ξύνοδος [illegible] κρύπτων ἅπαντα καὶ [illegible] τὴν ξύνοδον [illegible] καταδικάζειν [illegible] ἐρήμην τῶν διαμαρτυρησάντων. τὸ δὲ [illegible] σί τισι τὰ ἀμφιβαλλόμενα δόγματα διακρίνας καὶ κελεύσας ἵνα τῶν [illegible] ὡς πάνυ ἄτοπα, πιστεύεσθαι ὅμως [illegible]. οἱ δὲ διαμαρτυρήσαντες [illegible] τῆς ξυνόδου [illegible] φιλονεικοῦντες πρὸς τὴν κλῆσιν οὐδ' ὅλως [illegible] ἴσως, καὶ ἂν [illegible], δέον αὐτοὺς λόγον παρέχειν τῆς διδαχῆς, [illegible] τὸ φῶς, καὶ ὅσα τοιούτροπα εἰρῆσθαι φιλεῖ. ἐχρῆν δ' ἄρα ἀρχήν ποτε ἀνατεῖλαι τῶν ὁπωσοῦν [illegible] ποίποτε δὴ τελεσθησομένων. μόνος γὰρ τοῦτο οἶδεν ὁ θεός. ἡ γὰρ ξύνοδος συγκροτεῖσα ἅπαξ οὐκ [illegible] ἐπεχομένη τὰ τῶν ἐναντίων, ἀντὶ ἐλέγχων [illegible] αὐθαδέσιν ἀξιώμασι χρωμένη, καὶ ὁ Κάρολος

de-

p. 404 ὑπελαμβάνετο τὰ δεδογμένα βούλεσθαι κυρῶσαι καὶ ὅπλοις ἂν δέῃ τινῶν ἀμφ' αὐτοὺς λόγοις ἐκπληττόμενοι τε καὶ παροξυνόμενοι, καὶ πρόθυμοι δὴ καὶ αὐτοὶ ὄντες μετεώρῳ τε τῇ δυνάμει κινδυνεύειν, καὶ διακρίνειν τὰ πράγματα εἰσάπαξ, καὶ μὴ ἀεὶ ταῖς τε δαπάναις κατατρύχεσθαι, καὶ φόβῳ τῆς ἁλώσεως συνέχεσθαι. οὕτω δὴ καὶ αὐτοὶ οἱ ξύμμαχοι στράτευμα ὅτι τάχιστα συνάγειν, καὶ ἅπαντα δρᾶν ἤρξαντο, ὥστε ἀμύνεσθαι εἴ τις βιάζοιτο, καὶ μὴ προσδοκᾶν αὐτοῦ καθεζομένους τὴν τῶν πολεμίων ἔφοδον, ἀλλὰ προαπαντῆσαι αὐτοῖς καὶ φθάσαι τοὺς μέλλοντας κακὸν ἐργάζεσθαι ἔσπευδον. ὃ καὶ ἐποίησαν, καὶ παρ' ἐλπίδα στρατὸν ξυναγείραντες πολὺν, διὰ τῆς Φραγκίας ἐπὶ τὸν λύκον καὶ δανούβιον ὅτι τάχιστα ἐπορεύθησαν. ἐκ ὧν μὲν ὑστερήσωσιν ἐν τούτῳ ἡττᾶσθαι ἡγησάμενοι, ὧν δὲ ταχυνθεῖν δυνηθῶσι κρείττους ῥᾳδίως ἔσεσθαι ἐλπίσαντες. τὸ δὲ τῆς πόλεως ὑπηρέτημα προθυμότατον ἦν, καὶ χρήματα παραδόξως πλεῖστα ἐπορέσθη, καὶ πάντα ὡς ἐπ' ἔσχατον κίνδυνον παρασκευόντων αὐτοὺς τῶν ξυμμάχων οὕτω διεπράχθη. ἀλλὰ καὶ πάνυ ἀφροντίστως τε καὶ ἀπρονοήτως μεταχειρίζεσθαι πάντα εὐθὺς ἐδόκουν τοῖς τὰ γενόμενα καταμανθάνουσι, καὶ ἀδεκάστως κρίνουσιν αὐτά. οὔτε γὰρ ἐνθυμηθέντες ἡλίκον μέγεθος πολέμου ἄραιντο, οὔτε ἐφ' οἵους ἀνθρώπους στρατευσοῖντο, ὡς ὀξεῖς μὲν νοεῖν, ὀξεῖς δὲ πράττειν, οὔτε τὴν ὑπερμεγέθη τοῦ Καρόλου δύναμιν λογιζόμενοι. οὔκουν βέλτιον τε καὶ προμηθέστερον παρεσκευάζοντο, ἀλλ' οὐκ οἶδ' αἷς τισιν ἐλπίσι βοσκόμενοι, ἢ ποίαις ἐπαγγελίαις μετέωροι, ἢ ποίοις ἐπῃρμένοι λογισμοῖς ὡς οὐκ ἤδη πάνθ' ὑφ' αὐτῶν ποιήσειν πεπεισμένοις ἐώκεσαν. καὶ εἴ τις ἄρα ἀποτρέπειν βούλοιτο καὶ οἴοιτο ἄμεινον εἶναι ὑφειμένους τε ταπεινώσει τὰς αὐτοὺς τῆς εἰρήνης στοχάζεσθαι μᾶλλον, ἢ μάχης ἐπιθυμεῖν, καὶ μὴ πιστὸν τῇ τῆς προφάσεως εὐπρεπείᾳ οὔσης βραχείας, καὶ ὅτι τὸ ἔσχατον ἐκβὰν ἄδηλον, καὶ ὅτι οὐ χρὴ ἕνα ἀναρρίπτεσθαι περὶ τῶν ὅλων, οὐδὲν ἐκεῖνοι προσίεσαν τούτων, καὶ ἤτοι καταγελῶν ἢ καὶ πικρότερον διελέγχειν, καὶ εὐθὺς ἦσαν οἱ μὴ πάντα ἐπαινοῦντες τὰ λεγόμενα τε καὶ πραττόμενα,

statimque qui non omnia laudarent, quæ decreta velle etiam armis rata facere. Vnde factum est, vt Protestantes consiliariorum suorum sermonibus territi, ad bellum incitarentur: cum & ipsi prompti &alacres essent ad periculi aleam subeundam & ad negotium illud semel armis & copiis transigendum, ne semper & sumptibus exhaurirentur, & exitii metu angerentur. Ita igitur & illi exercitum maxima celeritate colligere, & omnia agere, vt vim illatam defenderent, neque ociose domi sedentes expectarent impressionem hostium, sed potius occurrendo ipsis studerent anteuertere eos qui nocituri viderentur. id quod ab ipsis etiam factum. Nam numeroso exercitu conscripto per Franconiam ad Lycum & Danubium celerrime profecti sunt, quod putabant in eo se inferiores futuros, quod tarditatis culpa omissum esset: vt contra sperabant superiores fore, quo quidque velocius expeditum esset. Iam vero ciuitatum alacritas in suppeditandis belli sumptibus admirabilis erat, & omnia ita agebantur a sociis, vt sese ad extremum periculum pararent. Cæterum statim omnia negligenter & improuide administrare videbantur iis, qui quæ facta sunt, norunt, & de iis incorrupti iudicant. Neq; enim cogitare illi de magnitudine belli, qd. suscepissent, neque quales ii essent, cum quibus pugnandum foret, quam solertes in excogitando, quam industrii in agendo; multo minus perpendere Caroli potentiam, quot & quantas gentes illa complecteretur. Apparatus igitur minus laudabilis, minusque consultus videri. Ac nescio qua illi spe freti, quibus promissionibus sublati, quibus cogitationibus elati, similes videbantur iis, quibus persuasum esset, paulo post omnia ipsorum potestati subiectum iri. Si quis igitur vellet illos dehortari, ac putaret satius esse, humiliter se demittentes pacem spectare potius quam pugnam expetere; non esse fiduciam ponendam in eo, quod speciose quidem, sed breui temporis interuallo prætendi possit, & vltimum euentum incertum esse, nec vno momento aleam de summa reipublicæ iaciendam esse. Horum nihil illi admittere, eosque qui proferrent, vel deridere vel asperioribus verbis abigere: dicerentur & agerentur, aut formido-

Sleidanus lib. 17. p. 524. Hortleder Tom. lib. 3. c. 31.

losis aut infidi, aut dogmatum proditores vocari. Postremo qui non tam apud hos ea, quæ ipsis placebant, præclarissime se habere affirmaret omnia, quam apud dissentientes non commendaret ea, quæ ipsi vellent, extemplo male audire, & in odio esse, vt plane libertati orationis ingenuæ nullus locus reliquus foret. Quia autem per multos annos satis felix Germaniæ status fuerat, mirifica hinc inter proceres superbia enata, & diuitiarum cupiditas atque ostentatio, cum pecuniæ tantus numerus esset, quantus nunquam antehac, & argenti aurique magnus vsus. Ac non facile aliquis enarrauerit, & nouitatem vestium, & sumptus in illis conficiendis. His omnibus causam præbuere cum frequentiores peregrinationes ad exteros, apud quos vel vt mercatores, vel vt milites versabantur, maxime apud Gallos, Italos, & Hispanos; tum etiam leuitas, & in profundo ocio negligentia excolendæ mentis. Insolentes enim bellorum, magis consueuerunt vsque ad hoc tempus Germani armis adoriri alios, quam inuadentes repellere. Ac in mercaturis exercendis satis felices complures annos ita vixerunt, vt inter ipsos nullum bellum vel prælium existeret, nisi interdum paruum aliquod: statim tamen post vnum conflictum res inter ipsos compositæ. Sane in rusticorum coniuratione nonnihil multati, celeriter sese recollegerunt, opulentiores & procaciores ferme omnes redditi, quam ante fuerant. Inprimis autem ipsis nocuit ambitio, & pecuniæ studium, quo quasi œstro perciti & patriam aduersari, & hanc vt vilem & humilem dispicere, & consuetam viuendi rationem vt illiberalem negligere, & curriculo quasi ferri ad externam militiam festinareque ad Regum aulas, & ad vulgaria in illis ministeria. Vnde qui non Gallissaret, vel Italianissaret tum habitu tum sermone, ille inutilis & nihili haberi, & stolidus, qui simplicitatem patrii moris constanter retineret: immo eo quisque liberior & sapientior videri; quo magis peregrinos imitando exprimeret. Accedebat summa licentia in sentiendo

ἢ ψοφοδεεῖς ἢ ἄπιστοι ἢ καὶ τῶν δογμάτων προδόται. ἀμέλει ὁ μὴ παρά τε τοῖς ἃ αὐτοῖς ἤρεσκον κάλλιστα ἔχειν διϊσχυριζόμενος ἅπαντα, παρά τε τοῖς τἀναντία φρονοῦσι, μὴ ὅσα ἐπὶ ἐβούλοντο εὐλογῶν, εὐθέως ὁ ἤκουε κακῶς καὶ ἐμισεῖτο, ὥστε παῤῥησίᾳ καὶ ἐλευθεριότητι χώραν οὐδαμῶς ἀπολείπεσθαι. ἐπεὶ δὲ ἐν πολλῷ χρόνῳ εὖ φερομένης τῆς Γερμανίας τῶν παρὰ τοῖς ἄρχουσι πρώτων δεινή τις ὑπερηφάνεια καὶ τοῦ πλούτου ἐπιθυμία τε καὶ ἐπίδειξις, τό τε τοῦ νομίσματος πλῆθος ὡς οὔπω πρότερον προσεγένετο, καὶ ἀργύρου τε καὶ χρυσοῦ πολλὴ χρῆσις. τὸ δὲ τῶν ἐσθημάτων πολυτελές τε ἅμα καὶ ἀλλόκοτον οὐ ῥᾷον ἄν τις ἐξηγήσαιτο. τούτων δ' αἴτιον ἁπάντων αἱ συνεχέστεραι ἀποδημίαι καὶ μίξεις πρὸς τοὺς ἔξω, κατά τε ἐμπορίαν καὶ ἐκστρατείαν, μάλιστα παρά τε Γαλάταις τε καὶ Ἰταλιώταις καὶ Ἴβηρσι· τό τε κοῦφον καὶ ἐν βαθείᾳ ἡσυχίᾳ ἄφρον τῆς γνώμης. ἀήθεις τε γὰρ πολέμων καὶ μᾶλλον εἰωθότες μέχρι τοῦδε οἱ Γερμανοὶ ἐπιέναι μεθ' ὅπλων τοῖς ἄλλοις ἢ ἀμύνεσθαι τοὺς ἐφορμῶντας, καὶ ἐν τοῖς ἐμπορεύμασιν οὐχ ἥκιστα εὐτυχοῦντες, καὶ πλείστοις ὅσοις ἔτεσιν ἄμαχοι μεταξὺ σφῶν αὐτῶν διατελέσαντες, εἰ μὴ ὅτι μικρόν τι ἐνίοτε ἔξω τινὸς προσπεσόντες, καὶ εὐθὺς αὖ διακριθέντες ξυνεπλάκησαν αὐτοῖς, καὶ ἐπὶ τῇ τῶν ἀγροίκων συνωμοσίᾳ ὀλίγον ζημιωθέντες ταχέως ἀνεκτήσαντο αὐτοὺς καὶ εὐπορώτεροι καὶ ἰταμώτεροι σχεδὸν ἅπαντες ἢ πρὸ τῆς συμφορᾶς ἐγένοντο. ἔβλαψε δ' αὐτοὺς ἐν τοῖς πρώτοις ἡ φιλοδοξία τε καὶ φιλοκτημοσύνη, ὑφ' ἧς οἷον οἰστρούμενοι ἀπεστρεφόμενοι τὴν πατρίδα, καὶ ταύτης ὡς μικρᾶς καὶ ταπεινῆς καταφρονήσαντες καὶ τὴν εἰθισμένην ἀγωγὴν ὡς ἀνελεύθερον περιορῶντες, δρόμῳ ἐφέροντο ἐπὶ τὰς ξενιτείας καὶ μισθοφορὰς, καὶ εἰς τὰς τῶν βασιλέων αὐλὰς καὶ τὰ ἐγκύκλια αὐτόθι ὑπηρετήματα ἔσπευδον, καὶ ὁ μὴ γαλατίζων ἢ ἰταλιανίζων τῷ τε σχήματι καὶ τῇ φωνῇ ἄχρηστός τε καὶ οὐτιδανὸς ἐνομίζετο. ὅ τε τῇ τῶν πατρίων ἀφελείᾳ ἐμμένων τὸ μάλιστα εἰς ἀλλόφυλόν τι παραβαίνειν ἐλευθεριότητος καὶ σοφίας ἔργον ὑπείληπτο. καὶ ἐπὶ τῆς τε γνώ-

μης

ρησόμης καὶ τοῦ βίου αὐτεξουσίου καὶ καταλελειμμένον ταῖς βουλήσεσι τῶν λέγειν τε καὶ ποιεῖν ἐθελόντων ὥσπερ ἂν ἐπί τε τὸ στόμα καὶ τὸν νοῦν ἔλθοι. ἐκ τούτου καὶ φιλοχρηματία δεινὴ τὴν γερμανίαν κατέκλυσεν, καὶ οὔτε γένος, οὔτε εὐφυΐα, οὔτε τὸ λόγιον τῇ ἀφθόνῳ τῶν χρημάτων κτήσει προὐτιμᾶτο· ἐπεὶ δὲ πάντες σχεδὸν ἐκρατοῦντο ὑπὸ τῶν τοῦ σώματος ἡδονῶν, ἐπράττετο οὐκέτι πολλὰ τῶν καλῶν ἔργων σπουδαίως. κατίδοι δέ τις καὶ ἐν τούτοις ὅτι ὄφελος οὐδὲν τῶν ἀγαθῶν μὴ παρασχόντος τοῦ θεοῦ εὖ χρῆσθαι αὐτοῖς, ὅπου οἱ γερμανοὶ οὕτως ἐτρυχώθησαν οὐ μόνον μηδένων ὕστεροι ὄντες τῇ τε ὀρθῇ παιδείᾳ, καὶ τοῖς ἀρίστοις ἐπιτηδεύμασι καὶ τῷ τῆς εὐσεβείας καὶ πάσης ἀληθείας ζήλῳ, ἀλλὰ οἱ μόνοι ἐξ ἁπάντων ὡς ἔπος εἰπεῖν θνητῶν ἀνθρώπων δικαιοσύνην τε ἤσκουν, καὶ ἀρετῆς ἀντελαμβάνοντο καὶ φιλανθρωπίαν ἐπετήδευον, καὶ τὸ καλόν τε καὶ αἰσχρὸν τὸ μὲν ἔτι ἐπαινετὸν τὸ δὲ ψεκτὸν εἶναι πεπεισμένοι ἦσαν. εἰ δέ τις καὶ τὴν περὶ τοὺς λόγους καὶ τὴν φιλοσοφίαν σπουδὴν οἴοιτο θαύματος εἶναι ἀξίαν, οὗτος οὐκ ἂν εὕροι τοὺς γερμανοὺς ἤτοι ἀμελήσαντας ταύτης, ἢ ὑστερήσαντας κατὰ ταύτην καὶ τῶν πάνυ ὀνομαστῶν τε καὶ περιφανῶν εἶναι φασκόντων. τὰ δὲ πάντα τὸ ῥάθυμον τῆς γνώμης καὶ μαλακὸν τῆς διαίτης καὶ ἀνειμένον τοῦ βίου διέφθαρε καὶ εἰς τοῦτο κατέστησε τὸ ἔθνος ἄτης τε καὶ ὀνείδους, ὥστε οὐδ' ἡ θάλασσα καθαίρειν ἂν ἱκανὴ εἴη, καίπερ οἵα τε ἐκείνη κλύζειν, κατὰ τὸν εὐριπίδην, πάντα τἀνθρώπων κακά. ἐκπεπτώκασι δὲ ἐπὶ τὸ αὐτό, ὅπερ καὶ πρότερον μάλιστα ὀλέθρου αἴτιον τοῖς καὶ πολυανθρώποις τῶν ἐθνῶν ἐγένετο, καὶ μετέπειτα γενήσεται, τὸ τὴν ἐναντίαν σφίσιν αὐτοῖς δόξαν ἔχειν περί τε τῶν θείων κἀνθρωπίνων. ὥσπερ γὰρ ὡς ἔφη τις τῶν παλαιοτέρων τὸ μίαν μὲν ἔχειν καὶ τὴν δόξαν περὶ θεοῦ τῷ βίῳ δὲ καὶ τοῖς ἔθεσι μηδὲν ἀλλήλων διαφέρειν καλλίστην ἐν ἤθεσιν ἀνθρώπων συμφωνίαν ἐπιτελεῖ, οὕτως τὸ ἀλλόγνωμον τότε ὁμόφυλον διΐστησι, καὶ τὸ διάφορον ἐν τάχει ἐκπολεμοῦται, ἡ δὲ διχοστασίη τρώγει γένος, ἥτε καὶ εὖπερ οἴκους ἑστῶτας ἐσίνατο, κατὰ τὸν κυρηναῖον ποιη-

& viuendo, & relictus quiuis suæ voluntati, poterat & dicere & facere quæcumque in buccam & mentem venissent. Hinc incredibilis auaritia tempestatis instar Germaniam fluctibus quasi obruit, cum neque generis splendor, neque ingenii excellentia, neque eruditionis copia maiore in honore esset quam opulentia. Postea vero quam omnes ferme corporis voluptatibus sese emanciparant, honestæ actiones non ita studiose frequentari solitæ fuere. Atque in his etiam aliquis perspexerit, bona nihil prodesse, nisi etiam verum horum vsum Deus præbeat, etiam Germanis ita attritis, qui non tantum nulla gente inferiores fuerunt tum recta institutione, tum studiis optimis, tum pietatis & omnis veritatis zelo, sed etiam soli ex omnibus (vt ita loquar) mortalibus & iustitiam colere, & virtutem amplecti, & humanitati studere, honestumque laude, turpe vituperatione dignum esse statuebant. Quod si quis optimarum artium & philosophiæ studium admiratione dignum putet, is non inueniat Germanos vel neglexisse hoc, vel inferiores in eo fuisse aliis, qui etiam valde celebres & illustres perhiberentur. Hæc omnia & opinionum leuitas, & victus ratio mollior, & vitæ dissolutio corrupit, & in id malum & probrum gentem coniecit, vt ne mare quidem illam expurgare queat, & si secundum Euripidem *potest illud abluere omnia hominum peccata.* Prolapsi autem sunt ad hoc ipsum, quod & antea præcipue extitit caula exitii potentibus & populosis gentibus, & deinceps existet, nempe contrarias habere opiniones tum de diuinis, tum de humanis rebus. Quemadmodum enim (vt quidam ex veteribus dixit) vna & eadem opinio de Deo, & mutuus in vita & consuetudinibus consensus, pulcherrimum in moribus hominum concentum absoluit: sic diuersitas sententiarum etiam eandem gentem disiungit. Ac diffidentes facile hostes fiunt; discordia autem & seditio genus absumit, quæ etiam familias præclare stantes euertit, secundum Cyrenæum poë-

tam. Sed de eo, quod deinceps vel profuturum sit huic genti, vel non sit, fiat id quod Deo visum fuerit. Video enim magnarum mutationum causas omnino ex hoc pendere, cum neque cupiditas hominum etiam maxime detrimentosa illa aliquid efficere possit, antequam tempus veniat, neque prouidentia, qua plurima recte expediuntur, fatum auertere. Quæ autem Germaniæ euentura sunt, ea mihi consideranti videntur in vniuersum comprehensura aliquid Fortunæ per vniuersum terrarum orbem: qui aliter opinatur, ille bona nostra cum venia sentiat quod volet.

Hortleder Tom. 2. lib. 3. c. 32.

Porro fœderis socii, vt instituerant, celeriter progredi, & nullo impedimento sine vlla cunctatione & mora contra Carolum ad Danubium tum copias cogentem iter maturare. Carolus etsi imparatior erat, tamen collectis iis, quos maxime opportunos habere potuit, statuit aduentanti hosti occurrere. Narrabant autem qui viderant a sociis fœderis collectum fuisse exercitum & robore, & numero peditum equitumque, ac machinis bellicis, & omni apparatu pulcerrimum aspectu, maximeque admirabilem, qualis vix longissimo temporis spatio cogi potuisset, nedum intra paucos, præter omnium opinionem, dies, quibus conuenit & instructus processit omnibus iis, quæ ad bellum requiruntur. Idcirco etsi nouerant omnes, quod hostem haberent potentissimum & solertissimum Carolum, multorum tamen animis hæc occurrebat cogitatio, magis metuenda esse propria sociorum peccata, quam aduersariorum in re militari peritiam. Cæterum Augustani & Vlmenses cum pedites haberent, partim conabantur dissipare conuentus eorum, qui Carolo militare volebant, partim angustias Alpium, quæ claustra vocant, deiectis aduersariis occuparunt. Sed paulo post inde iterum eiecti fuere. Sperauerant scilicet se hoc aditu potitos facile posse impedire, quo minus Italorum copiæ,

την. ἀλλὰ περὶ μὲν τοῦ εὖ ἢ ἑτέρως ξυνενεγκεῖν p. 409 τι ἐσύστερον τῷ ἔθνει τούτῳ γένοιτο ἂν ἅπερ θεῷ φίλον. ὁρῶ γὰρ τῶν μεγάλων μεταβολῶν αἰτίας πάντως ἐκ τούτου ἀνηρτῆσθαι, οὔτε τῆς ἐπιθυμίας ἀνθρώπων, πρὶν ἢ καιρὸν ἥκειν καίπερ ἐπιβλαβοῖ μάλιστα οὔσης προὐξεργαζομένης, οὔτε τῆς προνοίας ᾗ τὰ πλεῖστα κατορθοῦται, ἀπερύκειν τὸ χρέων δυναμένης. τὰ δὲ περὶ γερμανῶν ξυμβήσεσθαι μέλλοντα, ἐμοὶ μὲν σκοποῦντι ξυλλήψεσθαι δοκοῦσι καθόλου τι τῆς τύχης ἐφ᾽ ἅπασαν τὴν καθ᾽ ἡμᾶς οἰκουμένην. ὅτινι δὲ δοξάσαι ἑτέρως μᾶλλον τι ὕπεισιν, ἐκεῖνος ἀνανέγκλητον ὑφ᾽ ἡμῶν καὶ τὴν αὐτοῦ γνώμην ἐχέτω. οἱ μὲν οὖν ξύμμαχοι πρᾶέσαν, ὡς διενοήκεισαν κατὰ τάχος καὶ οὐδενὸς ἐμποδὼν ἱσταμένου, καὶ αὐτοὶ μελλήσει τε καὶ διατριβῇ μηδεμιᾷ χρώμενοι ἐπὶ τὸν Κάρολον παρὰ δανουβίῳ τότε τὴν δύναμιν ἀθροίσαντα κατήπειγον τὴν πορείαν. ὁ δὲ κάρολος καίπερ ἀπαρασκευότερος ὢν τυγχάνων, ὅμως συνῆγεν οὕπερ οἷός τε ἦν τῶν μάλιστα ἐπικαίρων καὶ ὁμόσε χωρεῖν τοῖς ἐπερχομένοις διενοεῖτο. ἐφάσκετο δὲ παρὰ τῶν ἰδόντων ὅτι ξυνελέγη πρὸς τῶν ξυμμάχων στράτευμα τῇ τε ῥώμῃ καὶ τῷ πλήθει τῶν ἱππικῶν καὶ πεζῶν δυνάμεων καὶ ταῖς μηχαναῖς καὶ πάσῃ παρασκευῇ οἷον καὶ ὁρᾶν κάλλιστον καὶ θαυμασιώτατον, καὶ παρὰ δόξαν ἁπάντων συναθροισθῆναι, κἂν μήκει ὁσωδήποτε τοῦ χρόνου μὴ ὅτι γε ἐν ὀλίγαις ἡμέραις αἷς ξυνῆλθέ τε καὶ προῆλθεν ἀπηρτισμένου τῇ πάσῃ χρείᾳ τοῦ πολέμου. ὥστε εἰ καὶ ᾔδεσαν ἅπαντες ὅτι ἐν τοῖς μάλιστα δυνατόν τε καὶ δεινὸν πολέμιον ἔχοιεν τὸν κάρολον ὅμως ἐπιέναι πολλοῖς μᾶλλον πεφοβῆσθαι τὰς οἰκείας αὐτῶν ἁμαρτίας ἤπερ τῶν ἐναντίων τὴν στρατηγίαν. οἱ δὲ σεβαστηνοὶ καὶ οὐλμαεῖς πεζοὺς ἔχοντες τὸ μὲν σκεδάσαι τὰς τῶν καρολείων ξυνόδους ἐσπούδαζον, τὸ δὲ καὶ ἐπὶ τῶν ἄλπεων καλουμένων θενα, ἃ κλεῖθρα ὀνομάζονται, παρωσάμενοι τοὺς ἀντιπάλους κατέλαβον. καὶ ἐντεῦθεν μετ᾽ οὐ πολὺ ἐξεβλήθησαν αὖθις. ἤλπισαν δὲ τὴν εἴσοδον ταύτῃ κατέχοντες ἐμποδὼν στήσεσθαι τῇ τῶν Ἰτα-

p.408. λιωτῶν ἐπιστρατείᾳ ἐπιδόξῳ ἔσῃ. ἀλλ' οὐδὲν ἤνυσαν ἂν κατεζόμενοι ἐπὶ μιᾶς τῶν κλείθρων πύλης, ἐπεὶ πολλαί εἰσιν ἄλλοθι ὁδοὶ καὶ μία πολυτριβὴς ἡ διὰ Βενετῶν· ᾗ καὶ τὸ ἐξ Ἰταλίας στρατιωτικὸν παρεγένετο μάλιστα. περιάγειν ἤδη ἐκ τοῦ ῥηγινοπυργίου ἤρχετο τὸν στρατὸν ὁ Κάρολος, καὶ τὸν ποταμὸν ἐν δεξιᾷ ἔχων, ἐπὶ τὸ τῆς Βαυαρίας Ἰγγολστάδιον ἀνῄει, τοῦ ξυμμαχικοῦ ἐπὶ τῇ ἑτέρᾳ ὄχθῃ ἀντιπαράγοντος. ἦν δὲ τοῦ ξυμμαχικοῦ πᾶσα προθυμία ὥστε ἐν χειρῶν νόμῳ διακινδυνεύειν. ὁ δὲ Κάρολος οἷα δὴ πλείστοις πολέμοις ἐγγεγυμνασμένος, τοὐναντίον ἔγνωκει ὅλως μὴ συμβαλεῖν ἄλλως τε καὶ σοβαροῖς ἔτι καὶ εὐθυμοῦσι καὶ φρονηματιζομένοις, ἀλλὰ τῇ ἐμπειρίᾳ χρησάμενος τοὺς πολεμίους καταθραύειν τῷ τε τοῦ χρόνου μήκει ἐπιτριβομένους, καὶ τῆς δαπάνης πλήθει βαρυνομένους, καὶ δὴ καὶ τῇ ἐν τῷ μεταστρατοπεδεύειν δυσχερείᾳ τε καὶ τελευτώσῃ ἀπαγορεύσει ἀδημονοῦντας ὄντας Γερμανοὺς ἀνικήτους μὲν τέως ἐν ταῖς συστάδην μάχαις καὶ προσβολαῖς, ἀήθεις δὲ τοῦ διακαρτερεῖν ἐν τοῖς πόνοις, καὶ τὴν φρόνησιν τοῖς ἔργοις προστῆσαι. ἀμέλει καὶ λέγεταί τοιοῦτό τι, ὡς θεασάμενος ἐκ περιωπῆς τὰς ἀκεραίους καὶ ἅμα πάσας τοῦ ξυμμαχικοῦ δυνάμεις, ἤρετο τινα τῶν περὶ αὐτὸν, εἰ ἅπαντες Γερμανοὶ οὗτοι; φάντος δ' ἐκείνου, ἆρ' οὖν εἴποι, ὅτι τάχιστα καὶ χρημάτων καὶ φρονήσεως σπάνει συσχεθήσονται. καὶ τοῦτο μὲν οὕτω ἀποφθέγξασθαι αὐτὸν ἐλέγετο. καταστρατηγήσας δ' οὖν αὐτοὺς ποικίλως, καὶ τὰ καθ' αὐτὸν ἅπαν ταχῇ ἀσφαλισάμενος οὕτω ἐκαραδόκει τὸν τοῦ πολέμου καιρόν. τὸ δὲ ξυμμαχικὸν ἐπὶ τούτῳ τε ἐλυπεῖτο καὶ χαλεπῶς φέρον τὰς περιολκάς τε καὶ ἀνοχὰς καὶ στροφὰς τοῦ Καρόλου ἐπὶ λοιδορίας καὶ βωμολοχίας καὶ χλευασμοὺς τὸ λοιπὸν ἐτρέποντο, καὶ προκλήσεις ξυνεγράφοντο ἀλαζονικάς τε καὶ θυμῷ ἄφρονι κεχαρισμένας. προυτεθήκει δὲ Κάρολος κατὰ τοῦ ξυμμαχικοῦ αὐτοκρατορικῆς καταδίκης βιβλίον δεινόν τε καὶ βλάσφημον, προδότας καὶ στασιαστὰς καὶ ἐπιόρκους ἀποκαλῶν αὐτούς. ἐκεῖνοι

copiæ, quæ aduentare dicebantur, ea ingrederentur. Sed nihil affectum a commorantibus ad vnam claustrorum portam, cum multæ sint aliis in locis viæ, & vna maxime trita per Venetorum ditionem, qua etiam maxima pars Italorum militum accessit. Carolus interim Ratisbona exercitum eduxerat, & fluuium ad dextram habens, Ingolstadium Bauariæ oppidum petebat, cum ex altera ripa confœderatorum copiæ conspicerentur, quarum ingens alacritas erat ad confligendum cum hoste. Sed Carolus vt dux multis bellis exercitatus, contra statuerat nequaquam congredi cum milite adhuc feroce, & quasi gestiente, magnosque spiritus gerente; sed vt periti solent hostem frangere, tum temporis diuturnitate attritum, tum sumptuum multitudine grauatum, tum vero etiam difficultate & extrema desperatione, ex crebra castrorum mutatione ad animi angustiam redactum. Quippe Germanum in statariis pugnis & conflictibus hactenus inuictum, sed parum assuetum laboribus tolerandis, & prudenter rebus gerendis. Postremo etiam tale quid narratur: Conspicatur Carolus ex specula quadam vniuersas & adhuc integras confœderatorum copias, quæsiuit ex vno eorum qui astabant, Num omnes hi Germani essent? cumque responderetur, esse: *Ergo*, inquit, *celeriter hi & pecuniæ & consilii inopia conflictabuntur.* Atque hoc quidem Carolum dixisse perhibent. Variis igitur belli artibus cum hostes eluderet, resque suas ita vbique institueret, vt in tuto essent, belli opportunitatem præsto labatur. Id quod confœderatos magna molestia afficiebat, ægre ferentes se a Carolo huc illuc distrahi, pugnam detrectante & tergiuersante. Idcirco conuerti illi ad conuicia, nec abstinere a iocis & Carolum irridere, arrogantesque conscribere prouocationes, indulgendo stoliditati animi. Aduersus hos Carolus proposuit libellum condemnationis imperatoriæ, atrocium criminationum plenum, quo insimulabantur proditionis, seditionis, periurii. Illi quæ acceperant,

Sleidanus lib. 7.p.52; *Hortleder* Tom.2.lib. 13.c.6.

Sleidanus lib. 17. p. 531. Hortleder Tom. 2. lib. 3. c. 24.

rant, eadem mensura atque etiam meliore reddere, & periurii notam Carolo inurere, duoque capita ex formula iurisiurandi Electoribus dati ipsis verbis recitare, in qua ille iuratus promiserat, se nunquam externum militem quocunque sane colore in Germaniam ducturum, neque vlli ex principibus Germaniæ vim allaturum quacumque de causa; sed si quid sit, quod incusare & reprehendere possit, de eo in legitimo Imperii conuentu iudicium aliis permissurum, quorum vtrumque violasse illum & peierasse demonstrabant. Et nihil erat, quod non præter modum fieret in illo scribendi & respondendi artificio, indigno iis, qui arma haberent in manibus, vt non absurde increpaturus ipsos potuerit vsurpare Homericum illud;

——nec vos decet esse
Hac ætate pares pueris modo farier ausis.

Reuera enim (vt alibi Homerus ait) Carolus sane minus, Confœderati autem liberrime & ad satietatem vsque, vt pueri, stantes in media acie probra proferebant, quibus ipsosmet maxime inquinabant, cum belli finis in manibus sit, verborum in consiliis: illi vero manus habere ociosas, linguam valde occupatam. Idcirco etiam iidem gerere res infeliciter, & propter superbiam multati minus misericordiæ consequi. Vt enim vera essent, quæ obiiciebantur, non tamen melius erat ita inconsiderate & stolide magnis verborum ampullis quasi e plaustro illo coniicere in eum, qui, si nihil aliud, Imperator certe erat, & ab illis ipsis electus, qui quando tyrannidem non vt barbarus habet (secundum Euripidis Thesea) si iuste egerit, etiam vt par est, mercedem debitam accipiet, & omnino eum sortietur exitum, qui actionibus conueniat. Nemo enim (vt oraculum vetus pronunciat) hominum iniquorum pœnam non persoluit, quæ etiam nobis diuinitus inflicta, qui impie ipsum offendimus, ingrati inuenti, tot tantisque bonis ab eo aucti. Fatum autem auerti non potest. Et certum est, malorum consiliorum inter mortales non tantum esse malas compensationes, sed

δὲ αὐτῷ τῷ μέτρῳ καὶ λῷον ἀπεδίδοσαν ἐπι- p. 409
βοῶντες τὴν ἐπιορκίαν τοῦ Καρόλου, καὶ δύο κεφάλαια ἐκ τῆς ὁρκομοσίας ἀρχιαιρεσιαστικῆς αὐτοῖς ῥήμασιν ἀπεμνημόνευον, οἷς ὁρκωθεὶς ἀπώμοσε, μή ποτε τὴν ἔξω δύναμιν τε καὶ στρατείαν τῇ γερμανίᾳ ἐφ' οἵᾳ οὖν προφάσει ἐπάξειν, μήτε βίαν ἐποίσειν τῶν ἐν τῇ γερμανίᾳ δυναστῶν οὐδενὶ δι' ἧς τινος οὖν αἰτίας, ἀλλ' εἴτι αἰτιῷτο, καὶ μέμφοι τοδίκας δοῦναί τε καὶ λαβεῖν ἐπὶ τῷ ἐννόμῳ τῆς ἀρχῆς συλλόγῳ, ὧνπερ ἀμφότερον προφανῶς παραβεβηκέναι αὐτὸν ἐπεδείκνυον· καὶ ἦν οὐδὲν ὅ, τι μὴ παντάπασι πέραν μέτρου γενόμενον ἐν ταύτῃ τῇ τοῦ γράφειν τε καὶ ἀντιγράφειν τεχνολογίᾳ, ἀναξίᾳ οὔσῃ τοῖς ὅπλα ἔχουσι μετὰ χερσὶν, ὥστε οὐ παραμέλος ἐπιτιμώη τις ἂν τούτοις τὸ Ὁμήρικὸν.

οὐδέ τε σφῶς χρὴ,
νηπιάας ὀχέειν, ἐπεὶ οὐκέτι τηλίκοι ἐστε.

τῷ ὄντι γὰρ, ὡς ἄλλοθι που φησὶν Ὅμηρος, ὁ μὲν Κάρολος ἧττον, τὸ δὲ ξυμμαχικὸν ἀνέδην τε καὶ κατακόρως, νηπύτιοι ὡς ἑστάοτες ἐν μέσῃ ὑσμίνῃ δηϊοτῆτος, ὀνείδη ἐμυθοῦντο, καὶ αὐτοὶ αὐτοὺς ἐρύπαινον ἐς τὰ μάλιστα. τοῦ μὲν πολέμου ὄντος τέλους ἐν χερσί. ἐπέων δ' ἐνὶ βουλῇ. οἱ δὲ ἀργοὺς μὲν χεῖρας γλῶτταν δ' εἶχον ἐργάτιν, τοιγάρτοι καὶ δυσεπράγησαν, καὶ διὰ τὴν ὑπερηφανείαν ἧττον ἠλεήθησαν ζημιωθέντες, μὴ οὐ γὰρ ἦν καὶ ἀληθῆ ἦσαν τὰ ὀνειδιζόμενα μὴ βέλτιον ἄρα ἦν οὕτως ἀσκέπτως τε καὶ ἀνοήτως καὶ μεγαλορρημόνως ὥσπερ ἐξ ἁμάξης ἐπιφέρειν, τῷ εἰ μήτι ἄλλο, αὐτοκράτορι γοῦν ὑπὸ σφῶν αὐτῶν αἱρεθέντι, ὃς ἐπειδὴ οὐ τυραννίδ' ὥσπερ βαρβάρων ἔχει κατὰ τὸν τοῦ εὐριπίδου Θήσεα, ἀλλ' ἣν δίκαια δρῷ δίκαια πείσεσθ' ἂν εἰκὸς αὐτὸν, ἕξει πάντως καὶ τέλος ταῖς πράξεσι προσῆκον, οὐδεὶς γὰρ ὡς ἀποφαίνει ὁ παλαιὸς χρησμὸς ἀνθρώπων ἀδίκων τίσιν οὐκ ἀπέτισσε. ἡμῖν δ' ἄρα ἐκ θεοῦ ἡ δὲ δικαίωσις ἐπίπεμπτος ἐγένετο τοσαῦτα ἠσεβηκόσιν εἰς αὐτὸν καὶ οὕτως ἀχαριστήσασι τοσούτοις καὶ τηλικούτοις ἀγαθοῖς αὐξηθέντες. οὐκ ἔστι δὲ μοίρας τοῦ χρεὼν τ' ἀπαλλαγὴ καὶ οὐχ εἵμαρτο μόνον κακῶν βουλευμάτων κακὰς ἀμοιβὰς γίγνεσθαι

βροτοῖς

p.410 βροτοῖς, ἀλλὰ καὶ δεινὰ πάσχειν δεινὰ τοὺς ἐργασαμένους. καὶ ταύτῃ οὖν ταῦτα πεφιλοσοφήσθω ἡμῖν, ὡς ἐν ξυγγραφῆς λόγῳ ἴσως ἀπειροκαλώτερον. ὡς δ᾽ ἐν τοιαύτῃ τῶν πραγμάτων περιστάσει ὡς οἶμαι οἷά τε τοῖς εὐτυχοῦσι περὶ τῶν παρόντων λογισμὸν καὶ τῶν μελλόντων προμηθείαν ἐμποιῆσαι. ἐπειδὴ δὲ περὶ τῷ Ἐγγελοσταδίῳ παρενέβαλον ἀμφοτέρωθεν αἱ δυνάμεις μετά τινας προγεγενημένας ἐκδρομάς, τῶν πλείστων γνῶμαι συνέτρεχον, τῷ Καρόλῳ ἐμπεριφθέντι πάντοθεν ἀνάζευξιν οὐδεμίαν ἔσεσθαι. καὶ οἱ τῇ δὲ τὴν ἐλπίδα τῆς τε παραυτίκα κατορθώσεως καὶ τῶν μετέπειτα δὲ τε καὶ χρησίμως γενησομένων οὐκ ἂν πλείστου ἠλλάξαντο· καὶ ἐγράφοντο γράμματα καὶ ἐλέγοντο πολλὰ μωρὰ καὶ κομπώδη, ἦν δὲ ἀληθὲς ὅτι προτερήματα τότε ἔσχον τινα οἱ ξυμμαχικοὶ καὶ φοβηθέντων τῶν Καρολείων καὶ τοῦ στρατοπέδου ἅπαντος κεκινημένου, καὶ ἐρήμων τῶν σκηνῶν ληφθέντων, καὶ αὐτοῦ τοῦ Καρόλου χαζομένου εἰς τοὔπισθεν βάδην, τῶν ἄλλων σχεδὸν δρόμῳ ἀναχωρούντων, εἰ τῇ τύχῃ κατὰ πόδας ἠθέλησαν ἕπεσθαι, εἰ ἡγοῦνται ὅτι ἐν ἐκείνῃ τῇ ἡμέρᾳ τέλος ἐπιθεῖναι τῷ πολέμῳ ἠδύνασαν, ἀλλ᾽, οὐ γὰρ τῇ δὲ ῥέπειν ἔμελλε τὸ μόρσιμον, ἐπειδὰν ἐν τῷ ἐπεξιέναι ἐχρῆν τοὺς ξυμμάχους καὶ πεζομαχεῖν καὶ τειχομαχεῖν. ὄντος ἀντιπροσώπου τοῦ Ἰγγελοσταδίου, ὀχυρώματος ἰσχυροτάτου, ὄκνος τις ἔλαβε καὶ δεῖμα τὸ ξυμμαχικὸν ἐπακολουθεῖν τῇ τῆς νίκης ἐπιθυμίᾳ, ἄλλως τε καὶ πεποιθότας τῇ αὐτῶν πολλαπλασίᾳ δυνάμει πολὺ ῥᾷον περιγενήσεσθαι τοῦ Καρόλου, ἢ ἐκεῖνον καταπερίζεσθαί τι τῆς τε παραλόγου εὐπραγίας ἐν τῷ παραχρῆμα ἀθροισθῆναι τοσοῦτο στράτευμα ὑποτιθείσης ἰσχὺν τῆς καὶ εἰς τὰ ἔπειτα ἐλπίδος, ὤφθησαν μέντοι μετὰ ταῦτα βόθροι καὶ χώματα τὸ βάθος καὶ ὕψος οἷα περ οὐ ῥᾳδίως ἁλωτ᾽ ἂν γενέσθαι. οὕτω γοῦν παρεῖθη, τότε ὁ καιρὸς καὶ ἐκ τούτου, τὰ μὲν τοῦ Καρόλου ἐπὶ τὸ μεῖζον αὔξεσθαι, τὰ δὲ τοῦ ξυμμαχικοῦ ἠρέμα ἀπομαραίνεσθαι τε καὶ ἀναποδίζεσθαι ἤρξαντο. τότε γοῦν τῶν Βελγικῶν τοῦ Καρόλου στρατηγῶν τις Πευρήνιος τοὔνομα ἑπτακισχιλίαν ἵππον καὶ πεζῶν τρεῖς μυριάδας ξυναγαγών, διαμειψάμενος τὸν Ῥῆνον εὐθὺ πρὸς τὸν Καρόλου

atrocia etiam perpeti eum, qui perpetrauerit. Sed philosophatum satis est, ac fortasse ineptius in hoc genere scriptionis. Possint tamen (credo) hæc in tali rerum statu fortunatos monere, vt de præsentibus accuratius cogitent, & de futuris prudentius consulant. Cæterum vbi prope Ingolstadium vtriusque partis copiæ conuenere, post excursiones aliquas plurimorum sententiæ eo inclinabant, vt putarent Carolum circumuentum vndique exercitum reducere non posse. Atque hi spem conceptam de rebus & in præsentia statim, & paulo post præclare & vtiliter gerendis magno non permutassent. Iamque scribi literæ, & multa dici stolida & inanis iactantiæ plena. Sane verum erat, potuisse tum confœderatorum res esse superiores, Carolinis metu perculsis, adeo vt castris motis tentoria deserta relinquerentur, & ipse Carolus pedetentim retrocederet, reliqui curriculo: si saltem e vestigio fortunam voluissent sequi. Sunt qui putant, illo die potuisse eos finem bello imponere. Sed (neque enim futurum erat, vt fatum huc propenderet) quãdo confœderatos, si sequi vellent, oportebat & pedestri pugna dimicare, & mœnia oppugnare: cum ex aduerso esset Ingolstadium munitio validissima: cunctatio quædam & metus inuasit confœderatos, quo minus victoriæ cupiditatem persequerentur, præsertim cum freti suis copijs numero longe superioribus, multo facilius se victores fore putarent, quam illum progressurum. Ac felicitas illa, quam præter spem experti erant, in repentina tanti exercitus collectione, spem futurorum confirmabat. Verum enimuero post hac conspectæ fuere fossæ & aggeres, tanta profunditate & altitudine, vt facile expugnari potuisse non viderentur. Ita igitur tum occasio illa omissa. Atque ex eo tempore Caroli res magis magisque augeri: Confœderatorum contra sensim flaccescere, & retro ferri. Atque ex Belgio dux quidam Caroli nomine Burenius, septem millia equitum, & triginta millia peditum collecta, transgressus Rhenum, ad Carolũ magna celeritate ad-

Sleidanus lib 18. p. 536. *Hortleder* Tom. 3. lib. 3. c. 31.

Sleidanus lib 18. in

adducebat. Atque his insidiabantur quidem prope Francofurtum copiæ confœderatorum, cum & vrbs illa horum partes iuuaret, & Oldeburgius militem coëgisset. Sed quia pares hostibus non erant, ideo Belgæ præterierunt, confœderatis e vestigio illos sequentibus. Multorum autem sermonibus affirmabatur, nonnullos, qui Hessiaco fide data in se Rheni custodiam receperant, & transitum & traiectum hostibus parasse. Sed de his neque facile, neque tutum est aliquid certi pronunciare, cum homines in promittendo valde cauti esse soleant, & si quid peccatum est, ne videatur, speciose ad alias causas referant. Hoc igitur in medio relinquatur, & vnusquisque, vt volet, de eo coniiciat. Confœderatis autem vbi innotuit Belgarum aduentus, quem præpropere significabant tum ii, qui cum ipsis sentiebant, tum alii etiam nonnulli, quibus obscurum erat, quonam Caroli felicitas euasura esset, cuius potentia tum, quam nemo negare poterat, terribilis videbatur, nisi confœderatis prospere aliquid cederet. Atque hi rebus suis prospicere, & nescio quo consilio Belgicis iis transitum præbere, vt ita omnes integre ad Carolum congregarentur. Quo pacto autem præbuerint, dicere non possum. Transierunt tamen e ciuitate Rubra appellata, recta ad montem Noricum; ibidemque commorati, nullo deinceps impediente ad Carolum accesserunt. Porro intelligentiores tum de vltimo euentu statim ratiocinando concludere, ac videre Fortunæ flatum confœderatis esse aduersum; alii ex rudi & imperito vulgo execrationibus & vanis sermonibus conabantur corrigere id quod factum erat, atque ita debellare qui iam superiores erant. Confœderati autem, cum iam aduenissent, & ii, qui Belgas secuti fuerant, etsi equitatu aduersariis pares non erant, prælio tamen decertare statuerunt. Cumque ad hoc & occasio inuitaret, & tribuni incitarent, Carolus tamen ne sic quidem voluisse perhibetur acie cum hoste congredi, vel

Sleidanus lib. 18. p. 545.

ἔσπευδε πορευόμενος. ἐνήδρευον δὲ καὶ περὶ τὸν p. 418
Φρανκόπορον δυνάμεις τοῦ ξυμμαχικοῦ, τῆς τε πόλεως συμπραττούσης, καὶ τοῦ Ὀλδεμπυργίου ξυναγείραντος· ἀλλ' οὐ γὰρ ἀντίπαλοι τοῖς πολεμίοις ἦσαν, παρῆλθον ἐκεῖ οἱ Βέλγαι, τότε οἱ τοῦ ξυμμαχικοῦ ἐνταῦθα ἐπὶ πόδα ἠκολούθουν. διεφημίζετό τε ὅτι τινὲς ὑποστάντες τὴν τοῦ Ῥήνου φυλακὴν καὶ πίστιν παρασχόμενοι τῷ Ἑσσιακῷ πᾶν τοὐναντίον τό τε τήν τε δίοδον καὶ τὸν διάπλουν τοῖς πολεμίοις παρεσκευάσθαι. ἀλλὰ περὶ τούτων οὐκ ἔστι πρόχειρον οὐδὲ ἀσφαλὲς ἀποφῆναί τι, τῶν τε ὑποσχήσεων πάνυ εὐλαβῶς γιγνομένων, καὶ τῶν σφαλέντων πρὸς τὸ μὴ δοκεῖν ταῖς εἰς ἄλλους ἀεὶ τῶν αἰτιῶν ἀποφοραῖς καλλωπιζομένων. τοῦτο οὖν ἐν μέσῳ κείσθω, καὶ εἰκαζέτω περὶ αὐτοῦ ἕκαστος ὡς βούλεται. ἐπειδὴ δὲ γνώριμος ἐγένετο τοῖς ξυμμάχοις ἡ τῶν Βέλγων ἔφοδος, πάνυ γὰρ προθύμως ἐσημαίνετο ὑπό τε τῶν ξυμφρονούντων καὶ ἄλλων τινῶν οἷς ἡ τοῦ Καρόλου εὐτυχία ποῖ χωρήσειεν ἂν ἄδηλον ἐδόκει καὶ φοβερὸν ἦν τὸ ἀναντίῤῥητον τὸ τε κράτος ἢν μὴ προχωρήσῃ τι τοῖς ξυμμάχοις, σκεψάμενοι ἐκεῖνοι μετὰ σφῶν αὐτῶν καὶ οὐκ οἶδ' ὅπως βουλευσάμενοι, παρῆκαν τὰς δυνάμεις ὥστε ξυναλισθῆναι μετὰ τοῖς περὶ τὸν Καρόλον πάσας ἀπερισκόπους. ὡς δὲ πῶς μὲν παρῆκαν, οὐκ ἂν ἔχοιμι εἰπεῖν. παρῆλθον δ' οὖν ἀπὸ τῆς ἐρυθρᾶς καλουμένης πόλεως εὐθὺ τὸ νορικὸν ὄρος, καὶ αὐλισάμενοι παρ' αὐτὸ ἐβάδιζον ἀκολύτως τὸ λοιπὸν ἕως τοῦ Καρόλου. τότε δὴ οἱ συνετώτεροι εὐθὺς ξυνελογίζοντο τὸ ἔσχατον ἐκβὰν, καὶ τὴν τῷ ξυμμαχικῷ ἀντιπνέουσαν τύχην καθεώρων. οἱ δὲ ἄλλοι ἅ τε δὴ ὄχλος ἀγνώμων, καταίραις τε καὶ ματαιολογίαις ἐπειρᾶτο ἐπανορθώσασθαι δῆθε τὸ γεγονὸς, καὶ καταβαλέσθαι τοὺς κρείττους ἤδη ὄντας. οἱ δὲ ξύμμαχοι προσγενόμενοι ἤδη καὶ τῶν τοῖς Βέλγαις ἐπακολουθησάντων καίπερ τῇ ἵππῳ οὐκ ἐξισούμενοι τοῖς ἐναντίοις, ὅμως ἐπεθύμουν τῆς ἐκ παρατάξεως μάχης καὶ ἀνακαλοῦντος πρὸς ταύτην τοῦ καιροῦ καὶ ἐπιτρυνόντων τῶν στρατηγῶν οὐδ' οὕτως ἐλέγετο ὁ Κάρολος συμβαλεῖν παντὶ τῷ στρατῷ ἐθελῆσαι ἤτοι φειδοῖ τῶν

παρ

p. 417. παρ' ἀμφοτέροις στρατιωτῶν πολλῶν τε καὶ ἀγαθῶν, ἢ συνέσει τῆς τε αὐτοῦ δυνάμεως, καὶ τῆς τῶν ἐναντίων χρόνου ἐγγενομένου ἀδυναμίας. ἀμέλει καὶ εἰπεῖν λέγεται, ὅτι αὐτὸς μὲν εἴη πολεμιστὴς ἐπὶ ὅλον ἐνιαυτόν, ἐκεῖνοι δὲ ἐφ' ἡμέραν μίαν. οὕτω γοῦν ἐμάχοντο ἐπὶ πολλοὺς μῆνας, ὥστε ἀδιαλείπτως γίγνεσθαι ἀκροβολισμοὺς διώξεις τε καὶ ὑπαγωγὰς καὶ καταδρομάς, ἐν αἷς οὐ πολύ τι ἥσσους ἦσαν οἱ ξυμμαχικοί, ἀλλὰ καὶ ὑπέρτεροι μᾶλλον. τῶν γοῦν Ἰταλιωτῶν οὐ πάνυ πολλοὶ ἀπὸ πλείστων ὅσων ἀφίκοντο ἀνακομισθέντες ζωοὶ ἐς τὴν πατρίδα. ἐπέσκηψε γὰρ καὶ νόσημα ὀξὺ πρῶτον εἰς τὸ τοῦ καίσαρος στρατόπεδον, μετέπειτα καὶ ἐφοίτησε καὶ τὸ τῶν ξυμμαχικῶν. καὶ τὸ τῆς ὥρας ἤδη ἦν ἐπὶ φθινοπώρου φθοροποιὸν τῶν σωμάτων. καὶ οἱ τοῦ ξυμμαχικοῦ ἀθρόως μᾶλλον ὥσπερ τῆς τοῦ κακοῦ ὕλης ἔνδοθι συλληφθείσης ἐν τῷ παρεπομένῳ χειμῶνι ἀπέθνησκον πάνυ τε χαλεπῶς καὶ ἐλεεινῶς, ἄνδρες ῥώμῃ τε σώματος καὶ θρασύτητι ψυχῆς ἄριστοι. ἀλλὰ τότε, ἐν τῷ καίσαρος στρατοπέδῳ λοιμὸς ἐγένετο μέγας καὶ ὀξύς, ὥστε καὶ τῶν δημοσιευόντων ἰατρῶν τινας προσιόντας τοῖς ἀσθενοῦσιν ὡς θεραπεύσοντας φθαρῆναι. τῶν δὲ ὁμοσκήνων κοινόν, ξυνδιαιτῶν δὲ πολὺ μᾶλλον. μόνον γὰρ ἐκ τοῦ αὐτοῦ ποτηρίου πίνειν τινὰ ἔδει τῷ νοσοῦντι καὶ εὐθὺς συνέβη ἐπίληπτον ὑπὸ τῆς νόσου γενέσθαι καὶ αὐτόν. ἐπικαλεῖται δὲ ἐκείνη ἰβηρική, ἐπειδὴ τὸ τοῦ καίσαρος στρατιωτικὸν τὸ πρῶτον κατέλαβε. καὶ ἦν φλὸξ δεινή τις ἔνδον σὺν κεφαλαλγίαις τε καὶ τῆς φάρυγγος ἔκκαυσις δίψα τε ἄπαυστος καὶ βὴξ τὸ στῆθος διέσειε, καὶ πνεῦμα ὄζον τι ὑπόγλυκυ φθινῶδες. καὶ ἐπεγίνοντο τοῖς μὴ σπουδῇ θεραπευομένοις φρενίτιδες, οἳ καὶ ἀπέθνησκον σχεδὸν ἅπαντες. τοῖς δ' ἄλλοις καὶ εἰς δυσεντερίας καὶ παρέσεις τῶν κώλων ἐτελεύτα, ὧν καὶ ῥᾶσαί τινας ξυνέβη· πάντως δὲ οἱ φθειρόμενοι πολλοὶ τὸν ἀριθμὸν πλείους ἦσαν. ὁ δὲ Κάρολος οὐ μόνον ὅπλοις νικῆσαι τοὺς ἐναντίους, ἀλλὰ καὶ τεχνάζεσθαί τι πρὸς τὴν ἐκείνων καταστροφὴν ἐσπούδαζεν. ἐνθυμούμενος δ' εἰ πόλεμον ἐπὶ τὰς χώρας αὐτῶν ἐφήσει, ὅτι διαναγκάσει τάς τε γνώμας καὶ ἀμ-

quod parceret militibus ex vtraque parte & numero & virtute præstantibus vel quod conscius sibi esset suæ potentiæ, & aduersariorum imbecillitatis, si bellum duceretur. Quin etiam dixisse fertur, *se esse bellatorem per integrum annum, illos per vnum diem.* Ita igitur per aliquot menses pugnatum est, vt sine intermissione fierent velitationes, vtque & insequerentur, & se reciperent, aut etiam incursiones facerent, in quibus omnibus non multum inferiores erant confœderati, imo etiam potius superiores. Atque Italorum satis pauci admodum, de magno numero, qui venerat, ad sua viui redierunt. Grauis enim lues primum Caroli castra inuasit, transgressa deinde etiam in Confœderatorum. Et tempus Autumni erat alias corporibus noxium. Atque ex Confœderatis, materia mali quasi intus concepta, sequente hyeme complures moriebantur ægre & miserabiliter, viri & corporis robore, & animi præsentia præstantissimi. Inque castris Caroli tum pestis grassari ingens, quæ celeriter homines interimeret: adeo vt etiam ex medicis nonnulli, qui ad infectos curationis causa accederent, extinguerentur. Ex contubernalibus vero & conuictoribus multo plures. Nam si cui tantum ex eodem poculo bibendum erat, e quo ægrotus biberat, statim morbo corripiebatur. Appellabatur autem lues Hispanica, eo quod primum Cæsaris exercitum afflixisset. Sentiebatur intus grauis æstus, cum capitis doloribus, & inflammatione faucium, & siti, quæ sedari non posset. Accedebat tussis pectus concutiens, & halitus redolens subdulce aliquid & tabificum. Sequebatur in iis, qui non diligenter curabantur, phrenitides, qui ferme omnes moriebantur; aliis malum hoc desinebat in dysenterias & colicos dolores, ex quibus nonnulli conualuere. Omnino tamen maior numerus eorum erat, qui interibant. Porro Carolus non tantum armis aduersarios vincere, verum etiam callide aliquid excogitare studebat, quod esset illis funditus euertendis. Secum igitur animo reputans, fore, vt si bellum in illorum territoria transferat, & sententiæ distra-

Sleidanus lib. 18. p. 550.

Sleidanus lib. 18. p. 547. Horteleder Tom. 2. lib. 3. c. 39. & sqq. Thuanus lib. 2. Sagittarius Hist. Io. Friderici §. 17.

distraherentur, & hebetarentur præsentes actiones. Missis igitur literis ad Misnensium ducem Mauritium filium Henrici, qui patruelis fuisset Ioannis patris eius, qui tum erat Saxonicus elector, mandauit ei, vt Imperator, vt occuparet Saxonici ditionem, simulque ostendit, si ipse tergiuersetur, alios eam sibi subiecturos, ipsumque ita omnibus priuatum iri. Cum enim nescio qua de causa sub initium belli Confœderati dicerent se vim illatam repellere, nihilominus tamen iuriiurando, quo omnes Principes qui Imperatoriam dignitatem obtinet obstricti sunt, Cæsari & Regi renunciarant, quod fieri necesse non erat (vt videtur) si verum erat ipsos defendere vim, non inferre. Misnensium igitur dux, simul veritus ne mulctaretur, si dicto audiens non fuisset, simul ratus graue esse, non parere petitioni Cæsaris, cum sciret regem Ferdinandum cum alias habere copias paratas, tum equites Pannonicos, *Hussaros* appellatos, quos etiam in superiora regionis loca impressionem fecisse cognouerat: Confœderatorum autem exercitum dilabi, & omnibus ex locis cognatum ita circumdari audierat, vt prorsus nequeat cum suis copiis redire. His omnibus persuasus, rem tunc aggressus est, literis tamen ante ad Confœderatos missis, quibus ostendebat, sibi territorium cognati occupandum esse, nisi velit prorsus eodem spoliari: promittebatque si quæ inter Carolum & cognatum compositio fiat, se iudicio de occupatis concessurum esse ditionis proceribus. Hæc autem Saxoni videri fraudulenta & dolosa, indignissime ferenti, quod auderet ille adeo infidum se exhibere erga cognatum. Nonnihil igitur minari, & confœderatis autor esse, vt responderent ipsi, se non passuros, si quid noui aduersus cognatum moliretur. Ita igitur cum clades insuper accepta esset, in locis superioribus, vbi non minus duo millia ab Hussaris miserabiliter & turpiter concisa fuerant, Mauritius rem aggressus est, & adortus eos, qui proximi erant, cum significasset iis, qui cognato parebant, eos dein-

Sleidanus lib. 18. p. 553. Horteleder Tom. 2. lib. 3. c. 4.

καὶ ἀμβλυνεῖ τὰς παρούσας πράξεις, οὕτω δὴ p. 413 ἀπέστειλε τῷ τῆς μυσίας ἡγεμόνι ὄντι υἱῷ ὀνορίχου ἀνεψιοῦ γεγονότος τοῦ ἰωάννου τοῦ σαξονικοῦ ἀρχαιρεσιαστοῦ τῶν ἐκείνου πατρὸς, καὶ παρήγγειλεν ἐντολὴν δοὺς ὡς αὐτοκράτωρ καταλαβεῖν τὰ τοῦ σαξονικοῦ καὶ ἐπαρχίας ἢν αὐτὸς ὀκνήσῃ, ἄλλους ἐκεῖνα ποιήσειν ὑφ' ἑαυτοὺς καὶ στερήσεσθαι αὐτὸν ἁπάντων. ἐπεὶ γὰρ οὐκ οἶδα διά τι, πολεμεῖν ἀρξάμενοι οἱ ξύμμαχοι, καὶ φάσκοντες ἀμύνεσθαι ἐπιφερομένην βίαν, ὅμως τοὺς ὅρκους τῷ καίσαρί τε καὶ βασιλεῖ ἀπεκήρυξαν οἱ ἐπώμοτοι γίγνονται οἱ ἐν τῷ τέλει ἀρχὴν αὐτοκρατορικὴν ἄρχοντι, οὐδὲν δέον, ὡς ἔοικεν, εἴπερ ἀμύνεσθαι τὴν βίαν καὶ οὐκ ἐπιφέρειν αὐτοὺς ἀληθὲς ἦν. ὁ γοῦν τῶν μυσῶν ἡγεμὼν ἅμα τε δεδιὼς μὴ ζημιωθῇ ἀνηκουστήσας ἅμα τε τῇ καίσαρος ἀξιώσει ἀπειθῆσαι δεινὸν ἡγησάμενος καὶ εἰδὼς τὸν βασιλέα ἔχειν ἄλλην τε δύναμιν ἡτοιμασμένην, καὶ δὴ καὶ ἱππέας παννονικοὺς τοὺς ὀνομαζομένους οὐσσάρους, οὓς καὶ ἤδη εἰς τοὺς ἄνω τῆς χώρας τόπους ἐσβεβληκέναι ἐγνώκει, καὶ ὅτι τὸ τῶν ξυμμάχων στράτευμα διαλύεσθαι καὶ πάντοτε κυκλοῦσθαι τὸν συγγενῆ καὶ ἀμήχανον εἶναι αὐτῷ τὴν μετὰ δυνάμεως ἀναστροφὴν πυθόμενος ἐπείθετο, τό τε δὴ ἐπέβαλε τῷ ἐγχειρήματι, γράψας δ' ὅμως πρότερον πρὸς τὸ συμμαχικὸν καὶ ἐνδείξας, ὅτι καταληπτέον εἴη τὰ τοῦ συγγενοῦς ἢν μὴ βούλοιτο παντάπασι στερίσκεσθαι. καὶ ὑπισχνεῖτο ἄν τι ξυμβῇ μεταξὺ τοῦ τε καίσαρος καὶ τοῦ συγγενοῦς, τῆς περὶ τῶν καταληφθέντων τοῖς ἐν τῇ χώρᾳ πρώτοις διαδικασίας παραχωρῆσαι. ταῦτα δὲ τοῖς ἀμφὶ τὸν σάξονα ἀπάτη καὶ δόλος ἐφάνη, καὶ δεινὰ ἐποίουν εἰ τολμήσειεν ἐκεῖνος οὕτως περὶ τὸν συγγενῆ ἄπιστον αὐτὸν παρασχεῖν καὶ ἀπειλῶν δέ τι παρέστησαν, καὶ τὸ ξυμμαχικὸν ἕτοιμον ἀποκρίνεσθαι αὐτῷ εἴ τι κατὰ τοῦ συγγενοῦς νεωτερίσειε ὡς αὐτῶν οὐ πεισομένων. οὕτω δὴ καὶ γενομένου εἰσέτι τοῦ τραύματος περὶ τοὺς ἄνω τόπους ὅπου οὐ πολὺ μείους τῶν δισχιλίων ὑπὸ τῶν Οὐσσάρων οἰκτρῶς τε καὶ αἰσχρῶς κατεκόπησαν, ὁ τῶν μυσῶν ἡγεμὼν μεταχειρισάμενος τὸ πρᾶγμα ἐπέθετο ταῖς πόλεσι καὶ ἤρξατο προσαγορεύειν τοῖς ὑπηκόοις τοῦ συγγε-

νοῦς

P.414 νοῦς ὅτι μετὰ τοῦτο ὑπ' αὐτῷ ἔσονται. τόδε δ' ἀπεδέχετο ἄλλῃ ἄλλος. καὶ ἦσαν λόγοι παντοῖοι μάλιστα τῶν μὲν εἰδότων οὐδέ τι ἀκριβὲς, ὑπὸ νοεῖν δὲ καὶ δοξάζειν περὶ ἁπάντων εἰωθότων. καὶ δύσφημα πολλὰ καὶ ὑβρικὰ, καὶ συκοφαντικὰ διεδίδοντο, διαβαλλομένων ὡς ἔτυχε παρ' ἀμφοῖν ἀεί τινων τοὺς ἑτέρους. τῷ δὲ Σαξονικῷ καὶ ξυμβουλεῦσαι ἔφασάν τινας, μὴ παντελῶς ἀπαλλοτριοῦν τὸν ξυγγενῆ μηδὲ τοῦτο τὸ ἔμφυλον κακὸν παρὰ τὰ πρότερα ἐγεῖραι, ἀλλὰ δουλεύσαντα τῷ καιρῷ φιλοφρονέστερον ἀποκρίνασθαι αὐτῷ, εἶναί τε νεανίαν ἐκεῖνον, καὶ ἐλπίζεσθαι ἴσως ὑπό τινων ὥστε καὶ μειζόνων ἐπιθυμῆσαι, καὶ προφάσεως μόνον δεῖσθαι διὰ τὰς ἔχθρας διαμενούσας ἔτι περί τε τῶν γειτονικῶν ἐγκλημάτων καὶ ἄλλων ἕνεκα ὧν εἰ δέοι αὐτός. εἰκάσαι δὲ ὅτι ἀκίνδυνος εἰς ἅπαν ἡ καθύφησις, τὴν γὰρ νίκην ἔσεσθαι ἢ αὐτῶν, καὶ τότε ῥαδίως ἀπολήψεσθαι τὰ παραχωρηθέντα, ἢ τοῦ καίσαρος εἶναι ἄρα βέλτιον ἔχειν καὶ τἀκείνου τὸν συγγενῆ ἢ ἕνα τῶν ἔξω, ἢ συνθεμένους εἰρήνην ποιήσεσθαι, καὶ οὕτως δὴ πρόχειρον γενήσεσθαι τὴν ἀνάκτησιν. ἀλλὰ τούτοις ὑπ' ἄλλων τινῶν τῶν μηδὲν ἐνδοῦναι τῷ ψευδοξυγγενεῖ καὶ ἀμνήμονι τῶν τε εὐεργεσιῶν ὧν αὐτός τε καὶ ὁ πατὴρ πρότερον ἐκ τοῦ ξυμμαχικοῦ ἀπέλαυον νομιζόντων χρῆναι, ἀντιλεχθῆναί τε πολλὰ ἐφάσκετο, καὶ οὐδεὶς προσεχώρει τῇ γνώμῃ. καὶ ἐγράφοντο γράμματα ἀπειλῶν τε καὶ τῶν πρὶν εὖ πεποιημένων ὑπομνήσεως καὶ σχεδὸν ὀνειδήσεως μεστά. καὶ ᾤοντό τινες τὸν σαξονικὸν ἄρχοντα οὔτε ἔχοντα τοὺς χρηστὰ λέγοντας, καὶ κακῶν ἀνθρώπων ὁμιλίας μᾶλλον ἐπιδιδόντα ἑαυτὸν, οὔθ' ὑπ' ὀργῆς οἷόν τε νοῆσαί τε καὶ φρονῆσαι εὖ, τότε παρ' ἀμφότερα ἐσφάλθαι. ἐκ δὴ τούτου ἐλέγοντό τε καὶ ἐπράττοντο κόσμῳ παρὰ τῷ ξυμμαχικῷ οὐ πάνυ πολλά. οὐ γὰρ ἔτι πάνυ ὁμοθυμαδὸν ἐστρατεύοντο, καὶ ὑπόπτως εἶχον πρὸς ἀλλήλους, καὶ βαρυνόμεναι ταῖς δαπάναις αἱ πόλεις γλισχρότερον ἐπῄεσαν ταῖς εἰσφοραῖς καὶ ἐν αὐταῖς τ. ἐκακ... το πρός τε τ. τοῦ πολέμου μῆκος, καὶ τῶν στρατηγούντων πολυτέλειαν. εἰς γὰρ τοὺς πο-

ceps sub ipso fore. Id quod alii aliter accipiebant. Et varii erant sermones, maxime eorum, qui ignari omnium, neque accurate de negotiis edocti, consueuerunt tamen & suspicari & opinari de omnibus. Diuulgabantur autem tum multa maledicta contumeliis & calumniis referta, cum nonnulli alios apud vtrosque forte criminarentur. Saxonico autem quosdam hoc consilium dedisse aiebant, vt ne prorsus a se abalienaret cognatum, neque hoc intestinum malum præter superiora excitaret, sed tempori inseruiret, ac amantius responderet ipsi, esse eum adhuc iuuenem, & fortasse ab aliquibus inflari ad cupiditatem maiorum, & colore tantum aliquo indigere, propter simultates adhuc residentes, tum de controuersiis in vicinia exortis, tum de aliis, quæ ipsi nota essent. Putare autem se in omnem partem periculo carere illam submissionem: victoriam enim aut penes ipsos futuram, & tunc facile posse recuperari, quibus cessisset, aut penes Cæsarem, & tum similiter melius esse, ipsius ditionem a cognato obtineri, quam ab aliquo externo. Quod si res componantur, & pax fiat, recuperationem fore in procliui. Sed contra hæc multa dicta fuisse ferebatur ab iis, qui nihil concedi volebant pseudocognato illi, & immemori beneficiorum, quæ ipse & pater eius a confœderatis accepisset. Itaque nemo ad superiorum sententiam accessit. Ac literæ tum scribi minaces, quibus commemorabantur, & propemodum exprobrabantur beneficia superiori tempore collata. Et putabant nonnulli, Saxonicum principem malorum hominum colloquiis & congressibus plus æquo vtentem, cum non haberet, qui boni aliquid dicerent, neque ipse præ iracundia quod optimum esset, intelligeret, vtrobique grauiter deliquisse. Ex eo tempore pauca & dicebantur & agebantur ordine apud confœderatos. Non enim amplius concordibus animis bellum gerebatur, & nonnihil inuidiæ & suspicionis inter ipsos socios nasci, ac Ciuitates grauatæ sumtibus restrictiores esse in contribuenda pecunia, & minus commode loqui, tum de belli diuturnitate, tum de nimiis Ducum sumtibus, quod maior pars pecuniæ impenderetur in eos, qui pluribus stipendiis alerentur, atque ita ce-

lerrime quæ collata essent, absumerentur. Minus igitur deinceps promptæ erant, cum neque belli finem, neque suæ denudationis viderent. In copia autem Ducum, & consiliorum inconstantia animaduerti, & quæ decreta essent, enunciari. Carolus autem Imperator, & promus belli solus, & omnia & vtilius & maiori cum contentione, administrare, & opperiendo occasionem hostium errata obseruare. Ac pecuniam partim ipse secum adduxerat, partim a sacerdotali ordine accipiebat; & cum aliquando compositionis mentio fieret, tale aliquid dixisse fertur, *Eam nunquam futuram, dum Sacerdotalis ordo & Ciuitates opibus affluant.* Confœderatorum igitur magni spiritus languescere, & pacis illi cupidi esse. Ac omnia ad dissolutionem societatis illius decennalis spectare, cum casu quodam illud ipsum tempus elapsum esset. Belli tamen Duces volebant videri, se adhuc spem habere de victoria, si recte res administrarentur, & ex vtrisque castris mittebantur ad omnia loca epistolæ, quibus sua errata quisque legeret, aliorum exaggeraret, nonnulla etiam affingeret. Et ex Cæsaris castris missæ continebant discessionem & fugam, & inopiam pecuniæ, & mutuam inter ipsos socios simultatem. Confœderatorum vero literæ & res suas validas & firmas esse nunciare, & tragice insectari aduersariorum maxime Italorum & Hispanorum crudelitatem & impuritatem, quæque ab illis nefarie perpetrata essent, belluarum more, sine vlla commiseratione tum in pastores Ecclesiarum, tum in fœminas, cædesque & rapinas & concubitus nefandos, & libidinum turpitudinem intolerabilem, stupraque virginum, & raptus liberûm deplorare, & attrocius exaggerare, notisque significare. Atque maior pars horum ficta nequaquam erat. Putabantur autem tanto grauiora & asperiora, quanto minus horum locorum homines ea experti fuerant, & magis fando apud alios flagitiose admissa cognouerant, quam ipsi suis oculis viderant. Fiebant igitur vota

λυμοιρίτας ὧν ἀριθμὸς μέγας πλεῖστον ὅσον τοῦ p.486.
μισθοῦ διεδίδοτο, καὶ τὰ ξυνεισφερόμενα οὕτω τάχιστα ὑπηναλώθη, καὶ ὄκνος τὸ ἔπειτα τῶν τοῦ πολέμου τέλος οὔτε τῆς αὐτῶν ἀποπιλώσεως καθορώντων. πολλῶν δὲ ὄντων τῶν ἡγομενόντων καὶ ἀκαταστασία ἦν ἐν τῷ βουλεύεσθαι, καὶ τῶν δοξάντων ἐξαγγελίαι. Κάρολος δὲ ἦν γὰρ αὐτοκράτωρ τε καὶ ταμίας αὐτὸς μόνον ἅπαντα καὶ χρηστοτέρως καὶ πρακτικωτέρως καὶ συντονοτέρως μετεχειρίζετο καὶ ἐκαιροφυλάκει ἐπιτηρῶν τὰ τῶν πολεμίων σφάλματα. τῶν δὲ χρημάτων τὰ μὲν αὐτὸς ἔχων ἦλθε, τὰ δὲ ἐφοίτα παρὰ τοῦ ἱερατικοῦ. ὅθε καὶ τοιοῦτο λέγεται ἀποφθέγξεσθαι προτεινομένης συμβάσεώς ποτε; ὅτι αὐτὴ οὐκ ἂν γένοιτο τοῦ ἱερατικοῦ καὶ τῶν πόλεων εὐπορούντων χρήμασι. καὶ παρήκμαζεν ἤδη τὸ φρόνημα καὶ τῆς εἰρήνης ἱμείροντο πάντα τε ὡς πρὸ διάλυσιν τῆς δεκαετοῦς ξυμμαχίας ἤδη καὶ τοῦ χρόνου σχεδὸν ἵκοντας ἐς τέλος οὕτως συνεκύρησε. οἱ δὲ πολέμαρχοι ὅμως ἤθελον φανῆναι ἐλπίδα ἔτι ἔχειν ὡς περιγενησομένων αὐτοῖς τῶν πραγμάτων ἣν ἀντιλάβωνται, καὶ ἐξ ἀμφοῖν τοῖν στρατοπέδοιν περιεπέμποντο ἐπιστολαὶ τὰ πλάσματα ἴδια ῥίαι τ᾽ ἐπικρύψαι, τὰ δ᾽ ἄλλα ἐπὶ τὸ μεῖζον ἆραι, καὶ τὰ πρὸς αὐτὸν λογοποιῆσαι. αἱ μὲν ἐκ τοῦ καίσαρος στρατεύματος περιέχουσαι ὑποχώρησιν καὶ φυγὴν καὶ ἀχρηματίαν καὶ πρὸς ἀλλήλους δυσκολίαν τοῦ ξυμμαχικοῦ. αἱ δὲ ἀπὸ τοῦ ξυμμαχικοῦ καὶ τὰ παρ᾽ αὐτοῖς εὖ ἔτι καὶ ῥωμαλέως ἔχοντα ἀπήγγελλον, καὶ ἐναντίων μάλιστα δὴ τῶν Ἰταλιωτῶν τε καὶ ἰβήρων τὴν ὠμότητα καὶ μιαρίαν διετραγῴδουν, τά τε τολμώμενα ἀνοίτως τε καὶ θηριωδῶς εἴς τε τοὺς τῶν ἐκκλησιῶν ποιμένας, καὶ παρανομούμενα εἰς τὸ γυναικεῖον φῦλον. σφαγάς τε καὶ ἁρπαγὰς καὶ μίξεις ἀνοσίους καὶ αἰσχρουργίας ἀφορήτους, καὶ διακορεύσεις τῶν παρθένων καὶ ἀπαγωγὰς τῶν τέκνων θρηνοῦντες καὶ ἐπὶ τὸ μεῖζον δεινοῦντες ἅπαντα ἐσήμαινον τοῖς γνωρίμοις. καὶ τὰ μὲν πλείω τούτων ἐπέπλαστα μὲν οὐδαμῶς, ἐνομίζοντο δὲ τόσῳ βαρύτερα καὶ χαλεπώτερα, ὁσῶπερ ἀπείρως μᾶλλον εἶχον ἡ τῇδε ἄνθρωποι αὐτῶν, καὶ ἀκοῇ μᾶλλον παρ᾽ ἑτέροις ἀνομηθέντα ἢ παρὰ σφῶν αὐτῶν ὄψει ἐπέγνωσαν. ἐποιοῦντο οὖν

εὐχαὶ

p.416. εὐχαὶ καὶ δεήσεις πρὸς τὸν θεὸν τοῦ φυλάσσειν τὴν γερμανίαν καὶ ἀπείργει οὕτω βάρβαρον καὶ ἐπιμανῆ ἐμπαροίνησιν τῶν οὔτε θεὸν φοβουμένων, οὔτ᾽ ἀνθρώπους αἰδουμένων ἐχθρῶν, μήτε ἐᾶσαι ἐπί τε κεφαλὰς καὶ οἴκους αὐτῶν ἐμβάλλειν τε καὶ ἐπιδραμεῖν τοὺς οὐδὲν ἠπιώτερον ἤπερ Τούρκας ἢ Σαῤῥακηνοὺς προσοίσειν αὐτοῖς μέλλοντας. καὶ ταῦτα μὲν οὖτε πρὸς ἀποστροφὴν τῶν κακῶν ἐν δέει ὄντες ᾔτουν παρὰ τοῦ θεοῦ. ὁ δὲ οὐκ ἄρα εἰσήκουεν, ὅτι χρόνου δῆτα περίοδος παρῆν ὥστε τὰς ἁμαρτίας ἡμῶν μισθὸν λαβεῖν τινὰ τῆς ἄγαν, ἀλλ᾽ ἐπάνειμι γὰρ πρὸς τὰ προκείμενα. ὁ μὲν τῆς μυσίας ἡγεμὼν οὐδενὸς παρὰ τοῦ ξυγγενοῦς περὶ τῆς χώρας καταλήψεως προσχωροῦντο, ἔχων τε τοὺς ούσσάρους καὶ πεζὸν εἰς τετρακισχιλίους καὶ ἵππον ἀριθμῷ τε οὐ μεμπτὴν, καὶ κάλλει ὑπερέχουσαν, προσῆγε τε αὐτῷ τοὺς τοῦ ξυγγενοῦς ὑπηκόους, καὶ τὰς πόλεις ἐπερχόμενος καθίστατο τὰ ἐν αὐτοῖς καὶ ὁρκομωτεῖ τοὺς ἀεὶ προσγενομένους, ὡς νῦν ἔθος ἐπικρατεῖ, οὐκ ἀγαθὸν ὂν δίδαγμα τῆς τῶν ὅρκων εὐμαροῦς μεταθέσεως. ἀπήντει δ᾽ αὐτῷ οὐδαμόθεν οὐδὲν ἀποκωλυτικὸν τῆς διαπείρας, πλὴν τῆς παρ᾽ ἄλβιδι ἐχυρᾷ πάνυ πόλει ἔνθα καὶ μνημεῖα τῶν σαξονικῶν ἀρχιαιρεσιαστῶν καὶ σχολαστήριον ἔκτιστο, ὅπερ ἐν οὐ μακρῷ χρόνῳ μεγάλως ηὐξήθη, καὶ ἣν αὐτοὶ κοσμῆσαί τε καὶ χώμασι καὶ προμαχεῶσι κρατύναι ἐφιλοτιμήθησαν. ἐνταῦθα γὰρ καὶ στρατιωτικὸν πολὺ ἐνῆν καὶ μηχαναὶ πλήθει πλεῖσται καὶ μεγέθει μέγισται καὶ τἄλλα ἀναγκαῖα εἰς πολιορκίαν, προπαρασκευασθέντα μέν τινα τότε δὲ παρακομισθέντα τὰ πλείω ἐξαπίνης ἀπὸ τῶν περιοικίδων πόλεων καὶ ἐκ τῶν ἀγρῶν. ἐκεῖνοι γοῦν καὶ τά τε προάστεια κατέκαυσαν καὶ οὐδὲν εἰρηνικὸν ἀπεκρίναντο τοῖς κελεύσασι παραδοῦναι τὴν πόλιν, καὶ διενενόηντο ἀπαμύνειν τοὺς προσβαλοῦντας. εἰσπράξαν δ᾽ ὅμως δεχήμερον γενέσθαι ἐκεχειρίαν ἐν ᾗ περὶ τοῦ ὅτι καὶ χρὴ δρᾶσαι διαβουλεύσαιντο. ἐν ταύτῃ προσπεσόντες ὀλίγοι τινὲς οὐδὲν διὰ τὰ ξυμβάντα φυλαττομένους τέσσαρας τῶν μυσιακῶν ἐν πολυχνίῳ γείτονι διανυκτερεύοντες συνέλαβον καὶ ἀπήγαγον. τοῦτο ἀκούσας ὁ τῆς μυσίας ἡγεμὼν καὶ σφόδρα ὀργισθεὶς

& preces ad Deum, vt custodiret Germaniam, & arceret tam barbaram & furiosam petulantiam hostium, neque Deum metuentium, neque homines verentium: neu fineret in capita & familias ipsorum irruere cum impetu eos, qui non mitius quam Turci & Saraceni ipsos tractaturi essent. Atque hæc pro auertendis malis a Deo petebant timore perculsi. Is autem non exaudiebat, quod adesset iam tempus illud, quo merces accipienda erat nimiæ impietatis. Sed redeo ad propositum. Misnensium dux, cum nemo a cognato accederet de occupatione ditionis, & haberet secum Hussaros, & peditum quatuor millia equitatumque nec numero contemnendum, & pulcritudine eximium, eos qui cognato parebant, sibi dicto audientes esse voluit. Cumque obiret oppida, & res in illis constitueret, iureiurando sibi ciues obligauit, vt nunc moris est, non admodum laudabilis, quod hinc discant homines facile mutare iusiurandum. Atque nihil vspiam occurrit, quod conatum eius impediret, præter vrbem ad Albin admodum munitam, vbi sunt monumenta Electorum Saxonicorum & Academia fundata, quæ paruo temporis spatio valde creuit. Quam vrbem excolere & aggeribus ac propugnaculis firmare magno studio laborarunt. In ea validum erat præsidium, & tormentorum maximorum numerus ingens, & alia ad obsidionem necessaria, ex quibus nonnulla iam ante præparata fuerant, tunc vero plurima ex vicinis oppidis importata, & ex agris. Præsidiarii igitur, & suburbia incenderunt, & nihil pacificum responderunt iis, a quibus iubebantur tradere vrbem, quod statuissent oppugnaturos propulsare. Petierunt tamen decem dierum inducias, vt interim deliberare possent quid faciendum esset. Durantibus his, pauci quidam eruptione facta quatuor Misnenses nihil periculi propter inducias metuentes, & in oppidulo vicino pernoctantes comprehensos abduxerunt. Hac re audita Misnensium dux valde iratus, in vicinos vrbi pa-

bi pagos Hussaros immisit, potestate prædandi illis concessa. Ad quam rem valde apti sunt equites illi omnes absque graui armatura, qua vis hostilis defenditur, præter scuta quæ obiiciunt. Illi igitur ad Albim omnia vastantes & deprædantes, præsidio quod in vrbe erat, insidiabantur. Cæterum Misnensium dux Salinis Saxonicis relictis, & nonnullis in veteri Republica constitutis, aliam territorii administrationem in manibus habebat. Transeunti autem illi absque vllo metu per ditionem, & occupanti tum oppida tum præsidia, excepta Gotha, loco valde munito, nuncius affertur de reditu cognati, & fœderatorum exercitus dissipatione. Saxonicus enim Elector grauissime conquestus de cognati violenta aggressione, & (vt ipsi vocabant) contumelia & proditione, ratusque sine vltione ipsius vitam sibi acerbam futuram, cum iam vniuersæ copiæ abducerentur, non quidem sine periculo, sine iactura tamen, cum suis, quotquot ex exercitu ad se allicere potuit, recta domum contendit. Similiter & alii, quo cuilibet commodum erat. Animum autem attendebat iis inprimis qui inimicissima oratione cognatum criminabantur, fidemque habebat affirmantibus, iam pridem illum initis cum Carolo pactis ambiisse Electoralem dignitatem. Irritatus ille igitur discessum mutabat media hyeme, & frigore magno: quod milites, cum maior pars nuda esset, admodum afflixit. Misnensium autem dux a socero suo Hessiæ principe admonitus reconciliationem non aspernabatur, de aduentu cognati parum solicitus, quod speraret illum retentum iri a tergo opera Cæsaris, aliorum a fronte, vt redire omnino non posset. At Carolus vbi fœderati discesserant, conuersus ad perfectam ipsorum disiunctionem, de rationibus pecuniæ colligendæ, cogitauit, literisque ad Francos datis iussit illos Saxonicorum transitum impedire, fuga his exprobrata, & multis conuiciis in eosdem effusis. Misit etiam Marchionem auxiliares equites

ἐπέπεμψε τοὺς Οὐσσάρους ταῖς ἀμφὶ τὴν πόλιν κώμαις ἐπιτρέψας λῄζεσθαι αὐτοῖς. πρὸς τοῦτο δὲ μάλα τ' ἐπιτήδειοι εἰσὶ καὶ πρόθυμοι ἐκεῖνοι, ἱππεῖς τε ὄντες καὶ ὅπλοις ἀμυντικοῖς οὐ βεβαρυμμένοι πλὴν ἀσπίδων ἃς προβάλλονται. αὐτοὶ γοῦν περὶ τὸν ἄλβιν ἅπαντα κατατρέχοντες καὶ λαφυραγωγοῦντες ἐνήδρευον τοὺς φρουροῦντας ἐν τῷ ὀχυρώματι. ὁ δὲ τῆς μυσίας ἡγεμὼν καὶ τὴν τῶν ἁλῶν πόλιν μεταλλάξας ἐφ' ἃ τῆς πρότερον πολιτείας καταστησάμενος, τὴν ἄλλην τῆς γῆς διοίκησιν διὰ χειρὸς εἶχε, καὶ ἤδη διερχομένῳ ἀδεῶς τὴν γεύραν καὶ παραλαβόντι τάς τε πόλεις καὶ φρούρια ἅπαντα ἐκτὸς τοῦ Γοτθιέως πάνυ ἐχυροῦ ὄντος, ἀγγέλλεται ἡ τοῦ ξυγγενοῦς ἀνάζευξις καὶ τοῦ ξυμμαχικοῦ στρατεύματος διάλυσις. ὁ γὰρ σαξονικὸς ἀρχαιρεσιαστὴς πρὸς ἐκείνην τὴν τοῦ συγγενοῦς ἐπανάστασιν καὶ ὡς ὠνόμαζον αὐτοὶ, ὕβριν καὶ προδοσίαν, δεινοπαθῶν καὶ ἀβίωτον ἡγησάμενος εἰ μὴ ἀμύνοιτο αὐτὸν, ὅσον δὴ μέρος οἰκειῶσαι αὐτῷ τοῦ στρατιωτικοῦ ἐδύνατο, καὶ ἀποστροφῆς ἤδη καὶ ἀπαγωγῆς γεγενημένης στρατειᾶς ἁπάσης ἀκινδύνου μὲν οὐκ, ἀζημίου δὲ σὺν τοῖς ἰδίοις ἀπῄει τὴν εὐθὺ ἐπ' οἴκου, ὡσαύτως δὲ καὶ οἱ ἄλλοι ὅποι ἑκάστῳ ξυνέφερεν. προσεῖχε δὲ τὸν νοῦν τοῖς ἀεὶ διαβαλλομένοις ἐχθίστῳ λόγῳ τὸν ξυγγενῆ, καὶ ἐπίστευε τοῖς φάσκουσιν ὅτι ἐκ παλαιοῦ ἐκεῖνος τὸ ἀρχιαιρεσιαστικὸν μνηστεύσας ἀξίωμα συνθήκας πεποιημένος εἴη πρὸς τὸν Κάρολον, παροξυνθεὶς γοῦν ἐκεῖνος ταχεῖαν τὴν ἀναχώρησιν ἐποιεῖτο, τοῦ χειμῶνος μεσοῦντος καὶ ψύχους ὄντος μεγάλου. ὅπερ καὶ τοὺς στρατιώτας γυμνοὺς ὄντας τοὺς πλείστους μάλιστα ἔβλαψεν. ὁ δὲ τῆς μυσίας ἡγεμὼν προκαλοῦντος τοῦ τῆς ἑσσίας ἄρχοντος πενθεροῦ ὄντος περὶ διαλλαγῶν προνιεαθς λόγους ἤθελε. τῆς δ' ἐφόδου τοῦ ξυγγενοῦς ἄφροντις ἦν, ἐλπίζων τόν τε καίσαρα κατὰ νῶτον, ἄλλους τέ τινας ἐναντίους γενομένους συνέξειν αὐτὸν, καὶ μὴ ἐπιτρέψειν τὸν κάθοδον. ὁ δὲ Κάρολος ἀποχωρήσαντος τοῦ ξυμμαχικοῦ πρός τε διάλυσιν αὐτοῦ παντελῆ ἐτέτραπτο, καὶ ἀργυρολογεῖν διενοεῖτο, τοῖς δὲ Φραγκοῖς γράμματα ἔπεμπε κελεύσας πάσῃ δυνάμει ἐμποδὼν ἵστασθαι τῇ διόδῳ τῶν σαξονικῶν, ὀνειδίσας τε τὴν φυγὴν, καὶ λοιδορίας πολλὰς καταχέας αὐτῶν. ἀπέστειλέ τε καὶ τὸν μαρχίωνα

ἄγοντα

p. 418. ἄγοντα ἱππεῖς πρὸς βοήθειαν. καὶ τῶν περὶ αὐτόν τινας ἐντειλάμενος ἀπέχεσθαι μὲν μάχης, μόνον δὲ φυλάξαι τὰς τῶν πολεμίων ἐφόδους ἕως οὗ παραγένηται αὐτός, παρέσεσθαι δὲ ἐν καιρῷ. καὶ ὁ μαρχίων εὐθὺς ἔν τε τῇ Φραγκίᾳ τοῦ τε ἀρχαιρεσιαστοῦ ἀδελφοῦ καὶ ἄλλων τινῶν συστρατευσαμένων χώρας ὑφ᾽ αὑτοῦ ἐποιήσατο καὶ τὰ αὐτοῦ καταληφθέντα ἐν τῇ ὀρεινῇ ἀνεκτήσατο, καὶ οὕτως ἧκε πρὸς τοὺς μυσοὺς ἤδη τῶν σαξονικῶν σχεδὸν κατεχόντων ἅπαντα τὰ τῶν μυσῶν. ἀμεληθείσης γὰρ τῆς ἐκείνων ἐφόδου ἐπιπεσόντες αὐτοὶ αἰφνιδίως αἱροῦσι τε πόλεις τε καὶ κώμας καὶ ἱππεῖς ἅμα καὶ πεζοὺς τῶν ἐναντίων ἁλίσκουσι φθάσαντες τὰς ἐκ τῶν φρουρίων ἐξόδους αὐτῶν. θόρυβος δὲ ἦν πανταχοῦ καὶ ἀναζεύξεις ὀξεῖαι καὶ ξυνδρομαὶ φυγαί τε καὶ ἀπελάσεις καὶ τῶν ὑπαρχόντων ἀνακομιδαὶ ἐκ τῶν ἀγρῶν εἰς τετειχισμένους τόπους. καὶ οὐ πάνυ ἦσαν οἱ σαξονικοὶ στρατιῶται ἀνεκτοί, μᾶλλον δὲ οὐδενὸς ἀπελείποντο τῶν ὠμοτάτων ἐν τῷ ἄγειν τε καὶ φέρειν ὁμοίως τὰ τῶν προσκεχωρηκότων καὶ τῶν ἄλλων. καὶ ὁ μὲν στρατὸς ἀθρόος ἤγετο ἐπὶ τὴν τῶν ἁλῶν πόλιν ἐν ᾗ καὶ ἱερεὺς τότε ἦν, ὃν τῆς καὶ ἀρχῆς ἔπαυσε, καὶ ἀνδριάντα τινὰ ὕπαιθρον ἐν τῇ ἀγορᾷ πρόσθεν ὑπωρόφιον ὄντα καθίδρυσεν ἐπώνυμον ῥουλάνδου συγγενοῦς Καρόλου τοῦ μεγάλου· ἀδελφῆς γὰρ αὐτοῦ ἦν υἱὸς ὁ ῥούλανδος. τὸ δ᾽ ὄνομα μεταφερόμενον εἴη ἂν ἠρεμιόγεως. εἰσὶ δὲ καὶ ἄλλοθι ὅμοιοι ἐν πόλεσι τῆς σαξονίας ἱδρυθεῖσαι ἐξ αἰτίας ταύτης. ὁ Κάρολος πολλάκις καταστρεψάμενος τοὺς σάξονας οὐδὲν ἤνυε, ἀποστάντων αὖθις ἀεὶ ἐκείνων. τέλος ἔτει σχεδὸν τριακοστῷ ἐκπολεμώσας οὕτω κατέσχεν. εἰς τὰς δουλωθείσας τῶν πόλεων ἄρχοντας καὶ οἷον ἁρμοστὰς καλουμένους πυργοφύλακας ἔστειλε καὶ ἐκέλευσε τῆς ὑπακοῆς σημεῖον τὸν τοῦ ῥουλάνδου ἀνδριάντα ἀναστῆσαι ἐνδεικνύμενος ἅμα ὅτι ἐλευθερίας τῆς προτέρας διὰ τὴν τῶν ἀμφὶ αὐτὸν ὧν πρῶτος ἦν ὁ ἀδελφιδοῦς ἐστερήθησαν, καὶ ὅτι ὑπακούσαντες τὸ λοιπὸν ἡ γῆ ἠρεμήσει. ἀλλὰ τούτων χρόνῳ ὕστερον μετεβλήθη τινὰ καὶ ἐκαινοποιήθη πλεῖστα, περὶ ὧν καὶ τοῖς τῶν τόπων ἄρχουσι διαφοραὶ πολλαὶ ἐγεννήθησαν. τότε δ᾽ οὖν οἱ σαξονικοὶ περὶ ταῦτα ἐν τῇ τῶν ἁλῶν πόλει διέτριβον καὶ ἠσχολοῦντο. οὐκ ἐβού-

ducentem & ex ſuis aliquos, cum his mandatis, vt a prælio abſtinerent, & tantiſper hoſtium impetum cauerent, dum ipſe accederet. Affuturum ſe autem tempori. Et Marchio ſtatim tum in Franconia, tum Electoris fratris & aliorum, qui vna militauerunt, ditionem ſubegit, & ſua in montanis occupata recuperauit, atque ita ad Miſniam acceſſit, iam Saxonicis ferme omnia obtinentibus, quæ in Miſnia erant. Cum enim impreſſionem illorum neglexiſſent, improuiſo & oppida & vicos capiunt, peditesque & equites antequam ex præſidiis adduci poſſent. Erant autem vbique tumultus reditusque celeres, & conuerſationes, exilia & eiectiones, & bonorum exportationes ex agris in loca munita. Ac milites Saxonici non admodum commode ferri poterant, imo nihil ſibi reliquum faciebant ad crudelitatem, in abducendis aſportandisque & amicorum & aliorum facultatibus. Copiæ autem omnes ductæ ad Salinas Saxonicas, in qua vrbe erat tum Epiſcopus, cui imperium ademptum, & ſtatua quædam ſub dio in foro, quæ antea ſub tecto fuerat collocata, cognomento Rulandi, cognati Caroli Magni, ſororis enim ipſius filius fuerat. Nomen autem Græce redditum fuerat, ἠρεμιόγεως, *terra quies*. Sunt ſimiles aliæ in vrbibus Saxonicis poſitæ hac ex cauſa. Carolus ſæpe Saxonibus ſubiugatis, cum nihil efficeret, quod illi ſemper iterum deficerent, tandem triceſimo anno bello iis domitis Saxoniam obtinuit, inque vrbes ſeruitute oppreſſas miſit magiſtratus & Harmoſtas, arcium cuſtodes, præcepitque erigi obedientiæ ſignum Rulandi ſtatuam, ſimul oſtendens, eos libertate priſtina, virtute ſuorum ex quibus primus erat ſororis filius, priuatos eſſe: futurumque, vt, ſi deinceps obedientiam præſtiterint, terra quieta ſit. Sed horum plurima ſequenti tempore & mutata & immutata fuere, de quibus etiam multæ inter locorum dominos controuerſiæ exortæ. Tunc igitur Saxonici in Salinis commorantes circa hæc occupa-

ti erant. Nolebant autem vulgo innotescere confœderatorum exercitus dissipationem, rumoresque spargebant, iusiurandum adhuc esse integrum, & prope diem de renouanda belli societate deliberationes institutum iri. Sed hæc erant fabulæ. Confœderatis enim semel dissolutis, quilibet suæ salutis rationem habuit, de aliis parum sollicitus. Cæsar autem statim a Danubio & Neoburgo Sueuiæ imminuit. Cumque supplices fierent, & a Principibus & Ciuitatibus pecuniam exegit, præsidiisque firmauit ciuitates quæ defecerant (sic enim loquebantur) & in castella quædam custodibus missis militem recreauit, ægrotos curando, & quod deerat, supplendo, pluresque Hispanos aduocando. Ac Imperator in his erat erga supplices, etiam quos admittebat, admodum asper & tristis. Reliqui in varias partes animum distrahebant, metuentes & supplicantes, & deprecationes quærentes quo placabiliorem Cæsarem haberent. Et hoc lucro fuit multis: neque enim sine pecunia hæc impetrari poterant, sed illis solis, qui haberent quod darent, facilis erat ad securitatem via: gratis autem, neque confidere licebat, neque boni aliquid accipere. Atque hoc quidem ita accidit vt fierent, tunc & ab Imperatore & eius consiliariis. Saxonici autem in Salinis erectioni statuæ, & aliis ineptiis vacabant. Multa autem impure, flagitiose & inhumane admisit colluuies operarum (quos ad sal coquendum adhibent) adiuncta sibi deterrima exercitus parte, tum in templis & monasteriis quibusdam, tum aduersus eos, qui non idem sentirent. Id quod Saxonicis apud omnes magnam maculam inussit: sed Misnensium dux (vt dixi) omnis metus & curæ expers de agnati aggressione, morabatur tum Lipsiæ, & aduentu eius cognito, qui appropinquare dicebatur, probe gnarus de Lipsia primum certamen fore, omnes milites in id oppidum collegit, & incensis suburbanis cum multis & pulchris ædificiis, in quibus erat Xenodochium admiratione dignum, & molæ & amœna prædia, relictisque ibidem omnibus peditibus, cum equitatu ipse & frater eius discesserunt, ad superiora loca Muldam transgressi,

λοῦσθαι δὲ δῆλον εἶναι ὅτι διελύθη τὸ ξυμμαχικόν. p. 439. ἀλλὰ λόγους τε διεδίδουν διαμένειν ἔτι τοὺς ὅρκους καὶ ὅσον οὐκ ἤδη περὶ τῆς ξυμμαχίας ἀνανεώσεως διαβουλίας ἔσεσθαι. τοῦτο δ' ἦν λόγος ἄλλως. ἅπαξ γὰρ διαχωρήσαντος τοῦ ξυμμαχικοῦ περιεσκόπουν τὸ λοιπὸν ἕκαστοι τὴν ἰδίαν σωτηρίαν τῶν ἄλλων πέρι λογισάμενοι οὐδέν. καὶ ὁ καῖσαρ εὐθὺς ἀπὸ δανουβίου καὶ τοῦ νεοπυργίου τῇ σουεβίᾳ ἐπέκειτο, καὶ γινομένων ἱκετῶν τούς τε δυνάστας, καὶ τὰς πόλεις χρήματα τε εἰσέπραττε καὶ φρουρὰς ἔφαινε ἐπὶ τὰς ἀφεστηκυίας, οὕτω γὰρ ἐκάλουν, τῶν πόλεων, καὶ ὀχυρώματά τινα φυλακαῖς ἐβεβαίου, καὶ τὰς δυνάμεις ἀναλαμβάνων ἀεί τε ἀκεσάμενος τὸ πονοῦν, καὶ τὸ λειπόμενον ἀναπληρώσας καὶ τῶν ἰβήρων πλείους προσκαλεσάμενος. καὶ ὁ μὲν καῖσαρ ἐν τούτοις ἦν πάνυ χαλεπῶς τε καὶ λυπηρῶς προσφερόμενος τοῖς ἱκέταις οὕς τε καὶ προσίετο. οἱ δὲ ἄλλοι ἐν παντοίῳ ἦσαν φοβούμενοί τε καὶ ἀντιβολοῦντες καὶ [illegible] εὔξεις ζητοῦντες πρὸς τὸ μαλακώτερον [illegible] τὰ παρὰ τοῦ καίσαρος. καὶ τοῦτο ἐπικερδὲς ἐγένετο τοῖς πολλοῖς, οὐδὲν γὰρ ἄνευ χρημάτων ἐποιεῖτο. ἀλλὰ τοῖς δοῦναι ἔχουσι μόνοις εὐμαρὴς ἦν ἡ πρὸς ἀσφάλειαν ὁδός, προῖκα δὲ θαρσῆσαι ἢ εὐπαθεῖν οὐκ ἦν. καὶ ταῦτα μὲν οὕτω ξυνέβαινε τότε ἐργάζεσθαι αὐτόν τε τὸν καίσαρα, καὶ τοὺς ἀμφ' αὐτόν. οἱ δὲ σαξονικοὶ ἐν τῇ τῶν ἁλῶν πόλει περὶ τὸν ἀνδριάντα καὶ ἄλλας τινὰς φλυαρίας διέτριβον. πολλὰ δὲ ἀσελγῶς τε καὶ ἀπανθρωπεύσατο ἡ πληθὺς τῶν ἁλουργῶν τὸ τοῦ στρατιωτικοῦ μάλιστα κακοῦργον προσεταιρησαμένη, περί τά τε ἱερὰ καὶ μοναστήρια τινὰ καὶ τοὺς οὐ τὰ αὐτῶν φρονοῦντας. ὃ καὶ τοῖς σαξονικοῖς παρὰ πᾶσιν κηλίδα προσετρίψατο μεγάλην. ἀλλ' ὅ γε μυσνῶν ἡγεμὼν ἀδεῶς τε καὶ ἀφρόντις, ὡς ἔφην, τῆς τοῦ ξυγγενοῦς ἐφόδου ὤν, ἐτύγχανε τότε τῇ λιψίᾳ παρεπιδημῶν, καὶ γνοὺς τὴν ἐκείνου προσέλευσιν καὶ ὅτι οὐχ ἑκὰς εἴη ἤδη, καὶ εἰδὼς ὅτι περὶ λιψίας ὁ πρῶτος ἀγὼν ἔσοιτο, τὸ στρατιωτικὸν ἅπαν ἐπὶ τὴν δὲ τὴν πόλιν ξυνήγειρε. καὶ τότε τὰ προάστεια ξὺν πολλοῖς καὶ καλοῖς οἰκοδομήμασιν ἐν οἷς καὶ ἀξιάγαστον ἔργον ἦν ξενοδοχεῖον καὶ μύλαι καὶ ἐνηβητήρια ἐμπρήσας, καὶ καταλιπὼν αὐτοῦ τὸ πεζὸν ἅπαν ξὺν τῇ ἵππῳ αὐτός τε καὶ ὁ ἀδελφὸς αὐτοῦ ἐς τὰ ἄνω ἀπῄεσαν εἰς τὰς γειτνιά-

p. 420. ους κώμας πῦρ ἐνιέντες, καὶ τὸν ποταμὸν Μύλδαν περαιωθεὶς τάς τε ἐπ' αὐτῷ καὶ τὰς ἐπὶ τοῦ Ἄλεως γεφύρας πέμψας ἐκέλευσε καθελεῖν. οὐ γὰρ ἀξιόμαχον εἶχε πλῆθος ὥς τε ξυμβαλεῖν ἐκ χειρὸς, καὶ ἀπηγόρευτο αὐτῷ ἐκ τοῦ καίσαρος ἡ πεῖρα. οἱ δὲ φρουρήσοντες ἐν τῇ Λιψίᾳ κατὰ τάχος παρεσκευάζοντο ὡς πρὸς πολιορκίαν καὶ τειχομαχίας ὡς οὔπω ἐσομένας. τήν τε πόλιν ἔνδοθι διετάφρευον καὶ πάντα πρὸς ἄμυναν ὡς ἐδύναντο ἄριστα διετίθεντο. φρούραρχος δὲ ἦν Βαλβίκιος τις τὸ γένος, οὐδὲ τῶν πάνυ στρατηγῶν τι ἧττον γινόμενος ἀρετῇ τε καὶ καρτερίᾳ καὶ γνώμῃ. ἤδη τὸ πρότερον ἔτος ἐτελεύτα, καὶ ἤρχετο νέον, τῇ μετὰ τὰς χειμερινὰς τροπὰς ιη. μάλιστα ἡμέρᾳ. καὶ ἐκ τῆς τῶν Ἁλῶν πόλεως τὸ σαξονικὸν στράτευμα προῄει. καὶ ἐκ τοῦ παρ' Ἄλβιδι ἐχυρώματος προσεκομίζοντο μηχαναὶ καὶ τἆλλα πρὸς πολιορκίαν ἀναγκαῖα. ἐπερχόμενός τε ὁ στρατὸς τινὰς ἡμικαύστους τῶν κωμῶν εὗρε, καὶ τὸ πῦρ ἐφ' ὅτι αὐτοὶ ἔσβεσαν. οὕτω γοῦν ἡ Λιψία ἐπολιορκήθη ἀπὸ μερῶν τεσσάρων. ἤλπισε δὲ ὁ σαξονικὸς ἀπαρασκευάστους, ὡς ἐλέχθη, φανείσης τῆς αὐτοῦ δυνάμεως καὶ δέει τῆς κατὰ κράτος ἁλώσεως, ἐνδώσειν τι αὐτοὺς, καὶ μὴ πρὸς τὴν δύναμιν αὐτοῦ ἀντιστήσεσθαι, ἐπεὶ δὲ λόγους ποιησάμενος περὶ τούτων μηδὲν ἤνυσεν, ἐκ τούτου δὴ πάσῃ βίᾳ καὶ μηχανῇ ἐπέθηκαν τῇ πόλει. σφάλμα δ' ἐδόκει γενέσθαι καὶ τοῦτο οὐ τῶν μικροτάτων, ὅτι ὁ σαξονικὸς οὐ τὴν εὐθεῖαν κατὰ τάχος ἐπὶ Λιψίαν ἦγε τὴν στρατιάν, οὗ γενομένου πολλοὶ οἴονται ὅτι ἀκεραίαν ἂν τὴν Λιψίαν οὐδέπω τοῦ μισθοφορικοῦ παρόντος καταλαβεῖν ἂν ἐδύνατο. ἀλλὰ τότε οὐδενὸς ἀπαντῶντος παρὰ τῶν ἐν τῇ πόλει ἐνδόσιμου ταῖς μηχαναῖς ἀφθόνως οὕτω ἐχρήσατο ὥστε ἐν ταῖς τέσσαρσι καὶ δέκα ἡμέραις αἷς ἐπολιόρκησεν, ἐμβαλεῖν τοῖς τειχίσμασιν ὑπὲρ μυρίας τῶν σιδηρῶν σφαιρῶν οἷαι ἐκ τῶν χαλκῶν αὐλῶν τούτων βίᾳ πυρὸς ἐξωθούμεναι καὶ πᾶν τοὐναντίον ξὺν σμαραγῷ δεινῷ στορνύουσί τε καὶ ῥήξαντες ῥύμῃ φέρονται. αἱ δὲ πλεῖσται τῶν σφαιρῶν ταλαντιαῖαι, τινὲς δὲ καὶ διτάλαντοι. εἰσεβλήθησαν καὶ σφαῖραι εἰς τὴν πόλιν θείῳ καὶ πίσσῃ συμπαγεῖσαι καὶ ἐμπυρωθεῖσαι ἐν τῷ ἀέρι. μηχάνημα δὲ ἐστὶ τοῦτο τῶν θαυμασίων τε καὶ δεινῶν μάλιστα. κατεφλέχθη δὲ ὑπὸ τοῦ-

missis qui iuberent pontes destrui, quos Malda & Sala haberent. Non enim tantum copiarum apud se habebat, vt ante confligere auderet, & quo minus id tentaret, etiam Cæsaris mandato prohibebatur. Præsidiarii autem in oppido Lipsia ita se præpararunt, vt quasi propediem & obsidio & oppugnatio futura esset, cum inter vrbem fossas facerent, & omnia ad defensionem quam optime poterant, disponerent: Præsidio autem præfectus erat Balbicius quidam genere non inferior quouis ex summis tum ducibus virtute, tolerantia, solertia.

Iam prior annus effluxerat, & erat initium noui, die post brumam 18. Et Saxonicus exercitus Salinis egressus processerat. Ex vrbe autem ad Albim munita aduehi tormenta, & alia ad obsidionem necessaria. Milites vbi aduenere, pagos quosdam semiustos inuenere, & alicubi ignem ipsi vel incendium restrinxere. Ita igitur Lipsia obsessa quatuor ex partibus. Sperauit autem Saxonicus eos imparatos (vt ferebatur) si conspicati fuissent copias hostium, metu ne per vim vrbs caperetur, deditionem facturos, neque arma contra laturos. Postquam autem post colloquium nihil profectum, mox omni vi & arte vrbem aggressi sunt. Putabatur autem non minimum fuisse peccatum, in eo, quod Saxonicus non recta confestim exercitum ad oppidum Lipsiam duxisset: quod si factum esset multi existimant potuisse eum vrbem integram capere, nondum intro recepto præsidio. Cum autem nemo ex vrbe veniret, qui de deditione ageret, ita prolixe & liberaliter tormentis vsus est, vt intra XIIII. dies, quibus eam obsedit, mœnia peterentur decem millibus globorum ferreorum, quales ex æneis fistulis vi ignis expulsi, omne quod obstat horribili cum sonitu prosternunt & rumpunt impetu eo delati. Horum globorum plurimi erant talenti pondere, nonnulli etiam duorum. Iniecti etiam fuere globi sulphure & pice compacti, & incensi in aëre, quod machinarum genus maxime admirabile & terribile est. Sed plu-

MDXLVII.

Sleidanus lib. 18. p. 564. *Hortleder* Tom. 2. lib. 3. c. 86. *Thuanus* lib. 4. p. 103.

plurimis horum immissis, vna tantum domus conflagrauit muro vicina. Sonus igitur & reuera fragor tormentorum longius ab oppido trecentis stadiis exauditus est adeo clare, vt singuli ictus numerari possent. Absumpta autem frustra in obsidione illa & pecuniæ magna vis, & tormentorum: & milites, inprimis pedites, aceruatim in plaustris exportabantur ægrotantes, inter quos non pauci moriebantur. Mortuorum vero neque ratio, neque numerus erat. Cum igitur tormentorum ictibus nihil efficeretur, famam Saxonici sparserunt, qua opinari volebant eos, qui in vrbe erant, paulo post futurum, vt ad murum pugnent, qui concussus & perforatus globis ferreis ad XXX. cubita & plura conciderat, & quasi impleturi essent, comportarunt manipulos. Atque hoc facto, statim noctu motis castris discesserunt, breui quadam ex oppido excursiuncula facta, illis abeuntibus, & direptione si quid inuentum fuisset. Obseruata autem & signa quædam huius expeditionis. Nam repente incendium ante oppidum præcedente æstate exarserat, tumultumque excitauerat; & cum nemo armatus adesset, paucis diebus ante vrbis obsidionem auditus ad mœnia extra vrbem sonus, quasi præteriret hominum maximus numerus, strepitusque hastarum quasi collisarum. Etiam prædictio quædam antiqua in ore erat vulgus; *In fatis esse, vt Lipsia intra biennium solo æquaretur.* Sed hæc progrediantur quo Deo visum fuerit. Post hæc legationes mitti a vicinis Principibus, & multi conati bellum sopire. Sed nihil effectum ab vllo. Et Saxonici iam ferme omnia Misniæ loca tenebant, & Marchio Rochlicii (oppidum hoc est vicinum Muldæ) captus est, negligentia eorum, quibus custodia mandata erat. Ac tunc Cæsar validum ducens exercitum Noribergam adiit, ibique paucis diebus commoratus, etiam corpore satis infirmo & ægroto, tamen contra Saxonem profectus est in Lectica vectus.

Sleidanus lib. 18. p. 569. Hortleder Tom. 2. lib. 3. p. 6. 66. Thuanus lib. 4. p. 104 Ludouicus ab Auila de B. Germ. lib. 2.

τῶν πολεμίων ὄντων μία μόνον τις παρὰ p. 421. τὸ τεῖχος οἰκία. ἦχος γοῦν καὶ τῷ ὄντι δοῦπος τῶν μηχανῶν εἰς ἠκούσθη ἀπωτέρω τῶν τριακοσίων σταδίων, οὕτω τρανῶς ὥστε καὶ ἀριθμεῖσθαι τὰς καθ' ἑκάστου βολάς. κατηναλώθη δὲ ἐν τῇ πολιορκίᾳ μάτην χρήματά τε πλεῖστα καὶ τὰ μηχανικά, καὶ τὸ δὲ στρατιωτικὸν οὐχ ἥκιστα τὸ πεζὸν, σωρηδὸν γὰρ ἐφ' ἁμαξῶν ἐκ τοῦ στρατοπέδου ἐκομίζοντο οἱ ἀσθενήσαντες, θνήσκοντες ἤδη οὐκ ὀλίγοι. τῶν δὲ τεθνεώτων οὔτε λόγος οὔτε ἀριθμὸς ἐγίνετο. οὐδὲν δ' ὅμως ταῖς τῶν μηχανῶν ἐπιβολαῖς περαινομένου, φήμην διεδίδουν οἱ σαξονικοὶ καὶ δόξαν ἐνεποίουν τοῖς ἐν τῇ πόλει ὡς αὐτίκα μάλα μαχούμενοι πρὸς τὸ τεῖχος, ὃ σεισθέν τε καὶ διατρηθὲν ὑπὸ τῶν σιδηρῶν σφαιρῶν καταπεπτώκει ἐπὶ πήχεις πλείους ἢ τριάκοντα, καὶ τὰς τάφρους ὡς πληρώσοντες ὕλης φακέλλας συνεφόρουν. τοῦτο δὲ ποιήσαντες εὐθὺς τῆς νυκτὸς ἀναζεύξαντες ἀπῄεσαν, γενομένης τινὸς βραχείας ἐκδρομῆς οἰχομένων αὐτῶν ἐκ τῆς πόλεως καὶ διαρπαγῆς εἴ τι τις εὗρε. παρετηρήθησαν δὲ καὶ σημεῖά τινα τῆς ἐπιστρατείας ταύτης. τὸ μὲν ὅτι ἐξαπίνης φλὸξ περὶ τῆς πόλεως ἐν τῷ προηγουμένῳ θέρει ἐξήφθη καὶ θόρυβον ἐποίησε, τὸ δὲ ὅτι οὐδενὸς ὁπλίτου παρόντος πρὸ ἡμερῶν ὀλίγων πρὶν πολιορκηθῆναι τὴν πόλιν ἐκτὸς πρὸς τοῖς τείχεσι ἦχος ἠκούσθη, ὡσεὶ παραπορευομένων πλείστων ὅσων καὶ ψόφος τῶν δοράτων ὥσπερ συναρασσομένων. πρόρρησις δέ τις ὡς παλαιὰ τότε ἐθρυλεῖτο ἐν τῇ πόλει ὡς χρεὼν κατασκαφῆναι Λιψίαν ἐντὸς ἐτοῖν δυοῖν. ἀλλὰ ταῦτα προβαίη ἧπερ φίλον τῷ θεῷ. μετὰ δὲ ταῦτα πρεσβεῖαι ἐπέμποντο ὑπὸ τῶν πλησίον δυναστῶν καὶ παῦσαι τὸν πόλεμον πολλοὶ ἐπειρῶντο. ἐπέτυχε δὲ οὐδεὶς οὐδενός. καὶ οἱ σαξονικοὶ ἤδη σχεδὸν πάντα τὰ τῶν μυσῶν κατεῖχον, καὶ ὁ μαρχίων ἐν τῷ καλουμένῳ ῥωχελκίῳ πολιχνίῳ παρὰ τῷ μύλδᾳ ἥλωκε ἀμεληθέντων τῶν φυλακῶν. τότε ἄρα καῖσαρ στρατὸν ἄγων ἰσχυρὸν παρεγένετο εἰς τὴν νωρικὸν πυργόν, καὶ ὀλίγας ἡμέρας ἐκεῖ καταμείνας ἀσθενής τε τὸ σῶμα καὶ νοσερὸς ὅμως πρὸς τοὺς σαξονικοὺς ἔσπευδεν, ὀχούμενος ἐπὶ φορείῳ.

A

p. 421. Ἀφίκετο δὲ πρῶτον εἰς τὴν ἔγραν πόλιν τῆς βασιλείας βοημικῆς ἐσχάτην οὖσαν, ὅπου αὐτὸν Φερδινάνδος ἀδελφὸς καὶ μαυρίκιος τῆς μυσίας ἡγεμὼν καὶ ἄυγουστος τούτου ἀδελφὸς ἀνέμενον ἱππεῖς ἔχοντες καταφράκτους καὶ κούφους ἐς τρισχιλίους καὶ πεζῶν σπείρας εἴκοσι. ἐκεῖθεν οὖν μετὰ πάσης δυνάμεως ἤλασαν ἐπὶ τὴν μυσίαν, εἰδότες ἐν τῇδε τῇ χώρᾳ διατρίβοντας τοὺς ἀμφὶ τὸν σαξονικὸν, οἳ θεοῦ ἤδη βλάπτοντος ἐν τοσαύτῃ ἀδείᾳ καὶ ῥαθυμίᾳ διῆγον ὥστε οὐδενὶ πιστεῦσαι ἀπαγγέλλοντι τὴν τοῦ αὐτοκράτορος ἐπέλευσιν, μᾶλλον δὲ καταγελᾶσαι ἤν τις διισχυρίζοιτο καὶ αὐτόπτης γεγονὼς τοῦ πλήθους τῶν πολεμίων. μέμνημαι ἐγὼ κομιδῇ παῖς ὢν τότε τὸν στρατὸν ἅπαντα τοῦ σαξονικοῦ αὐλισάμενον μὲν καὶ νυκτερεύσαντα ἐν τῇ πατρίδι μου τῇ πρώτῃ ἡμέρᾳ τῆς μάχης, τὸν δὲ αὐτοκράτορα στρατοπεδεύσαντα οὐ πορρωτέρω τριάκοντα σταδίων. τηνικαῦτα μέντοι μόγις πεπεισμένους οἶδα τοὺς σαξονικοὺς ὥστε τοῦτο πιστεῦσαι, καὶ ἀποχωρῆσαι εἰς τὴν μυσηνῶν πόλιν, ἣν μετ' ὀλίγον καταλιπόντες καὶ τὴν γέφυραν ἐμπρήσαντες παρὰ τῷ πολιχνίῳ μυλοβέργῳ ὀνομαζομένῳ ἐστρατοπέδευσαν. ὁ δὲ Κάρολος φοβηθεὶς μήπως ὁ σαξονικὸς εἰς τὸ λευκόριον ἀπελθὼν τόπον ἐχυρώτατον καὶ φρουρὰν ἰσχυροτάτην ἔχοντα, μίαν μόνον ἡμέραν ἀναπαύων τὴν στρατιὰν τῇ τετάρτῃ ἐπὶ εἰκάδι τοῦ ἀπριλλίου ὑπ' ὄρθρον ἕως πρὸς ποταμὸν ἄλβιν μετ' ἐπείξεως ᾔει. ἐπὶ δὲ ταῖς πέραν ὄχθαις κατὰ πολλοὺς τόπους παρατεταγμένοι ἦσαν ὑπὸ τοῦ σαξονικοῦ σὺν ταῖς μηχαναῖς τῇ γεφυρώσει τοῦ ποταμοῦ ἐμποδίζοντες καὶ τοῦ πόρου τοὺς πολεμίους ἀπείρξαντες εἴ τινα εὕροιεν, καὶ δὴ καὶ φυλάξοντες τὴν γέφυραν, ἣν αὐτοὶ ἐκ σκαφιδίων καὶ μονοξύλων πεποιηκότες ἔτυχον. οὐ μὴν ἀλλ' οὗτοι ἰδόντες τὸν αὐτοκράτορα μεθ' ὅλης δυνάμεως παρόντα, καὶ ἴβηρας ὡσεὶ χιλίους ἢ πλείους εἰς τὸν ποταμὸν μεγάλῃ ὁρμῇ ἀχειβλαχιόνων εἰς βάντας σιδηρᾶς σφαίρας εἰς αὐτοὺς ἐξ αὐλῶν μικροτέρων συχνάκις ἐφιέντας εἰς τὰ σκαφίδια πῦρ ἐμβαλόντας ὥστε κατακαυθῆναι βάδην ἀπὸ τῶν ὀχθῶν ἀπεχώρησαν. καὶ ἐνταῦθα δὴ τῶν ἰβήρων τινὲς γυμνὰ τὰ ξίφη ἐνδακόντες καὶ πλάγια τοῖς στόμασι φέροντες εἰς τὸν ποταμὸν σφᾶς αὐτοὺς ἀπέρριψαν, καὶ εἰς τὴν πέραν ὅθεν ἐκνηξάμενοι τὰ

Venit autem primum Egram extremam regni Bohemiæ vrbem, vbi ipsum Ferdinandus frater & Mauricius Misniæ dux, & Augustus huius frater expectabant, equites habentes cataphractos, & leuis armaturæ ter mille, & peditum viginti cohortes. Inde igitur cum omnibus copiis in Misniam contenderunt, quod scirent in ea regione Saxonicos commorari, qui (Deo iam illis sanam mentem eripiente) adeo securi erant & negligentes, vt nulli fidem haberent renunciantì aduentum Imperatoris, imo potius deriderent, si quis constanter affirmaret se suis oculis multitudinem hostium vidisse. Memini ego admodum puer tum temporis vniuersas Saxonici copias pernoctare in patria mea,* & Imperatorem non longius triginta stadiis abesse. Tunc tamen noui vix Saxonicis persuaderi potuisse, vt hoc crederent, & Misenam oppidum peterent; quo paulo post relicto, & ponte incenso, non procul a Mulbergo oppido castra posuerunt. Carolus autem veritus ne forte Wittebergam Saxonicus se conferret, quæ & munita egregie esset, & validissimo præsidio firmata, vnius tantum diei quiete exercitui suo concessa, XXIV. Aprilis mane ad Albim propere iter dirigit. Cæterum in vlterioribus ripis passim a Saxonico collocati erant cum tormentis qui & impedirent ne fluuius ponte iungeretur, & a vado hostes arcerent, si quos reperirent, & vero etiam vt pontem, quam ipsi e scaphis & lintribus fecerant, defenderent. Verum enimuero hi conspicati Imperatorem cum omnibus copiis adesse, & Hispanos mille ferme aut plures fluuium magno impetu ingressos, ferreos globos in ipsos frequenter immittere, igne in scaphas iniecto, vt comburerentur, paulatim a ripis recesserunt. Atque ibi sane Hispanorum nonnulli nudi gladios mordicus apprehensos, & transuersos ore ferentes in fluuium sese coniecerunt, cumque in aduersam ripam enatassent, nauigia a Saxonicis de

SVPPLEMENTVM a Simone Stenio additum.

Egra.

* Lomati.

Sleidanus lib. 19. p. 577. Hortle er Tom. 2. lib. 2. c. 68. 69. Thuanus lib. 4. p. 10. Sagittarius Hist. Io. Friderici d. 2. 19.

reliqua pontis parte abrupta & secundo flumine delata attinuerunt, & audaci facinore etiam vndique petiti abduxerunt. Ex his igitur nauigiis, & aliis, quæ plaustris aduecta fuerant, pons effectus, vt & pedites & impedimenta transire possent. Interim Saxonicus audiebat Euangelii explicationem, & præmissis impedimentis Wittebergam, quo primum proficisci voluerat, petiturus erat. Imperator vero celeriter rem exsequi volens, inuento vado primum transire fluuium Hussaros iussit, & leuem equitatum: post ipse secutus, cum grauis armaturæ militibus. Ratus autem non commodum fore, si expectandus esset peditum & impedimentorum transitus, equitatu assumto Saxonicum festinanter insecutus est, eumque assecutus statim initium prælii fecit, quo acriter commisso vsque ad vesperam tandem Saxonici numero hostium victi sunt, & ipse Dux cum fortiter se defendisset, in aduersum os vulneratus mala sinistra, viuus captus est cum Ernesto Brunonisuicensi; annulo & torque traditis equiti cuidam (vt perhibent) ex Misnia nobili. Fuisse autem Saxonicum virum fortem & strenuum in acie, etiam ipse Ferdinandus testatus est, cum negaret futurum fuisse; *vt*
Camerarii vita Melanchthon. p. 261. *illo saltem die vinceretur, si omnes se pares in pugna Duci præstitissent.* Et multi tunc putarunt, si omnes suas copias secum Saxonicus habuisset, fortassis æquo Marte discessum fuisse. Iam vero cum in multis aliis oppidis præsidiarii milites relicti fuerant, tum Wittebergæ plurimi & validissimi ex militibus veteranis, & tribunus Tomisernus * non contemnendam exercitus partem ducens aberat. Quapropter Carolus dextre celeritate vsus, ante hoc vno prælio bellum feliciter ad exitum perduxit, quam copiæ Saxonicæ vniuersæ conuenirent. Vt autem Homeri Iliadi finem imposuit mors Hectoris, sic etiam hanc nostram historiam Saxonici captiuitas terminabit.

πλοῖα ὑπὸ τῶν σαξονικῶν τοῦ λοιποῦ τῆς γε- p. 435.
φύρας μέρους ἀποῤῥαγέντα, καὶ καταῤῥοῦν ἀπενεχθέντα κατεῖχον, καὶ παραβόλως πάντοθεν βαλλόμενοι ἀπήγαγον. ἐκ τούτων οὖν πλοίων καὶ ἄλλων ἐφ' ἁμαξῶν προσαχθέντων τὸν ποταμὸν γεφυρώσαντες διαβιβάζειν ἔμελλον τό τε πεζὸν καὶ τὰ σκευοφόρα· ἐν τοσούτῳ δὲ ὁ σαξονικὸς ἀκούων ἐτύγχανε τῆς τοῦ εὐαγγελίου ἐξηγήσεως, καὶ προπέμψας τὰ σκευοφόρα ἐπὶ λευκορίου, ἵνα ὑπὲρ τὸ πρῶτον ὡρμήθη, ἐστέλλετο· ἀλλ' αὐτοκράτωρ ταχυεργίας ἐχόμενος πόρον εὑρὼν, πρῶτον μὲν διαβαίνειν τὸν ποταμὸν τοὺς Οὐσσάρους καὶ τῶν ἱππέων τοὺς κούφους ἐκέλευε, μετέπειτα δὲ καὶ αὐτὸς μετὰ τῶν ὁπλιτῶν διέβη. νομίσας δὲ ὅτι οὐ πρὸ ἔργου ἔσται ἀναμένειν τοῦ πεζοῦ διάβασιν καὶ τῆς ἀποσκευῆς, μετὰ τῆς ἵππου ἐπὶ τὸν σαξονικὸν σπουδῇ ἤλαυνε, καὶ ἐπιτυχὼν αὐτοῦ εὐθὺς τῆς μάχης ἤρξατο, ἧς καρτερᾶς γενομένης μέχρι τῆς ἑσπέρας τέλος πλειόνων ἡττήθησαν οἱ σαξονικοὶ καὶ αὐτὸς ἡγεμὼν εὐρώστως τοὺς ἀντιπάλους ἀμυνόμενος κατὰ πρόσωπον τρωθεὶς ἐν παρειᾷ ἀριστερᾷ ζῶν ἑάλω σὺν Ἐρνέστῳ τῷ Βρουνονισφικαίῳ παραδοὺς τὸ δακτύλιον καὶ στρεπτὸν περιτραχήλιον, ὁ λόγος ἐστὶν, ἱππεῖ τινὶ εὐγενεῖ ἐκ τῆς μυσίας. ἀνδρείῳ δὲ καὶ ἀγαθῷ ἀνδρὶ ἐν τῇ παρατάξει γενομένῳ τῷ σαξονικῷ καὶ Φερδίνανδος αὐτὸς ἐπεμαρτύρησεν εἰπὼν ὅτι, εἰ πάντες ἠγωνισμένοι ἦσαν ὁμοίως τῷ ἡγεμόνι, οὐκ ἂν αὐτὸς ἐνικήθη ἐν ἐκείνῃ γε τῇ ἡμέρᾳ. καὶ πολλοὶ ὑπέλαβον τότε, εἰ πᾶσαν στρατιὰν συναθροισθεῖσαν εἶχεν ὁ σαξονικὸς, ἀγχώμαλον ἴσως μάχην ἂν γενέσθαι. ἤδη δὲ ἔν τε πολλαῖς ἄλλαις πόλεσι φρούρια καταλέλειπτο, καὶ δὴ καὶ ἐν τῷ λευκορίῳ τὰ πλεῖστα καὶ κράτιστα ἐκ τῶν γεγυμνασμένων. καὶ ὁ χιλίαρχος τομίσερνος οὐκ εὐκαταφρόνητον τῆς στρατιᾶς μέρος ἄγων ἀπῆν. τοι γάρ τοι ὁ Κάρολος τῇ ὀξύτητι δεξιῶς χρησάμενος ἔφθη ἑνὶ τῷδε τῷ ἔργῳ τὸν πόλεμον κατωρθωκὼς πρὶν στρατιὰν πᾶσαν τοῦ σαξονικοῦ συνελθεῖν. ὥσπερ δὲ τῇ ὁμήρου ἰλιάδι τέλος ἐπέθηκεν ὁ τοῦ ἕκτορος θάνατος, οὕτω καὶ τήνδε ἡμῶν ξυγγραφὴν εἰς πέρας ἄξει ἡ τοῦ σαξονικοῦ αἰχμαλωσία.

MAR-

* Thumbshirn.

MARTINI CRVSII
DE
PARENTVM SVO-RVM PERICVLIS, TEMPORE BELLI SMALCALDICI.

LECTORI BENEVOLO
S. D.
BVRCARD GOTTHELF STRUVE.



Nsignis Tubingensium Doctor erat Martinus Crusius, Græcæ, Latinæque linguæ apud eosdem Professor, ex variis ingenii monumentis notissimus. * *Patrem habuit cognominem, qui cum bello Smalcaldico vna cum matre plura fuisset perpessus, fata parentum singulari hoc libello descripsit. De his etiam alibi sic loquitur:* ** hoc periculoso & tristi rerum statu, etiam parentibus meis pericula, fugæ, & damna, non pauca & parua acciderunt: Lucenhausæ, & in viis Vlmam atque Geislingam versus. Vt, quod in pago Scharnstetta, vespertino crepusculo die Ianu. 19. Feria 6. Hispanis irruentibus, in ossuario cœmiterii latuerunt decem horas, in summo frigore, duobus feretris, sui tegendorum causa superinductis. Vbi, quamquam ferro scrutantibus ossa militibus, reperti non sunt. Postridie in via, antequam venirent Vlmam, quinquies inuasi & spoliati fuerunt. *Hinc etiam patris mortem describit.* *** Die Mart. 7. Martinus Craus pater: prædicato, fideliter Schlychtensibus Christo & eorum iuuentute in Catechismo instituta: placide post aliquot dierum infirmitatem obdormiuit in Christo: cum per eos dies nihil fere, nisi de Christi ecclesia, locutus fuisset: in ea docendam vrgendamque eam fidem erga illum, & charitatem erga proximum. Sepultus est ibi ante templi vestibulum. *Eadem hæc fata exprimit etiam Melchior Adami;* Ecclesiastico igitur ministerio dicatus ille *(pater scilicet)* quater decies locum mutare coactus, damna fecit grauissima, & periculis expositus fuit variis. Bello enim Germanico flagrante, Cæsarianus miles, quamuis ei & cibus & potus affatim apponeretur, tamen vt pecuniam extorqueret, laqueum ipsi fuit minatus. Mox alii irruptione facta superuenere: propter quos ipse in columbario sese occultauit: vxor vero alio fugiens, bis in via est spoliata. Accidit paulo post, vt apud Georgium Hernitum pastorem Scharenstetensem mensa ad cœnam apparata, Cæsarianorum manus irrumperet. Ibi aliis alias latebras petentibus, Crusius cum coniuge in ossuarium duobus feretris sibi obductis, se abscondit: & quamuis, qui fuit militaris furor tum in cœmiterio tum in ipsa ὀστοθήκῃ diligenter omnia, laterna adhibita, ossibusque ferro turbatis, excuterentur: reperti tamen ipsi, Deo ita eos protegente, non sunt. Latitarunt in loco illo fœdo, decem noctis horas, idque frigore intensissimo: hoste interea omnia diripiente, pecora mactante, carnesque coquente, & miseras mulierculas inhoneste tractante. Illis dilapsis pater Vlmam per viarum ambages tendens: incidit in viginti Hispanos, a quibus tunica exutus, & cingulo, pera, gladio, ac pugione spoliatus est. Mater vero ibidem tum vitæ discrimen adiit, quando quidam Cæsarianorum, pecuniæ extorquendæ causa, collo eius cingulum inserit, gulam elisurus, ni Deus ἀπὸ μηχανῆς adfuisset. Canis enim domesticus heræ audiens quiritatus, de lectulo, in quo accubabat, desiliens, hosti crus admordet: quo gladium stringente mater laxamentum nacta euasit, domo tota mire dehonestata, librisque conscissis vndiquaque constratis. Idem Crusii pater, dum militum vim Vlmæ declinat, interim Sphingem amplecti nolens, ab Vlmensibus dimissus, & a Marchione Alberto ecclesiæ Wartenfelsiæ præfectus est. Inde Curiam euocatus in Xenodochio ibi docuit:* vbi iterum periculo non caruit & ob terræ motum & militem Marchionicum contra Carolum quintum. Anno quinquagesimo secundo Ecclesiastes Bottensteini designatur, Alberto illo Pabepergentia occupante. Episcopo autem post intra menstruum spacium omnia recuperante, expulsus, apud fratrem Sulzbachii, & apud Ioan. Starckgrauium Ambergæ, suis sumptibus se sustentauit: donec munus docendi in pago, cui Schlichta nomen, duobus Amberga milliaribus distante, ei commissum est: vbi primus euangelium docuit, & anno quinquagesimo tertio, die septimo Martii diem supremum clausit. *Hæc igitur parentum fata in hoc libello plenius a Crusio describuntur. Adiecit autem hunc libellum iteratæ editioni Heliodori, de quo Adami:* auxit compendium Aethiopicum Heliodori, quod anno quinquagesimo primo conscripserat, addita historia de periculis patris & bello Protestantium. *Dedicauit eundem Philippo Werthero, cuius studiis olim fuerat præfectus.* *** MAR-

* Vitam ipsius descripsit Melch. Adami *vitis Philosoph. p. 223.* Thuanus etiam *Hist. lib. LXXIII p. 494.* de ipsius studiis in linguam Græcam testatur. ** *Ann. Sueu. lib. XI. p. III. c. XXI. p. 663.* *** *Ann. Sueu. lib. XI. p. III. p. 691.* * *p. 224.* ** *p. 229.* *** Adami *p. 225.*

p 424

MARTINI CRVSII
DE

PARENTVM SVORVM PERICVLIS,

QVÆ

TEMPORE SMALCALDICI BELLI EXPERTI SVNT CIRCA ANNVM M. D. XLVI.

NARRATIO SCRIPTA ANNO M. D. LI.

---

p.425 *NOBILITATE GENERIS, PIETATE, SAPIENTIA, PRÆCLARO,*

VIRO,

D. PHILIPPO WERTERO,

ILLVSTRISSIMO SAXONIÆ ELECTORI A CONSILIIS,

S. PER CHRISTVM.



Ogitatio cogitationem mouet: ſicut Ariſtoteles ἀνάμνησιν ἀφ᾽ ὁμοίου, ἢ ἐναντίου, ἢ τοῦ σύνεγγυς, γίνεσθαι *ait: recordationem aliqua re ſimili, aut contraria, aut vicina, excitari. Cur hoc dicam? cauſa hæc eſt.*

Venerunt ſuperiore anno ex Argentoratenſi Academia (poſt Præceptorem Sturmium, nunc etiam ibi excellente viro, Melchiore Iunio, Rectore) in hanc noſtram, tres illuſtres adoleſcentes, Tybingenſes Comites. Horum non ſolum quarumuis laudabilium rerum amorem & ſtudium (ſicuti mihi Ioan. Ludouicus Hauuenreuter, in illa Academia Profeſſor: & Blaſius noſter Fabricius, laudauerant) coram cognoui: ſed etiam clementiæ erga me maioris beneuolentiam expertus ſum. Volens itaque viciſſim ego aliquam grati animi ſignificationem dare, inſcripſi eis Epitomen Æthiopicæ Heliodori hiſtoriæ, quam triginta quatuor abhinc annis (quando in eadem Argentina Schola viuebam) amore Græcæ linguæ in eum Autorem confeceram. In quo ſcripto, & recognoſcendo, & expoliendo, cum haud negligenter proximis menſibus verſarer: venit mihi rerum quoque illarum in mentem: quas οἱ μακαρῖται Parentes mei, ante triginta ſex annos, magni illius & periculoſi inter Imp. Carolum V. & noſtræ religionis Principes illuſtris memoriæ, belli tempore paſſi erant: quas res ego aliquot annis poſt, vtriusque linguæ in re vera & chara exercendæ cauſa, in libellum conieceram. Ἐκ τοῦ σύνεγγυς *autem e vicino, in mentem rerum illarum venit: quod non longo tempore poſt Æthiopicum Compendium in eadem vrbe, in eademque domo, etiam hanc de Parentibus narrationem contexueram: nec non vt priorem: ita & hunc libellum (alterum poſt alterum) ad patrem miſeram. Etiam* ἀφ᾽ ὁμοίου, καὶ ἐναντίου, *in mentem venit: ob ſimilitudines aliquas rerum aut alicubi contrarietates, quæ in vtraque Hiſtoria ſunt: quæ tamen a me, cum de meis ſcribam, non explicabuntur, ſed prudentiæ diligentiæque Lectoris (ſi modo res lectu & collatu non indigna videbitur) committuntur.*

*Huc iam libellum (quanquam non de magnis scriptum, & illustribus personis:
sed piis dumtaxat, & quarum etiam nunc recordatio mihi grata est) vir nobilis, pie,
sapiensque, D. Philippe Wertere, ad tuam excellentiam mittendum, propter aliquas
excusabiles causas, æquitate tua fretus, duxi. Primum quod Argentorati eum
quoque scripseram: quando me tecum, & cum beato fratre tuo D. Antonio, vester
præstantissima eruditione prudentiaque frater, D. Wolfgangus (nunc ipse etiam
ἐν τοῖς οὐρανοῖς, ὁ ἀμείν[illegible] ἀλέξεως ἐφιλοσόφ[illegible]) me, inquam, indignum, domi
Iacobi Froschesseri, uxorisque eius Annæ (τῶν φιλοξένων καὶ μακαριτῶν) in Mo- p.426.
nasteriensi vico viuere, & D. Sturmii Ciceronianas Aristotelicasque prælectiones vo-
biscum audire, volebat. Deinde, quod, cum illo tempore apud vos parentum pericula
& calamitates, interdum in sermonibus nostris suauissimis inicerem: vos prope pa-
ri mecum dolore afficiebamini: eaque dicebatis & faciebatis, quæ pietas & charitas
vera suggerebat. Postremo, quod proximo Ianuario (vt alias sæpe) ad me cum
Reuer. Ilfeldensi Abbate D. Neandro scribens, Medicus Nordhusæ præstans Ioannes
Thalius (qui nunc & ipse cum Christo beatam vitam degit) se apud præstantiam
tuam recens fuisse significauit. Ibi te honestissimam mei mentionem fecisse: mihi-
que suauissimis verbis Germanicis, emphasin habentibus (quæ αὐτολεξεὶ in epistola po-
suit) salutem dixisse; id quod mihi tam iucundum fuit, quam quod iucun-
dissimum.*

His igitur de causis, & quod inuicem excellentiam tuam diligo & colo, accipe benigna mente & vultu, qua semper erga me fuisti, hoc, quamuis leuidense munusculum: in quo, qualecunque etiam est, non dubito: quin, sicut amantissimorum fratrum tuorum recordatio tibi dulcis est, me, si piorum meorum ἀνάμνησις mihi quoque suauis sit: facile ab æquitate & humanitate tua veniam consecuturum. Delectationem enim, rerum dudum honeste præteritarum recordatio affert, præsertim iam senioribus. Domino IESV præstantiam tuam & huic me commendo. Tybingæ ex Museo meo, die S. Catharinæ, anno M. D. XXCIII.

EXCELLENTIS VIRTVTIS T.

studiosis.

MARTINVS CRVSIVS
V. L. in Academia Tybyng. Doctor.

MAPTI-



p.437 # ΜΑΡΤΙΝΟΥ τοῦ ΚΡΟΥΣΙΟΥ

διήγησις περὶ ὧν οἱ γονεῖς αὐτοῦ κατὰ τὸν Σμαλκαλδικὸν πόλεμον ἐπειράθησαν, αφνα. συγγραφεῖσα.

ΕΝ ἀργεντίνῃ γινόμενος πέσσαρα ἔτη καὶ παιδείας ἕνεκα συνδιατρίψας ἄλλοις τε πολλοῖς ἀνδράσι σοφοῖς καὶ μάλιστα ἰωάννῃ τῷ στουρμίῳ, ῥήτορι δεινῷ τε, κἀμοὶ διδασκάλῳ ἀγαπητῷ· ἀναγκαίως εἶχον, πρῶτον μὲν, εἰς οὔλμαν ἰέναι. εἶτα δὲ, τοὺς ἐμοὺς γονεῖς διὰ πολλοῦ ἐπισκέπτεσθαι. πρὸς οὓς ἐπειδὴ (τὰ οὔλμης παρὰ τῷ αἰδεσίμῳ μου καθηγητῇ γρηγορίῳ λεονάρδῳ καλῶς ἀπαλλαγεὶς) ἀφίχθην· καὶ δὴ φιλοφρόνως ὑποδεχθεὶς, ἱκανὰς ἡμερῶν κατέμεινα· ἤκουσα τότε αὐτῶν διηγουμένων, ὅσα κατὰ τὸν ἄνω γερμανικὸν, οὔπω τελεσθέντα πόλεμον, ἐν λουτζεούσῃ πεπόνθεσαν· ἡ δ᾽ ἐστὶ κώμη τῶν οὐλμαίων, μεταξὺ τῆς αὐτῶν πόλεως, καὶ γεϊσλίγγης, πολίσματος καὶ αὐτοῦ ἐκείνων ὄντος· ἐν ᾗ κώμῃ τὰ τοῦ χριστοῦ διδάσκων ἔτυχεν ὁ πατήρ. ἅτιν᾽ ἀκούσας, οὐχ οὕτως ἥσθην αὐτοῖς παρεληλυθόσιν· ὡς ἐλυπήθην φοβεροῖς γενομένοις. καὶ ταῦτα διὰ τοῦτο μᾶλλον· ὅτι κατ᾽ ἐκείνους τοὺς χρόνους ἐν ἀργεντίνῃ μετὰ πολλῆς ἡσυχίας ἐγὼ παιδείᾳ συζῶν· καὶ τὰ περὶ τοὺς γονεῖς ἀγνοῶν· τοῖς αὐτῶν κακοῖς οὐκ εἶχον παραεῖναι. ταῦτα μὲν οὖν, ὡς καὶ ἀληθῶς αὐτοὶ διεξῆλθον· καὶ ὁ πατὴρ ἔδωκέ μοι τούτων τὰ κεφάλαια γεγραμμένα, διηγήσομαι· οὐ μόνον, ὅτι τοῖς ἐμοὶ προσήκουσι ταῦτα γενέσθαι ξυνέβη. ἀλλὰ καὶ ὅπως ἦ λογίζεσθαι· πόσα καὶ τῶν ἄλλων ἀνθρώπων ἐκ τοῦδε τοῦ πολέμου κακὰ καὶ φόβοι ἥψαντο· οὐ μὴν, ἀλλὰ παραλείψω ἐκεῖνά γε· ὅσα ἐν ἀρχῇ τοῦ πολέμου συνέπεσεν αὐτοῖς καθ᾽ ἡμέραν τῶν στρατιωτῶν πολλὰ ἐν τῇ

MARTINI CRVSII

Narratio de periculis, quæ ipſius parentes tempore Smalcaldici belli experti ſunt, ab ipſo CIƆIƆLI conſcripta.

CVm Argentorati bonis literis operam dediſſem ad annos aliquot: præceptoribusque, cum aliis multis hominibus doctiſſimis, tum in primis Ioanne Sturmio; viro literatiſſimo diſertiſſimoq; vſus eſſem: meæ rationes ſic tulerunt; vt primum Vlmam ire neceſſe haberem; deinde ad parentes meos amantiſſimos proficiſcerer: quos longo interuallo inuiſere aliquando cupiebam. Ad quos cum (re Vlmæ apud Præceptorem Greg. Leonhardum bene meritum bene geſta) perueniſſem, diesque complures me amantiſſime cum eis oblectaſſem: cognoui ex ipſis ea, quæ ſuperiore Germanico, necdum finito bello, pericula & calamitates experti fuerant Lucenhuſæ, qui eſt pagus in ditione Vlmenſium, inter eorum vrbem, & oppidum Geiſlingam; quod item ſub poteſtate Vlmenſium eſt; in quo pago pater doctrinam ſeruatoris noſtri Chriſti explicarat. Quarum rerum cognitio, non tam mihi iucunda fuit, quod præterierant: quam conſideratio triſtis, quod formidabiles fuerant; cum præſertim me id temporis, quo acciderant, Argentinæ in ſtudio vmbratili, literarum abditum, ſocium ærumnarũ & comitem calamitatum, non habuiſſent. Eas hoc tempore res, vt & parentes vere mihi expoſuerunt: & pater in libello non indiligenter conſignauit, commemorabo: non ſolum quia ad meos, quos grato animo colere debeo, ea mala peruenerunt: ſed etiam quod ſpero coniici poſſe ex eorum miſeriis: quantæ etiam ad alios homines calamitatum procellæ redundarint. Sed in hac expoſitione prætermittam: quid in principio huius belli acerbitatis viderint, propter quotidianas tranſeuntium militum

Argentina.

Vlma.

Gregor. Leonhardus.

Geislinga.

Οἰκοκαθέδριος καὶ ἀκίνδυνος φιλολογία.

1546. circ. S. Viti diem Carolus V. & Protestantes.

tum nostrorum iniurias: quos nostri Principes, contra Carolum Cæsarem colligebant. Illud solum tempus persequar: quod insecutum fuit ab illorum discessu, & domum reditione: cum nulla res amplius aduersariis ad libere vagandum, quo vellent, obstaret.

Narratio.

Ad Ingolstad. castra D. Iouis ante Galli, metus a Cæsarianis & Vlmæ trepidatio.

Cum itaque Dux Elector Saxoniæ, & Landtgrauius Cattorum, a bello & castris ad Ingolstadium factis, discessissent: rumores in omni Vlmensi agro, & voces sunt exauditæ miserabiles. Cæsarem cum vniuersis copiis ad vrbem obsidendam venturum. Hic tum Vlmenses militem suum & Heluetios, quorum aliquot cohortes aderant, instruere, arma expedire, tormenta ad mœnia subuehere & disponere, ad obsidionem sustinendam se totus comparare, [illegible]. Nec quisquam, qui extra vrbem erat, non commoueri[illegible] tumultus, & metu rerum futurarum. Itaque multi Geisingam, multi Vlmam fuga petebant [illegible] tergo ferebant: [illegible] in carris & plaustris de medio remouebant. Incredibilis enim metus omnium mentes occupārat. Quem metum augebat etiam incursio repentina eorum, quos ante se Cæsar miserat, Hispanorum, aliorumque leuis armaturæ militum. Ii ea die pene ad vrbem vsque adequitantes, clamore hostili & impetu furibundo, miseros homines fugientes feriebant, spoliabant, neque ab vllo iniuriæ & male[illegible] genere temperabant. Pagi exusti compluires, aut in totum, aut magna ex parte. Cæsar tamen ipse eo tempore non venit Vlmam. Eo die pater meus cum nonnulla pecunia, aliisque melioribus rebus, matrem Vlmam miserat: quæ cognosceret, quid ipsi tali tempore agendum esset. Eo cum non sine periculis venisset: trepidationemque & vociferationes ciuium campanarumque sonitum audisset, animaduertit, non nequicquam eos tumultus esse. Itaque continuo egressa, vitam suam in discrimen, pro salute patris iniecit: vt quam celerrime Lucenhusam aduolaret, patremque moneret sibi prospiceret, ne in manus hostium imprudens incideret. Qua in re, vt alias semper, ad festinationem, quamuis via vi militum infesta esset, sibi nihil reliquum fecit. Eodem tempore Vlmenses pro [illegible]

Geisingam & Vlmam fuga.

Hispanicæ incursiones & grassationes.

Vlmam matir.

παρέδω ἀδικουμένων· οὓς ἡμῶν οἱ ἄρχοντες p.428 ἐπὶ [illegible] συνέλεγον, ἐκείνου μόνου [illegible] καιρῶν, τῶν μετὰ [illegible] ἡμῶν στρατηγούντας οἴκαδ' ἀπε[illegible] [illegible] ἔτι τὸ κωλύον ἦν τοὺς ἐναντίους, ὅποι ἂν βούλοιντο, βαδίζειν.

Τοῦ τοίνυν ἐκλέκτορος [illegible] τῶν κατθῶν ἄρχοντος, σὺν τῷ στρατῷ [illegible] τῆς ἰγγολσταδιέων πόλεως ἀπεληλυθ[illegible] τις ἄρα κατὰ πᾶσαν τὴν τῶν οὐλμαίων [illegible] διεσπάρη· ὡς ἄρα ὁ αὐτοκράτωρ ἅπασαν τὴν δύναμιν ἔχων, ἐπὶ τὴν πόλιν ἥξει [illegible] τοὺς ἑαυτῶν στρατιώτας, καὶ τοὺς [illegible] [illegible], οἱ ἐν τῇ πόλει [illegible] τὰ ὅπλα συνήγαγον [illegible] [illegible] διεσπάρ[illegible] καὶ [illegible] ὡς τὴν πολιορκίαν δεξ[illegible], παρεσκ[illegible] σαν· οὐδέ γε εἷς ἔξω τῆς πόλεως [illegible] οὐχὶ [illegible] ὁρῶν ἐφοβεῖτο. ὥστε πολλοί, οἱ μὲν εἰς γαισλιγγίαν, οἱ δ' εἰς οὐλμ[illegible], κατέφευγον. καὶ οἱ μὲν τὰ αὑτῶν [illegible] [illegible], οἱ δ' ἁμαξῶν ἄγοντες, [illegible] [illegible]. θαυμαστὸς γὰρ ἅπαντας κατ[illegible] [illegible]. ἄλλως τε καὶ [illegible] κράτωρ περὶ ἑαυτοῦ [illegible] ὄντων, ἐξαίφνης [illegible]. [illegible] ἐκείνῃ τῇ ἡμέρᾳ μικροῦ καὶ ἄχρι [illegible] ἐφιππεύειν [illegible] τε κα[illegible] [illegible] [illegible] [illegible] [illegible] ζαι [illegible] μηδεμίας [illegible] [illegible] κώμας [illegible] [illegible] μέρος, ἀνηλώθησαν [illegible] [illegible] εἰς οὐλμαν ἦλθε [illegible] ἐκείνῃ ὁ πατὴρ [illegible] [illegible] [illegible], εἰς τὴν πόλιν ἔτυχε [illegible] [illegible] ἀκουσαμένη, [illegible] καιροῖς. ἡ [illegible] ἐσῆλθε· [illegible] τῶν πολιτῶν ἤκουσεν [illegible] ἀνθρώπων ὄντα. εὐθέως οὖν ἐξελθοῦσα, [illegible] οὐκ ἀκινδύνου τῆς ὁδοῦ [illegible] [illegible] ὑπαρχούσης, τάχιστ' εἰς λουκ[illegible] σαν ἐπανελθεῖν, καὶ τὸν πατέρα [illegible] [illegible], φυλάξασθαι [illegible] [illegible] ἑαυτῷ ἐν λαι[illegible] [illegible] τῆς πόλεως οἱ οὐλμαῖοι [illegible] [illegible]

tempore Vlmenses pro [illegible]

p.429. τῶν κήπων δωμάτια, τοὺς μύλωνας, τὰ κναφεῖα, τὰ νοσοκομεῖα [illegible] τροφεῖα. καὶ δενδροκοποῦντες [illegible] περὶ τὸ τεῖχος πεδίον ὡμάλυνον. ἐν ᾧ δ' ἔπω οἴκαδε ἐπανῆκεν ἡ μήτηρ· πολύ τι πλῆθος ἀνθρώπων διὰ λουτζενούσης [illegible] γεισλιγγαν, ἣ τις ἀπέχει οὔλμης τρία μίλια, καταφευξομένων παρήμειβε, τούτων οἱ μὲν μεγάλα ἐβάσταζον φορτία· οἱ δὲ τὰ τέκνα ἐχειραγώγουν· οἱ δ' ἐν κοιτίσι βαστάζοντα ὑπὲρ τῆς κεφαλῆς ἔφ[illegible]. καὶ οἱ μὲν ἐν ὅπλοις ἦσαν διασκευασάμενοι· οἱ δ' ἐφ' ἵππων ἐθορυβοῦντο· οἱ δ' [illegible], ἤ τι ἄλλο, τοῖς δόρουσι διαπερονήσαντες ἔφερον. πάντα δὲ τὰ κατὰ τὴν ὁδὸν, μεστὰ κραυγῆς καὶ ὀλολυγμοῦ. ταῦθ' ὡς ἑώρα γινόμενα οὕτως ὁ πατήρ· καὶ αὐτὸς δὴ [illegible]ατο δεδιέναι· καὶ μέρος τι τῶν ὄντων εἰς τὸν ναὸν ἀποκρύπτειν. ὀλίγῳ δ' ὕστερον ἡ μήτηρ περὶ ὥραν τρίτην. καὶ τῷ πατρὶ παρῄνησε φεύγειν, εἴπερ ὑπὲρ σωτηρίας φροντίζοι, εἰς γείσλιγγαν [illegible], καὶ εἰς αὐτὴν ὡς ἦλθε· [illegible] ἤδη τὸ [illegible] μα πλῆρες ἀνθρώπων ἦν. ὥστε πρὸς στέφανον ἄνδρα δίκαιον, καὶ διάκονον ὄντα τῆς ἐκεῖ ἐκκλησίας, κατηγάγετο. παρ' ᾧ αὐτός τε, καὶ τῶν [illegible] εὐσεβεῖς, τὰ ἑαυτῶν δαπανῶντες, [illegible] ἔμειναν, μετὰ πάσης [illegible] φιλοφροσύνης. ἦλθε δὲ καὶ ἡ μήτηρ [illegible] ἐκεῖσε. παρὰ δὲ τὴν ἀπουσίαν ποτὲ αὐτῆς, οἱ τῶν Οὐλμαίων στρατιῶται, ἐπανελθόντες ἀπὸ ἐπισιτισμοῦ, εἰς τὴν οἰκίαν τοῦ πατρὸς [illegible], καὶ πᾶν τὸ εὑρισκόμενον λαβ[illegible] [illegible] τες ἐκ τοῦ φόβου ἀναφέρειν, καὶ τῶν [illegible] ἀπαλλαγῆναι ἐδόκουν. ὁ πατὴρ εἰς λουτζενοῦσαν ἐπανῆλθεν. οὐ μὴν ἐπὶ πολὺ ἀσφαλείας οὔσης. πάλιν εἰς γείσλιγγαν ἧκε, μένων ἐκεῖ σχεδὸν ἡμέρας ὀκτώ. μετὰ ταῦτα, ὡς ἀνά[illegible] [illegible] οἴκαδ' ἐπα[illegible] [illegible] τὰ πολλὰ μεριμνῶν [illegible] κατὰ [illegible] τῶν Οὐλμαίων [illegible] νελλιγγαν καλουμένην ἦλθον. αὐτὸ δὴ τοῦτο κἀν [illegible] ἐγένετο [illegible] ἐπ' ἐκείνου [illegible] σιν. [illegible] καὶ τοὺς ἐκ τῶν γειτνιώσων κωμῶν [illegible]

ea, quæ nocitura sibi putabant: ædes sacras, ædiculas in hortis, molas, domos ad pannum lineum extructas candidum faciendum, ædificium infantium vulgo repertorum, ceteraque suburbana: arbores excidebant: omneque circa vrbem solum conplanabant. Interea, dum mater mea adhuc domum non reuenerat: magnus hominum numerus Lucenhusæ transiens, Geislingam ire contendebat; quod oppidum tribus milliariis Vlma abest. Eorum partim magnas ferebant sarcinas, partim liberos manibus ducebant; nonnulli in cunis capite gestabant: quidam armis se induerant, pars in equis: panem, aut quid aliud bipennibus aut hastis appensum portabant. Eorum quæstibus & clamoribus omnia terrore complebantur. Dum hæc ita fiebant: etiam pater commoueri, partemque rerum suarum in templum conferre, & in adyto abdere cœpit. Paulo post mater circiter horam diei 3. redit; patremque modis omnibus, si vitam conseruare velit, Geislingam confugere hortatur & orat Eo cum ille venisset: oppidum iam completum erat hominibus, qui eo fugerant. Itaque domum optimi viri Stephani, qui sacrarum rerum ibi minister erat, venit. Apud quem ipse, aliique pii homines concionatores suo sumptu ad sex hebdomadas tecti humanissime, & conseruati sunt. Eodem etiam quandoque mater venit. Ea quodam die absente, milites Vlmensium, reuertentes a frumentatione & pabulatione, domum patris Lucenhusæ irruperunt: atque quicquid potuerunt, asportarunt. Hæc ab amicis, & religionis libertatisque propugnatoribus fiebant. Post illas 'ϛ. hebdomadas cum homines paulatim a metu respirare, & se defunctos periculis esse, arbitrarentur: pater se Lucenhusam recepit. Verum ibi non diu consistendi facultate data, rursus Geislingam rediit; ibique dies prope octo mansit. Post id tempus, cum res paulo pacatiores esse viderentur: domum iterum se retulit; aliquandiuque cum solicitudine ibi hæsit. Eo tempore duo Senatores ab Vlmensibus missi (quod idem aliis etiam locis fiebat) in pagum Nellingam venerunt. Eodem plebē quoque ex aliis in circuitu vicis, atque vna eorum vicorum concionatores, conduxerant. Horum tum numero septem cum pa-

Suburbanorum excisio.

Hominum fuga.

Matris reditus Vlmā.

I. Cessio patris Geislingam.

Steph. Gapel, Vlitacensis Concionatus.

Sociorum prædationes.

II. Cessio eodem.

1547. die Sabbati post Epiphaniæ Nellingā conuenitur.

tre aderant. Cum hi, quos dixi, duo Senatores, vna cum populo in templum conuenissent:

Inanis spes tranquillitatis.

literæ nomine Senatus recitatæ sunt: quarum hæc erat sententia. Vlmenses deditionem fecisse: & apud Cæsarem in gratia positos esse. Multos quidem eos, magnosque sumptus in hoc bello fecisse; sed tamen caput totius rei, pro quo tanta contentione elaborassent, obtinuisse. Deprecatoribus enim legatis ad Cæsarem missis, impetrasse: vt ne ipsorum religionem, & sacrosanctum Christi Euangelium, tolleret, aut impugnaret. Quare causam non esse: cur quicquam posthac metuant: vnumquemque si sapiat, domi manere debere: & sua, quæ exportarit, ad se reuocare. Illud quidem fore certo, vt Cæsariani transeant: nihil tamen ea re cuiquam ereptum, aut vllam iniuriam allatum iri. Nihil debere quenquam, præsertim cibariorum & lectorum, domo efferre: ne Cæsar, vbi aduenіat, cogitet, sibi parum haberi fidei.

Οὔσιτ' ἐιται τεταγμένα πόλεμος Mehr Vngelt.

Adhæc, cum tantum detrimentum Respub. hoc bello ceperit: tantamque rerum suarum diminutionem fecerit; æsque grande alienum conflatum sit: futurum, vt certum tributum sit imponendum. Quod tamen non rei frumentariæ futurum sit: aut rerum, quibus nemo carere possit: sed vini tantummodo & zythi, quibus rebus minus opus sit. Debere igitur vnumquemque in ea re se paratum, & minime recusantem, præbere: atque hoc eo magis, quod de religione & euangelio retinendo promissio esset facta. Inprimis autem concionatores admonebantur; vt plebi hæc persuaderent: efficerentque omni ratione, vt ne grauate facerent.

Acquiescitur.

His auditis domum suam reuertebantur: læti quisque bello tam facile & commode finem esse factum: atque, quod sperarent bene de religione, tributi impositione illa, non valde grauabantur. Credebant enim hæc, vti dicta fuerant, ita certo futura. Verum non diu post euenit: vt quidam Cæsariani milites, qui agmen præcedebant, Germani Lucenhusam venirent.

Die Martis post Dominicam primam Epiphania, milites Lucenhusa.

Horum numero 15. vna cum suis mulieribus ad patrem diuerterunt. Inter eos duo erant nobiles. His, quidquid potuit, quam optime paratum copiose apposuit; ita vt merito se iniuria abstinuissent: si hoc in militum ingeniis esse

Eorum petulantia.

τός. πάντων δ' εἰς τὸ ἱερὸν συνελθόντων· ἀνέγνωσαι γράμματα τῶν ἐξ οὔλμης τοιάδε. P. 430.
αὐτὰς τὴν πόλιν τῷ αὐτοκράτορι παραδόντας, τυχεῖν συγγνώμης. καὶ πολλὰ μὲν εἰς τὸν πόλεμον ἀναλῶσαι· ἐκνικῆσαι δ' ὅμως τὸ κεφάλαιον, ὑπὲρ οὗ τηλικαύτην ἂν εἶεν πεποιημένοι τὴν σπουδήν. πρεσβευσαμένους γὰρ ἐπὶ τὸν αὐτοκράτορα, διαπράξασθαι περὶ τοῦ τὴν ὑπάρχουσαν ἀληθῆ τοῦ χριστοῦ θρησκείαν μὴ παραιρεθῆναι. οὐδεμίαν οὖν τοῦ φοβεῖσθαι λοιπὴν αἰτίαν εἶναι· δεῖν ἕνα ἕκαστον κατὰ χώραν μένειν· καὶ τὰ ὑπεκκομισθέντα ἀνακαλεῖσθαι. τοὺς περὶ τὸν αὐτοκράτορα, μέλλειν μὲν διελεύσεσθαι, μηδένα δ' ἀδικήσειν· δεῖν δὴ μηδένα ποιεῖσθαι μηδὲν ἐκποδών. ἵνα μὴ ἐλθὼν ὁ αὐτοκράτωρ, ὑποπτεύσῃ μὴ πιστεύεσθαι. ἔτι δὲ, ἐπειδὴ ἐν τῷδε τῷ πολέμῳ πολλὰ ζημιωθείη, καὶ εἰς στενὸν κομιδῆ καταστάιη ἡ πόλις, πολλὰ χρήματα ὀφείλουσα· οἰστέον μὲν φόρον τινὰ ἔσεσθαι, μικρὸν δὲ [illegible]: οὐ γὰρ δὴ τῆς σιτώνης, ἧς πᾶσι δεῖ· ἀλλὰ τοῦ οἴνου καὶ ζύθου, ἃ ἧττον ἀναγκαῖα. προσήκειν τοίνυν, καθ' ἕνα ἕκαστον πρόθυμον ἑαυτὸν παρέχειν, καὶ μὴ δυσκόλως φέρειν· ἐπειδήπερ ἡ ὑπόσχεσις, ἡ περὶ τοῦ εὐαγγελίου, γένοιτο τηλικαύτη. μάλιστα δὲ παρεκάλουν τοὺς ἐκκλησιαστὰς, ταῦτα τοὺς ὄχλους πείθειν· καὶ μὴ βαρέως ὑπακούοντας παρέχειν· τούτων ῥηθέντων, διελύθη ὁ σύλλογος· καὶ ἐγήθουν ἕκαστοι τῷ τὸν πόλεμον οὕτω καταλυθῆναι ῥᾳδίως· καὶ διὰ τὰς περὶ τῆς θρησκείας ἐλπίδας, οὐχὶ μάλα τῷ φόρῳ ἤχθοντο νομίζοντες, ταῦτα πάντα, ὡς εἴρητο, βεβαίως ἕξειν. οὐ πολὺ δὲ συνέβαινεν ὕστερον, πλῆθος στρατιωτῶν γερμανῶν, τῆς τοῦ αὐτοκράτορος δυνάμεως προηγούμενον, εἰς λουτζενοῦσαν ἐλθεῖν. ἐκ τούτων τινες, ἀριθμῷ πεντεκαίδεκα, σὺν ταῖς ἑαυτῶν γυναιξὶ, τὴν τοῦ πατρὸς οἰκίαν κατελάμβανον· καὶ ἦσαν ἐν αὐτοῖς δύο τῶν εὐγενῶν. αὐτοῖς οὖν ὁ πατὴρ, ὅσα ἐδυνήθη, πάντα καλῶς παρεσκευασμένα παρέθηκεν, ὅπως μηδὲν ἀδικοῖεν. οἱ δὲ τῷ οἴ-

posset.

p. 431. νῳ ἀκράτως χρησάμενοι, καὶ βαρυνθέντες, κακόν τι ἐκεῖνον ποιεῖν ἐπιχείρουν· καὶ ὅπως εὐλογώτερον τόδε δόξαιεν δρᾶν· περὶ τῆς θρησκείας αὐτῷ διαφέρεσθαι ἤρξαντο. πρὸς μὲν δὴ ταῦθ᾽ ὅγ᾽ αὐτοῖς ἀπεκρίθη· καὶ τὸ τῶν οὐλμαίων ὄνομα προὔβάλλετο. λέγων, ὅτι, παρὰ τοῦ αὐτοκράτορος ἔτυχόν τε τῆς εἰρήνης. καὶ διεπράξαντο περὶ τῆς ἀληθινῆς ἡμῶν θρησκείας. ἐκεῖνοι δὲ ταῦτα πυθόμενοι, ἀπεκρίνοντο. ὅτι οὐδεμίαν ἡμεῖς γ᾽ εἰρήνην οἴδαμεν. οἵ τ᾽ οὐλμαῖοι τῷ αὐτοκράτορι προσεχώρησαν. ἐφ᾽ ᾧ χρήσασθαι αὐτὸν ἐκείνοις, ὅ, τι ἂν βούληται πρὸς τούτοις δὲ, ἢ τὰ μέγιστα τοὺς οὐλμαίους ἐβλασφήμουν· ἀπίστους καλοῦντες, καὶ ἐξουσίαν σφεῖς διαρπάζειν ἐκείνους ἔχειν φάσκοντες. ταῦτα εἰπόντες, καὶ τὸν πατέρα ἀφέντες, πρὸς τὸ πλέον οἴνου ἐμφορεῖσθαι ἐτρέποντο. περὶ δὲ τὸ μεσονύκτιον, ὡς καθευδήσοντες κατέκειντο. πάλιν αὐτῶν ἔνιοι βιάζεσθαι ἐνεχείρουν· εἴπως χρήματα ἐξέλκειν δύναιντο, πλέον δ᾽ ἐν αὐτοῖς, εἷς τις ἀπὸ τῆς ποδαμικῆς λίμνης· ὃς ἐν φανερῷ πρότερον εἰπὲν, οὐκ ἀπελεύσεσθαι ἐκ τούτου τοῦ οἴκου, πρὶν μ. χρυσοῦς ἐκφέρειν. οὗτος τότε τὸν πατέρα περόνῃ ὀξείᾳ, δι᾽ ὧν καὶ ἡ φύσις ἀπέκρυψεν, ἐπειρᾶτο κατακεντεῖν. ἐπειδὴ δ᾽ ὅμως τοὺς ἄλλους ἀπὸ μέθης κραιπαλῶντας οὐκ εἶχε συνεργοὺς· καὶ ἡ μήτηρ ἐνετύγχανε· τούτου τοῦ ἐπιχειρήματος εἴργετο. τῇ δ᾽ ὑστεραίᾳ, αὐτῶν ἀνισταμένων· τὰ πρὸς τροφὴν ἀφειδῶς παρετίθετο καθάπερ καὶ τῇ προτεραίᾳ, καὶ ὡς αὐτοὶ προσέταξαν· ἦν δ᾽ εἷς τῶν ἀνακειμένων καὶ ὁ πατήρ· καὶ σχεδὸν ἤδη τέλος τῆς εὐωχίας· ἐνταῦθα ὁ βδελυρὸς ἐκεῖνος, περὶ οὗ εἰπὼν ἔφθην, πρὸς τὴν τράπεζαν ἵστατο, βλοσυρὸν βλέπων· καὶ μεγάλην ἐν τῇ χειρὶ περόνην ἔχων, ὁρᾷς, ἔφη, ταύτην; καὶ ἅμα λέγων ἐπιχειρεῖν ἐβιάζετο. ὁ δὲ πατὴρ τῶν εὐγενῶν τῶν συνανακειμένων ἐδεήθη· μὴ περιιδεῖν τοσοῦτον ἀσέβημα γινόμενον περὶ τὸν πᾶσαν αὐτοῖς φιλανθρωπίαν ἐνδειξάμενον· ἀλλὰ κωλῦσαι τοὐπιχείρημα τοῦ τολμηροῦ ἐκείνου. καὶ ἡ μήτηρ δὲ δακρύουσα παρεκάλεσεν ἐπισχεῖν αὐτοὺς τῆς βίας τὸν μιαρόν. ἔστι δ᾽ ἄρα, ὅτε δύναταί τι ὅμως καὶ ἡ δέησις· καὶ τοὺς τραχεῖς τῶν ἀνθρώπων ποθ᾽. ἡ μετὰ ταπεινοφροσύνης λιπάρησις δυσωπεῖ· καὶ προκόπτει πολὺ ὁ ἐλεεῖσθαι ἀξιῶν· γινομένου τοὐναντίον, τὸν ἀποτόμως ἀνθιστάμενον, πολλά-

posset. Nam vbi largius in vinum se ingurgitarant: patri manus adferre conati sunt; quod ne tamen sine causa facere viderentur; multa in religione cum eo disputare cœperunt. Ad quæ cum eis respondisset: & nomen Vlmensium obiecisset: quomodo hi de vera nostra religione cum Cæsare decidissent: pacemque ab eo redemissent; referebatur ab eis, se nullam scire pacem; Vlmenses ita in deditionem venisse; vt de eis ad arbitrium suum Cæsar statueret. Præterea maximis conuitiis in Vlmenses inuehebantur: perfidos nominabant; ipsorum diripiendorum a Cæsare sibi potestatem factam clamitabant. His ita dictis, patre relicto, ad helluandum magis se conuertebant. Media fere nocte, cum se ad dormiendum abiecissent: quidam iterum vim facere tentauerunt: si forte pecuniam extorquere possent. Sed inter hos præcipue vnus, qui palam antea dictitarat: se non prius hac domo excessurum: quam quadraginta aureos abstulisset. Is patrem adoriri, & subula configere conabatur. Sed quia ceteri vino impediti, iuuare non volebant, materque interueniebat, conata perficere non potuit. Mane cum luxisset illique surrexissent; cibus atque potio iterum prolixe, quemadmodum pridie vesperi factum erat, ipsique iusserant, apponebatur. Pater simul accubuerat: propemodumque iam conuiuii finis erat. Hic ille miles, de quo antea dixi, ad mensam stetit, fœdis & minitantibus oculis: magnamque tenens subulam: Videsne, inquit, hanc? simulque impetum facere voluit. Ibi pater a nobilibus, qui vna assidebant, petiit, ne hoc tantum scelus admitti paterentur; se, quam potuerit omnem beneuolentiam & officia eis præstitisse; debere eos impedire hominis nefarium conatum. Mater etiam suppliciter locuta, flens, obsecrauit: vti patrem ab audaci latrone prohiberent. Est tamen aliquando precibus in feritate morum locus: & homines crudeles, quandoque mouentur oratione supplici; proficitque is, qui misericordiam captat: cum ei, qui aduersetur, sæpenumero sit pereundum. Sed ani-

Einer mit eim Pfriem. *homo sanguinarius.*

φονῶν τὴν ὄψιν.

Ein Thumbherr. Vir melior. animos flectit Deus solus: & eorum, quos diligit, salutem expedit. Nam tum alter e nobilibus illis, qui Canonicus fuerat, manus continere sicarium iussit. Quoniam tamen, inquit, bene de nobis meritus est: iniuria ne ei inferatur. Cum ille vim facere fortiter perseueraret: iracundiaque totus exalbuisset: quin, inquit ille nobilis, abstineas manus? minatusque illi grauiter, patri dicit: mane in hoc loco nobiscum; quod si exieris, periculum tibi non præstabo. Ibi *Ληστρικὴ προποσία.* ille sceleratus, cum a conatu depulsus esset: poculo vini pleno prehenso, propino ergo tibi, inquit ad patrem. Ipse recusare: tamen, quia alii imperabant, inuito respondere. Deinde cum ille exiuisset; tum nobilis ille de quo dixi, aiebat, hunc militem, aliosque permul*Crudelitas Latronis.*tos, quod stipendium eis non daretur, solere isto modo rapinis & cædibus viuere. Addebat etiam, in hoc bello eundem istum, perforatis quorundam presbyterorum, & forte etiam aliorum hominum, genibus, plumboque infuso feruenti; sic ab eis per maximos cruciatus pecunias expressisse. E qua re videri facile potest; vt nullum animal homine, qui disciplina & legibus regitur, præstantius & excellentius sit: sic nullum aliud æque ferox & crudele esse, cum velut carceribus emissus, ad vim aditum, & ad flagiti*Licentia bellorum.*um licentiam fuerit nactus. Ea autem licentia est in bellis: quæ quantumuis pie suscipi possint, scelere nunquam carent: eorumque animos etiam, qui alioqui forte mites essent, audaciores redigunt; omnemque humanitatem compendii causa exuere cogunt. Quo maiora sunt scelera eorum, qui natura ad maleficium propendent, & ad iniustitiam ingenium inclinatum possident. His rebus ita gestis: hi, de quibus scripsi, milites discesserunt *Die Mercurii post Dominicam primam Epiphaniæ, alii milites.* Vlmam versus. E vestigio ad meridiem alius militum Germanorum grex bene magnus, qui eodem iter habebant, aduenit. Pater tum in lectulo paululum ad quiescendum se dederat. Accesserunt quidam ex illis ad ædes; vehementerque pulsarunt; quo strepitu ipse excitatus, paulum prospiciebat per fenestram; sed respon-

κις ἀποθανεῖν. τὸν μέν τοι νοῦν τῶν ἀνθρώπων p.432. μόνος ὁ θεὸς κυβερνᾷ. καὶ τούτους εἰς ἔλεον στρέψας, εὐτρεπίζει τὴν τῶν ἠγαπημένων σωτηρίαν. τότε γὰρ δὴ ἅτερος τῶν εὖ γεγονότων ἐκείνων, γενομένός ποτε τῶν ἐν ἐκκλησίᾳ κανονικῶν, κατέχειν ἐκέλευσε τὰς χεῖρας τὸν μιαιφόνον. ἐπειδὴ μέν τοι, φησὶν, ἡμᾶς ἐφιλοξένησε. μὴ ἀδικείσθω. ἐκείνου δ' ἡσυχίαν ἄγειν οὐκ ἐθέλοντος. ἀλλ' ὑπ' ὀργῆς οἰχριῶντος. κελεύω σοι, φησὶν ὁ εὐγενὴς, κρατεῖν τῶν χειρῶν. οὐκ ἀκούεις; καὶ ἀπειλήσας, λέγει πρὸς τὸν πατέρα. μένε μεθ' ἡμῶν ἐνταῦθα. ἢν δ' ἐξέλθῃς, οὐδὲν πρὸς ἐμὲ τὸ μετὰ ταῦτά σοι συμβησόμενον. δὴ τότ' ἐκεῖνος, ὡς ἔγνω μάτην ἐπιχειρῶν. ποτήριον οἴνου λαβὼν, προπίνω δή σοι τουτὶ, φησὶ πρὸς τὸν ἀδικούμενον. ὁ δὲ τὰ μὲν πρῶτα παρῃτεῖτο. εἶτα δὲ, τῶν ἄλλων κελευόντων, ἄκων μὲν, ὑπέμεινε δέ. μετὰ ταῦτ' ἐκείνου ἐξελθόντος, ἔφη ὁ εὐγενής. ὡς ἄρα οὗτός τε, ἄλλοι τε πάμπολλοι τῶν στρατιωτῶν, διὰ τὸ μὴ λαμβάνειν μισθὸν, εἰώθασι ποιεῖσθαι τὸν βίον τουτονὶ τὸν τρόπον ἀπὸ ἁρπαγῆς καὶ φόνων. καὶ μὴν κἀκεῖνο προσετίθη ὅτι κατὰ τουτονὶ τὸν πόλεμον ὁ αὐτὸς ἐκεῖνος, πρεσβυτέρων τινῶν, καὶ ἄλλων ἴσως, τὰ γόνατα τρυπήσας, καὶ μόλυβδον βράζοντα ἐγχέας, οὑτωσὶ διὰ μεγίστων ἀλγηδόνων ἠργυρολόγησεν. ἐξ οὗ ῥᾳδίως ἄν τις ὁρῴη. ὥσπερ οὐδὲν ζῶον ἀνθρώπου βέλτιον ἐστὶ, παιδείᾳ γε καὶ νόμοις πειθομένου. οὕτως οὐδὲν τοῦ αὐτοῦ καθεστηκέναι ὠμότερον. ὅταν χωρισθεὶς τῶν καλῶν, ἐξουσίαν αὐτοκράτορα καὶ ἀκώλυτον πρὸς τὴν μοχθηρίαν λάβῃ. αὕτη δ' ἡ ἐξουσία παρὰ τοὺς πολέμους ἐστιν. οἵ καίπερ πολλάκις δικαίας ἔχοντες προφάσεις, οὐπώποτε κακουργημάτων ἀμοιροῦσιν· ἀλλὰ καὶ τοὺς φύσει μὴ τοιούτους ὄντας, εἰς πᾶσαν περιτρέπουσι τόλμαν τοῦ ἰδίᾳ λυσιτελοῦντος ἕνεκα. ὅσῳ πλείονα ὠμότητα χρὴ νομίσαι τούτων. οἵτινες εἰς ταύτην κέκτηνται καταπρηνῆ τὸν τρόπον, τούτων δ' οὖν οὕτω γενομένων. οὗτοι μὲν εὐθὺ οὔλμης τείνοντες ἀπῆλθον. εὐθέως δ' ἄλλό τι στρατιωτῶν στῖφος, καὶ αὐτῶν ἐκεῖσε πορευομένων, περὶ τὴν μεσημβρίαν ἐφέστηκε. τηνικαῦτα δ' ὁ πατὴρ, ἐπὶ σκίμποδος μικρὸν ἐπισπασόμενος ἡσυχίας ἔκειτο. προσῆλθόν τινες ἐκείνων τῇ οἰκίᾳ. καὶ τὰς θύρας δεινῶς ἔκοψαν. ἐξεγερθεὶς δὴ ἐκεῖνος, παρέβλεπε διὰ τῆς θυρίδος. οὐ μὴν ἀποκρίνεσθαι, μήτε

γε δὴ

p. 433 γὰ δὴ εἰσδέχεσθαι, ἤθελε, πλείονες ἐκεῖνοι τὴν κόπτειν ἐνέκειντο. τοῦ τοίνυν θορύβου ἡ μήτηρ αἰσθομένη, τότε που τῆς κώμης γεγονυῖα, προσέρχεται δρόμῳ. ἐκεῖνοι βιαζόμενοι εἰσπηδῶσιν. ἐν ᾧ μόλις ἐκφεύγων ὁ πατὴρ, διὰ τῶν βαθμῶν εἰς τὰ ἀνώτερα τῆς οἰκίας ἀναβαίνει. ἦν τι ἐν τοῖς ὄπισθεν αὐτῆς χαρτοφυλακίον. καὶ ἐπάνω τούτου περιστεροτροφεῖον· τὰ δ᾽ ἐν μέσῳ τούτοιν, κενά. ἔνθα ὁ πατὴρ εἰς τὸ περιστεροφεῖον εἰσελθὼν, δι᾽ ὀπῆς ἐπὶ τὰ τοῦ χαρτοφυλακίου σανιδώματα κατέβη· καὶ τὴν ὀπὴν ἤδη ὑπὲρ κεφαλῆς οὖσαν σανίδι ἐκάλυψεν. ἐνταῦθα μὲν αὐτοῖς ἐκρύβη, τὰ μὲν ἐπὶ νώτων, τὰ δ᾽ ἐπὶ στέρνα, τὰ δ᾽ ἐπὶ πλευρὰ κυλισθεὶς, ἐν μεγάλῳ φόβῳ καὶ ἀγωνίᾳ. ἐκεῖνοι δ᾽ εἰσβιασάμενοι, ποῦ ἐστιν ὁ κύριος; ἠρώτων. τῆς δὲ μητρὸς οὐκ εἰπούσης ἔνδον αὐτὸν εἶναι. ἐκεῖνοι, ψεύδῃ. ἔφασαν. ἑωράκαμεν αὐτὸν διὰ θυρίδος. καὶ νὴ ἀλήθειαν γε ἴσως οὐκ ἀδύνατον, αὐτοὺς διὰ ὑάλου θεωρεῖν ἐκεῖνον. ἐζήτουν τὸν αὐτὸν πανταχοῦ διατρέχοντες. οὐ γὰρ τότε γε οὐδ᾽ ἡ μήτηρ ἐγνώκει, ποῦ λανθάνει ἐκεῖνος. αὐτοὶ πολλάκις ἐφώνουν· κύριε, ποῦ εἶ; πρόερχου, οὐδέν τε κακὸν ποιήσομεν. τελευταῖον δ᾽ εἷς αὐτῶν ἀνέβη εἰς τὸ περιστεροτροφεῖον· εὗρέ τε τὸν χιτῶνα τοῦ πατρός. ἐν γὰρ τῇ ἐξαπιναίᾳ ταραχῇ ἐκδυσάμενος αὐτὸν, ὅτε ἐπὶ τὸ χαρτοφυλάκιον ἑαυτὸν καθίει, ἐνταῦθα αὕτως ἀπερρίφει. τηνικαῦθα ὁ στρατιώτης τῇ μητρὶ, ἰδού, φησιν, ὁ χιτὼν αὐτοῦ, ποῦ τοίνυν αὐτὸς ὢν τυγχάνει; ἐκείνη δὲ οὐδεμίας ἀπολειπομένη θηλείας. ἥτις ὡς τὰ πολλὰ τῶν ἀνδρῶν, ἐμπεσόντος ἀπροσδοκήτου κακοῦ, ὀξυτέρα ἐξευρίσκειν τι πέφυκε· φησὶ τῷ στρατιώτῃ· ὅτι ἐγὼ τῆς προσγενομένης νυκτὸς, παρόντων καὶ τότε στρατιωτῶν, ἐνταῦθα κατέβαλλον· ἵνα μή τις ἀφελόμενος οἴχοιτο. ὁ μὲν οὖν οὐδὲν ἔτι ποιεῖν ἔχων, καὶ τὸν ἐζητημένον οὐχ εὑρίσκων, κατέβη πάλιν· θαυμασία αὕτη καὶ θεία εὐεργεσία. τίς ἂν ἀρνήσαιτο; ὅτι ἐκεῖνος οὐχ ἑώρακε τὸ θύριον, τὸ πρὸς τῇ κλίμακι ἀνεῳγμένον, δι᾽ οὗ πρὸς τὸν πατέρα κατάβασις ἦν. ἀλλὰ περιέφραξε τοὺς αὐτοῦ ὀφθαλμοὺς ὁ θεός. ἐξ οὗ δῆλον, ᾧ τινι πάρεστιν αὐτὸς, ἱκανὸς πρὸς πᾶν κακὸν εἶναι πεφυλαγμένον καθὰ καὶ τοὺς σοδομίτας ἡ ἐξαπίνης τύφλωσις, τῆς τοῦ λὼτ, καὶ τῶν ἐπιξενωθέντων ἀγγέλων, οἰκίας ἀπήλασεν. ὡς δ᾽ οὔπω ζητοῦντες ἐπαύοντο· ἀλλὰ καὶ οὐδὲν ἀνίχνευτον καταλεί-

dere, aut intromittere nolebat. Illi acrius instare. Tum sonitu commota mater, quæ alicubi in pago fuerat, adcurrit. Illi vi introrumpunt. Interim pater vix effugiens, per scalas ascendit in superiora domus. Erat in posteriore parte ædium tablinum, supra id imminebat columbarium: ita tamen, vt in medio locus aliquis esset vacuus. Ibi pater columbarium ingressus, per foramen descendit supra tabulata tablini: asserculoque id foramen, quod iam supra caput erat, contexit. Ibi ergo se abdidit, modo tergo, modo pectori, modo lateribus incumbens, magno metu & solicitudine. Illi ingressi de hero interrogarunt. Quibus cum mater diceret, eum domi non esse: illi, mentiris, inquiunt: vidimus eum per fenestram. Et sane fieri potuit: vt trans vitrum eum viderent. Ibi tota domo discurrebant quærentes. Nec dum etiam mater norat, vbi nam ille se occultasset. Sæpe illi clamare: Heus here, vbi es? progredere, non nocebimus. Tandem vnus ex eis ascendit in columbarium, reperitque patris tunicam. Hanc ille in illa subita trepidatione exuerat; in eoque loco reliquerat: cum supra tablinum descenderet. Ibi ille miles ad matrem, en, inquit, hic tunica eius. Vbi ergo ipse est? Tum mater (vt est fœminarum ingenium in casibus repentinis ad excogitandum aliquid, quam virorum: plærumque promptius & solertius) respondit militi; se præterita nocte, cum etiam milites adfuissent, eo loci eam coniecisse, ne quis auferret. Ille responso contentus, iterum descendit: nec reperit patrem latitantem. Mirabile profecto Dei beneficium; illum non vidisse ostiolum, quod patebat, & per quod ad patrem descensus erat, prope scalas. Sed præstrinxit illius aciem oculorum Deus; vt manifestum sit, cui ille adest, eum satis custoditum esse aduersus omne malum, quamuis propinquum, vt etiam Sodomitas repentina cæcitas a domo Lothi, & hospitum Angelorum, quos ille receperat, prohibuit. Cum illi quærendi finem nondum facerent: sed omnia loca percursa-

Ein Stüblein vnd Taubenschlag.
Ibi occultatio.

Periculum inueniendi.

Fœminarum prompta ingenia.

τύφλωσις, Genes. 19.

rent;

rent: mater identidem animos eorum promulcens: videtis ipsi, inquit, filii mei, cum nusquam adesse. Cur hunc laborem inanem capitis? Introite in hypocaustum, dabo equidem vobis, quicquid ad curationem corporum pertinet. Hæc eo consilio dicebat: vt cognosceret illis remotis, vbi nam pater lateret: vtique eum aliqua ratione clam emitteret. Tanta eius in illum iis temporibus constitit fidelitas. Ac profecto sæpius de patris salute actum fuerat, nisi huius fidelissimo studio, & virtute incredibili, pericula depulsa fuissent. Illi eius oratione persuasi, inuestigatione destiterunt: atque in hypocaustum ingressi, quæ ad famem sitimque sedandam requiruntur, omnia affatim inuenerunt. Breui mater in culinam egressa: pater, cum solam animaduerteret, vnguibus parietem fricans, se esse superius significauit. Erat enim tablino culina continens. Qua re animaduersa, cum militum animis in res alias intentis, tempus opportunū ipsa cepisset, ad patrem celeriter ascendit; eumque maximopere adhortata est: vt quam maxima posset celeritate decurreret: & per ianuam posteriorem, hortumque domui adiunctum, fuga sibi salutem peteret. Illos enim maxima ei & extrema supplicia minari. Ibi ille paret: atque summa contentione decurrit. Mater pauore exanimatum, nec sat rationis habentem, secuta, tunicam & hastam post eum portauit: atque in hortum deduxit. Quo cum venisset, miles quidam in fossa post horreum sedebat caligis impeditus. Is eos conspicatus, atque expallescens, mane, inclamauit, bone vir; quorsum te proripis? Non faciemus tibi iniuriam. Huic conuersus pater, breui, inquit, reuertar: adeundus mihi quidam est ægrotus, & consolatio adhibenda. Ita cum horto exiuisset: multi equites apparebant in via, quæ via proxima horto, & humilibus duntaxat vepribus, ab horto discreta erat. Illi clamare, mane vir optime, quo contendis? Ipse nihil contra, sed secundum hortum ad alias partes declinare: loca flexuosa & viam concauam, atque anfractus petere. Inde syluam subiens, breui Scharestetum, qui vicus dimidio milliario Lucenhusa distat, perterritus, tutus tamen,

Vxoris fidelitas.

Fronte capillata.

Σὺν δὲ δύ' ἐρχομένω. Στρατιώτης ἀκίρετος καὶ χεῖρας.

III. Cessio in Scharestetensem pagum.

Scharestetum.

που· ἡ μήτηρ ἀεὶ βουκολοῦσα, καὶ πρὸς ἄλλα p. 434. ἀπάγουσα, ὁρᾶτε αὐτοί, φησί, φίλα τέκνα, ὅτι οὐδαμοῦ ἐκεῖνός ἐστι. τί μάτην ἑαυτοὺς κόπτετε; εἰσέλθετε εἰς τὸ ὑπόκαυστον· ἐπιμελῶς ἔγωγε δοῦναι πᾶν ἀφθόνως σιτίον τε καὶ ποτόν· ταῦτα δ' ἔλεγε, βουλομένη ἐκείνων ἐκποδὼν γενομένων μαθεῖν ποῦ ὁ πατὴρ ἐκρύπτετο, ὅπως αὐτὸν ὑπεκπέμψειε· τοσαύτη περὶ αὐτὸν ἔχουσα πίστιν ἐφάνη· ἐπεὶ διά γε αὐτὸν πολλάκις ἂν ἀπόλωλεν, εἰ μὴ ταύτης ἡ ἐξαίρετος ἀρετὴ καὶ σπουδὴ πᾶν ἐποίησε παρελθεῖν τὸ κακόν· οἱ μὲν οὖν αὐτῇ πεισθέντες, ἀφίσαντο τοῦ ἐπιζητεῖν· καὶ εἰς τὸ ὑπόκαυστον ἐλθόντες, παντὸς ἐπιτηδείου ἐπίπλεω. οὐ πολὺ δὲ διαλιποῦσα, ἐξῆλθεν εἰς τὸ μαγειρεῖον· ὁ δὲ πατὴρ μόνην καθεστήσας, τοῖς ὄνυξι τὸν τοῖχον, τῷ μαγειρείῳ συνεχῆ ὄντα, ξύων, ψόφον ἐποίει· ἡ δὲ τοῦτον συνεῖσα, τῶν στρατιωτῶν περὶ ἄλλα ἀσχοληθέντων, καιρὸν ἐπίκαιρον λαβοῦσα, πρὸς τὸν πατέρα ὀξέως ἀναβαίνει· καὶ ἐκ παντὸς τρόπου προσλιπαροῦσα παραινεῖ, ὡς ἂν δύνηται τάχιστα καταβαίνειν· καὶ διὰ τῆς ὄπισθεν θύρας, κήπου τε πρὸς τῇ οἰκίᾳ ὄντος, φυγῇ σωτηρίαν ζητεῖν. ἐκείνους γὰρ μανίας καὶ θυμοῦ μεστούς, τὰ ἔσχατα αὐτῷ ἀπειλεῖν. ἐνταῦθα δὴ πείθεται· καὶ ὡς εἶχε τάχους καταβαίνει· ἡ δὲ μήτηρ αὐτῷ ἐκπεπληγμένῳ συμπαρομαρτεῖ, τὸν χιτῶνα καὶ τὸ δόρυ φέρουσα· καὶ αὐτὸν εἰς κῆπον ἐκπέμπουσα εἰς ὃν ἐλθόντος εἷς τῶν στρατιωτῶν ὄπισθε τῆς ἀποθήκης ἕνεκα τοῦ τὰ ἐνοχλοῦντα ἀποσκευάζεσθαι καθήμενος, ὡς ἔβλεπεν· ὠχριάσας μεγάλῃ φωνῇ κράζει· μένε ὦ οὗτος ποῖ, οὐδέν σε ἀδικήσομεν· πρὸς ὃν ὁ πατὴρ ἐπιστραφείς, οὐκ εἰς μακράν, φησί, πάλιν ἔρχομαι. νῦν μέν γε ἰτητέον μοι πρός τινα νοσοῦντα, παρακλήσεως ἕνεκα· εἶτα τοῦ κήπου ἐξελθόντος ἱππέων τάγμα κατὰ τὴν ὁδὸν ἐφαίνετο ἣ πλησίον τοῦ κήπου, ταπειναῖς μόνον ἀκάνθαις διεζευγμένη. ἐκεῖνοι μὲν ἐκραύγαζον μεῖνον ὦ τᾶν. ποῖ σπεύδεις; αὐτὸς δὲ σιγήσας, ἄλλην ὁδόν, κοίλην οὖσαν καὶ καμπύλην, παραμείψας τὸν κῆπον, ἐτρέπετο· ἔπειτα δι' ὕλης εἰς Σχαρεστέτην, κώμην ἀπέχουσαν ἥμισυ μιλίου τῆς Λευτζενούσης, περίφοβος μέν, ἀσφαλὴς δὲ ἦλθεν.

p. 434. ἦλθεν· ἔνθα παρὰ τῷ παρόχῳ εἴτουν ἐκκλησιαστῇ κατέλυε, τρεῖς αὐτοῦ μείνας ἡμέρας. ἐν αἷς δὶς τὴν Λουτζενοῦσαν πέμψας, τῇ μητρὶ παρεκελεύετο πάντων μὲν τῶν ἄλλων ἀμελεῖν, μόνης δὲ καλῆς σωτηρίας ἀντέχεσθαι. κἀπειδὴ τἀκεῖ διὰ τοὺς πολεμίους πάντα ἐπικίνδυνα εἴη, ὅτι τάχιστα εἰς τὸ Χαρεστῆτον παραγίνεσθαι. τῇ τρίτῃ δ᾽ ἡμέρᾳ, ἱσπανῶν ἱππέων ἴλη κατὰ τοὺς περὶ τὴν κώμην ἀγροὺς ἑωρᾶτο. οἱ μὲν οὖν γεωργοὶ συνδραμόντες ἐκωδώνιζον, πειρώμενοι κωλύειν αὐτοὺς τῆς εἰσβολῆς. ἄλλοι δέ τινες εἰς τὸν τοῦ ναοῦ, τοῦ πρὸς τοῖς ἀγροῖς ὄντος, πύργον ἀνέβαινον, καὶ μετὰ τούτων ὁ πατὴρ σκοπησόμενοι, τί ποιεῖν ἐκεῖνοι μέλλουσιν. ὁρῶν δ᾽ αὐτοὺς ὁ πατὴρ δεῦρο κἀκεῖσε τοῖς ἵπποις ἐλαύνοντας ἀγαθῇ τινι τύχῃ, μᾶλλον δὲ θεόθεν, καθορᾷ κάτω οὖσαν ὀστοθήκην ἢ κρύπτην· καὶ γνώμην ἐποιεῖτο, εἰ ἄρα μὴ κωλύεσθαι δύναιντο, ἐν αὐτῇ κρύπτεσθαι. τῇ δ᾽ αὐτῇ ἡμέρᾳ, ἑσπέρας οὔσης, ἦλθεν ἡ μήτηρ, ἐκλιποῦσα τὸν οἶκον διὰ τὸ τῶν πολεμίων πλῆθος. καὶ τὴν θύραν τῆς ἐκκλησιαστοῦ ἔκρουσε, ῥυπαρά, θορυβηθεῖσα, καὶ οἱονεὶ παρακεκινηκυῖα. ἐν γὰρ τῇ ὁδῷ περιπεσοῦσα ἱσπανοῖς, ὅσα ἐξέφερεν οἴκοθεν ἀφῄρητο· ὡς δ᾽ αὐτὴν εἰς τὴν ἐγγὺς ὕλην ἕλκειν ἐπεχειρῶντο, τὰ μὲν ὡς μέγιστον ὀδυρομένη κέκραγε· τὰ δὲ πρόσωπον πηλῷ μεμιασμένον, καὶ αὐχμηρὸν ὑπάρχον ἔδειξε· τὰς δὲ καὶ τὰς ἐπὶ τῇ κεφαλῇ ὀθόνας λύθρῳ κεχρισμένας προὔφηνε. ταύτῃ δὲ τῇ ἐπινοίᾳ οὐ τότε μόνον, ἀλλὰ καὶ πρότερον καὶ ὕστερον πάντοτε τῆς ἀπ᾽ ἐκείνων ὕβρεως ἑαυτὴν ἐξεποίησε. ταύτῃ τῇ ἑσπέρᾳ, λέκτρα εἰς τὰ ἀνώτερα τοῦ ναοῦ ὁ πάροχος ἐκομίσατο· ὅπου καθευδήσειν αὐτός τε καὶ ὁ πατὴρ ᾤοντο. ταῖς γυναιξὶ καὶ οἰκέταις τοῦ οἴκου καταλείποντες. ἤδη δὲ νυκτὸς οὔσης καὶ τῶν λύχνων ἀνημμένων, μελλόντων αὐτῶν δειπνήσειν, ἐξαίφνης ἅμα σάλπιγγι τὸ ἱσπανικὸν ἐμβάλλει. μέγιστος μὲν ἅπαντας καταλαμβάνει φόβος· ὁ δὲ πάροχος, τοῦτο ἐκεῖνο δεῖ, φησίν, ἀπολώλαμεν· ὥστε σύμπαντες τὸν οἶκον λιπόντες, ἄλλος ἄλλον ὑποδύεται τόπον· οἱ δὲ γονεῖς, τὸ μὲν πρῶτον, ἅτε τῶν τόπων ἄπειροι, ἀλλήλων χωρίζονται· ἀθέως δὲ ὅμως δαιμονίως ἐν τῷ κοιμητηρίῳ πάλιν ἑαυτοὺς ἀνευρίσκουσι· καὶ εἰς τὴν κρύπτην, περὶ ἧς εἶπον, ἄμφω εἰσδύου-

peruenit: Ibi ad Parochum diuertit, triduumque cum eo mansit. Quo spatio tamen bis Lucenhusam misit: qui matrem admonerent: omnibus vt rebus posthabitis, tantum honestæ saluti consuleret: & quoniam illic infesta omnia essent hostibus, quam maturrime ad ipsum properaret Scharesteтum. Tertio die post, alıquot Hispani in campo circa Scharedetum visi. Hic agricolæ concurrere, campanas pullare, ab ingressu vici eos repellere contenderunt. Alii in turrim templi, quod in campum spectabat, ascenderunt: & cum his pater, ad speculandum, quid in animo illis esset facere. Cum eos in agris oberrantes equis cerneret: casu, vel potius diuinitus, Ossuarium seu cryptam, quæ infra erat, despexit. Consilium cepit, si illi prohiberi non possent: ac vi incursionem facerent: se in eam latendi causa ingressurum. Eodem die sub vesperum venit mater, profugiens domo, propter vim & multitudinem Hispanorum: pulsabatque ianuam parochi: squalida, exanimata, ac similis niente captæ. Nam in via inciderat in Hispanos: a quibus ea, quæ domo extulerat, erepta fuere. Qui cum in syluam pertrahere illam conarentur: clamores, quantos maximos potuit, questusque sustulit: faciem luto & sordibus perlitam monstrans: & caput vitta cruenta tectum, taboque infecta, ostentans. Quibus rebus non tum solum, sed aliis etiam temporibus, ab illorum sese iniuria liberauit. Ea vespera Parochus in superiora templi lectulos portandos curauit: vbi ipse ac pater pernoctarent: mulieribus & familiæ domo relicta. Noctu luminibus accensis, cum ante cœnare vellent: repentino tuba exaudita, Hispanorum mox irruptio subsecuta est. Maximus omnibus timor iniectus: parochus, nunc, inquit, de nobis actum est. Ergo omnes sese domo eiicere: diuersas fuga partes singuli petere. Parentes, vt locorum ignari, primum diuulsi; mox tamen diuino quodam beneficio in cœmiterio conuenientes: ambo sese in cryptam, quam demonstraui con-

Ibi pastor Ecclesiæ Georgius Hernitius vir humanissimus.

Die Veneris equitum Hispanorum eo accessus.

Beinhaus; *Ossuarium;* Krufft.

Σωφροσύνης περιφυλακτικά.

Hora nocturna sexta.

In ossuariam irreptio. iecerunt: in partem eius intimam se abdiderunt: duoque feretra, quæ supra mortuorum ossa erant, obduxerunt. Erat iam hora sexta. Nihil adeo homini tali tempore recusandum: vnde salutem honeste petere potest: nec aspernandum id, quod in periculis auxilio potest esse, quamuis alias iniucundum: nec nouit homo, vnde aut quomodo sæpe contingat ei salus: *Bene factum.* cum res contemptæ aut abominabiles alioqui, vim quandoque ad conseruationem habeant maximam. Ita (si licet huc aduocare homines ex sacris literis maximos.) *1. Sam. 21.* Dauid non dubitauit cum apud Regem Achin extremo discrimine staret, prope a satellitio eius proditus, nec capite in parietes arietare, qua in re magnus dolor erat; nec barbam saliua defluente turpificare, quod sane fœdum: nec simulare dementiam, a qua re nemo facile illi antea commodi aliquid casurum credidisset. Eodem modo (ne longior sim) centum Prophetæ in speluncas se abdi ab *1. Regum 18.* Abdia, Procuratore Regis impii Achabi & conseruari, æquis animis tulerunt. Nam se vitamque suam in discrimen inicere; cum ea re nihil proficiatur: cumque antea miserabilis mors subeunda sit, quam confessio Christi fieri magnanima possit: atque cum mutus de medio tollaris: nec ea gratia hostes adsint, vt de Religione inquirant: est quidem illud non seruire gloriæ Dei, meo quidem animo: sed ipsum necem sibi adferre. Tunc igitur, vt dixi, ad eum modo Hispani irruperant. *Irruptio hostium in pagum.* Pars clamabat sancta Maria, Landtgrauius, Landtgrauius: alii his respondebant; non Landtgrauius, sed Cæsar, Cæsar. Mox fores perfringere; summa vi domos irrumpere; conicere prædam in plaustra: tum domum parochi aggredi cœperunt. Ibi pater tunicam interiorem qua pectus circumuestiebat, hastamque reliquerat. His rebus atque aliis ablatis in cœmiterium aduolarunt: valuas templi effregerunt, adytumque: omnia, quæ inuenerunt, exportarunt. Alii hominem mortuum in cœmiterium inferebant: omnes partes perscrutabantur: tecta disturbabant, si quis forte sub eis lateret. Quidam

σιν. εἴς τε τὸν μάλιστα ἔνδον τῆς ὀστοδόχης μυχὸν p. 436. ἑαυτοὺς συνωθοῦσι· καὶ φέρετρα δύω, κείμενα ἐπὶ τῶν ὀστῶν, περιβάλλονται. ὥρα ἦν τότε ἕκτη· οὐδὲν ἐπὶ τῷ περιεστηκότι ἀναίνεσθαι ἐν τοιούτοις καιροῖς ἄνθρωπον· ἀφ' οὗ καλῆς ἐστι τυχεῖν σωτηρίας· οὐ δὲ καταφρονεῖν τοῦ ἐκ κινδύνου ῥύεσθαι δυναμένου, καίπερ οὐχ ἡδέος ὄντος. οὐδ' ἔγνωκεν ἄνθρωπος, πόθεν ἢ πῶς τεύξεται τῆς τῶν δεινῶν πολλάκις ἀπαλλαγῆς· ἄλλως τε, καὶ φαύλων ποτὲ καὶ εὐτελῶν ὀργάνων, οἵων τε βδελυρῶν ὄντων. οὕτως. (ἐξείη δέ μοι μέγιστα μικροῖς προσσυγκρίνειν.) ὁ ἁγιώτατος δαβὶδ οὐκ ὤκνησεν, ὡς παρ' οὐδὲν ἦλθεν ἀπολέσθαι παρὰ τῷ βασιλεῖ ἀχὶς, σχεδὸν τῇ τῶν αὐτοῦ δορυφόρων κινδύνου ἐγκαταληφθεὶς, οὐδὲ τὴν κεφαλὴν εἰς τὸν τοῖχον κρούειν, καίπερ ἀλγηδόνος τῷ πράγματι προσούσης· οὐδὲ τὸν πώγωνα σιάλῳ καὶ ἀφρῷ μολύνειν. ὃ δὴ αἰσχρόν. οὐδὲ ὑποκρίνεσθαι τὴν ἄνοιαν, ὅθεν οὐδ' ἂν εἷς ὠφεληθῆναι ἂν αὐτὸν ὤετο. τὸν δ' αὐτὸν τρόπον (ἵνα μὴ πέρα τοῦ καλῶς ἔχοντος μηκύνω) οἱ ἑκατὸν προφῆται, εἰς τὰ σπήλαια ἐμβαλλόμενοι ὑπὸ τοῦ ἀβδία, τοῦ οἰκονόμου τοῦ ἀσεβοῦς βασιλέως ἀχαὰβ, ῥᾳθύμως ἔφερον. τὸ γὰρ αὐτὸν εἰς προὖπτον κίνδυνον ἐμβάλλειν, οὐδὲν τῷ θεῷ ὠφελοῦντα· ἀναγκαζόμενον πρότερον οἰκτρῶς ἀποθανεῖν, ἢ γενναίως ὁμολογῆσαι τὸν Χριστόν· οὐ διὰ τό τι παρόντων ὅπως τὰ περὶ τὴν θρησκείαν ἐξετάσουσιν· ἀλλ' ὅπως παντὶ τρόπῳ κατακανοῦσιν· ἐστὶ μὲν τὸ δόξαν γ' οὐχὶ σπουδάζειν ὑπὲρ θεοῦ δόξης· μᾶλλον δ' ἑαυτὸν τοῦ ζῆν παραλύειν, προϊέναι ἑκούσια γινομένην. τότε μὲν οὖν, καθάπερ εἶπον, τοῦτον δὲ τὸν τρόπον οἱ ἰσπανοὶ ἐφίσταντο. τούτων οἱ μὲν κατὰ τὴν ἐμβολὴν, ἐβόων, ἁγία μαρία, λαντγράυιος. οἱ δ' ἀντεβόων, οὐ λαντγράυιος, ἀλλὰ καῖσαρ καῖσαρ. μετὰ βραχὺ τὰς θύρας συνέτριβον. εἰς τοὺς οἴκους βίᾳ εἰσεπήδων τὴν λείαν. ἐπὶ τὰς ἁμάξας ἐβαλλον. τελευταῖον δὲ καὶ τῇ οἰκίᾳ τοῦ παρόχου ἐπεχείρουν. ἔνθα ὁ πατὴρ τὸν χιτωνίσκον ἑαυτοῦ, καὶ τὸ δόρυ, καταλελοίπει. τούτοις οὖν καὶ τἄλλα πάντα ἀφελόμενοι, εἰς τὸ κοιμητήριον ἦλθον· καὶ τὰς τοῦ ναοῦ θύρας συγκλάσαντες, καὶ τὸ ἄδυτον, ὅσα εὗρον, πάνθ' ἱεροσύλουν. καὶ ἄλλοι μὲν νεκρόν τινα εἰς τὸ κοιμητήριον εἰσέφερον· ἄλλοι δὲ οὐδὲν ἀνερευνητὸν ἀφίεσαν. ἀλλὰ καὶ τὰ στέγη ἀνεμόχλουν, ἐς ἐπίσκεψιν, εἴ τις ὅπως ὑπ' αὐτοῖς κρύπτοιτο. ἦσαν δὲ

καί τι-

p.437. κα' τινες τῇ κρύπτῃ προσιόντες, καὶ ταῖς δασὶ φαίνοντες πολλάκις εἴσω, καὶ ξίφεσιν ἐρευνῶντες. καὶ αὐτοὶ μὲν ἐναργῶς ὑπὸ τῶν ἔνδον ἑωρῶντο· οὐ μέντοι γ' αὐτοὺς ἑώρων· τὸ δ' ἄλλο πλῆθος πᾶσαν τὴν κώμην κύκλῳ περιῄεσαν ἵπποις· καὶ φυλακὰς περὶ πέντε τόποις ἐγκαθίστη. μετὰ δ' ὥρας δύω, νομιζόμενοι ποτ' ἂν ἀπελθεῖν ἅμα τῇ λείᾳ· τὰ βοσκήματα κόπτειν, καὶ ἕψειν, ἐπεβάλλοντο. τῇ δὲ νυκτὶ μέσῃ, γυναικῶν κλαυθμὸς ὑβριζομένων. οὐ πολλῷ δ' ὕστερον ἦλθέ τις εἰς τὴν κρύπτην παρεισδύων. ὃν οἱ μὲν ἐμοὶ νομίζοντες ἱσπανὸν εἶναι, ἐσίγων, καὶ μάλα ἐφοβοῦντο. ὁ δὲ μεσούσης ἴσως ὥρας ἀπελθούσης ἐκρυπτέ τι ψοφοῦν ὑπὸ τὰ τῶν τεθνεώτων ὀςᾶ. καὶ πάλιν ἐξῆλθε. προσελθοῦσα δ' ἡ μήτηρ, εὑρίσκει τηλεβόλον, ὑπὸ τοῦ παρόχου τοῖς ὀςοῖς ἐγκρυβέντα. ἤχθοντό τοίνυν οἱ γονεῖς, ἀλλήλους οὐκ ἀνεγνωκότες· καὶ τῶν κινδύνων ἀπαλλαγῆναι ἐκτενῶς ηὔχοντο τῷ θεῷ. ὥρας δὲ μιᾶς παρῳχηκυίας· σιγῆς πανταχόθεν οὔσης, προελθοῦσα ἡ μήτηρ σκοπήσουσα, ἄν που ἔξεστιν ἐξελθεῖν ἔρχεται τοίνυν εἴς τινα οἶκον, ὅπου γεωργούς τινας μὲν εὑρήσειν ᾤετο, φόβῳ καταφυγόντας ἐκεῖσε· ἦσαν δ' ἱσπανοί. οἵ τινες, ὡς αὐτὴν εἶδον, ὡς τάχους εἶχον, ἐπεδίωκον, βοάζοντες γερμανίδι φωνῇ· δεῦρο γυνή, δεῦρο γυνή· αὐτὴ δὲ πολλῷ τάχιον φεύγουσα, οἰνῶνός τινος ἀνεῳγμένου ὑπεράλλεται. καὶ πάλιν ἐπὶ τὸ κοιμητήριον, οὐ μὴν τὴν εὐθεῖαν, ἀλλὰ διὰ καμπηλοτήτων καὶ μαιάνδρων, [illegible] καὶ τὸν πατέρα ἀπολέσειεν, εἰς [illegible] καὶ [illegible] αὐτ[illegible] [illegible] καὶ ὅτι μηδεμία σωτηρίας ἐλπὶς [illegible] αὐτὸς ἄρα τῷ πράγματι [illegible] ἦν ῥῖγος, ὥ τε [illegible] καὶ [illegible] νερὸν γεγονεν [illegible] ἀνάγκη [illegible] καλύπτειν [illegible] πρὸς δὲ τούτοις, καὶ ἀμφοτέροις [illegible] καὶ δὴ τέλος ὁ πατὴρ ὑπό τε τοῦ [illegible] καὶ τῆς λύπης ([illegible]) εἰς ὕπνον κατισπ[illegible]. μετὰ [illegible] σχεδὸν [illegible] τετάρτην [illegible] εἶναι λέγουσης· [illegible] χριστῷ, σωτηρίαν [illegible] καὶ ἀπαλλα-

etiam ad cryptam accedebant: sæpenumeroque facibus introrsus porrectis, gladio scrutantes, explorabant. Atque hi à parentibus perspicue videbantur: ipsi tamen illos non videbant. Reliqui vicum omnem equis circuibant: excubitoresque locis quinque disponebant. Post horas duas, cum putarentur tandem cum præda abituri: pecora cædere, atque coquere cœperunt. Nocte media eiulatus mulierum puellarumque auditus. Non multo post venit quidam, qui ipse quoque cryptam subibat. Eum mei putabant Hispanum esse: ideoque silebant; & ne inuenirentur, non mediocriter pertimescebant. Idem post horam dimidiam aliquid inter ossa mortuorum, idque sonans, occultabat, atque exibat. Mater accedit, & reperit bombardam absconditam a parocho.

Discursatio & speculatio.

Sclopus inter ossa.

Dolebant ergo ambo, ipsos inter sese non agnitos esse: Deumque enixe, se vt ex eo discrimine seruaret, precabantur. Post vnam horam, cum silentium in vico esset: mater a crypta progressa, de exitu dispiciebat. Venit in quandam domum: vbi sperabat se aliquos agricolas, qui metu eo concurrissent, inuenturam. Ibi Hispani, qui intus erant, eam viderunt: velocissimeque insequentes, Germanice inclamabant, fœmina pro me, pro me. Illa ex insidiis istis multo velocius fugere; cellam quandam vinariam apertam, saltu superare: seque in cœmiterium, sed non recta, verum per ambages & flexiones, ne patrem quoque proderet, recipere. Cum iterum in cryptam ad patrem venisset: indicauit, quantum periculum adisset: nec esse adhuc vllam spem euadendi. Tristis ea sane re ille erat: nec satis commode a frigore maximo se defendere poterat. Atque ibi perspici potuit, quanta vis necessitatis esset. Nam pedes eo panno, quo feretra integebantur, contra frigus hybernum velare cogebatur. Huc accedebat, quod perpetuum vtrique cum somno certamen erat: ac tandem pater, tum frigore, tum tristitia (quæ res ad inducendum somnum, multum momenti habent) dormire cœpit. Cum post vnam circiter horam experrectus esset: materque diceret, prope horam esse quartam: habita precatione ad Christum Opt. Max. in viam se de-

Trans cellam saltus.

Ianuarii frigus.

Somnus in frigore.

Hora matutina quarta.

se dederunt. Metuebant enim, ne, si dum luceret expectarent, ab hostibus deprehenderentur. Itaque silentio per vicum euntes: cum plaustra spoliis onusta [illegible] *Euasio e Scha[illegible]* rent: secundum ea in tenebris, nemine vidente, elapsi sunt. Atque qua via proxima per hortos trans sæpes erat, in agros deuenerunt. Vbi, cum lapides & truncos obiectos non curarent, fiebat: vt non raro in fossas præcipitarentur. Consilium inibant, Vlmam ire: sed non recta: ne iterum in Hispanorum manus, qui circumcirca omnibus vicis consederant, inciderent. Dextrorsus dumos & syluas petierunt: in quibus amplius duo milliaria, incerti viarum & locorum, errauerunt. Distabat autem vrbs ab eo, vnde exierant, vico, ad duo milliaria. *Die Sabbati.* Qua se cumque conuertebant: aut Germanos audiebant, aut Hispanos milites, & sonitus tympanorum. Primum itaque variis difficultatibus *Bermelinga. Asch.* & metu Bermelingam, post Ascham, peruenerunt: qui sunt duo magni pagi. In iis locis aqua & pane vires reficiebant. *VVippinga.* Inde Wippingam transgressi: in idipsum, quod vitare voluerant, discrimen inciderunt. Hispani enim circiter viginti numero, magna vi & terrore a[illegible] equitabant. Hic cum pater manus ad eos tendere, & orare inciperet: vnus eorum venabulo ipsius caput percute[illegible] nitebatur, id tamen mater præocc[illegible] impediit. *Spoliatio ab Hispanis.* Primum ei ademerunt gladium: deinde pulchrum pileum nigrum: pro quo ei quidam [illegible] cinerei coloris imposuit. Post etiam [illegible], cingulum, pugionem. Alii tunicam a pectore discindebant: pars thoracem ex ceruina pelle manibus tractantes, pecuniam quærebant, in quo aurei aliquot insuti, tamen inuenti non sunt. *Pera confixio.* Vnus eorum hasta peram partibus omnibus transiit: in qua pecunia nonnulla reperta atque ablata, obolos tamen & nummos [illegible] reliquit. Ita variis modis ab eis huc illuc raptabatur. Tum pater Latine cum eis loqui, atque precari cœpit: Id ei profuit. Vnus enim ex illis exclamans, Latine scit, inquit: clericus est. Cumque quis, vnde, quo tenderet, quæsiuissent, ipseque respondisset: potestatem abeundi fecerunt. Ibi rogabat, vt cingulum ad tu-

γὴν τῶν φόβων, ἀπιέναι ὥρμησαν. δεδίεσαν γὰρ, p. 438. μὴ τὴν ἡμέραν ἀναμένοντες, ὑπὸ τῶν ἐναντίων ξυλληφθεῖεν. τοιγάρτοι μεθ' ἡσυχίας διὰ τῆς κώμης, μηδενὸς ἐν τῷ σκότει [illegible], τὰς ἁμάξας σκύλων γεμούσας παραλλάξαντες, καὶ τοὺς τῶν ἔγγιστα [illegible] φραγμοὺς ὑπερβάντες, εἰς τοὺς ἀγροὺς ἀφίκοντο. καὶ συνέβη πολλάκις αὐτοῖς, φροντίδα τῶν ἐμποδῶν οὐ ποιουμένοις, ἀλλὰ σωτηρίας λόγον ἔχουσι μόνης, εἰς τέλματα καὶ βόθρους ἐμπίπτειν. εἶχον δὲ [illegible] γνώμης, ὥστε βούλεσθαι μὲν εἰς Οὖλμαν ἰέναι· οὐ μέντοι γε κατὰ τὸ εὐθύ, μὴ πάλιν εἰς ἰσπανοὺς, τοὺς τὰς κύκλῳ κώμας ἁπάσας κατέχοντας, ἐαυτοὺς ἐμβάλλοιεν φεροντες. ὥστε τὴν ἐν δεξιᾷ τραπόμενοι, τὰ [illegible] ὑλώδη [illegible] ἔνθα πλέον ἢ δύο μίλια, [illegible] τὴν ἀπειρίαν τῆς χώρας, ἐπλανήθησαν. ἀπεῖχε δ' ἡ πόλις, ἧς ἐξῆλθον κώμης, περὶ δύο μίλια. [illegible] ἐτρέποντο, στρατιωτῶν, ἢ γερμανῶν ἢ ἰσπανῶν, θορύβου, καὶ τυμπάνων κτύπον ἤκουον. πρῶτον μὲν οὖν πολλὰ κακοπαθήσαντες, εἰς Βερμέλιγγαν, εἶτα δ' εἰς Ἄσχαν [illegible] κώμας δύο μεγάλας [illegible] καὶ [illegible] ἀνελάμβανον ἑαυτοὺς [illegible] εἰς Βιππίγγαν πορευόμενοι, οἷς ἔφυγον κακοῖς, [illegible] ἰσπανοὶ γὰρ [illegible] μάλα καταπληκτικῶς [illegible] τοῦ δὲ πατρὸς [illegible] αὐτῶν [illegible] [illegible] κεφαλὴν [illegible] [illegible] μήτηρ [illegible] [illegible] [illegible] καλὸν [illegible] [illegible] [illegible] [illegible] ἐξεῖλκυσαν. τινὲς δὲ [illegible] ἐξ ἐλαφείου δέρματος [illegible] χρήματα ἐνερραμμένα ἐζήτουν· ἦσαν δ' ἐν αὐτῷ μὲν νομίσματά τινα χρυσᾶ [illegible] εὕρισαν. εἷς δέ τις τὴν πήραν [illegible] ἀργύριόν τε εὑρίσκων τὰ μὲν ἄλλα ἀφείλετο τοὺς δ' ὀβολοὺς καὶ [illegible] ποικίλως ὑπ' αὐτῶν [illegible] ἤρξατο τέλος αὐτοῖς διαλέγεσθαι λατινιστί, καὶ [illegible] καὶ τοῦτο σωτηρίαν ἤνεγκε. [illegible] λατινιστὶ [illegible] κληρικός ἐστιν. [illegible] ἠρώτησαν, τίς, πόθεν [illegible] [illegible] ἀπελθεῖν εἴασαν. [illegible] αὐτὸν ἀποδοῦναι τὴν ζώνην, ὡς

p.439. δὴ αὐτῆς τῷ σώματι τὸν χιτῶνα προσέλλειν. ἀπέδοσαν αὐτὴν, καὶ τὴν πήραν πρός. κἀκεῖνος δὲ, ὃς τὸν πῖλον ἀφείλετο, τοῦτον ἀποδοὺς, τὸν ἴδιον ἀπέλαβεν. ὡς δ᾽ αὐτοὺς τρόπον τινὰ πραϋνθέντας ἡ μήτηρ ἑώρα. παρεκάλει, τὴν ἡλικίαν τοῦ ἀνδρὸς αἰδουμένους, καὶ τῶν ὅπλων θάτερον ἀποδοῦναι. ἦσαν γάρ τινες αὐτῶν, τῆς γερμανίδος γλώττης οὐκ ἀλλότριοι ὄντες. ἠρώτων μὲν οὖν τὸν πατέρα ὁπότερον βούλοιτο, τὸ ξίφος, ἢ τὸ ἐγχειρίδιον; τοῦ δ᾽ ἐπ᾽ αὐτοῖς ποιοῦντο, τὸ, ὁπότερον βούλονται, δοῦναι· τὸ ἐγχειρίδιόν τις εἰς χεῖρας λαβὼν, καὶ ἐπὶ πολὺ θεωρῶν, διότι τινὶ ἀργυρίῳ κεκόσμητο. τελευτῶν ἀπέρριψε, καὶ λαβεῖν ἐκέλευσεν. ἔλαβε, καὶ σὺν τῇ μητρὶ ἀπῆλθεν. ἐκεῖθεν δ᾽ ὡς ὄρους τινὸς, οὗ ἔνερθε ποταμὸς ἔρρεε, κατέβαινον· ἄλλη τις ἱσπανικὴ ἴλη ἐφαίνετο προσελαύνουσα. οὓς οἱ μὲν θεασάμενοι, ταχέως τὸν ποταμὸν διέβησαν· οἱ δ᾽ οὐ βραδίον ὑπερπηδήσαντες, ἐπέδραμον. πλὴν, ὅτε πρότερον αὐτοὺς σκολευθέντας ἑώρων· καὶ τὴν πήραν ὁ πατὴρ δεινῶς κεχηνυῖαν αὐτοῖς προὔφαινεν, ἀπηλλάττοντο. τὸ δ᾽ αὐτὸ συνέβαινεν αὐτοῖς ὄρος ὑψηλὸν ἄλλο, τῷ προτέρῳ ἀντικείμενον, ἀναβαίνουσι, καὶ μήπω μέσον ὑπερβαλοῦσι. καὶ γὰρ ἄλλοι τινὲς ἱσπανοὶ δρόμῳ ἱππικῷ παραγενόμενοι. καὶ ταῦτα τοῖς προτέροις ἰδόντες, ὡς ἤροντο, εἰ φορβή ἐστιν ἄνω. πολλὴν ἔλεγον εἶναι. καὶ οὕτως ἀφείθησαν. ἐπειδὴ δὲ τὴν κορυφὴν ὑπερέβησαν· ἦλθον εἴς τινα κώμην. ἣν ἱσπανοὶ μὲν εἶχον. [illegible] δ᾽ ὅμως αὐτοὺς εἰργάζοντο κακόν. ἐνταῦθα τοῦ πατρὸς ὕδωρ παρά τινι οἴκῳ αἰτοῦντος· ἀπεκρίνετο ἡ τοῦτον οἰκοῦσα γυνὴ, ἔχειν ἀγαθὸν οἶνον. ὁ μὲν πατὴρ ἔλεγεν, οὐκ ἔχειν χρήματα. καὶ τὴν ταλαιπωρίαν προΐσχετο. ἡ δὲ μετὰ σιγῆς ἀπελθοῦσα, οἴνου προσήνεγκεν ἓν σχεδὸν μέτρον. καὶ βαθὺ ποτήριον ὑάλινον. ἐπειδή, φησι, τὸν οἶνον ἀποβλητέον ἐστὶ τοῦτον· σοὶ πολλῷ, ἢ τοῖς ἱσπανοῖς. ἐθέλω δοῦναι. εὐχαριστήσας δὴ [illegible] καὶ τὸ τέταρτον ἑνὸς μιλίου προελθόντες, εἰς ἄλλην κώμην ἦλθον, ὅπου τοῦ πατρὸς πλέον, ἢ πρότερον, διψῶντος καὶ πρός τινι οἴκῳ πίνοντος ὕδωρ· ὀπίσω τις ἱσπανὸς ἐλθὼν ἐν τάχει τὸν πῖλον αὐτοῦ τῆς κεφαλῆς ἀφήρπασεν. ὁ δὲ ἐπιστραφεὶς, ἐδεῖτο πάλιν δοῦναι· ὁ δὲ τὴν λόγχην [illegible] τοῖς στέρνοις [illegible]

ſtam infeſtam pectori intentare. Nec

nicam adſtringendam redderent. Id reddiderunt, atque etiam peram. Etiam is qui pileum abſtulerat, eo reddito, recepit ſuum. Quorum animos cum ad humanitatem aliquam a ſæuitia traductos mater videret: orabat, quoniam viderent hominem eſſe id ætatis, redderent etiam ex armis alterutrum. Nam quidam inter eos quoque Germanice norant. Itaque Latine patrem interrogabant: vtrum peteret, gladiumne an pugionem. Cum diceret, redderent, vtrum vellent: quidam accepit pugionem: & manibus diu tractans, quod aliquid argenti pro ornamento haberet: tandem proiecit, ac recipere iuſſit. Recepit, atque cum matre abiuit. Inde de monte quodam, infra quem fluuius erat, cum deſcenderent; mox alia Hiſpanorum turma extitit. Quos conſpicati, celeriter fluuium tranſierunt. Illi haud ſegnius tranſilientes, equos concitato curſu adegerunt. Verum cum eos iamdudum ſpoliatos viderent: paterque eis peram bene hiantem oſtenderet, abſceſſerunt. Idem accidit, cum montem alium, qui contra priorem erat, excelſum aſcenderent, ac vix dum medium ſuperaſſent. Nam alii Hiſpani, cum ad eos incitaſſent equos: eademque, quæ ſuperiores, vidiſſent, quæſiuiſſentque, num pabulum eſſet ſupra: reſponderunt, magnam eius rei copiam eſſe, atque ita dimiſſi ſunt. Cum iugum ſuperaſſent, venerunt in quendam vicum, quem tametſi Hiſpani tenerent: tamen ſine maleficio eos dimiſerunt. Hic pater ante quandam domum cum peteret aquam: mulier reſpondit, ſibi eſſe bonum vinum. Pater ſuas miſerias, & ſe nullam nummorum facultatem habere demonſtrabat. Illa tacita abiens, vini attulit vnam forte menſuram, poculumque e vitro altum. Quoniam, inquit, vini huius iactura facienda eſt: multo tibi, quam Hiſpanis dare malo. Gratiis actis, pater diſceſſit, atque cum matre, confecta quarta milliarii parte, alium in vicum peruenit. Vbi cum vehementius, quam antea ſitiret: & ante quandam domum ex hydria biberet: Hiſpanus quidam aduolans derepente, pileum de capite eius detraxit. Pater conuerſus, illum, vt redderet, orare: ille contra haſtam infeſtam pectori intentare. Nec agricolarum etiam, qui pro patre ora-

Clementia hoſtilis.

ἐγχειρίδιον, ἐπισωζόμενον.

Alii Hiſpani.

Alii.

Pagus.

Liberalitas coacta.

Alius pagus.

Pilei ablatio.

τῶν

bant, deprecatio proficiebat. Horum vnus poſtea narrabat; Hiſpanos etiam ſuo patri, ætate confecto, recentes calceos pedibus detraxiſſe.

Calceorum detractio.

Inhumaniter hæc quidem omnia Hiſpani: ſed non putamus, multo atrociora alienis in terris a Germano milite factitata ſæpe eſſe? Compertum certe hoc bello eſt; in multis locis, multa crudelius & intolerabilius facta eſſe a Germanis, non ſolum iis, qui cum Cæſare fuerunt; ſed etiam illis, qui in noſtro exercitu erant: quam ab vllis aut Italis aut Hiſpanis. Atqui his magis hoc ignoſci poteſt, quibus ſæpe calamitates Germanus intulit. Quis vero noſtris iniuriam apud nos fecit? Subiiciam vnum tantum atque alterum exemplum; ex quo noſtrorum hominum mores in locis exteris cognoſcantur.

Germanorum militum iniquitas.

Audiui ex hominibus fide dignis: cum Roma ſuperioribus annis capta eſſet; quosdam milites in monaſterio quodam illius vrbis conueniſſe. Ibi reliquos ebrios in cella vinaria factos, dolia petulanter contudiſſe: vnum, comprehenſo quodam indidem monacho: pecunias monaſterii vt monſtraret, vim adhibuiſſe magnam. Cum ille ſuſtineret: hunc poſteriores partes corporis illius, ferro traieciſſe: idque ferrum identidem in vulnere verſaſſe. Hoc dolore miſerum illum, ad necem excarnificatum, indicium totius gazæ feciſſe.

1527. Crudelia facta Romæ.

Audiui etiam ex optimo viro: Mediolani, vbi ipſe quoque dum miles fuerat: quendam Germanum in domum fœminæ cuiusdam nobilis inuaſiſſe: cui filiæ duæ puellæ virgines eximia pulchritudine fuerint. His eum ad libidinem ſuam abuti voluiſſe. Has tanta virtute intuenda pudicitia fuiſſe: vt, cum ille nefarius gladio eas cogere conaretur: cumque ipſis vociferantibus ſuccurreret nemo; in ferrum vltro incurrerent. Ea cauſa illum ira percitum: cum eis potiri non poſſet: ipſæque iam manibus, aliiſque partibus corporis, conuulneratæ eſſent: vtramque trucidaſſe. Multum a noſtris peccatum eſt: ſed ea peccata homines etiam innocentes luere poſtea coguntur. Hæc eſt mirabilis Dei gubernatio in hac vita: vt, niſi ſacræ nos docerent literæ: piis iuxta ac improbis graues cala-

Mediolani.

Aſpiciant oculis ſuperi mortalia iuſtis.

τῶν γεωργῶν ὑπὲρ τοῦ πατρός. τούτων τις ἔπειτα p.440
διηγεῖτο· ὡς καὶ ἰσπανοὶ, τῶν ποδῶν τοῦ πατρὸς αὐτοῦ καινὰ ὑποδήματα ἀφείλκυσαν. πικρῶς μὲν ταῦτα πάντα οἱ ἰσπανοί. ἀλλ' οὐκ οἰόμεθα πολλῷ δεινότερα τοὺς γερμανοὺς ἐν ἀλλοδαπῇ γῇ πολλάκις ἐξεργάσασθαι, καίτοι παμπόλλοις ἐν τῷδε τῷ πολέμῳ συνέβη μακρῷ χαλεποτέροις χρῆσθαι τοῖς γερμανοῖς, οὐ μόνον τοῖς μετὰ τοῦ αὐτοκράτορος, ἀλλὰ καὶ τοῖς μεθ' ἡμῶν οὖσιν· ἢ τοῖς τισινοῦν ἰταλοῖς, ἢ ἰσπανοῖς. καὶ μὴν τούτοις μὲν συγγνώμη τις, πολλάκις ὑπὸ γερμανῶν παθοῦσι κακῶς. τί δ' οἱ ἡμέτεροι προηδικήθησαν ὑφ' ἡμῶν; γνοίη δ' ἄν τις ἐξ ἑνὸς καὶ ἑτέρου παραδείγματος, πῶς ἔχουσιν ἤθους ἐπὶ γῆς ἀλλοτρίας οἱ ἡμέτεροι. ἀκήκοα γὰρ ἀνδρῶν οὐχ οἵων τε ψεύδεσθαι, τῆς πρεσβυτέρας ῥώμης ἐν τοῖς ἄνωθεν ἐνιαυτοῖς ἁλισκομένης· γερμανῶν στρατιωτῶν τινὰς ἔν τινι μοναστηρίῳ συνελθεῖν. ἔνθα τοὺς μὲν ἄλλους ἐν οἰνῶνι μεθυσθέντας, συντρῖψαι δι' ἀσέλγειαν τοὺς πίθους· ἕνα δὲ, ὡς ἔλαβέ τινα τοῦ μοναστηρίου μοναχὸν, προσθεῖναι μὲν αὐτῷ, ὅπως δείξειε τοὺς θησαυροὺς, βίαν μεγάλην, τοῦ δὲ καρτεροῦντος, αὐτὸν τὰ ὀπίσθια τοῦ σώματος μαχαίρᾳ διαπείραντα, ταύτην τε συνεχῶς ἐν τῷ τραύματι στρέψαντα, δεῦρο κἀκεῖσε παρακινήσαντα, ἀναγκάσαι τὸν ἄθλιον ἐκεῖνον, τὰ ἔσχατα παθόντα, πᾶν ὅ, τι εἰδείη δεῖξαι. ἐπύθομεν μὴν δὲ φιλαλήθου ἀνδρός· ἐν μεδιολάνοις, ἔνθα αὐτὸς ἐγένετο τότε στρατιώτης, γερμανόν τινα παρεισιέναι γυναικός τινος εὖ γεγονυίας οἰκίαν· θυγατέρας ἐχούσης δύο παρθένους, ὥρᾳ καὶ κάλλει διαφερούσας. τὸν μὲν αὐταῖς πρὸς αἰσχρότητα καταχρήσασθαι θελῆσαι. τὰς δὲ τοσαύτην ὑπὲρ τοῦ καθαρὰς μένειν ἀρετὴν παρασχέσθαι. ὥστε τοῦ μιαροῦ ἐκείνου τὸ ξίφος σπασαμένου· καὶ τὰ ἔσχατα, εἰ μὴ παρέχοιεν ἑαυτὰς ἀπειλοῦντος· ἀφ' ἑαυτῶν ἑτοίμως ἀπαντᾶν τῷ ξίφει, καὶ ἀποθνήσκειν ὑπὲρ τῆς σωφροσύνης ἐθέλειν. διὰ τοῦτο ὑπ' ὀργῆς καὶ θυμοῦ αὐτὸν ἐκμεμηνότα, ὡς ἤθελο αὐτῶν ἐγκρατὴς καθιστάναι οὐ δυνατὸς ὤν, κατατρωθεισῶν ἤδη τάς τε χεῖρας, καὶ τὸ λοιπὸν σῶμα, ἑκατέραν φονεῦσαι. πολλὰ μὲν δὴ ὑπὸ τῶν ἡμετέρων ἥμαρται. ταῦτα δ' ἔπειτα πολλάκις οἱ μηδὲν ἀδικοῦντες ἐκτίνειν ἀναγκάζονται, οὕτω γὰρ θαυμαστῶς τἀνθρώπεια διοικεῖ ὁ θεὸς ἐν αἰῶνι τούτῳ· ὥστε, εἰ μὴ ἐδίδασκον αἱ ἅγιαι γραφαὶ, τοὺς εὐσεβεῖς καὶ τοὺς ἀνοσίους ὁμοίως κακὰ μέ-

p.441 καὶ μεγάλα, καὶ πολλάκις ἐκείνους τούτων μείζονα καὶ δεινότερα παθεῖν· εἰκότως ἂν δυσχεραίνοιμεν· καὶ μηδεμίαν τοῦ θεοῦ κατὰ τῶν ἀνθρώπων πράγματα πρόνοιαν εἶναι, ἀλλὰ πάντα ἀπὸ ταὐτομάτου φέρεσθαι, νομίζοιμεν. ἔσται μέντοι, ὅτε αἰωνίου χαρᾶς ἀπολαύσουσιν οἱ χρηστοί· κἂν ἤδη μάλλα κόπτωνται ταλαιπωρούμενοι συνεχῶς· ὃ δὴ αὐτό, ὅτι νυνὶ τοσαῦτα ἀδικοῦνται, μεγάλην ἀπόδειξιν ἔχει· ἐπειδὴ παντοῖα ἀγαθὰ ἐπαγγέλλονται αὐταῖς ἑκασταχοῦ αἱ θεῖαι γραφαί. ζωὴν ἄλλην εἶναι λοιπήν, ἐν ᾗ τοὺς καρποὺς τῶν ὑποσχεσέων τούτων κομιοῦνται. ἀλλὰ γὰρ ἐπανέρχομαι, ὅθεν ἐξῆλθον. ἀπιοῦσι δὴ τοῖς μου γονεῦσιν, ἐξ ἧς εἶπον κώμης, ἀπαντᾷ τις ἱσπανὸς ἐφ' ἵππου, ἀναβαίνων, ἐξ ἀριστερᾶς. ὁ μὲν ἤρετο τὸν πατέρα, εἰ τὴν λατινίδα ἐπίσταται διάλεκτον· τοῦ δὲ φάσκοντος· ἐκεῖνος, τί ἔπαθεν, ἀνηρώτα. ἑώρα γὰρ αὐτόν, τὴν μὲν κεφαλὴν γυμνόν, ταῖς δὲ χερσὶ τὰ ὑποδήματα βαστάζοντα· διότι τηκόμενος ὁ πηλὸς μέσης ἡμέρας, αὐτὰ τῶν ποδῶν ἀπέσπα. ἀπεκρίθη ὁ πατήρ, ἀποσεσυλῆσθαι. πάλιν ἐρομένου, ποῦ; ἔλεγε, τὰ μὲν ἐν ταύτῃ τῇ κώμῃ· τὰ δὲ καὶ ἄλλα χίθι. ἀκολουθεῖτε τοίνυν ἐμοί, ἔφη, πάλιν εἰς τὴν κώμην. ἐπανελθόντων οὖν, ἐκεῖνος οὐδὲν ἄλλως ἀξίωμα περικείμενος, ὅσον γε κατὰ τὸ πρόσωπον, ὅμως διὰ τιμῆς ὑπὸ τῶν ἱσπανῶν ἤχετο. ὁ μὲν ἐπυνθάνετο περὶ τοῦ συλητοῦ· οἱ δὲ τοῦ ὄρους ἔφασαν αὐτὸν καταβῆναι. παρεκάλει γοῦν τοὺς γονέας αὐτοῦ εἰς τὴν παρεμβολὴν ἕπεσθαι, ὡς τὸ συληθὲν ἀποδώσων τι. αὐτοὶ δὲ φοβούμενοι, κἂν οὕτως ὑπόσχηται φιλίως· μὴ ὅμως ὑπὸ ἄλλων ἀναιρεθῶσι. χάριν αὐτῷ τῆς προθυμίας εἰδότες, ἀπῆλθον. εἶτα μετὰ πολλῆς δυσχερείας ὑπὲρ τὴν σοίβλιγγαν πρὸς ποταμὸν ἧκον. ἡ μέν ἐστι κώμη, τέταρτον μιλίου οὔλμης ἀπέχουσα. ὁ δὲ ποταμός, διὰ τὸ χρῶμα γλαυκός ἐστιν, ὅθεν τὰ πρῶτα προρρέει, τοῖς γερμανοῖς βλαῦβα προσαγορεύεται· προρρέει δ' ἐν βλαυβουρίῳ τείχει, ὑπὸ πέτραις τραχείαις μάλλα καὶ ἀποτόμοις ᾠκισμένῳ, ἐν τῇ τοῦ βιρτεμβεργίου δουκός, ἀφεστηκότι δύο μιλίω οὔλμης. ἔνθα ὅτι πορρωτάτω φάραγξ περικαλλής, λειμῶσί τε καὶ πλήθει κωμῶν, ἐκτείνεται· δι' ἧς εἰς οὔλμαν ῥεῖ ἡ βλαῦβα. ἐπειδὴ οὖν πρὸς τῷ δὲ τῷ ποταμῷ, καθὼς εἶπον, ἐγένοντο· ἀπ' ἀντίπερας ἱσπανοί τινες ἐπέκεινα, ἱππαζόμενοι, λα-

mitates, sæpe etiam illis, quam his, grauiores, subeundas esse: iure indignaremur: atque res humanas nulla prouidentia Dei regi: sed in iis fortunam cæcam pro libidine putaremus ludere. Erit tamen tempus, quando boni sempiterna fruentur lætitia, quamuis nunc vexentur; quod ipsum, quod affliguntur in hac vita: maxime argumento est: cum in scriptura vbique eis amplissimi honores & præmia promittantur: aliam vitam restare; in qua hi muneribus afficientur: & in qua promissa Deus ipsis præstabit. Sed ad meos redeo. Qui cum ex eo pago, de quo dixi, abissent: obuiam fit eis Hispanus quidam equo vehens, & sinistrorsus ascendens. Is patrem interrogabat, num Latine sciret. Qui cum se scire respondisset: ille rursum, quid ipsi accidisset, requirebat. Videbat enim eum esse nudo capite, & manu calceos portare: quod lutum meridie, liquescens eos pedibus auelleret. Respondit pater, se dispoliatum esse. Iterum quærenti, quo in loco, respondit, partim in pago isto, partim alibi. Iussit ille parentes in pagum se rursum sequi. Quo cum rediissent: ille, tametsi nulla autoritate ad speciem præditus esset; tamen honorabatur ab Hispanis. Quos cum de ereptore interrogasset: dixerunt illi, eum de monte descendisse. Voluit ergo parentes vna secum descendere in castra: se amissum eis restituturum. Illi, quod metuerent, etiamsi benigne Hispanus promitteret: ne tamen ab aliis non dimitterentur viui: gratias ei egerunt pro eo studio; atque longius progressi, post multa incommoda supra Soeflingã ad fluuium venerunt: qui est pagus, quarta milliarii parte Vlma distans. Fluuius autem, quod cærulæi est coloris ibi, vbi nascitur, Blaua dicitur. Oritur in oppido Blaubeura: quod infra asperrima saxa situm in ditione Ducis Wirtembergensis, duobus abest Vlma milliariis: ex quo oppido longissime porrigitur vallis amœna: per quam Blaua Vlmam labitur. Ad eum fluuium, cum, vt dixi, venissent: occurrerunt vltra fluuium quidam equites Hispani. Ii Latine cum

Bonus Hispanus.

Soefling.

Blaβ. Blaubeura:

Hispani equites.

cum de altitudine fluuii quærerent: pater, respondit, admodum esse altum. Ita, quamuis libenter transmisissent: & forte iis qui citra erant, nocuissent; tamen discesserunt. Cum Sœflingam intrassent: inuenerunt eum pagum præoccupatum ab Hispanis: nec non viam, quæ Vlmam ducebat: aliis ingredientibus, aliis exeuntibus. Ibi bonus quidam vir eos illa nocte secum retinere; suaque cum ipsis communicare voluit. Sed ipsi Deo confisi, in vrbem ire pergebant. Cumque vesperi portam nouam, quæ nominatur, subirent: ciues in armis astabant: & inter hos vnus Senator, quibus custodia portæ commissa a Senatu fuerat. Nondum enim eo tempore Cæsar Vlmam venerat; eaque re portæ adhuc Vlmensium custodia tenebantur. Tum vnus ex illis armatis: qui nomine Nicolaus Tendelius, artificio figulus, voluntate patri amicus erat: accedens, es ne, inquit, ille meus Martinus, annon? Viderat enim nec pileo tectum, nec calceis indutum; caligis etiam contritis deformatum, atq; miserabilem. Cum se esse respondisset: circumsistentibus omnibus reliquis, atque audire auentibus, rem omnem narrauit. Tum Tendelius iussit ambos domum suam ire: se eodem quoque breui venturum. Nam quod diei vesper erat: alios ad portam successuros. Ipsi vero primum domum Agnetis Friccinæ honestæ viduæ, fuerunt: cuius viro, quoad vixerat, familiarissime semper fuerant vsi. Apud quam cum paululum sese confirmassent: postea ad Ioannem Esselingerum figulum: cum quo eis non tantum notitia, sed etiam consuetudo & vsus perpetuus erat, migrarunt. Is atque vxor eius, optima fœmina, quæ post paulo vna cum multis millibus hominum pestilentia sublata est, eos quam humanissime rebus omnibus tractauerunt. Nam tum vicem eorum, calamitatesque ex animo dolebant: tum aquam ad abluendos pedes (qui patri quidem frigore ita corrupti erant, vt longo post tempore vix in integrum restituerentur) dabant: tum cibum potumque suppeditabant: tum etiam cum reliqui lecti ab Hispanis tenerentur; eum, in quo ipsi cubare solebant,

Vlmenses porta Eo aduentus illo die Sabbati.

Nicol Tendelius, ex Bauaria, εὐγενὴς, μοναστηρίου ἐκπηδήσας καὶ ἐννόμῳ γάμῳ προσχωρήσας.

Nicolai Friccii Textoris vidua.

Ioa. Esselinger figulus. Hic & Tendelius habebant duas sorores.

Hospitalitas erga miseros.

τινὶ διερωτῶντας, εἰ βαθὺς ὁ ποταμός; ἀπε- p.448 κρίνοντο οἱ περὶ τὸν πατέρα, ἄγαν βαθὺν εἶναι οὕτως. εἰ καὶ ἡδέως ἂν ἐπεραιώθησαν, κακόν τι δώσοντες ἴσως αὐτοῖς, ὅμως ἀπήλαυνον. ὡς δ' εἰς σοίφλιγγαν ἦλθον, προκατειλημμένην εὕρισκον τήν τε κώμην ὑπὸ ἰσπανῶν, καὶ τὴν ὁδὸν, τὴν εἰς οὔλμαν φέρουσαν· τῶν μὲν εἰς πορευομένων, τῶν δὲ πάλιν ἐξερχομένων. ἔνθα ἀγαθὸς μέν τι ἀνὴρ ἤθελεν αὐτοὺς ὑποδέχεσθαι τὴν νύκτα· καὶ ποιεῖν ὅ, τι καὶ δύναιτ' ἂν ἀγαθόν. οἱ δὲ τῷ θεῷ θαρροῦντες, εὐθὺ τῆς πόλεως ἔσπευδον. ἤδη δ' ἑσπέρας οὔσης, καὶ αὐτῶν ὑπὸ τὰς νέας καλουμένας πύλας γινομένων, πολῖται παρίσταντο ἐν ὅπλοις. καὶ ἅμ' αὐτοῖς εἷς τῶν συγκλήτων, τὴν φυλακὴν αὐτῆς ἐμπιστευθέντες. διὰ γὰρ τὸ μήπω τὸν αὐτοκράτορα ἐλθεῖν, οἱ οὐλμαῖοι τὰς πύλας ἔτι ἐφύλαττον. δὴ τότε τῶν ἐνόπλων τις, νικόλεως τενδέλιος ὄνομα, κεραμεὺς ὤν, καὶ τοῦ μου πατρὸς φίλος, προσελθὼν, ἆρα σὺ, φησὶν, εἶ ὁ ἐμὸς μαρτῖνος, ἢ οὔ; ἐθεᾶτο γὰρ αὐτὸν ἄνευ πίλου ὄντα, καὶ χωρὶς ὑποδημάτων τῷ πηλῷ ἐμβάντα, καὶ πάμπαν ἐλεεινὸν ὑπάρχοντα. εἰπὼν δ' αὐτοὺς, ὅτι ἐκεῖνός εἰμι, συνεστώτων τῶν ἄλλων, καὶ ἀκούειν ἑτοίμως ἐχόντων, τὰ περὶ αὐτὸν διηγεῖτο. τότε ὁ τενδέλιος ἐκέλευσεν αὐτοὺς εἰς τὴν αὐτοῦ οἰκίαν ἀπιέναι· ὡς καὶ αὐτοῦ μετὰ μικρὸν ἐλευσομένου. διότι γὰρ εἴη σχεδὸν νὺξ, ἄλλους τὴν φυλακὴν τῶν πυλῶν διαδέχεσθαι μέλλειν. αὐτοὶ δὲ, πρῶτον μὲν παρὰ ἀγνήτι φρικκίνῃ, χήρᾳ ἀμωμήτῳ, ἐξενίζοντο· ἧς ἀνδρὸς, ἕως ἔζη, φιλίᾳ μεγίστῃ παρὰ πάντα κεχρημένοι χρόνον ἦσαν, ὅπου μικρὸν αὖθις ἑαυτῶν γενόμενοι εἶτα παρὰ ἰωάννῃ ἐσλιγγήρῳ κεραμεῖ, ἐπιτηδείῳ καὶ φίλῳ μάλιστα ἐκ παντὸς χρόνου γινομένῳ κατήγοντο. οὗτος δὲ, καὶ ἡ αὐτοῦ γυνὴ, ἣ οὐ πολλῷ ὕστερον ἐπεβεβιώκει χρόνον, λοιμῷ πολλῶν χιλιάδων διαφθειρομένων, αὐτοῖς ἅπασαν προσφερόμενοι τὴν φιλανθρωπίαν διετέλεσαν. ἅμα μὲν γὰρ ἐπὶ τῷ συμβάντι αὐτοῖς ἐν τῇ ψυχῇ συνήλγουν· ἅμα δ' ὕδωρ, πρὸς τὸ τοὺς πόδας λύεσθαι ἐδίδοσαν· οἳ τῷ πατρὶ ὑπὸ τοῦ ῥίγους διωδήκεσαν· καὶ οὕτως ἦσαν διατεθειμένοι, ὥστε πολλοῦ χρόνου μόλις ἀναλαβεῖν ἔχει. ἅμα δὲ τροφὴν ἐπορίζοντο ἱκανήν· ἅμα δὲ τῆς ἰδίας κλίνης, ἐπειδὴ τὰς ἄλλας προκατειλήφεισαν ἰσπανοὶ, αὐτοῖς παρεχώρουν. ὥστε, ὅσῳ σπανιώτεροι κατὰ κινδύνους ἀληθινοὶ φίλοι εὑρίσκονται·

πίσω

p.443 πόσῳ δικαιότεροι τυγχάνουσιν ὄντες ἐπαινεῖσθαι, οἱ ἐν τοιούτοις καιροῖς γενόμενοι πιστοί. ὡς καὶ τὸν χρυσὸν, ὅτι μᾶλλον ὀλίγος, τῶν ἄλλων προτιμῶμεν μετάλλων. οὕτω δὴ μετὰ πάσης φιλοφροσύνης ξενισθέντες ἡμέρας πολλὰς, ὅπως τὴν ὑγίειαν ἀνακτήσαιντο, αὐτοῖς παρέμενον. συνέβη δὲ τότε τῇ ἑξῆς, τοῦ τε πατρὸς, καί τινων ἄλλων, οἶνον παρὰ ἰωάννῃ βουλκεσαίνῳ ἐκκλησιαστῇ σὺν ἀγάπῃ καὶ συμπαθείᾳ πινόντων· ἐλθεῖν ἐκεῖσε καὶ γεώργιον, τὸν τοῦ χαρεσήτου πάροχον. οὗ πέρι μέμνημαι καὶ πρότερον. ἥδοντο μὲν πάντες ἕνεκα τούτου. αὐτὸς δὲ διηγεῖτο τοὺς ἑαυτοῦ κινδύνους, καὶ τὴν σωτηρίαν. ἔφη γὰρ, ἐν τῇ ἑαυτοῦ κώμῃ πρὸς ἰσπανῶν ἁλῶναι, ἀλλ' ὅμως οὐ γνωρισθῆναι· καὶ δὴ τοῦ ἑαυτοῦ τρίβωνος μέλανος ἀποστερηθεὶς, καὶ πληγὰς ἱκανὰς λαβὼν, εἶτα ἀφεθῆναι. διὰ τοῦτο ἐν αὐτῇ νυκτὶ ἐκείνῃ παραγενέσθαι πρὸς τὸν ἑαυτοῦ κηδεστὴν, ὑποδηματοποιὸν ὄντα ἐν νελλίγγῃ καὶ διότι καὶ αὐτόθι γερμανικαὶ φρουραὶ διατρίβοιεν. καί τινες αὐτῶν ἐν τῇ οἰκίᾳ τοῦ κηδεστοῦ ἕωθεν ἅμ' αὐτοῖς, τὴν λόγχην ἑνὸς βαστάζων, εἰς τὴν πόλιν ἐλθεῖν. καὶ ταῦτα μὲν, ὧδε. ἐκεῖνο δὲ θαυμάζειν τῶν μου γονέων ἄξιον. ἐπειδὴ τοσαυτάκις παρὰ ἰσπανῶν ἀπεσυλήθησαν· ὅμως οὐκ ἀφαιρεθῆναι τὸν πατέρα τοῦ τε χιτῶνος, οὐκ ὄντος φαύλου· καὶ τοῦ ἐλαφείου θώρακος, εἰς ὃν χρυσίδιόν τι ἐρράφθαι ἔφην. οὐδὲ τὴν μητέρα ἀποβαλεῖν, ἢ τὸν χιτῶνα, οὐ καταφρόνητον ὄντα. ἢ τόν γε τοῦ πατρὸς δακτύλιον, ᾧ πρὸς τὸ ἐπισφραγίζειν χρῆται· καί τινα χρήματα ἃ δύω πρὸς τοῦ πατρὸς ἐν τῇ κρύπτῃ λαβοῦσα, ὑποκόλπια ἔφερεν. ἢ καὶ τελευταῖον τὸ ἐγχειρίδιον, ἔχον τι ἀργύρειον· ὃ ὑπὸ τοῖς ἱματίοις ἦν κεκρυφυῖα. οὐδὲ δὴ ἐφικτόν ἐστι λέγω ὅσων πεπείρανται συμφορῶν· οὐ μόνον κατὰ τὸ τοὺς ἄρχοντας ἡμῶν ἀναζευγνύειν, ἀλλὰ καὶ πρότερον, εὐθὺς τοῦ πολέμου συνισταμένου. οὐ μὴν ἀλλὰ ὀδυνότερα τῇ μητρὶ συμβῆναι νομίζω. τοῦ γὰρ πατρὸς οὐκ ἐπιδημοῦντος, πολλάκις δεινῶς, ὑπὸ γερμανῶν καὶ ἰσπανῶν, περιυπηλακίζετο καὶ ἐτύπτετο. τὰ μὲν χρήματα· τὰ δὲ τροφὴν, τὰ δὲ οἶνον δοῦναι προσταττόντων. καὶ ταῦτα, πρότερον οὐδενὸς ὑπὸ τῶν φθασάντων λοιποῦ γενομένου· καί τοι κἀκείνου ἄξιον μεμνῆσθαι· ἐξ οὗ ἐναργέστατα φανερός ἐστιν ὁ θεὸς σώζων, οὓς φιλεῖ· πολλάκις διὰ τούτων, ἃ πάνυ εὐκαταφρόνητα, κατά γε τὸ ἀνθρώπινον

ſolebant, eis concedebant: vt, quo pauciores veri inueniuntur, in periculis & ærumnis amici: hoc maiorem laudem debeant ii ferre, qui tali tépore ſeſe officioſos præſtiterunt: vt etiam aurum, quo minor eius copia eſt, eo cæteris metallis magis antefertur. Quorum hominũ prolixa benignitate parentes adducti: dies poſtea complures ibi curandæ valetudinis cauſa manſerunt. Poſtridie autem tunc a meridie, cum pater aliique nonnulli, apud Eccleſiaſten Io. Wolckeſteinium (quem mortuum, honoris cauſa nomino) colloquio & vino ſe reficerent; venit eodem Georgius parochus Scharestetenſis: de quo multa antea ſcripſi. Eius aduentus exoptatus admodum omnibus erat. Is exponebat, quibus in periculis fuiſſet: & quemadmodum ſe ab his vindicaſſet. Se in vico ſuo captum ab Hiſpanis fuiſſe: ſed non cognitum ab illis pallio ſuo nigro ſpoliatum: poſtremo bene pulſatum, tamen dimiſſum fuiſſe. Itaque eâdem nocte ſe ad affinem quendam ſuum ſutorem veniſſe Nellingam, quoniamque ibidem quoque Germanorum ſtationes fuiſſent: at eorum nonnulli, in domo affinis: mane cum eis portantem vnius haſtam, Vlmam perueniſſe. Illud in meis parentibus mirandum, cum toties ab Hiſpanis fuerint ſpoliati: retinere potuiſſe tamen patrem tunicam, quæ non mala fuerat: & thoracem ceruinum, in quo ſupra dixi aliquot aureos inſutos fuiſſe: nec matrem amiſiſſe aut tunicam, quæ ſane bona; aut annulum patris ex argento, quo annulo in literis obſignandis vtitur: & nonnihil pecuniæ: quas res in crypta a patre acceptas in ſinu occultarat: aut pugionem aliquid habentem argenti; quem ſub veſtibus geſtarat. Nec ſatis dici poteſt: quid acerbitatis & miſeriarum, non ſolum poſt diſceſſum noſtrorum principum: ſed etiam ante, bello recens exorto, perpetiendum eis fuerit. Grauiora tamen matri accidiſſe exiſtimo: quod abſente patre maximis ſæpe conuitiis & verberibus a Germanis Hiſpaniſque militibus afficeretur: cum nunc pecuniam flagitarent; nunc cibum; nunc vinum: idque cum ab iis, qui antea adfuerant, reliqui factum nihil eſſet. Illud, inprimis, memorabile: in quo apparet: quam Deus conſeruet ſæpe ſuos rebus iis: a quibus auxilium humana ratio non ſpe-

Die Dominico. Ioan. VVolckeſtein.

Georg. paſtor Scharestet.

In infortuniis fortuna.

Matris afflictiones.

ſperaret: vt tum accidit. Nam quodam tempore, cum Hiſpanus aliquis cingulum collo eius iniecisset: arcteq; comprimens magna voce pecuniam poſtularet: ipſaq; iamiam vocem miſſura, & omnia monſtratura eſſet: canis, qui in lectulo recubabat, deſiliens: crus Hiſpani mordicus apprehendit: nec prius deſtitit; quam ille dolore commotus, gladium in canem ſtringeret: qui primum ſub lectulum, poſt ſe foras eiecit incolumis; mater etiam tantum ſpatii nacta, vt proſilire poſſet, ſalutem ſibi peperit. Eum canem illius fidelitatis ergo etiam nunc parentes alunt. Alio etiam tempore, item patre abſente; cum metu venturorum militum ſupellectilem, quā poterat, alio conferendam in plauſtrum conniceret: aliquot bombardarum ſonitus ex[illegible] & in propinquo animaduerſi ſunt: Poſtea compertum eſt, hoc factum [illegible] quibusdam incolis, & hos ictus [illegible] vt ea [illegible] ſublata, il[illegible] in ſuum commodum conuerterent. Denique [illegible] coacta fuit profugere domo propter hominum [illegible]: qui interea pecus, veſtem & alia, quæ inueniebant, eripiebant. Domus [illegible] fœdata, libris [illegible] contrita, cæteris q; rebus exinanita. Sed redeo ad [illegible]lingerum. Ab eo parentes [illegible] ipſis propter Hiſpanos amplius non eſſet: ad Wolckeſteinium ſe contulerunt: atque quamuis nec illius domus ab Hiſpan. vacua eſſet, ad decem hebdomadas cum eo, ſuo ſumptu vixerunt. In ſequenti tempore, cum Cæſar in Saxoniam Vlma profectus eſſet: ſe Lucenhuſam receperunt: domoque purgata, ad tempus ibi conſtiterunt, quanquam non ſine timore: præſertim poſtea quam capto duce Electore Saxoniæ, Auguſtam Vindelicorum cum exercitu victore Cæſar rediit: paſſimq; copiæ vltro citroq; profectæ fuerunt: quo tempore etiam non raro cedere cogebantur. Poſt id tempus cœpta eſt, aſtuta quædam, tetraque bellua procreari, & in lucem edi: quæ cum alias gentes, tum inprimis Sueuorum, miſere depaſcit: ac niſi aliquando huic aliquis Hercules inuentus erit: qui claua nodoſa eam conficiat: plurima adhuc damna dabit. Interim Cæſar Vlmam reuertit. Proximo die quam reuerterat, concionatores Vlmenſium 5.

Canis fidelitas.

Non Vicinus à Vicino tutus.

Bibliothecæ laceratio.

λεηλάτησις βιβλιοθήκης [illegible]

VVolckeſtein.

Φιλέζ[illegible]

Bacchanalibus.

Ioan. Frid Saxo. Auguſta.

1548. in Iulio, Interim.

λογισμὸν, ὄντα τυγχάνει· ὡς καὶ τότε συνέβη p.444 καὶ γὰρ ποτε ἰσπανοῦ τινὸς τῷ τραχήλῳ αὐτῆς ζώνην ἐπιβαλόντος, καὶ μεγάλῃ φωνῇ χρήματα αἰτοῦντος· αὐτῆς [illegible], καὶ φωνὴν ἀφιέναι μελλούσης· ὁ οἰκιακὸς κύων τοῦ κλινιδίου ἀποπηδᾷ· καὶ σκέλος τοῦ ἰσπανοῦ δάκνει· οὐδὲ [illegible] ἐγκείμενος καὶ ξίφος, παύεται· πρὶν ἐκεῖνον ὑπὸ τῆς ἀλγηδόνος [illegible] ἀχοληθέντος, ἥ τε μήτηρ καὶ ὁ κύων, ἐκπηδῶντες, τυγχάνουσι σωτηρίας. ἧς ἕνεκα πίστεως ἔτι [illegible] νῦν οἱ γονεῖς τὸν κύνα τρέφουσιν. ἔτι δὲ κατ' ἄλλον καιρὸν, τοῦ πατρὸς [illegible] αὐτῆς ἕνεκα τῶν ἐπελευσομένων στρατιωτῶν ἐφ' ἅμαξαν ἐκ τῆς οἰκίας σκευαγωγούσης, ἦχοί τινες [illegible] ἐν τοῖς ἔγγιστα [illegible], εἶτα φανερὸν ἐγένετο, πεποιηκέναι τοῦτο [illegible] τῶν ἐνοικούντων τὴν κώμην. [illegible] αὐτὴν ἀπολογήσαντος, τὰ ὑπάρχοντα [illegible] τέλος δὲ, πολλάκις εἰς ἀνάγκην ἐνέπεσεν, ἐκφυγεῖν τῆς οἰκίας (τηλικαύτη [illegible] ἀνθρώπων) ἐν [illegible], ἄλλα τα [illegible]. ἡ οἰκία πανταχόθεν [illegible] βιβλία [illegible] διεσκεδασμένα, καὶ [illegible] τὰ λοιπὰ ἀφῃρημένα. [illegible] ἐπανέρχομαι παρ' οὗ [illegible] ἐπὰ λοιπὸν οἱ γονεῖς οἱ ἰσπανοὺς μᾶλλον πρὸς τὸν βουλκεστάινιον ἦλθον· καὶ παρέμενον αὐτῷ ὡσεὶ ἑβδομάδας δέκα ἀπὸ ἰδίων ἀναλωμάτων. [illegible] τοῦ αὐτοῦ οἰκίας κενῆς ἰσπανῶν [illegible] τοῦ αὐτοκράτορος ἐξ οὔλμης ἐπὶ σαξονίαν ὁρμησαμένου· πάλιν οἴκαδε ὑπέστρεψαν· καὶ τὴν οἰκίαν καθαίροντες μέχρι του· κατέστησαν ἄνευ φόβων, ἔμειναν. καὶ μάλιστα, ἐπειδὴ τοῦ στρατοῦ εἰς αὐγούσταν ἐπανῆλθεν ὁ αὐτοκράτωρ· ἄγων τὸν τῆς σαξονίας ἐκλέκτορα, κατὰ τὴν μάχην αἰχμάλωτον γενόμενον, ἐν ᾧ καιρῷ, στρατιωτῶν, τῶν μὲν ἀπερχομένων, τῶν δὲ προσιόντων· οὐκ ὀλιγάκις ὑποχωρεῖν ποι ἀναγκαίως εἶχον. μετὰ ταῦτα, πανοῦργόν τι καὶ φοβερὸν ἀπεκυήθη θηρίον. ὃ νῦν μὲν πολλὰ κακὰ ποιεῖ πλείονα δ' ἔτι ὕστερον [illegible] μὴ θεόθεν τὸ λυσσῶδες ὁρμῆς ἐν βραχεῖ ἀποκρουσθῇ. μεταξὺ μὲν ὁ αὐτοκράτωρ εἰς οὔλμαν ἐπανήκει· τῇ δ' ἐφεξῆς ἡμέρα, πέντε τῶν οὐλ-

μαίων

p.445. μαίων ἐκκλησιαςῶν ἁλίσκονται· διότι τῷ θηρίῳ ἠναντιοῦντο. εἰσὶ δ' οὗτοι. μαρτῖνος Φρέχθος, κορυφαῖος αὐτῶν· μαρτῖνος ῥαβῆρος. βοναβεντοῦρας ςαλτζῆρος, γέρων. ἰάκωβος σπιέσσιον καὶ γεώργιος Φιέσσιος. ἅμα δ' ἡλίσκετο τούτοις Φρέχθου ἀδελφὸς ὑποδημάτων ποιητής. διότι προσδραμὼν, συλληφθέντα τὸν ἀδελφὸν παρμυθήσατο. ἀπήχθησαν σύμπαντες εἰς κίρχαν τοῦ βουιρτεμπεργιοῦ δουκός· ὅπου μιᾷ συνδεθέντες ἁλύσει, μετὰ πολλὰ λυπηρὰ, τελευτῶντες ἐπὶ δόσει χρημάτων ἀπελύθησαν μὲν, οὐ μέντοι γ' ὧν ἀεὶ πεφρονήκεσαν ἀπέστησαν. τούτων μὲν οἱ ἄλλοι διεσκοπίσθησαν ἄλλοσε. ὁ δὲ Φρέχθος ἐν τυβίγγῃ κατὰ τόνδε τὸν χρόνον [illegible]. ἐν τῇ ἀκαδημίᾳ προεςὼς τῶν νέων· οἳ παρὰ δουκὸς χριστοφόρου πρὸς θείους τ[illegible] λόγους. οὓς πιστότατος ὁ ἀνὴρ αὐτοῖς διασαφ[illegible]. ὃς πάντα μὲν τὴν πρὸ τοῦ χρόνου εὔνοιαν [illegible] γονεῦσί μου κἀμοὶ διετέλεσεν ἔχων· κατὰ δὲ τοὺς ἄνω μῆνας, ὅτε δι' ἐκείνης τῆς πόλεως [illegible], πᾶσαν φιλανθρωπίαν ἐνεδείξατό μοι, καὶ [illegible] μ' ἀγαθῇ ὠφέλησε. τότε δ' οὖν, ὡς ὁ πατὴρ ἐκείνους ἐπυνθάνετο συλληφθῆναι, [illegible] λαυ[illegible] μετὰ ἰωάννου μακκ[illegible] λαυνεσυνῃ παροίκου γεγονότος, εἰς [illegible] [illegible]λισμα τοῦ βουιρτεμπεργίου, [illegible] τῷ καιρῷ ὑπὸ ἱππέων οἴκοι ξυλληπ[illegible]. μετὰ δ' ἡμέρας ὀκτὼ, αἷς [illegible] παρὰ ἐκκλησιαστῇ [illegible] γεγονὼς, αὐτός τε καὶ ἄλλοι [illegible], εἰς λουκ[illegible] ἐπανῆλθεν [illegible] τα [illegible] ἀφικ[illegible] κρατ[illegible] καὶ ἐκ[illegible] ἀπιόντας, προπέμψαι ἀσφαλ[illegible] τὸ πλεῖστον [illegible] ἡμέρας ἑπτά. οὐ πολὺ μετὰ ταῦτα, [illegible] κατὰ τὴν τῶν οὐλμαίων χώραν ἐκκλησιαστῶν, εἰς τὴν πόλιν ἐκλήθησαν ὑπὸ τῆς συγκλήτου. ὡς δὲ συνήχθησαν, αὐτοῖς προσηχθὲν τὸ θηρίον ἐκεῖνο. καὶ προὐτέθη, ὅπως οὐ μόνον οὐκ ἀποστραφεῖεν αὐτὸ, ἀλλὰ καὶ θρέψαιεν, καὶ [illegible]σαιεν, καὶ κοσμήσαιεν, καὶ παντὶ τρόπῳ αὐτοῦ ὑπερμαχήσαιντο. μηδ' ὁτιοῦν εἰς αὐτὸ ἀκόντιον ἀφεῖεν. παραιτουμένοις δὲ καὶ ἀντιβαίνουσι, ἐπὶ τρὶς αὐτὴ ἐδόθη ἡ αἵρεσις. καὶ μάλιστα δὲ τὸν πατέρα ἐκβιάσαντο [illegible] ἐποιοῦν-

capti sunt: quod illius bestiæ fuerant aduersarii. Hi fuerunt Mart. Frechthus, S. Theol. Licent. princeps Vlmensium concionator, reliqui, Mart. Rauberus, Bonauent. Steltzerus, senex, Iac. Spiessus, & Georg. Fiessius. Captus est vna cum his, frater Frechti sutor: propterea quod accurrens, captum fratrem consolatus erat. Abducti sunt omnes in ditionem ducis Wirtemb. & in oppido Kircha, in vnam coniecti catenam. Ibi in squalore & mœrore longo versati, tandem se pecunia redemerunt: nec tamen sententia pristina destiterunt. Eorum alii loca alia, vitæque genus aliud secuti sunt. Frechthus hoc tempore Tybingæ viuit: in Academia ab illustrissimo principe Christoph. præfectus iuuenibus qui principis liberalitate ad studium diuinarum literarum aluntur: quas pro eruditione sua, magna cum laude explicat. Qui cum omni tempore optime de parentibus meis & me est meritus; tum proxime superioribus mensibus, cum illac transirem, humanissime me est complexus, consilioque iuuit. Tum autem cum pater nos, de quibus dixi, captos [illegible] diret: qui eo tempore Lucenhusæ erat: pa[illegible] [illegible] cum Io. Macco, qui Ecclesiæ La[illegible] præfuerat, in ditionem Wirtem[illegible] in oppidum Heidenheim contulit. Quo interea tempore ab equitibus domi quæsitus est. Post 8. dies, quibus Heidenheimi apud Ioannem Wircemburgerum, verbi Dei ministrum, fuerat: quo etiam alii presbyteri confugerant, Lucenhusam reuertit. Ibi vnam tantum noctem commoratus: Postero die confestim Vlmam iuit: propterea quod ii, qui Cæsarem abeuntem, Electoremque curru asportatum, prosecuti fuerant, magna ex parte redirent. Ibi mansit septem dies. Non multo post omnes Vlmensis agri concionatores in vrbem a Senatu accersiti. Iis, cum conuenissent, adducta est illa, quam dixi, bestia. Propositum est, vt non tantum non eam auersarentur: sed etiam Deum & sanctos omnes iurarent, se eam alituros, pexuros, ornaturos, defensuros, nec vllo modo telum vllum in eam coniecturos. Tergiuersantibus & renuentibus, tertio ea conditio lata. Ac præcipue patri institerunt, quod is esset vnus

Concionatores capti.

Kirchaiecta.

Mart. Frechthus, Tybingæ. Stipendium illustre.

IV. Cessio Heidenheimum. Ioan. Maccus.

Io. VVirtzburger, ἀνὴρ ἀγαθὸς καὶ εὐπαίδευτος. V. Cessio, Vlmam.

Interimens absque ens. Χριστοῦ ὁ ἀεὶ [illegible] τετυχ[illegible], τῷ καὶ οὔτι πολὺν χρόνον ἱερεὺς ἔμπεσον [illegible].

ex iis, qui reliquorum doctrinam & mores, attenderent. Ita vti per Deum eos obtestaretur pater; ne tale vinculum conscientiæ suæ iniicerent. Sed ex iis concionatoribus eo tempore fortiter reliqui sustinuerunt illum impetum: nouem tamen fuerunt expugnati. Itaque iis, qui repugnabant & perstabant, numero circiter

Tercia feria post Martini. quadraginta, abeundi potestas data est: ipsisque pro viatico vicenquini aurei donati. Qui in exilium proficiscentes, alii alia loca, pro eo ac poterant, petebant. Cæteris, qui bestiam colebant, ternæ, aut quinæ, aut senæ Ecclesiæ commissæ. Parentes

Noriberga. Heroltzberg. cum rebus suis Noribergam, & Heroltzbergam, aut alio, ad affines & amicos se contulerunt: & ita ad tempus vagando

Culmbach. sibi vitam propagarunt. Tandem Culmbachium in regionem Marchionis Alberti peruenerunt: atque post paulum

M. Othonis Corbe. VVartefels. commendatione Othonis Korberi, doctissimi viri, & aulici illic concionatoris, Wartenfelsium translati sunt: qui est pagus & arx amœna, in potestate nobilis &

VValdenfels. clari viri Wolffgangi Adolfi a Waldenfels: situs supra Culmbachium ad vnum & dimidium milliaria; in quo loco pater hoc tempore Ecclesiæ præest. Quos meos parentes anno hoc 1551. mense Maio inuisi: gratiaque Dei incolumes inueni. Postea Mense Iunio Argentoratum redii ad

VVerteri. Dominos meos Werteros, Philippum & Antonium, nobilitate & studio litterarum claros iuuenes; cum quibus iam quadriennium magna commoditate & otio in literis vixi: &, si Deo optimo maximo placitum erit, diutius cum eis manebo: operamque ipsis pro parte mea nauabo.

το. διὰ τὸ αὐτὸν εἶναι τῆς τῶν ἄλλων διδαχῆς καὶ βίου ἔφορον. ὥστε τελευταῖον πρὸς θεοῦ δεηθῆναι αὐτῶν, καὶ μαρτύρασθαι μὴ ἐπιβαλεῖν τῇ αὐτοῦ συνειδήσει τοιοῦτον βρόχον. οἱ μὲν οὖν ἄλλοι πάντες, ἀήττητοι διέμειναν. ἐννέα δὲ ἐξεπολιορκήθησαν. συνεχωρήθη δὲ, τοῖς μὲν ἐναντιωθεῖσιν, ἑκάστοις εἴκοσι καὶ πέντε φλωρήνους ἐφόδιον λαβοῦσι δωρεὰν, ὅποι βούλοιντ' ἂν ἀπιέναι. οἵτινες ὡς φυγάδες, ἄλλοι ἄλλοσι, ὡς ἕκαστος εἶχε δυνάμεως, ἐτρέποντο. οἱ δὲ λοιποὶ οἱ τὸ θηρίον προσκυνοῦντες κατὰ τρεῖς, ἢ τέτταρας, ἢ καὶ πλείονας ἐκκλησίας ἐνεχειρίσθησαν. οἱ δέ μου γονεῖς, ἔχοντες τὰ ἑαυτῶν, τὰ μὲν εἰς νωριμπεργίαν, τὰ δ' εἰς ἐρολξβέργιον, τὰ δ' ἄλλασε, πρὸς κηδεστὰς καὶ ἄλλους φίλους, παραγενόμενοι, οὑτωσὶ μέχρι του πλανηθέντες διεγένοντο. τὰ δὲ τελευταῖα, εἰς κουλμβάχιον τοῦ μαρχίωνος ἀλβέρτου ἐλθόντες, μικρῷ ὕστερον συμπράξαντος ὄθωνος κορβήρου, ἀνδρὸς ἐπὶ θείοις λόγοις εὐδοκίμου, καὶ αὐλείου ἐκκλησιαστοῦ ἐκεῖ ὄντος, εἰς βουαρτεφέλσιον μετῳκίσθησαν. αὕτη δ' ἐστὶ κώμη καὶ ἀκρόπολις καλὴ, ὑπὸ μὲν κυρίῳ, τῷ εὐγενεῖ τε καὶ ὀνομαστῷ βουολφγάγγῳ ἀδόλφῳ βουαλδεφελσῆθεν. ὁδὸν δ' ἀπέχουσα κουλμβαχίου, μίλιον ἓν καὶ ἥμισυ. ἐν ταύτῃ νῦν ὁ πατὴρ τὴν ἐκκλησίαν διοικεῖ. τοὺς μὲν δὴ γονεῖς μου ἔτει τῷδε, τῷ α φ ν α. μηνὶ μαΐῳ ἐλθὼν, ἔτι σὺν θεῷ εὗρον. εἶτα δ' ἐν ἰουνίῳ εἰς ἀργεντίνην ὑπέστρεψα πρὸς φίλιππον καὶ ἀντώνιον βερτήρους, νέους εὐγενείᾳ τε καὶ περὶ παιδείαν φιλοτιμίᾳ προέχοντας πολλῶν τῆς αὐτῆς τάξεως. οἷς ἤδη διὰ τετραετίας ἐπὶ πολλῇ καὶ καλῇ σχολῇ συνέζησα· καὶ ἐπιπλεῖον δὲ, ἣν τῷ θεῷ δόξῃ, τὰ εἰς ἐμὴν δύναμιν ἥκοντα αὐτοῖς ὑπηρετήσω.

SIMONIS STENII
VITA
MAVRITII, SAXONIAE ELECTORIS.

LECTORI BENEVOLO

S. D.

BURCARD GOTTHELF STRUVE.



*Magnus inter Germaniæ Principes erat Mauritius, qui primus in Albertinam prosapiam Electoralem intulit dignitatem. Hinc, non immerito laudes ipsius & elogia plures enarrant. Vt enim taceamus Sleidanum, Chytræum, Thuanum, Hortlederum, Pontum Heuterum, Ioachimum Camerarium in Vita Melanchthonis, Seckendorfium, aliosque, qui in ipsius occupati fuerunt gestis, separatim quoque Eiusdem Historiam vel alii scripserunt integram, vel gesta quædam singularia illustrarunt. Inter illos Seckendorfio memoratur * Historia Mauritii MSta, quam Georgius Arnoldus, Chemnicensis, Iureconsultus egregius, & Cancellarius quondam Citicensis anno 1588 defunctus, conscripsit, cuius Germanicam versionem anno 1670. Dauid Schirmerus, cuius curæ olim Bibliotheca Electoralis fuerat commissa, adornauit. In Tomo secundo Orationum Lugubrium à Simone Schardio editarum, continentur Orationes in obitum Mauritii, in æde Paulina Lipsiensi, anniuersariæ Memoriæ ergo habitæ, vtpote Ioachimi Camerarii, Ernesti Poccii, Ernesti Vogelini, Sebastiani Rosleri, Iacobi Strasburgii, Michaelis Barthii, Gregorii Bersmanni, Io. Schirmeri, Balthasaris Gutleri, & demum vltima, decimo post Mauritii mortem anno recitata, qua potissimum Monumentum ipsius sepulcrale describitur. Integrum hoc in Conditorio suo Saxonico capite Tertio prolixe exposuit Dauid Schirmerus. Aliud vero ipsi nos exhibuimus in fasciculo Tertio Actorum Litterariorum Tomi secundi. Illustrantur quoque Mauritii Acta ex Historia arcana trium Saxoniæ Electorum, quam ex* MSto *primum protractam atque Tomo secundo Obseruationum Germanicarum Halensium videmus insertam, cuius Auctor reputatur vel Guilielmus Reiffensteinius, Quæstor Stolbergensis, vel Matthæus Ratzenberger, Medicus Electoralis Saxonicus. Ad gesta Mauritii specialia alii faciunt Scriptores. Talis est Nicolaus Mameranus, qui Inuestituram Regalium atque Dignitatis Electoralis singulari scripto exposuit. Historiam Belli Magdeburgensis a Mauritio Electore gesti, enarrauit Sebastianus Besselmeyer. Thomæ Wintzeri habemus Historiam infelicis pugnæ inter Mauritium, Saxoniæ Electorem, & Albertum, Brandenburgicum Marchionem, vna cum Mauritii funeris ac sepulturæ descriptione. Hæc singula in Schardii Tomo secundo reperiuntur. Accesserunt Georgii Fabricii, aliorumque in eum Epigrammata, vna cum Ioachimi Camerarii in funere ipsius Lipsiæ habita Oratione. Inter Wittebergensium Orationes** extat Ioannis Maioris Ioachimi Oratio de Mauritio, ligato sermone conscripta. Nec minus æstimandæ sunt Io. Friderici Brandtii Misnensium Equitis illustris Vindiciæ Mauritianæ, *** quas in hac Academia, Præside Oswaldo Hilligero, adseruit, quibus ipsum Mauritium ab iniuriis Io. Bodini, Eiusdemque expeditionem aduersus Cæsarem susceptam strenue defendit. Idem institutum est Cornelii Crullii in Vindiciis Mauritianis, siue de Iustitia belli Saxonici Mauritiani, dum discursum istum autoris Autonomiæ & Iurisconsultorum Dillingensium calumniis opposuisset.**** Post hosce memoratos, Eiusdem Belli Historiam æque ac Iustitiam singulari schediasmate exposuit Io. Christophorus Bartensteinius.***** Hæc ipsa autem Historia a Stenio descripta, licet notiora saltim contineat Mauritianæ Historiæ monumenta, fide tamen digna est, & accurata.*

VITA

* *Hist. Luther. lib. I. §. VI. add. I.*

** *Tomo V. p. 697.*

*** *Ienæ 1617. 4.*

**** prodiit *Lipsiæ 1631. 4.*

***** *Argentorati 1710. 4.*

VITA
FORTISSIMI ET LAVDATISSIMI DVCIS
MAVRICII
SAXONIÆ QVONDAM ELECTORIS,

Græce conscripta ac in Latinum sermonem conuersa

A

SIMONE STENIO, Lomacensi.

ILLVSTRISSIMO PRINCIPI AC DOMINO

D. FRIDERICO IV.
COMITI PALATINO, DVCI BAVARIÆ, ELECTORI,

DOMINO SVO CLEMENTISSIMO

FAVSTVM NOVI ANNI AVSPICIVM
PRECATVR
SIMON STENIVS.



Ntuens ego in pericula, quæ Germaniæ imminent tum ab Othomanica potentia, tum à Pontificia, sæpe recordor Mauricii Saxoniæ quondam Electoris, cuius virtute vtramque à ceruicibus nostris depulsam esse qui negat, & inuidum se is & ingratum fateatur necesse est. Quibus vitiis haud scio an laboret Flaciana factio, quæ vt viuentem probris insectata fuit, sic mortuo etiam nunc obtrectat, eodem animi morbo, & eadem criminandi libidine, qua vsa est & vtitur in vita & manibus exagitandis laudatissimi Electoris Christiani, cui Mauricius patruus fuit. Cæterum turpe credo sit illos diligentiores esse in optimis principibus deformandis, quam nos in iisdem ornandis. Atque hæc causa me impulit, vt rerum à Mauricio gestarum breuem synopsin complecterer ex Panegyricis doctissimorum & disertissimorum virorum narrationibus decerptam. Quam strenulæ loco, illustriß. Elector, ad tuam Celsitudinem mittendam esse duxi ea gratia, quod viderem, tempora hæc Mauricianis non esse dissimilia, & difficultates easdem propemodum in pari rerum Germanicarum perturbatione, & maiorum confusionum metu, initio gubernationis tuæ offerri. Ex quibus omnibus vt feliciter te, quemadmodum superiori anno, sic & hoc, quem modo auspicamur, & sequentibus, expediat omnipotens & misericors Deus, & ego precor & mecum omnes boni. Dab. Calend. Ian. Ann. 1593.



p.448

VITA MAVRICII SAXONIÆ QVONDAM ELECTORIS, &c.

Græce ac Latine conſcripta.

NE noſtra quidem ætas (vt verbis Græci cuiusdam vtar) expers eſſe debuit virorum memorabilium. Dico autem hoc tum ad alios reſpiciens, tum ad Mauricium ducem quondam & Electorem Saxoniæ. Ac de aliis quidem literis proditæ narrationes extant & fortaſſe extabunt aliorum. De Mauricio vero etſi multorum eruditionis & ſapientiæ laude celebrium & verſus & orationes legimus: non tamen omnino indecorum exiſtimo, a nobis etiam aliquid commemorari, duabus de cauſis: quarum prior eſt, vt memoria ipſius ad poſteros propagetur, quantum in me eſt, qui inſtitutionis & diſciplinæ ratione pulcerrimo beneficio ab ipſo affectus ſum (quippe primis pueritiæ annis in illuſtrem & celebrem Miſenæ ludum pietati & Muſis a Mauricio conſecratum, ipſo adhuc viuente receptus) altera vt ex iuuenibus generoſiſſimi quique & nobiliſſimi fortitudinis & bellicæ gloriæ decus ſpectantes, non tantum priſca & externa exempla habeant, quæ æmulentur, verum etiam noſtræ ætatis domeſtica tanquam normam & regulam ſibi proponant, ad quam ſeſe ipſi conforment. Ac primum quidem de maioribus nobiliſſimis & ſuæ ætatis celeberrimis, ſuperuacaneum fuerit multum verborum facere, atque ea colligere, quæ plerisque nota ſunt qui vel ex-

Ἔμελλεν ἄρα μηδὲ ὁ καθ' ἡμᾶς βίος, ὥστε χρήσασθαι ἐμὲ τοῖς ἕλληνός τινος ῥήμασιν, ἄμοιρος ἔσεσθαι ἀνδρῶν λόγου μνήμης ἀξίων. λέγω δὲ εἴς τε τοὺς ἄλλους ἀναφέρων, καὶ μάλιστα εἰς μαυρίκιον ἄρχοντα τῶν ἑπτά ποτε καὶ ἡγεμόνα τῶν σαξόνων γενόμενον. περὶ μὲν οὖν τῶν ἄλλων γέγραπταί τε καὶ δεδήλωται τοῖς ἄλλοις. περὶ δὲ μαυρικίου, εἰ καὶ πολλοὶ τῶν ἐπὶ παιδείᾳ καὶ σοφίᾳ διαβοήτων ποιήματά τε καὶ λόγους κατέλιπον, οὐ μὴν πάνυ ἀπρεπὲς ἡγησάμην καὶ ἐμὲ διελθεῖν τι, ἀμφοῖν ἕνεκα. ὡς ἐκεῖνός τε διὰ μνήμης εἴη τοῖς ἐπιγινομένοις, τό γε κατ' ἐμὲ, εἰς τὰ κάλλιστα ὑπ' αὐτοῦ εὐεργετηθέντα ὅσον εἰς παιδείας ἀφορμὴν (καὶ γὰρ κομιδῇ παῖς ὢν εἰς τὸ περιφανὲς καὶ ἀοίδιμον τῆς μισένης διδασκαλεῖον, τῇ τε εὐσεβείᾳ καὶ ταῖς μούσαις ὑπὸ τοῦ μαυρικίου καθιερωθὲν, ζῶντος ἔτι αὐτοῦ ἀνελήφθην) καὶ οἱ γενναιότατοι καὶ εὐγενέστατοι τῶν νέων καὶ πρὸς ἀνδρείαν καὶ στρατηγίαν ὁρῶντες ἔχοιεν μὴ τὰ ἀρχαῖα μόνα καὶ ξένα τῶν παραδειγμάτων ζηλοῦν, ἀλλὰ καὶ τοῦ ἡμετέρου βίου οἰκεῖα οἱονεὶ κανόνα προτίθεσθαι, πρὸς ὃν σφᾶς αὐτοὺς ῥυθμίσαιεν ἄν. καὶ πρῶτον μὲν περὶ τῶν προγόνων εὐγενεστάτων καὶ ὀνομαστοτάτων τῶν καθ' ἑαυτοὺς γεγονότων περίεργον ἂν εἴη μακρολογεῖν συνείροντα ἐκεῖνα, ἃ πολλοὶ προεπίστανται τῶν καὶ ἄκρῳ φασὶ δακτύλῳ τῆς γερμανικῆς ἱστορίας ἐπιγευσαμένων,

p.454. μένων. τί γὰρ προπάππου ἐνδοξότερον τοῦ Φριδερίκου τοῦ δευτέρου; τίς ἀρετῇ τὸν πάππον ὑπερέβαλεν τὸν ἀλβέρτον, ὃν ἰννοκέντιος τῶν ῥωμαίων ἀρχιερεὺς διὰ τὸ μεγαλουργὲς ὀνομάζειν εἴωθεν δεξιὰν τῆς τῶν ῥωμαίων πολιτείας. καὶ Φριδερῖκον τὸν ξιφοφόρον, ὃν υἱὸν κατέλιπεν ὁ ἔρνεστος τοῦ ἀλβέρτου ἀδελφὸς, ἄρχοντα φρονιμώτατον γενόμενον ἀποθανόντος τοῦ μεγίστου αἰμιλιανοῦ τοῦ αὐτοκράτορος, εἰπεῖν φασιν, ὅτι οὐδένα ἄλλον διάδοχον ἐκείνου ὀνομάσειεν ἂν ὅτι μὴ θεῖον πρὸς πατρὸς τὸν ἄλβερτον, εἰ ζωὸς περιῆν. ὁ δὲ πατὴρ τοῦ μαυρικίου ὁ ἐρρῖκος, εἰ καὶ ὁ θεὸς οὐκ ἔδωκεν αὐτῷ ἐκ νεότητος καὶ εἰρηκες, ἀργαλέους πολέμους, εἰς δικαιοσύνην μέν τοι καὶ φιλαλήθειαν, καὶ φιλανθρωπίαν καὶ δὴ καὶ ἀνδρείαν τοσοῦτος ἐγένετο, ὅσοι περ ἐκεῖνοι, τούτου τοῦ ἐρρίκου αἰκαθαρίνης θυγατρὸς τοῦ ἡγεμόνος ἐνετῶν τοῦ λεγομένου τε καὶ ὄντος μεγάλου ἔκγονος ὢν ὁ μαυρίκιος, οὔτε τοῦ πάππου, οὔτε τῶν ἄλλων προγόνων καταδεέστερον ἑαυτὸν παρέσχεν ὡς ἐν τοῖς ἐφεξῆς γνωρίσομεν, ὑπογράψαντες πρότερον τὴν μορφὴν αὐτοῦ, καὶ τοι μὴ πάνυ γραφικοί τινες ὄντες. τὸ δὴ σῶμα εὐμήκης τε ἦν καὶ καλὸς, ἔχων ὡς ἀληθῶς κατὰ τὴν τραγῳδίαν εἶδος ἄξιον τυραννίδος, ὡς καὶ νῦν ἐπὶ τῶν ἀνδριάντων φαίνεται. τὴν χρόαν ἐρυθρὸς, ἡ κόμη ξανθὴ, καὶ ἀνδρὶ γενομένῳ ὑπόπυῤῥος, ὀφθαλμοὶ πολὺ τὸ γοργὸν καὶ ἔνθεον διεμφαίνοντες ἐς τοσοῦτον, ὥστε καὶ ὑπαναφύεσθαί τι ἐκ τοῦ εἴδους φοβερὸν, ὥσπερ ἀλεξάνδρῳ τῷ μεγάλῳ κατὰ τὸν αἰλιανόν. καὶ τοιόσδε μὲν τὴν μορφὴν μαυρίκιος. τῆς δὲ ψυχῆς οὐ κατὰ λόγων δύναμιν καὶ μάλιστά γε τῶν ἐμῶν ἐμφανίσαι τὴν εἰκόνα. τὸ γὰρ ἥμερον ἐν τῷ στεῤῥῷ, καὶ φιλάνθρωπον, καὶ φιλόστοργον καὶ τὸ ἀνέκπληκτον παρὰ τὰ δεινὰ τῇ συνέσει καὶ δεινότητι στρατηγικῇ συγκεκραμένον, καὶ δὴ καὶ τὸ ἐπιεικές καὶ ἀφελὲς καὶ τὸ πιστὸν κἄν τις συναγάγῃ εἰς τὸ αὐτὸ ἅπαντα, οὐχ ὅμως διατυπώσειεν ἂν τῷ λόγῳ καλλίστην τινὰ ψυχῆς κρᾶσιν ἐκ παντοίων ἀρετῶν συγκειμένην. περὶ ὧν διαλεχθεῖεν ἂν ἐπίδειξιν ποιοῦντες, ἀλλ' οὐχ οἱ τὸν βίον γράφοντες, οἷς που ἱκανόν ἐστι τὰ πλεῖστα ἐπιτέμνειν καὶ τῶν ῥητόρων παισὶ παραχωρεῖν τοῦ πάν-

tremis (vt dici solet) digitis Germanicas historias attigerunt. Quid enim proauo Friderico II. clarius? quis virtute superauit auum Albertum, quem Innocentius Romanus Pontifex propter rerum gestarum magnitudinem *dextram imperii manum* appellare solitus est. Et Fridericum Electorem, quem filium reliquit Ernestus Alberti frater, prudentissimum principem, mortuo Maximiliano Imperatore, dixisse perhibent, *se nullum alium successorem nominaturum fuisse, quam patruum Albertum, si tum superstes esset.* Pater autem Mauricii Henricus, etsi Deus non dedit ei ab adolescentia vsque ad senectutem τολυπεύειν, vt Homerus loquitur, ἀργαλέους πολέμους i. e. *tractare difficilia bella*; quod tamen ad iustitiam attinet & pietatem & amorem veritatis ac studium humanitatis, par illis fuit, etiam si fortitudinem spectes. Huius autem Henrici & Catharinæ filiæ ducis Henetorum & re & nomine Magni, Mauricius filius cum esset, neque auo se neque aliis maioribus inferiorem præstitit, vt deinceps ostendemus, vbi prius formam eius depinxerimus; etsi huius artificii non admodum periti. Corpore fuit procero & pulcro, forma fere digna imperio secundum tragœdiam, vt etiam nunc in statuis apparet. Colore rubro, coma flaua, quæ adultiori subrussa. Oculorum obtutus acer & viuidus adeo, vt etiam aspicientibus terribilis esset, quemadmodum de Alexandro Magno Ælianus scribit. Hæc de forma corporis: sed animi effingere imaginem nulla oratio poterit, & minime omnium mea. Mansuetudinem enim & constantiam, humanitatem, & ardentium amoris in suos affectionem, animum omnis pauoris inter pericula expertem, cui prudentia & solertia militaris comes esset, moderationem præterea & simplicitatem fidemque hæc omnia si quis in vnum colligat, non tamen expresserit pulcerrimum animi temperamentum. De quibus disserere poterunt ij, qui eloquentiam ostendant, non ij qui vitam scribunt: quibus satis est multa breuiter complecti, & elaborationem singulorum Rhetoribus relin-

Genus & parentes. Mich. Boemi vita Alberti.

Corporis habitus.

Mores.

relinquere. Vnde & nobis in præsentia visum est ea, quæ de Mauricio tradita litteris sunt, paucis comprehendere, initio narrationis sumto ab eo tempore quo viginti annos natus in administratione Reipublicæ parenti mortuo successit, cum antea vixisset in illustrissimis aulis patrui Georgii, & Alberti Episcopi Moguntini Electoris, & tandem Ioannis Friderici Electoris, agnati. Successit autem Mauricius patri in gubernatione tum, cum res admodum turbulentæ essent & inquietæ, propter seditiones, quibus committebantur inter se (vt etiam hac nostra ætate) religionis christianæ & salutaris doctrinæ fidei causa non solum Ecclesiarum præsides, sed etiam ipsi Principes atque adeo fæx plebis. In tanta igitur rerum omnium perturbatione Mauricius ad principatum euectus nihil antiquius habuit, quam puritatem fidei conseruare suis, ratus se non tam thesaurorum & regionis fertilissimæ, multitudineque hominum & pulcritudine vrbium ante alias admiratione dignæ hæredem factum esse, quam veritatis & pietatis paternæ, in certa persuasione ad salutem patriæ plus momenti habere diuini cultus exornationem, quam gestationem purpuræ, vel regii etiam diadematis. Paulo ante obitum Henrici patris duxit illustrissimi Chattorum principis Philippi filiam, ex qua suscepit filiolum Albertum, & filiam Annam. Albertus infans adhuc decessit: cuius mortem parens mollius quam virum fortem deceret, ferre visus est iis, qui putant neminem animosum & bellatorem merito haberi posse, qui non ingenio sit aspero, immiti atque adeo sæuo. Sed non Mauricius talis, nec priscus ille Agesilaus, nec alii heroes, qui ardentissimo amore suos complexi fuere. Si quid tamen vel nomine acerbitatis vel austeritatis notari potuit in moribus Mauricii, militariter potius quam ciuiliter educati, illud ipsum certo scio subito euanescet, si comparetur cum mansuetudine ipsius & humanitate ac eruditorum amore. Natura enim bellicosus ille cum propter occupationes tantam operam, quantam

Gubernatio.

Studiorum amor.

τα καθ' ἕκαστον ἐξεργάζεσθαι. τοιγαροῦν καὶ p. 451.
ἡμῖν τῷ παρόντι ἔδοξε διὰ βραχέων συμβιβάσαι τὰ ἱστορηθέντα περὶ τοῦ μαυρικίου, ἀρχὴν λαβόντας τῆς διηγήσεως ἀφ' οὗ ἔτη γεγονὼς εἴκοσι τὴν ἡγεμονίαν τοῦ πατρὸς ἀποθανόντος παρέλαβε, ζήσας πρότερον ἐν αὐλαῖς ἐπιφανεστάταις τοῦ τε πατραδέλφου γεωργίου, καὶ τοῦ ἀλβέρτου ἐπισκόπου μογουντίνου ἑνὸς τῶν ἑπτά, καὶ τὸ τελευταῖον τοῦ ἰωάννου φριδερίκου τοῦ ξιφοφόρου, ἀγχιστέως ὄντος. διεδέξατο δὲ τόδε ὁ μαυρίκιος τὴν ἀρχὴν ὁπότε τὰ πράγματα πολὺν σάλον καὶ κίνησιν εἶχε διὰ τὸ ἐκστασιάζεσθαι καὶ συγκρούεσθαι πανταχοῦ πρὸς ἀλλήλους τότε, ὥσπερ καὶ νῦν, ὑπὲρ τῆς χριστιανικῆς εὐσεβείας καὶ σωτηρίου διδαχῆς τῆς πίστεως, οὐ μόνον τοὺς προεστῶτας ἐν τοῖς ἐκκλησιαστικοῖς συλλόγοις, ἀλλὰ καὶ ἄρχοντας λαῶν καὶ ἰδιώτας ἠχυδαίους. ἐν τοσούτῳ οὖν ταράχῳ ὁ μαυρίκιος τὴν ἀρχὴν διαδεξάμενος τὸ εἰλικρινὲς τῆς πίστεως τοῖς ὑπηκόοις παραφυλάττειν περὶ πλείστου ἐποιήσατο, ἡγήμενος οὐ μόνον θησαυρῶν καὶ χώρας παμφόρου, πλήθει τε ἀνθρώπων καὶ κάλλει τῶν πόλεων ἐν ταῖς μάλιστα θαυμάζεσθαι ἀξίας, ἀλλὰ πολὺ μᾶλλον τῆς ἀληθείας καὶ εὐσεβείας πατρῴας κληρόνομος γενέσθαι, καὶ μεῖζον νομίσας πρὸς σωτηρίαν πατρίδος τὸ σεμνύνειν τὰ θεῖα ἢ ἐφεστρίδα φορεῖν καὶ διάδημα βασιλικόν. ὀλίγῳ πρότερον ἢ τελευτῆσαι τὸν πατέρα ἐρρῖκον ἔγημε θυγατέρα τοῦ περιφανεστάτου φιλίππου ἄρχοντος τῶν κάττων, ἐξ ἧς ἐγένοντο αὐτῷ υἱὸς ἄλβερτος καὶ θυγάτηρ ἄννα. ὁ ἄλβερτος βρέφος ἔτι ὢν ἀπέθανεν. οὗ τεθνηκότος ἐμπαθέστερον ἢ γενναιότερον ἐνεγκεῖν τὴν συμφορὰν ἔδοξε τοῖς οἰομένοις ὅτι οὐδεὶς ἀνδρώδης καὶ πολεμικὸς νομίζοιτ' ἂν δικαίως, ὁ μὴ ἄγριος ὢν καὶ πικρὸς τὸ ἦθος καί που καὶ ὠμός. ἀλλ' οὐ μαυρίκιος τοιοῦτος, οὔτε ὁ πάλαι ἀγησίλαος, οὔτ' ἄλλοι ἥρωες φιλοστοργότατοι γενόμενοι. καὶ δή που τὸ στρυφνὸν περὶ τὸ ἦθος καὶ τὸ αὐστηρὸν, εἴτι γέγονεν ἐν τῷ μαυρικίῳ, στρατιωτικῆς μᾶλλον ἢ πολιτικῆς παιδείας μεταλαβόντι, παραβαλλόμενον αὐτὸ τῷ ἡμέρῳ καὶ φιλανθρώπῳ, καὶ οὖν καὶ τῷ φιλομούσῳ, εὖ οἶδ' ὅτι ἐν ἀκαρεῖ ἀφανισθήσεται. φιλοπόλεμος μὲν γὰρ ὢν τῇ φύσει, καὶ ὑπ' ἀσχολιῶν, ἐφ'

p. 451 ὅσον ἦν πρόθυμος, ἀσκῆσαι τὴν φιλοσοφίαν καὶ μαθεῖν οὐκ ἐξικόμενος, τὴν παιδείαν ὅμως ἐτίμησεν τε οὕτω καὶ ἐθαύμασεν, ὥστε τὰς ἀκαδημίας οὐ μόνον ἐν τῇ πρότερον καταστάσει διασῶσαι, ἀλλὰ καὶ μεγαλοπρεπῶς αὐξῆσαι, λαμπρῶς, καὶ δαψιλῶς ἐπιχορηγήσαντα τὰ δέοντα, καὶ τρισὶ διδασκαλείοις ἡγεμονικοῖς ἐπιστήσαντα ἐλλογίμους ἄνδρας, τῆς τε χριστιανικῆς πίστεως καὶ ἑλληνικῶν καὶ ῥωμαϊκῶν μαθημάτων διδασκάλους. ἀλλὰ περὶ τούτων ἅλις. τῷ δευτέρῳ τῆς ἡγεμονίας ἔτει συνέβη διαφερομένους πρὸς ἀλλήλων τόν τε μαυρίκιον καὶ τὸν ἰωάννην φριδερῖκον ἐς τοσοῦτο φιλονεικίας προελθεῖν, ὥστε ἑκάτερον ὁπλίσαι δύναμιν ἐκ τῶν ἀρχομένων, καὶ εἰς τὸ αἷμα ἴσως ἐτελεύτησεν ἂν αὐτοῖς ἡ διαφορά, εἰ μὴ διέλυσεν αὐτὴν ὁ περιφανέστατος ἡγεμὼν τῶν κάττων ὁ φίλιππος πενθερὸς τοῦ μαυρικίου. τὴν αἰτίαν, ἀφ᾽ ἧς πρῶτον διαστήτην ἐρίσαντο κατὰ τὸν ὅμηρον ὁ πολὺς λέως φασὶ γεγενῆσθαι ἀμφισβήτησίν τινα περὶ πολίσματος βουρκίνης. οἱ δὲ χαρίεντες τὴν μοῖραν καὶ τὴν ἄτην ἣν καὶ ἀγαμέμνων παρ᾽ ὁμήρῳ αἰτιᾶται, αὐτὸν φάσκων οὐκ αἴτιον εἶναι. μετὰ ταῦτα καταβὰς μαυρίκιος εἰς παννονίαν τὴν κάτω μετὰ στρατεύματος δαπάναις αὐτοῦ ἰδίαις τρεφομένου παρὰ μικρὸν ἦλθεν ἀποθανεῖν ἢ γοῦν ἁλῶναι ὑπὸ τῶν τουρκῶν. ἄφνω γὰρ πολεμίων εἰσβαλλόντων ὅπλα αὐτός ἁρπάσας ἐκθύμως καὶ ἐνθουσιῶντι ὅμοιος πολὺ πρὸ ἄλλων κατὰ τοὺς γεννέους τῶν σκυλάκων ἐπὶ τοὺς λεηλατοῦντας ὥρμησεν, τοὺς δορυφόρους καὶ ἄλλους ἐκβοηθήσοντας οὐκ ἀναμείνας. ἐπιφερόμενον δὲ αὐτὸν μεθ᾽ ὁρμῆς σφοδροτέρας θρασύτερον καὶ παραβολώτερον ὑποστῆσαν τὸ ἄγημα τῶν ἱππέων κατέβαλεν. καὶ τάχα κἂν ἀπορρυεὶς ἐκ τοῦ ἵππου εἰς γῆν ἀνῃρέθη ἄν, εἰ μὴ τῶν δορυφόρων τις ἀνὴρ οὐ τῶν ἀφανῶν ὅσα εἰς τὸ γένος σεβαστιανὸς ὁ ῥίβισσος προσδραμὼν ὑπὲρ τοῦ μαυρικίου διεκινδύνευσε πρὸς πολλοὺς μόνος, ἐγνωκὼς ἀποθανεῖν μᾶλλον ἢ στρατηγὸν ἀπολιπεῖν κείμενον. ἐν τούτῳ δὲ πολλῶν ἐκ τοῦ στρατοπέδου προσελασάντων τροπὴ τῶν τουρκῶν ἐγεγόνει. καὶ ὁ δορυφόρος ἀνελπίστως μὲν τὸν μαυρίκιον περιεποίησεν, αὐτὸς δὲ ἐκ τῶν τραυμάτων κακῶς ἔχων εἰς

vellet, studiis sapientiæ dare non potuisset, nihilominus tamen doctrinæ eruditionem eo & honore & admiratione prosecutus est, vt Academias non tantum in priori statu conseruarit, sed etiam magnifice amplificarit, splendide & copiose suppeditando ea, quæ necessaria essent, & tribus ducalibus ludis * viros celebres præficiendo, qui Christianam fidem & Latinas ac Græcas literas adolescentes docerent. Sed de his satis. altero principatus anno accidit, vt difficidium existeret inter Mauricium & Ioannem Fridericum, quod eo contentionis progressum est, vt vterque copias ex suæ ditioni subiectis armarit. Ac fortasse sanguine lis illa finita fuisset, nisi composita foret ab illustrissimo Chattorum duce Philippo Mauricii socero. Caussam dissensionis vulgus perhibebat fuisse controuersiam quandam de oppido Wurcina. Homines politi & elegantes conferebant in fatum & in Aten, quam apud Homerum Agamemnon incusat, cum se culpa omni vacare dicit. Post hæc Mauricius cum exercitu, quem suis sumptibus alebat, in Pannoniam inferiorem (Vngariam vulgo appellamus) profectus parum abfuit; quin vel interficeretur vel saltem caperetur a Turcis. Ad repentinam enim hostium impressionem armis ipse arreptis alacriter & quasi diuino instinctu percitus, more catulorum generosorum, longe ante alios in prædam agentes irruit, stipatores & cæteros, qui auxilium ferrent, non præstolatus. Audacius autem & incautius cum vehementiore impetu inuectum equitum turma excepit deiecitque. Ac forte delapsus ille ex equo in terram occisus fuisset, nisi ex stipatoribus quidam genere non obscuro natus Sebastianus Ribissus accurrisset, vitæque suæ periculo pro Mauricio pugnasset, solus aduersus multos, certus mori potius quam ducem deserere iacentem. Interim multis ex castris aduolantibus, Turcæ in fugam vertuntur. Ac satelles quidem præter spem Mauricium præsenti discrimini eripuit; ipse tamen multis vulne-

Chytræus lib. 15. pag. 398. Sleidanus lib. 14. pag. 402. Mulleri Ann. Sax. ad ann. 1542.

Ate.

Vngarica expeditio.

Seb. Ribisch Sleidanus lib. 15. pag. 416. Muller. Ann. Sax. ad ann. 1542. Seckendorf lib. 3. §. 95.

* Miseni, Merseburgi, Portæ, Sleidanus *lib. XV. p. 427.* Seckendorf *lib. III. §. CX.*

vulneribus acceptis viuus adhuc in castra delatus pulcerrimo fine vitam clausit, cum heroice pro principe suo decertasset. De hoc periculo audiens aliquando Mauricius a nonnullis falso confingi admirabilia quædam facinora militaria, quæ manu edidisset, auersatus assentationis impudentiam, nihil aliud subiunxisse dicitur quam hoc: *Ego vero tum temporis vbi eram?* Cum enim animo esset masculo, multo minus adulatores ferre poterat, quam equus sternax sessorem. Ex Pannonia reuersus, auxilia adduxit Carolo Imperatori bellum tum gerenti cum Gallorum rege Francisco, & obsidenti Landresium. Paulo post ipse & frater Augustus denuo suppetias laturi Carolo cum lectissimo equitatu venerunt in Galliam, & ad Victorini hostes egregie fuderunt fugaruntque. Tempore obsidionis Landresianæ, cum in oppugnantes tormenta ænea vi ignis globos ferreos horribili cum sonitu & impetu incredibili eiacularentur, cum multorum pernicie, conspectus est Imperator Mauricium temere ictibus se offerentem subducere & præcipere, vt recederet, cum subridens hoc, vt aiunt, adderet: *Non omnes illam artem tenere, qua vtens aliquis ita discurrere possit, vt vitatis ictibus plane non vulneretur.* Post hæc reuersus ex Gallia in Germaniam, motum & bellum in Saxonia periculosum præsentia sua celeriter ea ipsa hora, qua congressuræ erant acies sedauit, cum duci Henrico persuasisset, vt se dederet Philippo Cattorum principi, Ioanni Friderico, quibus imparatis subito ille bellum intulerat. Hoc tumultu sublato Imperator iratus Philippo duci & Ioanni Friderico Electori, tum propter alias causas, tum quod captiuum in custodia tenerent Henricum Brunonisuicensem, bellum in Germania gerendum esse statuit: irritatus credo etiam ab iis, qui religionis mutationem iniquo animo ferrent. Cum igitur vtrinque bellum & susceptum & indictum esset, Mauricius cum fratre Augusto partes Caroli sequi voluit, vel tutissimum hoc esse ratus,

Auxiliator Caroli Cæs. Sleidanus libr. 15. pag. 435.

Saxonicus motus. Sleidanus lib. 6. p. 473. *Chytræus* lib. 16 p. 410. *Seckendorf* lib. 3. §. 124. num. 4. *Hortleder* Tom. I. lib. 4.

Caroli bellum in Germania.

τὴν παρεμβολὴν ζῶν ἔτι ἀπηνέχθη, καὶ ἡρωικῶς ὑπὲρ τοῦ ἄρχοντος ἀγωνισάμενος καλλίστην τοῦ βίου καταστροφὴν ἐποιήσατο. περὶ τούτου τοῦ κινδύνου ἀκούων ποτὲ ὁ μαυρίκιος ἐπιψευδομένων τινῶν αὐτῷ ἀριστείας τινὰς, καὶ ἀναπλαττόντας ἔργα χειρὸς θαυμαστὰ, ἀποστρεφόμενος τὸ ἀναιδὲς τῆς κολακείας, οὐδὲν ἐπειπεῖν ἄλλο λέγεται ἢ τοῦτο. ποῦ γὰρ ἐγὼ ἤμην τὸν χρόνον ἐκεῖνον; ἀνδρώδης γὰρ τὴν γνώμην ὢν τοῖς κόλαξιν ἑαυτὸν ἱππάσιμον οὐκ ἀνῆκεν. ἀνελθὼν ἐκ τῆς πανονίας βοήθειαν προσῆγε τῷ καρόλῳ αὐτοκράτορι πολεμοῦντι τότε τῷ βασιλεῖ τῶν γαλατῶν τῷ φραγκίσκῳ καὶ πολιορκοῦντι τὸ λανδρήσιον. καὶ μετ᾽ ὀλίγον αὐτὸς καὶ ἀδελφὸς ἄυγουστος ἐξ ὑπαρχῆς βοηθήσοντες τῷ καρόλῳ ἥκουσιν ἱππεῖς εἰς γαλατίαν ἄγοντες ἐπιλέκτους καὶ πρὸς τὸ νικήτου τοὺς πολεμίους τρέπουσι λαμπρῶς αὐτῶν κρατήσαντες. πολιορκοῦντας δὲ τοῦ καρόλου τὸ λανδρήσιον ὡς τοῖς προσβάλλουσιν ἀπήντων σφαῖραι σιδηραῖ ἐξ αὐλῶν χαλκῶν ὑπὸ πυρὸς ἐξακοντιζόμεναι φοβερῷ ἤχῳ καὶ ὁρμῇ τινι ἀνεκφράστῳ ἅμα φθόρῳ πολλῶν, ὤφθη ὁ αὐτοκράτωρ τὸν μαυρίκιον ἐπικινδύνως ταῖς βολαῖς ἀντιῶντα ὑπάγων, καὶ ἀναχωρῶν ὀπίσω κελεύων, τοιόνδε ἐπειπὼν, ὥς φασι μετὰ μειδιάματος· ὅτι οὐ πάντες τήνδε τέχνην εἰδότες τυγχάνουσιν, ᾗ περ χρησάμενός τις δύναιτ᾽ ἂν οὕτω διαθέοντα ἐκφυγεῖν τὰς βολὰς, ὥστε μὴ τιτρώσκεσθαι. ἐπὶ τούτοις ἐκ τῆς γαλατίας ἐπανελθὼν εἰς τὴν γερμάνιαν κίνησιν ἐπισφαλῆ ἐν τῇ σαξονίᾳ καὶ πόλεμον παρὼν ὀξέως τῇ αὐτῇ ὥρᾳ ᾗ ἔμελλον εἰς χεῖρας ἥξειν, κατέπαυσε, τὸν ἐρρῖκον ἡγεμόνα πείσας ἐγχειρίσαι ἑαυτὸν τῷ φιλίππῳ τῶν κάττων ἄρχοντι καὶ ἰωάννῃ τῷ φριδερίκῳ, οἷς ἄφνω ἀπαρασκεύοις ἐναντία ὅπλα ἐκεῖνος ἤρατο. τούτου τοῦ θορύβου λήξαντος ὁ αὐτοκράτωρ μηνιῶν τῷ τε φιλίππῳ ἡγεμόνι καὶ τῷ ἰωάννῃ φριδερίκῳ ξιφοφόρῳ διά τε ἄλλας αἰτίας, καὶ διὰ τὸ αἰχμάλωτον γενέσθαι τὸν ἐρρῖκον καὶ ἐν φυλακῇ κατασχεθῆναι πόλεμον εἰς γερμανίαν ἐξήνεγκεν ἐρεθισθεὶς οἶμαι καὶ ὑπὸ τῶν ἐπὶ τῆς ἐκκλησιαστικῆς θρησκείας μεταβολῇ δυσχεραινόντων. ὡς οὖν ὁ πόλεμος ἑκατέρωθεν ἀνέῳκτο καὶ κεκήρυκτο ἤδη σαφῶς ὁ μαυρίκιος, μετὰ τοῦ ἀδελφοῦ ἀυγούστου τῷ καρόλῳ συμμαχεῖν ἠβουλήθη, ἤτοι ἀσφαλέστατον ἡγησάμενος, ἢ δικαιό-

p. [illegible]

p. 434. ἢ δικαιότατον προσθέσθαι τῷ αὐτοκράτορι, ἄλ-
λως τε ὑποσχομένῳ ὅτι οὐδὲν τῶν ἐκκλησιαστικῶν
μετακινήσει μετὰ τὴν μάχην ἐν τῇ μισνίᾳ γε-
νομένην ὁ κάττων ἡγεμὼν ὁ Φίλιππος ὑπὸ μαυ-
ρικίου καὶ βρανδεβουργικοῦ ἄρχοντος τῶν ἑπτὰ
ἐγγυησαμένων τὴν ἐπιείκειαν τοῦ καρόλου πει-
σθεὶς ἐπιτρέπειν τῷ αὐτοκράτορι τὰ καθ' ἑαυ-
τὸν εἰς ἁλοπήγιον σαξονικὸν ἱκέτης ἦλθεν, καὶ
εὐθὺς, ἀποτρεψάντων δῆθεν καὶ διαφθειράντων
τινῶν τὴν χρηστότητα τοῦ αὐτοκράτορος, παρ' ἐλ-
πίδα τῶν ἐγγυητῶν, οὐδὲ ὑπονοησάντων τοιοῦ-
τόν τι γενέσθαι ἂν καὶ τῶν ἄλλων ἀπήχθη, ἰσχυ-
ρᾶ φυλακῆς ἐπισταθείσης. καὶ τόδε τὸ πρᾶγμα
οὐκ ἐξ ἐπιπολῆς οὐδ' ὡς ἔτυχε τοῦ μαυρικίου κα-
θίκετο, καὶ καθεῖα πως καὶ καίριος ἡ πληγὴ
ἐγένετο τὴν μέσην, εἰ οἷόν τε εἰπεῖν διακόπτουσα
τὴν ψυχὴν καὶ εἴ τις λέγοι ὅτι ἐπὶ τοῖς οὕτω
πραχθεῖσιν ἀπήντηκεν τισιν ἡ μετάνοια οὐκ ἂν
οἶμαι δόξειεν ἂν ἀπεικότα λέγειν. ἐπεὶ δὲ τῷ κα-
ρόλῳ τέλος ἦν τοῦ πολέμου πάντων ἀρχόντων καὶ
δυναστῶν εἰς αὔγουσταν τῶν οὐινδελικῶν συλλε-
γέντων ὁ αὐτοκράτωρ ζημίαν ἐπιθεὶς τῷ ἰωάν-
νῃ Φριδερίκῳ ἀριστεύσαντι μὲν ἐν τῇ μάχῃ καὶ
τρωθέντι, αἰχμαλώτῳ δ' ὅμως ληφθέντι τάς
τε πόλεις μεισνιακὰς αὐτὸν ἀφείλετο καὶ τὸ
ἀξίωμα τῆς ξιφοφορίας λεγομένης, τὸν μαυ-
ρίκιον τῇ τε χώρᾳ τῇ τιμῇ δωρησάμενος, ὡς οἰο-
νεὶ χαριστήρια αὐτῷ ἀποδοὺς τῆς συμμαχίας.
μετὰ ταῦτα τὸ μεταξυκὸν λεγόμενον σύγγραμ-
μα παμπλείστων ἐν τῇ γερμανίᾳ ταραχῶν ἐγέ-
νετο πρόφασις καὶ πολλοὶ τῶν ὑπὲρ τῆς εὐσεβεί-
ας ἐχθραίνειν καταχηματιζομένων διέβαλλον
τὸν μαυρίκιον ὡς οὐκ ἀκέραιον καὶ ἄθραυστον δια-
σεσωκότα τὴν ἀποστολικὴν διδασκαλίαν. ὅτι
δὲ ἀδίκως ἐπὶ τούτῳ διεβάλλετο αὐτός τε καὶ οἱ
περὶ μελάγχθονα, δῆλον ἐξ ὧν ἀξιόπιστοι ξυγ-
γραφεῖς καταλελοίπασι. καὶ πάνυ τις θαυμά-
σειεν ἂν ἐκείνων εἰ ἠγνόησαν. ὅτι οὐ λήσουσι
ψευδόμενοι ἐν τοῖς εἰδόσι τοὺς λόγους ποιού-
μενοι. τοῦ αὐτοῦ δὲ χρόνου κατηγορίαις τι-
νῶν διισχυριζομένων ὅτι μόνον οἱ περὶ με-
λάγχθονα ἐναντιούμενοι κοινοῖς δόγμασι, καὶ
τοὺς ἄλλους ἀποτρέπουσι τῆς συγκαταθέ-
σεως, αὐτοκράτωρ κάρολος οὕτως ἐξεκαύθη
καὶ παρωξύνθη κατὰ Φιλίππου ὥστε ἐ-
σχάτοις αὐτὸν περιπεσεῖν κινδύνοις. καὶ ἀπολώ-
λει ἂν ἴσως, εἰ μὴ διεσώθη πρὸς μαυρικίου, οὗ-
περ ἐπαίνους ἀναριθμήτους οὐ μετρίως ηὔξησε
καὶ αὕτη ἡ κηδεμονία μεγαλόφρονος ἡγεμόνος

vel iustissimum coniungere se cum Imperatore, præsertim pollicito, quod in Ecclesiasticis nihil mutaturus esset. Post prælium in Misnia infeliciter commissum, Chattorum dux Philippus Mauricio & Brandenburgico Electore autoribus, qui se moderationis Caroli sponsores offerebant, supplex in Salinas Saxonicas venit, seque Imperatori dedidit: cuius bonitatem cum nonnulli immutatam corrupissent, factum est, vt ille præter sponsorum spem, ne suspicantibus quidem etiam aliis tale aliquid futurum, abduceretur valida adiuncta custodia. Quæ res non leuiter Mauricii animum perculit, immo plaga illa lethalis & alta medium quodammodo dissecuit, si ita loqui licet. Ac si quis dicat, pœnituisse nonnullos postea eorum, quæ facta essent, a vero credo non aberrauerit. Finito bello, Carolus conuocatis omnibus Principibus & proceribus in vrbem Vindelicorum Augustam, Ioannem Fridericum in prælio, in quo fortiter se etiam accepto vulnere defenderat captum parte territorii Misnici multat & Electoria dignitate, Mauriciumque & regione & honore donat, gratiam ita referre volens pro belli societate. Posthæc Syngramma Metaxicum vel *Interim* appellatum complurium in Germania turbarum occasio extitit. Multique qui simulabant se religionis causa odia suscipere, Mauricium criminabantur quasi doctrinam Apostolicam sinceram & integram non conseruasset. Iniquam autem fuisse calumniam illam, qua tum ipse, tum Philippus Melanchthon petebatur, con stat ex iis monumentis, quæ fide digni autores reliquerunt. Quis autem non miretur ignorasse illos, quod mendacia sua occulta habere non possent, verba facientes ad eos, quibus omnia nota essent? Eodem tempore accusationibus nonnullorum affirmantium solum Melanchthonem aduersando communibus decretis etiam alios ab assensu auertere, Imperator Carolus ita inflammatus incitatus est aduersus Philippum; vt in extremo ille versaretur periculo. Et periisset fortasse, nisi eum Mauricius seruasset: cuius laudes innumerabiles non mediocriter auxit, & hæc solicitudo magnanimo

Sleidanus lib. 19. p. 581. *Hortleder*. Tom. 2. lib. 3. c. 54.

Mauricius fit Elector. *Sleidanus* lib. 20. p. 624. *Chytræus* lib. 17. p. 437. *Nic. Mameranus* de inuestitura regalium Mauricii.

Philippus Melanchthon.

Camerarii Vita Melanchthonis §. 78.

Prin-

Magdeburg. captum. *Sleidanus* lib. 23. p. 723. *Thuanus* lib. 8. p. 238. *Seb. Besselmeieri* Historia Belli Magdeburg. *Chytræus* lib. 17. p. 443. *Hortleder* Tom. 2. lib. 4. *Ioach. Camerarii* enarr. rer. præcip. ad a. 1552. *Thuanus* lib. 8. p. 237.

Principe digna. His gestis Mauricius Imperatoris mandatu Magdeburgum in Saxonia obsidet, eaque post decem & tres menses potitur, ciuibus dedentibus se Principi tolerabiles conditiones offerenti, etiam cum extrema fame confligentibus. Tempore obsidionis illius Mauricius colluuiem militum quæ in diœcesi Verdensi confluxerat, repente adeo terruit, vt auicularum instar dissiparentur: Atque ita admirabili celeritate occasionem remouit periculosi tumultus. His expeditis Mauricius rebusque omnibus Magdeburgicis pro suo arbitratu dispositis, non oblitus est eorum, quæ socero Philippo promiserat, cum spopondisset (vt supra dictum) *fore, vt & salutem & veniam ab Imperatore impetraret.* Non ignarus autem tres potissimum caussas esse ob quas homines promissis non stent: aut enim statim fallendi animo dicere aliquid, aut postea dictorum ipsos pœnitere, aut in voluntate præstandi destitui perficiendi facultate: quorum primo iudicauit indicari voluntatis improbitatem, altero iudicii infirmitatem, tertio virium inopiam: Idcirco volens Mauricius ostendere & Principem probum se esse & constantem & efficacem

Sleidanus lib. 24. ineunte. *Thuanus* lib. 8. p. 239. *Heuterus* *Austriæ* lib. 13. *Hortleder* Tom. 2. lib. 5.

Carolus Cæs. Oeniponte.

magna celeritate, contra Carolum mouit, socios expeditionis habens Philippi ducis natu maximum filium, & Albertum Marchionem omniaque post soceri liberationem ducens. Imperator tunc corpore æger Oenipontem secesserat: Hunc expeditionis celeritate perculsum, grauiterque animo commotum, quidam ex proceribus Hispanis, qui tum aderant, consolans bono animo esse iussit, quod locorum asperitas & naturale Alpium munimentum hostem arcerent, & milites insuper transitum custodirent, castellumque firmissimum

Ereburg. *Sleidanus* lib. 24. p. 767. *Thuanus* lib. 10. princ.

Ereburgum præsidio teneretur. His auditis Imperator quæsiuit, num etiam fieri posset, vt aliquis circumeundo montes per semitas quamuis angustas & præcipites ad eius loci verticem ascenderet, in quo castellum, iuga claudens, situm esset? Hæc cum Carolus quæreret, respondit ille, cuius modo mentionem feci tribunus puto Hispanorum: posse circuiri montes illos, sed hostes propter ingenii ruditatem ad

ἀξία. ἐπὶ τούτοις ὁ μαυρίκιος προστάξαντος τοῦ p.45 αὐτοκράτορος παρθενόπολιν ἐν τῇ σαξονίᾳ ἐπολιόρκησεν ἐγκρατὴς αὐτῆς μετὰ μῆνας δέκα καὶ τρεῖς γενόμενος παραδόντων ἑαυτοὺς πολιτῶν τῷ στρατηγῷ σπονδὰς οὐκ ἀφορήτους προτείναντι καίπερ εἰς ἔσχατόν πως λιμοῦ ἀφικομένους. μεταξὺ πολιορκίας τῆς δὲ πλῆθος στρατιωτῶν ἐν τῇ διοικήσει οὐερδαίᾳ συλλεγὲν αἰφνιδίως ὁ μαυρίκιος καταπληξάμενος, ὥσπερ ὀρνίθων σπερμολόγων συνδρομὴν διεσκέδασεν θαυμαστῇ ταχυεργίᾳ ἀποσκευασάμενος ἀφορμὴν ἐπισφαλοῦς θορύβου. ταῦτ᾽ οὖν πράξας ὁ μαυρίκιος, καὶ ἐν τῇ παρθενοπόλει διαθεὶς ἅπαντα ἐφ᾽ ἑαυτοῦ καθ᾽ ὃν ἐβούλετο τρόπον, οὐκ ἐπελάθετο ὧν τῷ πενθερῷ Φιλίππῳ ὑπέσχετο ἐγγυησάμενος αὐτῷ, ὡς ἔφθημεν εἰρηκότες, καὶ σωτηρίαν καὶ συγγνώμην παρ᾽ αὐτοκράτορος. οὐκοῦν εὖ εἰδὼς τρεῖς αἰτίας οὔσας δι᾽ ἃς ἄνθρωποι παραβαίνουσι τὰς ὑποσχέσεις καὶ ψεύδονται, ἢ γὰρ εὐθὺς ἐξαπατῶντά τινα φάναι, ἢ φήσαντα ὕστερον μετανοεῖν, ἢ βουλόμενον ἐξασθενεῖν. τούτων τὸ μὲν πρῶτον φαύλης εἶναι προαιρέσεως ἡγήσατο, τὸ δὲ δεύτερον ἀσθενοῦς κρίσεως, τὸ δὲ τρίτον ἐνδεοῦς δυνάμεως. τοιγάρτοι βουληθεὶς ἀεὶ τότε φιλάγαθον φυλάττειν, καὶ τὸ βέβαιον, καὶ τὸ τελεσιουργὸν κατὰ τάχος ἐπὶ κάρολον ἠπείγετο συμμάχους ἔχων τοῦ Φιλίππου ἡγεμόνος υἱὸν πρεσβύτατον, καὶ ἄλβερτον τὸν μαρχίωνα πάντα ἐν ὑστέρῳ τῆς τοῦ πενθεροῦ ἐλευθερώσεως τιθέμενος. ὁ αὐτοκράτωρ τότε εἰς πόλιν οἴνου γέφυραν ὀνομαζομένην νοσηλευόμενος ὑποκεχωρήκει. καὶ ἐκπλαγέντα αὐτὸν τὴν τῆς ὁρμῆς ὀξύτητα, καὶ βαρυθυμοῦντα παρηγορῶν τις τῶν περὶ αὐτὸν ἡγεμόνων ἰβηρικῶν θαρρεῖν ἐκέλευσε τὴν δυσχωρίαν προβαλλόμενον, καὶ αὐτοφυὲς τῶν τόπων ἔρυσμα ἄλλως τε τὴν πάροδον στρατιωτῶν φυλαττόντων, καὶ ὀχυρωτάτου χωρίου ἐρεπύργου φρουρῷ κατεχομένου. τούτων, ἀκούσας ὁ αὐτοκράτωρ ἠρώτα εἰ οἷόν τε περιελθόντα τινὰ τὰ ὄρη διά τινων ἀτραπῶν, κἂν στεναὶ καὶ παράκρημνοι εἶεν ἀναβαίνειν ἐπὶ τὰς κορυφὰς ὄρους ἐν ᾧ χωρίον ἔκτιστο, τὰς ἄκρας περικλεῖον; ταῦτα τοῦ καρόλου ἐρωτήσαντος ἀπεκρίνατο ἐκεῖνος, οὗ μνείαν ἐποιησάμην. χιλίαρχος οἶμαι τῶν ἰβήρων, δυνατὴν μὲν εἶναι περίληψιν ἐκείνην καὶ κύκλωσιν ἀλλὰ τοὺς πολεμίους διὰ μὲν τὴν ἀφυΐαν τοιούτοις

στρα-

p. 456 στρατηγήμασι τοῦτο οὐκ ἔμελλεν, πολὺ δ' ἧττον ἐ-
πιχειρῆσαι ἂν τηλικούτῳ ἔργῳ ἀήθεις ὄντας τῶν
πόνων. τούτων λεχθέντων ὁ κάρολος καὶ τὸν
στρατηγὸν εἰδὼς καὶ τοὺς περὶ αὐτὸν, εἴ τις, ἔφη,
τρίβος ἐστὶν ἄγουσα τοὺς στρατιώτας πρὸς τὸ
χωρίον ἐπομοσαίμην ἂν ἦ μὴν ὅσον αὐτίκα
καταληφθῆναι ἂν αὐτό. οὔπω πᾶν εἴρητο ἔπος
καθ' ὅμηρον καὶ κατηγγέλθη μαυρίκιος ἐπε-
λαύνων καθυπέρτερος γενόμενος τῆς ἄκρας καὶ
φρούριον ἑλὼν, ἐφ' ᾧ δὴ θόρυβός τε πολύς ἦν
καὶ φόβος ἁπάντων. καὶ ὁ αὐτοκράτωρ αὐ-
τὸς ἄμαχός τις τέος ὢν καὶ ἀνανταγώνιστος δι'
ὅλου βίου ταραχθεὶς ἄλλοσέ ποι σὺν ἀδελφῷ
φερδινάνδῳ ἀπ' οἴνου γεφύρας ὑπεχώρησεν:
οὕτω δὲ βαθέως καθίκετο τοῦ καρόλου τὰ γε-
νόμενα, ὥστε οὔποτ' ἐδυνήθη ἐπιλαθέσθαι αὐτῶν,
καὶ ἔννοιαν αὐτῷ φασιν ἐπελθεῖν πολλάκις με-
τὰ τὴν ἀναχώρησιν ἐκείνην τοῦ τὴν ἀρχὴν ἀφιέ-
ναι. ὅπερ καὶ τέλος ἐποίησεν εἰς τὴν ἰβηρίαν
ἐπανελθών. μετὰ τὴν τοῦ φρουρίου ἅλωσιν
μαυρίκιος τοῖς στρατιώταις ἐπὶ τῷ δὲ τῷ κατορ-
θώματι, κατ' ἔθος, μισθὸν διπλάσιον σὺν θο-
ρύβῳ ἀπαιτοῦσιν, μάλα θρασέως ἐπελθὼν ὀλί-
γου διεφθάρη, εἰ μὴ τὴν ταχίστην διέφυγεν
τὴν πόλιν οὖν οὐδενὸς ἀμυνομένου καταληφθεῖσαν
ὁ μαυρίκιος ἐπέτρεψε τῷ στρατῷ διαρπάσαι
οὕτως ἄγοντι καὶ φέροντι τὰ τῶν ἰβήρων, ὥστε
ἐκ προστάγματος οὐδὲν τῶν πολιτῶν καὶ φερδι-
νάνδου χρημάτων ἰδιοποιεῖν ἀφαιρέσει καὶ βίᾳ
οἷα δή ποτ' οὖν. ταῦτα κατορθώσας ἀνεζεύγνυ
εἰς πασσαβίαν πόλιν καὶ ἐνταυθοῖ προτεινάμε-
νος τῷ αὐτοκράτορι εὐγνώμονας διαλύσεις,
ταῖς μὲν ἐκκλησίαις εἰρήνην, τῷ δὲ πενθερῷ καὶ
ἀνεψιῷ ἐλευθερίαν, τῷ δὲ ὄθωνι ἐρρίκῳ παλα-
τίνῳ ἀξίωμα, τῇ δὲ γερμανίᾳ δόξαν, τόλμῃ
καὶ εὐτυχίᾳ παραδόξῳ χρησάμενος ἀνεκτή-
σατο, τοῦ καρόλου δῆθεν τὰς προκλήσεις
αὐτοῦ ἀσμένως δεξαμένου. ἑτοίμην δὲ ἔχων
δύναμιν ἐπειδὴ πρὸς τοῦ φερδινάνδου ἐπεί-
σθη τῇ στρατιᾷ ἀπιέναι εἰς παννονίαν τὴν κάτω
ἐπὶ τῶν τουρκῶν ἔθνος ἀρειμανὲς τὴν τῶν χρι-
στιανῶν γῆν σοβαρῶς κατατρέχον καὶ λεηλα-
τοῦν, οὓς παραγενόμενος εὐθὺς ἀνέστειλεν, καὶ οὕτως ἐν ἑνὶ καὶ τῷ αὐτῷ χρόνῳ φοβερὸς ἐγέ-

eiusmodi stratagemata animum non aduertere: multo minus facturos, vt tantam rem aggrederentur laborum insolentes. Ad hoc Carolus, qui & Ducem probe nosset & copias ipsius: *Si qua, inquit, semita est ad castellum milites ducens, iuratus affirmo iamiam illud captum iri.* Vix finierat sermonem, cum Mauricius aduentare nunciatur, superatis iugis & castello expugnato: vnde tantus tumultus & trepidatio extitit, vt Imperator ipse hactenus per totam vitam inuictus, Oeniponte relicto alio se conferret territus, vna cum fratre Ferdinando. Tam alte autem in pectus Caroli descenderunt ea, quæ facta erant, vt nunquam potuerit eorum obliuisci. Et cogitationem ipsi non raro perhibent iniectam, post secessionem illam, abdicandi se imperio. Id quod tandem fecit in Hispaniam reuersus. Post expugnationem Castelli, Mauricius cum ad milites ob rem bene gestam duplex pro more stipendium & quidem non sine tumultu efflagitantes, audacius accessisset, parum abfuit, quin interficeretur: fuga igitur sibi consulere coactus. Oppidum Oenipontem nullo defendente occupatum militi diripiendum concessit, hoc edicto addito, *vt Hispanorum res agerent, ferrentque, Ciuium & Ferdinandi bonis abstinerent vim & manus.* His ex sententia animi gestis, Passauiam regressus est cum copiis, ibique propositis Imperatori honestis conditionibus, pacem Ecclesiis socero & agnato libertatem, Othoni Henrico Palatino dignitatem, Germaniæ gloriam, audacia & felicitate admirabili vsus, recuperauit, Carolo scilicet conditiones latas non aspernante. Paratas autem copias cum haberet, autore & suasore Ferdinando cum vniuerso exercitu in Pannoniam inferiorem aduersus bellicosam Turcarum gentem, populationibus & prædis agendis agros Christianorum vastantem profectus est: aduentuque suo confestim excursiones illas repressit. Atque sic vno & eodem tempore inuictis

Imperium abdicat.

Patauina transactio. *Sleidanus.* lib. 24. pag. 284. *Chytraus* lib. 17. pag. 458. *Hortleder* Tom. 2. lib. 5. c. 14. *Sleidanus* lib. 24. p. 786. *Chytræus* lib. 17. p. 460.

Asiæ & Europæ Dynastis terribilis extitit. Cæterum Turcarum gentem etiam antehac virtutem & nomen Mauricii exhorruisse scimus: ac quidam ex illis captiuus Mauricium conspicatus, non viro militari & duris agitato in armis (vt verbis Poetæ vtar) similem, sed lepidum & venustum & iuuenili pulcritudine, quemadmodum Eumenem Plutarchus describit, decorum ita membris admirabili proportione & æquabili commensu figuratis, ita toto corpore apte distincto & articulato, vt arte exquisita & perfecta fictus esse videretur: hoc igitur conspicatus Barbarus, valde miratus est hominem tam venustum & humanum aspectu Turcis ita formidabilem esse, cum Barbarorum scilicet more fortitudinis laudem in truci & horrido vultu poneret. Sed non ita Homerus, a quo Achilles & pulcerrimus simul & fortissimus introducitur. Reuerso ex Pannonia Mauricio accidit, vt malis nonnullorum artibus (quemadmodum multis videbatur) colliderentur inter se & ipse & Marchio Albertus, quem a vastatione & direptione Germaniæ oppidorum auertere volens Mauricius, magna celeritate & studio copiis conscriptis in Saxonia cum hoste confligit: ac victoria quidem potitur, sed ipse bellici tormenti ictu, quem in latere dextero ad ilia acceperat, cum globus arma penetrasset, tertio post prælium die obiit, aduersariis viribus ita fractis, vt omnes occinerent illud, quod vulgo tritum est:

Albertus Brandenburg. Sleidanus lib. 25. pag. 796 Thuanus lib. 11 pr & pag. 357. Chytræus lib 18 pag. 466.

Obitus. Sleidanus lib. 25. pag. 802. Thuanus lib. 11. pag. 357. Hortleder Tom. 2. lib. 6. cap. 7. 8.

Victus flet, contra victorem fata tulere.

In conflictu illo tum alii illustres viri pugnantes oppetierunt, tum etiam Carolus & Philippus Duces Brunonisuicenses Henrici filii, & Fridericus Luneburgensis. Corpus Mauricii per Saxoniam in oppidum Misniæ Fribergum cum pompa splendidissima delatum: vbi videre est monumentum ingens sepulto impositum, sumtibus Illustrissimi fratris & successoris Augusti scite factum ex

Schirmeri conditorium Saxonicum cap. 3.

νετο δυνασαῖς τῆς τε ἀσίας, καὶ τῆς εὐρώπης ἀνικήτοις. καί τοι πρὸ τῶν ἔθνος καὶ πρὸ τῦ τὴν ἀρετὴν μαυρικίου καὶ ὄνομα καταπλαγὲν εἴδαμεν, ὧν τις αἰχμάλωτος γενόμενος καὶ θεασάμενος τὸν μαυρίκιον οὐ πολεμικῷ καὶ τετριμμένῳ δι᾽ ὅπλων ἐοικότα, ἀλλὰ γλαφυρὸν καὶ νεοπρεπῆ καὶ πᾶν τὸ σῶμα κατὰ τὸν εὐμένην παρὰ πλουτάρχῳ, διηρθρωμένον ὡς ὑπὸ τέχνης ἀκριβῶς τοῖς μέλεσι θαυμαστὴν συμμετρίαν ἔχουσι. ταῦτα ἰδὼν ὁ βάρβαρος πάνυ ἐθαύμαζεν εἰ τουρκοῖς φοβερός ἐστιν ἄνθρωπος οὕτω τὸ εἶδος ἡδὺς καὶ τὴν ὄψιν φιλάνθρωπος βαρβαρικῶς δηλαδὴ ἐν τῷ φρικώδει τῆς προσόψεως τὸ ἀνδρεῖον τιθέμενος. ἀλλ᾽ οὐ πρὸς ὁμήρου τὰ τοιοῦτα· ὃς τὸν ἀχιλλέα κάλλιστον ἅμα καὶ ἀνδρειότατον εἰσηγεῖ. ἐπανελθόντος δὲ τῦ μαυρικίου ἐκ τῆς παννονίας συνέβη ἐς ἀλλήλους κακοτεχνίαις ἐνίων ὡς πολλοῖς ἐδόκει, συντριβῆναι αὐτόν τε καὶ ἄλβερτον τὸν μαρχίωνα, ὃν πορθοῦντα καὶ διαρπάζοντα τὰς πόλεις ἐν γερμανίᾳ παῦσαι βουλόμενος ὁ μαυρίκιος σπουδῆς οὐδὲν ἀπολιπὼν ὀξυτάτης, σὺν στρατῷ ἠθροισμένῳ ἐν τῇ σαξονίᾳ τῷ ἀλβέρτῳ ὑπήντησε καὶ συμβαλὼν αὐτῷ τῆς νίκης μὲν ἐγκρατὴς ἐγένετο, αὐτὸς δὲ καιρίαν πληγὴν ἐκ σφαίρας σιδηρᾶς διὰ παντὸς ὅπλου χωρησάσης ἐς τὴν πλευρὰν δεξιὰν κατὰ λαγόνας λαβὼν ἐν τῷ στρατοπέδῳ τῇ τρίτῃ ἡμέρᾳ μετὰ τὴν μάχην ἀπέθανεν, τὸν ἀνταγωνιστὴν οὕτω τε ἀπειρημένον καταλιπὼν ὥστ᾽ εἰπεῖν πάντας τοῦτο τὸ θρυλλούμενον. p. 457

κλαίει νικηθεὶς, ὁ δὲ νικήσας ἀπόλωλεν.

ἐν δὲ συμπλοκῇ καὶ ἄλλοι περιφανεῖς ἄνδρες μαχόμενοι ἔπεσον καὶ δὴ καὶ ὁ κάρολος καὶ ὁ φίλιππος ἡγεμόνες βρουνωνισφικαῖοι τῦ ἐρρίκου παῖδες, καὶ ὁ φριδερῖκος λουνεπυργιαῖος. ὁ νέκυς ὁ τῦ μαυρικίου μετὰ πομπῆς σεμνοτάτης διὰ σαξονίας ἐπὶ τὸ ἄστυ μισνίας φρίβεργον ἠνέχθη ὅπου ἰδεῖν ἐστι μνῆμα παμμέγεθες τῷ ταφέντι ἐπικείμενον δαπάναις τῦ περιφανεστάτου ἀδελφοῦ καὶ διαδόχου αὐγούστου ἐς κάλλος

ἐξησκη-

p. 458. ἐξησκημένων λίθου τοῦ καλλίστου, οἷον μνῆμα οὐκ οἶδ᾽ εἴ τι ἕτερον ἡ γερμανία ἔχει. τὸν θάνατον αὐτοῦ τάτε ἄλλα τέρατα καὶ σημεῖα, ὡς πολλοῖς ἔδοξε, προὐσήμαινε, καὶ οὖν καὶ τάδε. αἷμα ἐπὶ φύλλα τῶν δένδρων καὶ ἐπ᾽ ἄλλην ὕλην ἐν μεσονυκτίᾳ κατέσταζεν, καὶ γόοι νυκτερινοὶ ἐν ταῖς πόλεσιν ἐξηκούσθησαν, καὶ φοβεροὶ ἦχοι ἐν τῷ ἀέρι, καὶ βοαὶ ἀνδρῶν τε καὶ ἵππων μεσονυκτίου ὄντος, ἐν τῷ αὐτῷ πεδίῳ ἐν ᾧ ἀλλήλοις ἐπῆσαν. ἐπὶ τούτοις ἐν τοῖς ἀγροῖς ὤφθησαν θηριώδεις μάχαι μολοσσῶν ἀλλήλοις συμπλακέντων ἐς τοσοῦτον αὐξανόμεναι, ὥστε μήτε βοαῖς μήτε πληγαῖς τῶν ποιμένων διακριθῆναι δύνασθαι. καὶ τὰ μέγιστα, ὅτι [illegible] τὸ σκήνωμα τοῦ ἄρχοντος ἀνέμου θύελλα ἄφνω ἐπιγενομένη διέσπασε τῶν λοιπῶν οὐδὲν πεπονθότων. ἔπειτα δὲ καὶ τῇ ἀκροπόλει περλιναίᾳ ὀλίγαις ἔμπροσθεν ἡμέραις τῆς μάχης ἐκείνης, οὐδενὸς κινήσαντος, κεφαλὴ κατέπεσεν ἐκ τοῦ ἀνδριάντος τοῦ μαυρικίου, οὗ εἴ τις ἡλικίαν καὶ φρόνημα, καὶ ἔργα θεωρεῖν ἐθέλοι, εἰκότως ἂν παραβάλλειν αὐτὸν δύναιτο ἂν ἡγεμόσιν εὐτυχεστάτοις καὶ μεγίστοις. καὶ τοσαῦτα μὲν περὶ τοῦ μαυρικίου. οὗπερ ἐν ταῖς ἄλλαις ἀρεταῖς οὐχ ἥκιστα ἐπαινέσαιμι ἂν τὸ εὐδιάλλακτον τοῖς προσκρούσασι κατ᾽ αὐτοῦ. εἰ ποτε γὰρ εἰς ὀργὴν προήχθη, καὶ εἶχεν αἰσθητικῶς ἑαυτοῦ πέρα τοῦ καλῶς ἔχοντος, τραχυτέρου γενομένου, οὐ πρότερον ἡσύχαζεν πρὶν καὶ τῷ βλέμματι φαιδρῷ καὶ λόγῳ μειλιχίῳ ὑποφαίνειν τὴν εὐμένειαν. ἐκ τούτων ἃ διὰ βραχέων ἐδιηγησάμην πρόδηλον οἶμαι πᾶσι ὅτι οὐχ ἁπλῶς, ὡς πολλοὶ καὶ τῶν σοφῶν ὑπολαμβάνουσι, πάντα τὰ ἀγαθὰ ἐκ τῶν ἀνθρώπων ἀπόλωλεν, ἀλλ᾽ ἰδεῖν καὶ πρότερον ἦν καὶ νῦν ἐστιν ἐν πολλοῖς ἀρχαίας ἀρετῆς λείψανα. εἰ δέ τι πεπλημμέληται ἴσως αὐτῷ μειρακίῳ ὄντι, συγγνώμην ἀπονεμητέον τῷ τε τοῦ τρόπου ἀφελείᾳ καὶ τῷ νεαρῷ τῆς ἡλικίας, καὶ ψεκτέον τὸ ἀπάνθρωπον τῶν πολλὰ καὶ βλάσφημα εἰς αὐτὸν ἀπορριπτόντων. θαυμαστὸν δ᾽ οὐδὲν εἰ τὸ αὐτὸ ἔπαθεν τοῖς πάλαι ἡγεμόσιν, οὓς ὑπερεῦγε ὁ θεμιστοκλῆς εἴκαζε ταῖς δρυσὶ, λέγων ὅτι ἐκείνας ὑπερέχονται οἱ ἄνθρωποι καὶ δέονται [illegible] ὕη στέγειν ἐκ τῶν κλάδων πεσόντας,

pulcerrimo lapide: cuius monumenti simile haud scio an aliud Germania habeat. Mortem eius cum alia prodigia & signa multorum opinione portendere visa, tum etiam hæc. Sanguineæ guttæ in arborum & herbarum foliis conspectæ, eiulatus nocturni exauditi in oppidis, horribiles item in aere fremitus, & hominum equorumque illo campo in quo congressi fuere, clamores. Præterea visæ immanes in agris molossorum mutuis in se morsibus sæuientium pugnæ, quæ adeo augerentur, vt neque clamoribus pastorum nec verberibus dirimi potuerint. Maxima vero hæc, quod primum tentorium Principis venti procella subito exorta, reliquis omnibus saluis manentibus, dilacerarit. Deinde quod in arce Perlini de statua Mauricii, paucis diebus ante prælium illud, nulla vi adhibita, delapsum caput est: cuius Mauricii si & ætatem & animum & facta spectes, ducibus summis & fortunatissimis non indigne eum comparaueris. Cuius in virtutibus aliis non minimum laudauerim, placabilitatem aduersus eos a quibus esset offensus. Si enim forte acciderat, vt commoueretur, ac sentiret ipse se præter decorum asperiorem extitisse, non ante quieuit quam & vultus hilaritate & blanda compellatione ostenderet animum reconciliatum. Ex his, quæ breuiter commemorauimus, manifestum, credo, omnibus, non simpliciter (vt multi etiam ex sapientibus opinantur) omnia bona in terris periisse: sed cum antea videre licuit, tum etiam nostro tempore licet in compluribus antiquæ virtutis reliquias. Quod si quid forte adolescentulus deliquit, venia danda & morum simplicitati, & ætati iuuenili: & vituperanda eorum inhumanitas, qui contumeliose ipsum insectantur. Neque tamen mirum idem ei accidisse, quod priscis ducibus, quos admodum belle Themistocles, quercuum similes esse dicebat, quas pluuiis cadentibus subirent homines ramis illarum se tegi expetentes: cum sereno

Prodigia prænuncia. Sleidanus lib. 25. pag. 812. Thuanus c. 1.

ſereno tempore easdem prætereuntes vellicarent ramis defractis. Mortuus Mauricius eſt v. Id. Quintilis cum vixiſſet annos XXXII. De quo olim ſcripſimus Epigramma tale:

ὅταν δ' ὥσης εὐδίας παρίωσι τίλλωσιν αὐτὰς καὶ p. 459
περικλῶσιν. ἀπέθανεν ὁ μαυρίκιος πρώτῃ ἐπὶ δεκάδι μεταγειτνιῶνος ἔτη βιοὺς τριάκοντα δύο. εἰς ὃν γέγραπται ἡμῖν ποτε ἐπίγραμμα οὕτως ἔχον.

Αἰνεαδῶν τις ἀγὸς Φιλοποίμενα ἔσχατον εἶπεν
Ἑλλήνων, ἀρετὴν ἀνδρὸς ἀγασσάμενος.
Μαυρίκιον δὲ ἐγὼν εὐφημῶν ἔσχατον οὐκ ἄν,
φαίην δ' ἡμετέροις πρῶτον ἐν ἡγεμόσιν.

Æneadum quidam ex Græcis Philopœmena, dixit
Poſtremum; admirans fortia facta viri.
Mauricium ſed ego haud poſtremum dixero noſtris
E ducibus: fauſto hic omine primus erit.



IOA-

IOACHIMI CAMERARII

ADNOTATIO RERVM PRÆCIPVARVM

AB ANNO MDL AD MDLXI.

LECTORI BENEVOLO
S. D.
BURCARD GOTTHELF STRUVE.



Ontinentur in hoc ſcripto res geſtæ annorum vndecim, quas in aduerſariis ſuis ſimplici ſtylo adnotauerat Camerarius, ex quibus eas deſcripſit Freherus. Varia equidem ſunt, ſed vulgaria, & plerumque talia, quæ ab aliis plenius fuerunt pertractata. Inter hæc tamen æque ſingularia quædam reperire licet, maxime talia, quæ religionis concernunt negotium, & præcipue ea, quæ concernunt Corpus Doctrinæ in Saxonia euulgatum, ad annum MDLVIII. MDLIX. In ſubſidium hic vocauimus Sleidanum, Chytræum, Thuanum, eosque, quos Tomo ſecundo Scriptorum ſuorum inſeruit Schardius.

ANNO

p. 460

ANNOTATIO RERVM PRÆCIPVARVM QVÆ ACCIDERVNT AB ANNO CHRISTI MDL VSQVE AD MDLXI.

V. Cl. IOACHIMI CAMERARII Pabepergensis.

(Ex aduersariis eius manu exaratis summa fide & diligentia exscripsit M. F.)

ANNO MDL

PACIFICATIONE ad Brunsuigam certis conditionibus perfecta, vti quæ Dux illo bello occupasset, ea restitueret ciuitati, similiter & ciuitas vt redderet ea quæ ad Ducis ditionem pertinerent, & controuersiæ legitimis cognitionibus deciderentur, tum milites dimissi fuerunt, quos Dux ad vrbem habuerat, cohortes circiter X & equites CC, quibus præerat Dux Megalopurgensis. Hoc agmen contulit se in agrum Magdeburgensem, & prædis ac direptionibus illum vastare cœpit. Confugerunt igitur rustici ad oppidanos, & opem illorum implorauerunt. Itaque eductis copiis prope militem, quæ magna ex parte rusticis constarent, præsente tum Alberto Comite Mansfeldensi, cum intelligeret hic vir peritus rei militaris, difficilem futurum conflictum, & euentum dubium esse pertimescendum, ægre obtinuit vt tum copiæ in vrbem reducerentur. Cum illi vagi milites direptionum finem non facerent, & ne ab incendiis quidem abstinerent; rursum ex oppido ad insequendos eos copiæ eductæ fuerunt, magnopere dissuadente Comite Alberto. Has fuisse aiunt ad M. VIII. peditum & equites CC. In peditatu narrant fuisse cohortem vnam ciuium, & nonnihil mercenariorum militum. Equites quidem diximus numero pares equitibus hostium, verum eos qui non ante equestribus in præliis fortunam belli experti, sed de fortuito oblatis & seruitiis in equos impositi essent. Profecti ex vrbe fuerunt X Calend. Octobr. quo die ad fastos D. Mauricii nomen adscriptum legitur. Habuerunt munitionem carrucariam more veteri Germanico, & bombardas præliares grandiusculas ad XV. Cum ad vagos illos milites ventum fuisset, qui in quodam pago tum pernoctauerant, excitati illi strepitu hostium intrepide arma ceperunt. Dux in equum insiluit semiermis, & militem subito alloqui, hortari & monere, ostendere in sola virtute spem salutis positam. Fama autem sparsa fuerat & de suppliciis sumendis a captis, & de cædibus eorum qui in fuga deprehensi fuissent aut restitissent, mandata a Magdeburgensibus præfecto copiarum & paganis data esse. Sane quædam præscripta fuisse postea cognitum fuit, quasi euentum in suis manibus haberent. Milites illi vagi longo tempore noti inter se, & periti rei bellicæ, celeriter instrui & suo quisque

Sleidanus lib. 22. sub initium *Chytræus Saxon.* lib. 16. p. 435. *Sebast. Besselmeieri* Historia Belli Magdeburg. sub initium. *Thuanus* lib. 6. pag. 195.

loco conſiſtere, & accedere ordinibus diſpoſitis ad hoſtes. Hi vero intra ſuas munitiones quaſi in tuto reſtiterunt, tormentis de colle quodam profligaturos ſe aduerſarios ſperantes. Sed vniuerſis globis fruſtra emiſſis, cum ſimul (vt fit) caligo de fumo loca vicina obſcuraſſet, priuſquam ad ſecundos ictus globi tormentis vti p.460 poſſent, vagi illi milites oppidanos celeriter aggreſſi, fortiores (hi magna ex parte ciues fuerunt, qui alicunde in illam vrbem tanquam libertatis præ aliis patronam commigraſſent) reſiſtere & prodire auſos cum profligaſſent; vel potius cum in fugam verſi equites in vallum ſuorum intra carrucas irrupiſſent, ſecuti illac hoſtes vniuerſos oppreſſerunt intra anguſtias plauſtrorum, vt neque armis, neque virtuti, neque robori locus eſſet. Tum ſubter plauſtra & carrucas elabi proximi, medii contruncari, nec minus tamen & elapſi conſecuto illos equitatu intra munitionem etiam facile penetrarunt; qua parte denſi & impediti ſua multitudine ruſtici conſtiterant. Itaque cædes miſerabilis, & fuga turpis ſtatim facta. *In hoc prælio horrendum eſt quod accidiſſe narratur. Nam filius fertur, qui cum Duce Georgio eſſet inter illas vagantes cohortes, patrem ſuum egreſſum cum aliis vrbe contra hos, cum agnoſceret, tamen interemiſſe. Hoc vt in conflictu factum, nemo putauit tam improbe aut ſcelerate deſignatum eſſe. Autor tamen cædis huius paulo poſt, cum ad aggerem quendam conſtitiſſet, fortuito globo ex vrbe emiſſo fuit & ipſe miſerabiliter interfectus; globo in frontem impacto, & ita capite eliſo, & patris ſui voluntario iugulatore obtruncato.* Et interfecti ad duo millia D. capti circiter DCC. omnibusque tormentis & impedimentis & tota munitione vagi illi milites cum Duce Georgio potiti fuerunt. Dux Georgius vexilla capta ad Cæſarem, munitionem hoſtium Duci Mauricio dono miſit. Hos milites fertur Dux Mauricius Elector conduxiſſe ad menſes tres. Acceſſerunt aliquot cohortes Epiſcopatus Magdeburgenſis, & Comitum Mansfeldenſium, quibus vrbs nunc obſidetur.

Hac obſidione inchoata, negotium & Imperatori ſignificatum, & ad ſuos relatum fuit a Duce Mauricio. Cæſar rem probauit, & ſtatim cum mandatis Lazarum Suendium ablegauit. Sed Mauriciani conuentu a Duce indicto, belli ſocietatem recuſarunt, in pecuniæ tamen exactiones conſenſum fuit. Conditiones tum Magdeburgenſibus latæ denuo fuerunt, cum ante ab Ordinibus ad cognitionem cauſæ & ſpem compoſitionis euocatæ fuiſſent, eo die ſcriptis ac datis Auguſtæ literis, quo clades, quam retulimus, accepta fuit. Conditiones fuerunt (quas ipſa ciuitas publicauit recuſatione ſua) vt rebus difficilibus & laborantibus admodum tolerabiles, ſed hæ ſimpliciter repudiatæ fuerunt. Neque putatur hæc tractatio cum multis in vrbe fuiſſe communicata.

Interea in territorium Bremenſe concurrit militum collectitia manus, numero & robore non contemnenda, cum equitibus paucis. Hi primum contra Ducem Brunſuicenſem cogi, & mox aduerſum Megalopurgenſem duci cœptæ erant, cum nemo ſciret quorſum illius impetus euaſurus eſſet; metuente etiam fratre ipſius Iohanne Alberto, ne contra ſe aliquid ille moliretur. Sed cum Dux Mauricius copias victrices conduxiſſet, & cum Megalopurgenſi per legatos res confecta eſſet; plerisque equitibus qui excitati fuerant domum reductis, reliquæ copiæ in agrum Bremenſem tranſierunt; cum forte ad accuſationem cuiusdam hominis priuati, iudicio Imperii Epiſcopus Bremenſis damnatus eſſet. Itaque illæ collectitiæ copiæ in ditione Bremenſi omnia hoſtiliter inuadere, & prædas agere, atque occupare ea loca quibus potiri potuiſſent: inter quæ oppidum Verdenſe fuit, veteri Epiſcopatu nobile. Tum terror ingens omnes vicinos atque etiam longius diſtantes regiones occupauit, vt alicubi etiam fugæ conſilia inirentur. Fama autem & exercitum illum ingentem eſſe, & minari Miſniæ ferebat. Itaque Dux Mauricius vndique militibus ægre quidem & difficulter hiberno tempore contractis, & aucto equitatu, contra Bremenſis agri vaſtatores proficiſci, vt illis profligatis vrgere oppugnatio-

nem institutam, & suam ditionem securam reddere posset. Hæc brumali tempore gerebantur.

Interea qui ad vrbem relicti fuerant, præfecto rerum summo Duce Georgio, audacius & negligentius rem administrare. Itaque primum equitum aliquot turmæ in pago quodam a militibus Magdeburgensium oppressi, cæsi captique fuere. Et biduo interposito, confidenter simul & insidiose rursum exierunt milites Magdepurgici: in quos animosus iuuenis Dux Georgius dum temere fertur, & primos facile reiicit ac propulsat, vltro etiam cedentibus & huc elicientibus his, vt Ducem
p.462 in insidias præcipitarent, ita accidit, vt equo Dux semel atque iterum deturbatus, in potestatem hostium saucius perueniret, & in vrbem captus deduceretur. Memorabili fortunæ conuersione, & Attiliano quodam exemplo, si parua cum magnis conferenda sunt. Duci Georgio in vrbe periculum a mulierum, quarum superiore prælio viri occubuissent, sæuitia impendisse aiunt. Hic dies fuit XIII. Calend. Ianuarii. Dux Mauricius cum neque sibi ab illis Bremensibus copiis metuendum crederet, & detrimentum acceptum cognouisset, suos ad vrbem reduxit, & repente omnes vbique in sua ditione expedire arma, & paratos præstolari imperium militiæ, & nobilitatem de præfecturis & obnoxiis bellicæ seruituti fundis statim ad se accurrere iussit, in oppidum principum Anhaltinorum Zerbestum. Ab ordinibus autem Imperii Romani decretum fuit, vt ante pecunia collata in huius belli sumtus conferretur LX. M. in mensem. De cæteris Cæsar prolixe promisit. Interea libellis edendis non cessatum: sed mutuis conuiciis ac maledictis vtrinque strenue dimicatum fuit. Quæ læuitas nostris temporibus & infamiæ dedecus addidit, & ignauiæ damna inflixit nationi Teutonicæ.

Cum autem accusarentur violentiæ & iniuriarum & crudelitatis, vel immanitatis potius, Magdeburgenses a collegio Sacerdotum, penes quod tum Episcopo mortuo more maiorum summa rerum esse debebat; permanserunt illi in hac defensione, vt dicerent se propter assertionem veritatis Euangelicæ oppugnari, neque vllam conditionem accipere posse ab iis qui illam odissent. Etsi autem a Mauricianis ostendebatur, causam Religionis, si Augustanam veterem confessionem probarent, diuersam non esse: tamen illi in eo perseuerabant, se solos sinceram Euangelii doctrinam retinuisse, neque Mauricianos satis fortes & constantes in hac parte fuisse; quod vel Cæsaris, vel præsentium temporum, vel vllius rei consideratione & respectu moueri se passi fuissent, vt quacunque ratione concedendo aliquid quieti consulerent.

Cum nobilitas euocata Zerbestam conuenisset, & iam princeps Mauricius exercitus contra copias Bremenses ducere instituisset, plerique illorum se ad sequendum teneri negauerunt. Pauci tamen ad imperatum faciendum præsto se esse professi, laudem obedientiæ consecuti sunt. Alii literis quidem se & factum suum defendere conati fuere, sed Ptincipem placare non potuerunt. Qui cum equitibus ferme bis mille, & peditibus numero imparibus hostili exercitui, ad Bremenses copias accessit, & illas in oppido Verdensi deprehensos grauiter pressit; cum etiam ipse nonnihil difficultatis experiretur, præsertim commeatu deficiente. Interea & Cæsaris Caroli literis Bremensibus copiis certorum dierum tempus indicatum fuit, quo ni dissiparentur, pro Imperii hostibus & sceleratis latronibus haberentur, quæ est infamia militaris summa. Hac comminatione illi territi, & quod equitatum non haberent, & commeatus interclusi essent, primum concurrere & tumultuari: mox per Duces conditiones tulerunt & acceperunt, & laceratis vexillis in quædam capita iureiurando adacti, ita discesserunt, cum quidem ad duo M. Mauricius suis stipendiis conduxisset. Cæteri palantes & dispersi, receptus hic illic quæsiuerunt. Hæc gesta sunt Anni LI.

M D LII.

POsthæc oppugnatio Magdeburgi non quidem multo acrior, sed minus timenda fuit. Velitationes quidem factæ, maxima vi erumpentibus obsessis, & oppugnantes varie affligentibus, & machinis lædentibus plurimos, dum hyeme desinente & frigore finito, cum oppugnatio vehementior apparari cœpta, accersitis vndique fossoribus, vt vrbs vallo cingeretur. Tum obsessi incremento fluuii Albis, qui præter vrbis mœnia fertur, occasionem nacti, nauigiis quibusdam instructis & munitis excursionem fecerunt, & diripuerunt in vicinia oppidula quædam & pagos, sine discrimine ditionis prædas agentes vbi reperissent. Inter hæc tamen rursum tentata fuit pacificatio, interponente se Johanne Marchione Electoris Ioachimi fratre. Et Marchio Ioachimus ad Mauricium venit Dessauiam, oppidum Anhaltini principis Ioachimi, Idibus Martii. Principis Mauritii animus a pace non abhorruit: Collegium Sacerdotum durius fuit. Sed ciuitas omnes pacis conditiones repudiauit. In Albi multi libelli & literæ comprehensæ fuerunt. Inter p.463
has Alberti Comitis querentis de inopia sua, & significantis filiis suis, *Res esse in vrbe non plane expertes periculi ;* & cuiusdam Galli nomine, qui cum iam ad externam vim sustinendam vrbem satis pacatam esse crederet, in illam se ante biennium contulerat, & ad populum in templis concionandi munus adeptus fuerat. Is etiam notis conscriptas literas ad amicos in Saxonicis ciuitatibus mittere studuerat, ad commouendos hominum animos. Sed querela omnium fuit, se turpiter a Bremensibus copiis destitutos esse. Constat etiam βλακικά quædam inuenta ductoribus tum demonstrata, vt de hastis globos eiacularentur, & alios docuisse quomodo allici ad oppugnationem hostes, & magno numero trucidari possent: quæ tamen vt ab imperitis excogitata, spreta & derisa fuerunt. Tantus autem ardor fuit, vt sanguinem suum plerique non dubitarent impendere exitio aduersariorum.

Artes βλακικαί.

18. Martii. Cum autem circumuallationis opus vrgeretur XV. Calend. April. & Princeps ad tractationes de pace Dessauiam profectus, nondum in castra redisset, fossores quidem ad opus faciendum strenue adigi, sed præsidio militum negligentius defendi. Iusserat enim Princeps semper vexilla quatuor in armis ad eruptiones repentinas præsto esse, tum vero vix vnum, & illud quidem numero militum admodum diminutum affuit. Subito igitur eruptione magna multitudine hominum facta, copiæ Magdeburgenses vna parte fodientes rusticos aggressi, misere conciderunt supplices & orantes veniam. Milites ceperunt ad centum qui mox dimissi fuerunt pecunia numerata, de qua initio oppugnationis conuenerat: *vt capti milites, quisquis esset, pro sua liberatione non amplius penderent stipendio menstruo.* His gestis rursum pacis spes debilitata ac fracta fuit: Ac deinceps munitionibus perfectis & aucto equitatu, adductis circiter quadringentis Francicis ab Alberto Casimiri F. Marchione, obsidione indies grauius premi ciuitas, & defensio reddi magis dubia: cum vrgeri se diutius cernerent, quam initio omnino fieri posse putauerant. Iam enim tempus anni vnius conuerti incipiebat, quo obsidio durauerat. Etsi non intermissæ eruptiones, neque non tentata omnia fuerunt, quibus hostes affligerentur. Ac constat, cum præsentissimis animis omnes difficultates esse toleratas, tum plurima fortissime gesta, cum vrbs tantis operibus esset munita, vt vi aperta inexpugnabilis haberetur. Sed tandem penuria cœptum laborari, omnium pene rerum quæ ad victum necessariæ sunt, & præsidiarius miles pene infestior imminere ciuibus quam externus. Post varios igitur & multiplices tam audaciæ quam calliditatis conatus, interponentibus se quibusdam, rursum de compositione actum fuit. Sed res eo deducta iam erat, ut nisi tradita vrbe pax fieri non posset: nam hac conditione fieri bellum Cæsar permittebat. Itaque omnia aliquan-

quantisper hærere, & impediri tractationes, quod Ciuitas, si deditio fieret, de salute & incolumitate spem haberet nullam. Persuasum tamen illi tandem fuit, *deditionem tuto fieri posse*, cum hoc affirmaretur ab iis quorum ciuitas opera ante adiuta fuerat, & quibus fidei habebat plurimum. Ita factum fuit vt se fortunasque suas Mauricio traderent.

Deditio Magdeburgi. *8. Nouemb.* *Sleidanus* libr. 23. pag. 23. *Sebast. Besselmaieri* Historia Magdeburgensis. *Hortleder* Tom. 2. lib 4. c. 17. 18. 19. *Chytraus* lib 17. p. 441. *Thuanus* lib. 8. pag 237. *Stenii* vita Mauritii.

Post annuam igitur obsidionem paucis diebus, id est VI. Id. Nouembr. Dux Mauricius cum copiis equestribus & pedestribus processit instructa acie ad vrbem. Huic obuiam venere ex vrbe præsidiariæ cohortes cum vexillis tribus, plerique sclopetarii & equites CCC. Vexilla gestarunt inuoluta, & sonitus tympanorum repressus fuit. Hi abducti fuerunt, sequentes fidem Ducis Georgii, qui hactenus in vrbe custoditus fuerat. Cumque deberentur eis stipendia mensium V. Sponsorem solutionis acceperunt Ducem Georgium: pecunia autem post quatriduum persoluta fuit, & copiæ Zerbestum, quod oppidum distat Magdeburgo XX. millibus passuum, deductæ, vbi illis dictum fuit vt dissiparentur. Egressis ex vrbe præsidiis introductæ copiæ Mauricianæ fuerunt cum V. vexillis. Postero die vrbem ingressus est Dux Mauricius cum V. vexillis, relictis ante vrbem X. vexillis, quæ manus *Inferæ plagæ Miles* nominabatur, & ea erat quæ primam stragem ediderat. In ponte deprecatio facta a Senatu gestu supplice, & oblatæ claues portarum.
p.464 Dux illas acceptas tradidit Lazaro Suendio, præsenti loco Cæsareæ Maiestatis, & mox benigne acceptos productosque in forum iurare in capita quædam, quæ tum pronunciata fuerunt, iussit. Iureiurando dicto, primum in nomen Romani Imperii & Maiestatis Cæsareæ, deinde Ducis Mauricii orarunt Ducem, vt se tueri & defendere vellet. Dux respondit: *Si ita se vt bonos deceret, gessissent, plus esse ipsos clementiæ experturos quam mererentur. Quodque ad se attineret, non defuturam Ciuitati protectionem suam, donec decreto Senatus Imperii aliud constitueretur.* Post hæc rursum eductæ fuere omnes copiæ, præter primum introductas: cum V. vexillis & aliquot equites. Negant multo plures milites quam ducentos LX. præsidiarios toto tempore obsidionis desideratos esse: cum obsidentium in velitationibus, & fortuitis ictibus, & morbis triplo plures interierint. Fuere & copiæ satis magnæ in vrbe, & ductores exercitati: ideo non magno cum negotio & periculo nullo defensa est. Scitum est quod narrant, vna in vrbis parte opportuna, veteris adhuc turris reliquum fuisse fastigium ita altum, vt ab hostibus facile conspiceretur. Eo noctu faces & lumina illata, & circum illa loca tanquam operarum, quæ aliquid extruerent, strepitus editi; atque ita in suspicionem adducti hostes fuere, quasi munitionis aliquid illa vrbis parte eximiæ construeretur. Itaque eo machinas & tormenta omnia dirigere & mox vim globorum eiaculari, atque ita frustra consumere præparatam copiam tam pulueris quam globorum tormentorum, & aliis locis vrbis parcere. Quanquam autem præsidio illo vrbs defensa fuit, tamen eam experti sunt ciues importunitatem & sæuitiam huius, vt postea non deessent, qui parum referre dicerent, *hoc ne modo vrbs retineretur, an admitteret hostes.* Pessimo exemplo in posterum, quod metu similium euentuum vrbes recepturæ potius quoslibet, quam defensionis externæ fortunam periclitaturi esse videantur.

Præsidiorum incommoda.

Eiusdem anni superiori mense educta fuerant Hispanica præsidia ex agro Wittenbergensi, quæ illam ditionem totis annis sex contumeliose vastauerant. Sed Mauricius iis rebus, quas narrauimus, confectis, cum iuberetur dimittere militem, prætexuit inopiam pecuniæ: qua quidem quin laboraret, fieri non potuit. Sed Cæsariani aliquid geri occultius suspicati, Cæsari significarunt, melius esse retineri militem sacramento addictum Cæsari. Cæsari autem placuit dissipari, & pecuniam iussit quibus posset nominibus confici, seque promisit solutionem præstiturum esse. Interea in Duringia crudeliter & flagitiose copiarum pars grassari,

pars in ditione Ducis Mauricii diuisa incolas premere. Marchio autem Albertus clandestinis itineribus in Galliam discessit.

Landgrauii captiuitas. *Sleidanus* libr. 19. pag 583. *Chytræus* libr. 16. pag. 421. *Thuanus* lib. 4. pag. 122. *Hortleder* Tom. 2. lib. 3. cap. 75. 76. 84.

Egerat Dux Mauricius cum Cæsare toto quinquennio subiectissime de soceri sui liberatione, quem quidem constabat calliditate quorundam irretitum in eam custodiam delatum fuisse. Sed mirifice res vel protracta, vel etiam elusa ad illum vsque diem fuerat. Cum autem impetratum fuisset a rege Cymbrico & multis illustrissimis Principibus, vt deprecatione sua apud Cæsarem, clementiæ illius responsum certum de Principis captiui liberatione elicerent: postulante Cæsare, vt Dux Mauricius ipse ad se veniret, placuit Duci ostendere literis Cæsari, id se esse facturum cum primum recte posset. Eam occasionem Cæsar arripuit, & ne tum quidem cum tam multi & tales deprecatores peterent, responsum de Principis captiui liberatione dedit, sed totam rem ad Ducis Mauricii aduentum reiecit. Dux Mauricius iter ingressus; fertur quorundam magnorum & potentium literis monitus fuisse, vt eo in itinere caute & circumspecte versaretur. Et in illum articulum Marchionis Alberti reditus ex Gallia forte incidit. Itaque Dux Mauricius ad Cæsarem, quo proficisci instituerat, non perrexit: & mox violenta consilia agitare cœpit ad liberandum socerum; cum a rege Galliæ auxilia haberet promissa. Fuerunt his conatibus implicati & alii Principes. Marchio autem Albertus videri noluit suam operam conductitiam esse. Etsi autem illa negotia sic gesta administrataque sunt, vt Germaniæ conturbandæ, & præsentem statum Imperii euertendi causas dedisse videantur: tamen memorabile est quod in illis animaduertitur: id accidisse tum quoque, quod ante multa sæcula fieri solere oraculo prædictum fuisse accepimus: *Eisdem aliquem artibus plerumque circumueniri quibus* p. 465 *ante alterum ipse ceperit*. (Vsque adeo autem dissimulata consilia belli istius fuere, vt Dux Mauricius suos etiam ad Synodum Tridentinam tum indictam miserit: quæ vti instituta erat temere, sic facile est dissoluta: nam ad nuntium belli omnes sunt dilapsi. De huius Synodi consilio & actionibus nunc disserere non est propositum: & (vt verum fatear) quid narrem non reperio, nisi omnia & incepta & gesta me cognouisse præpostere atque peruerse, vt de talibus initiis atque conatibus finis & euentus felix sperari non potuerit.) Cum enim mirifica calliditate publica gubernatio ad illum vsque diem vsa fuisset, & omnia obscuris atque tectis machinationibus confecisset: similiter tum aduersarii potentiæ & inclementiæ Cæsarianæ, occultando & dissimulando, etiam fingendo quædam, non parum rem Cæsarianam labefecerunt.

Sleidanus libr. 24. ineunte.

Tridentina Synodus.

Ernberger clauss. *Inspruck.* *Stenii Vita Mauritii.*

Cum autem occupata arce in Alpibus Tirolensibus, propemodum omnibus viribus humanis inexpugnabili, Cæsar coactus Oenipontem relinquere, & se in Carinthiam recipere, institutæque fuissent Passauii ad Danubium tractationes de pace: interea miserabiliter Germania ferro igneque lacerata, & direptionibus vexata fuit, inprimis territorium Vlmense & Norimbergense.

Norimberga Francofurtum. *Sleidanus* libr. 24. pag. 769. 780. 784. *Thuanus* lib. 10 pag. 312.

Norimberga etiam a Marchione Alberto oppugnata. Sed pecunia numerata, & traditis machinis aliquot bellicis, ea res composita, & ad Francofurtum omnes copiæ abductæ fuerunt. Præuiderat ea ciuitas periculum, & præsidia magna comparauerat: itaque oppugnatio fuit difficilior. Ibi Georgius Dux Megalopurgensis fortuito ictu machinæ bellicæ occubuit. Et mox de pace inter Cæsarem & Ducem Mauricium conuenit. Itaque ille suas copias Francofurto, non paucis (a quibus & relictus fuit) inuitis abduxit. Marchioni Alberto cum latæ, & a Duce Mauricio acceptæ conditiones non placerent, obsidionem quidem vrgere visum non fuit, sed propius Galliam potius contendendum. Populabundus igitur per Moguntinam ditionem, & Treueros ad Mediomatrices (quam aliqui Metiam ac instauratore Mario Metio C. Iulii Cæsaris præfecto nominarunt, nobis etiam *Metas* esse has non abhorrere videtur a vero) peruenit. Eam vrbem Galli occupatam præsidio firmarant, & magnis operibus

Metz.

munive-

muniuerant. Et iam Cæsar ingenti exercitu comparato ad illam oppugnandam aduentabat.

Albertus Marchio, qui eo animo in illa loca venisse crederetur, vt suas copias, quas habebat bellicosas inprimis, cum Gallicis coniungeret, non diu commoratus ibi, a Cæsare deprecatus aduersationis pœnam, illique reconciliatus fuit conditionibus optimis: inter quas erat, vt transacta Wurcepurgensi & Bambergenti Principibus inuiolata iure pacti conuenti seruarentur; cum prius & illa omnia Cæsar rescidisset, & seuerissime mandasset, vt occupata a Marchione reciperentur, & omnibus actionibus obligationem & fidem detraxisset. Captiose autem illa perscripta nouis motibus occasionem dederunt, & alterum bellum excitarunt, non minus neque leuius priore. (Extorserat Marchio Episcopis duobus Babepergensi & Wurcepurgensi, vt pacifcerentur ille besse propemodum regionis & territorii sui, hic valde magna pecunia. Norica autem Ciuitas ea de quibus conuenerat, quamuis indigne vexata, & multipliciter non seruatis iis, quæ in conditionibus erant, afflicta, persoluit & tradidit Marchioni sine detrimento. Cæsar qui imploratus neque Episcopis subuenisset, re integra, neque ad opem ferendam vllis se pararet, ægre tulisse fertur & magnopere improbasse Noricas actiones. De Episcopis autem ferebant solitum dicere Atrebatensem: *Quo tempore Cæsar pecuniam postulasset, eo negasse illos se habere pecuniam: Marchione autem eos oppugnante, reperisse pecuniam.* Itaque intellectum fuit, quadam malitia desertos illos, & deinde cætera sic gesta fuisse, vt cum adiuuari edictis saltem Cæsarianis possent & deberent, indignis modis læsi, talia illa proponerentur & scriberentur, vt ambiguitate etiam hosti prodessent. Nescio autem cur culpandi sint, qui vel interitum vel extremas calamitates auertunt pacifcendo, & se redimunt quanto licet, neque omnia in discrimen adducunt, cum tamen interea fidem non violent. Ac venit
P 466 mihi in mentem defensionis Anaxilai Bissantii, qui humanissimo iudicio absolutus fuit Spartæ reus proditionis, cum docuisset vitam ciuium suorum ita esse conseruatam, quod Clearchus ciues affligeret, non tueretur. Quæ autem tum gesta sunt, ea explanare non libet, obstante pudore quorundam, & dedecoris atque infamiæ metu nostrorum ad externos.

Marchionem non fuisse a Gallo receptum ferebatur, vetantibus admitti hominem inquietum & turbulentum proceribus regni, præsertim Præsulibus. Cæsar hyeme Mediomatricum vrbem obsidendo peracta, cum machinis bellicis munitiones disiecisset, non tamen ausus fuit oppugnationem violentam tentare, ita strenue præsidia Gallica recentibus operibus munitiones intra dissipatas excitarunt. Itaque tandem frigoris vi, & morborum lue pene extincto exercitu Cæsariano, obsidio soluta fuit. Et Cæsar in Belgium rediit, vbi grauiter cœpit ægrotare. Horribile est quæ fœditas stragis illius, & quæ calamitatis magnitudo fuisse perhibeatur. Etiam auaritiæ scelus frumentis suppressis auxit publicam cladem, quæ postea corrupta magno aceruo reperta esse traduntur. Sed ita acre malum fuit famis, egestatis, frigoris, morbi, vt ipse cibi & potus quiduis auderetur. Passim etiam iacuere tam homines quam iumenta insepulta. Etiam in tabernaculis multa cadauera congelata, super quibus alii considere non verentur: quos plurimos, cum aliquid escæ aut potus nacti fuissent, mox similis fati finis excepit.

Marchio Albertus & ipse ad suos reuersus, postulauit fieri promissa secundum Cæsarianam reconciliationem. Cum autem Cæsar ante mandasset, vt Germaniæ ordines vbique locorum se coniungerent, & pacem publicam decretam tuerentur: accidit vt Francicæ regionis seu tribus Ordines, obtemperantes Cæsarianis iussis, hoc nomine se coniungerent. Itaque Marchioni aduersari imprimis Princeps Bambergensis, cui bene dimidium * suæ ditionis penitus eriperetur, & cogi ad illum tuendum cæteri. Ibi Palatinus Rheni, & alii Principes, periculum

Sleidanus libr. 24. pag 78. *Hortleder* Tom 2. lib 6. c. 1. *Thuanus* lib 11. p. 343. *Chytræus* libr. 16. pag. 462.

Metis obsidio soluta. *Sleidanus* libr. 24. pag. 790. *Chytræus* libr. 17. pag. 462. *Historia oppugnationis vrbis Metensis in Schardii* Tomo 2. p 543. *Thuanus* l. 11. p. 348. *Sleidanus* l. 22. p. 296. *Hortleder* Tom. 2 lib. 61. *Thuanus* libr. 12. pag. 353.

* bes δίμοιρον.

fecerunt voluntatem vtriusque partis, si quoquo modo res componi posset. Sed ea fuerunt postulata Marchionis, quæ iniqua viderentur vniuersis: & refragatio & contumacia aduersariorum importuna. Itaque tum bellum exortum. Marchio celeritate vsus equitem contraxit, & cum Wircepurgo cognouisset adduci copias (vexilla sex erant cum non magno equitatu, cui Nassauiensis Iohannes præfuit) in itinere illas aggressus fudit, cum vtrinque ad D. cæsi interiissent, multis vulneratis: cæteri abiicere arma iussi, & in deditionem accepti sunt. Marchio benigne compellauit victos, & saucios curari iussit, & more Germanorum adegit iuratos ad promissionem, *contra Cæsarem & se non laturos arma mensibus VI.* volentibus etiam suis auspiciis stipendia facere, bene pollicitus fuit.

III. Id. April. 1553.

Hochsted. Postea Marchio Hohestadium tentauit: sed præsidium ibi collocatum vim oppugnationis hostibus detrimento affectis, fortiter repulit.

Interea Pabeperga quidquid peditatus & equitatus fuit abductum, cum ingenti terrore omnium, quem fuga multorum, præsertim ordinis sacerdotalis secuta. Ciues munitionum aliquid, quod paulo ante, cum defendi posse vrbs speraretur, institutum fuerat, statim diruerunt, & deditionem se facturos præ se tulerunt. Praesul Vorchemium se contulit, relicto præsidio in arce veteri quæ vrbi imminet. Marchio tormenta maiora aducturus, Landespergium in Francos, arcem ante aliquot annos occupatam, cum ditionem Suarcepergensem inuaderet, & authoritate Cæsaris sibi vendicaret, concessurum se esse famam dispserat: sed occupationem Pabepergæ animo agitabat, vt euentus declarauit.

Forcheim.

XVI. Kalend. Maii.

Cæsar illo tempore in Belgico, & cum valetudine, & aliis rebus aduersis conflictari. Res in Italia esse turbulentæ. Papa Cæsarianas copias, quæ compararentur ad Senarum recuperationem, metuere. Miserat autem Cæsar Ducem Albanum in Italiam mortuo prorege Neapolitano. Gallorum rex etiam non quiescere, & insectari Cæsarem litteris ad Principes Germaniæ scriptis; quibus hortaretur, vt partam suo beneficio libertatem retinerent, neue debilitatum Cæsarem vires recolligere paterentur, qui hoc semper egisset, vt oppressa Germania regnum suum stabiliret. Neque tantum homines suspicabantur, sed plane etiam loquebantur, Marchionem a Cæsare ad turbandas res subornatum & instructum esse; quod vel ita vires Germanorum mutuis certaminibus frangi, vel sine suo sumtu copiis contractis, quoties vellet, sua authoritate compositis rebus potiri posse arbitraretur. p.467

Cum ita hæc gererentur, Rex Ferdinandus & tres Principes Electores, cum aliis quibusdam Principibus & ciuitatibus tractationem habere instituerunt de fœdere ad pacem publicam tuendam; ad hanc Ægranum oppidum delectum. Cæsar etiam Memmingæ conuentum haberi eiusdem rei caussa iusserat.

Egra.

Hohestedii expugnationis spes cum frustrata fuisset Marchionem, statim tumultuose inde copias, non paucis amisis, retro inde abducere se simulans, subito impetum omnem Pabepergam conuertit: quam defensoribus vacuam facile cepit, non modo resistente nemine, sed qui remanserant, iis etiam se humiliter dedentibus in potestatem Marchionis. Festinare autem Marchio existimabatur, vt coniungeret se cum copiis, quas adducere deberet Christophorus Comes Oldepurgi vexillorum circiter viginti, & equitum M. quos tum Hessiam transiuisse ferebatur, falso quidem, vt postea cognitum fuit.

Bamberg. capitur.

Etsi autem multi mirabantur, illac duci exercitum permissum Oldeburgio fuisse, tamen adhuc opinio erat Ducem Mauricium Marchioni amicum non esse. *(Sed de Oldepurgensi etiam exercitu famam falso sparsam postea compertum fuit.)* Wirceputgensis autem Princeps equitum nonnihil & peditatum satis magnum collegerat. Itaque Marchio occupata vrbe statim postulauit, vt arx traderetur. Hoc facere recusantibus iis quorum fidei illa credita a Præsule fuerat, moræ paululum fuit interiectum. Marchio postulata sua ad Præsulem misit, & conditiones

illi tulit, vt fœdere inito ſe abdicaret, vt ſibi oppida ante bellum traderet, vt controuerſias omnes iudiciarias aboleret; quas niſi acciperet, ſe exacturum de ciuitate C. M. aureorum. Qui arcem tenebant, cum primum fortiter reſpondiſſent, poſt triduum illam omnibus rebus ad bellum & defenſionem inſtructiſſimam Marchioni tradiderunt. Recordati fuerunt homines ſermones ſenum, prædicantes patriæ tales euentus. Quodam etiam tempore cum ciues munire vrbem vellent, Sacerdotum collegium id fieri vetuit, quod iam tum ſubditis malignius confiderent. Tum memorabant ſeniores, auditas eſſe optimatum liberas orationes, qui etiam affirmarent, *futurum eſſe aliquando, vt munitam eſſe vrbem optarent.* Eſt in ſummo templo ſepulcrum marmoreum Clementis Pontificis, in cuius latere expreſſa quatuor Virtutum ſimulacra viſuntur, & inter hæc Iuſtitiæ cum libra; quæ cum eſſet effićta inæqualiter lancibus appenſis, vt effingi libræ ſolent, de hoc veteres conſtat auditi priorum vaticinia retuliſſe: *Si quando illud iugum directum fuiſſet, & exæquatæ lances, tum imminere ingentem calamitatem ditioni Pabenbergenſi, & Eccleſiaſticæ poteſtati.* Id de libra de magnis viris ita ſe habere animaduerſum eſſe iis temporibus, quibus tumultus plebei graſſati in Germania fuerunt, & ita illos interpretari prodigium auſim, quaſi iam accepta clades ſignificata, & res Pabenpergenſis fato illo infelicitatis defuncta eſſet. Sed maiora ſcilicet mala impendiſſe apparet, quæ vtinam hoc etiam loco inſtant. Nam & quendam non bene mentis compotem, paulo ante hunc caſum, cum ipſe morti eſſet vicinus, optaſſe narrant, *templum Pabepergenſe nunquam fuiſſe extructum.* Cum cauſam voti ſciſcitarentur aſtantes, reſpondiſſe fertur, *Quia iterum illud conflagratio maneret.* Id Teutonicis verbis ambigue quodammodo pronunciatur, vt & conflagratio ſimpliciter, & ſecunda conflagratio ſignificetur. (alii narrant auditum eſſe ex illo, *grauiter afflictam iri ciuitatem Bambergam, ſed abiturum malum ſine cædibus & incendio.*) Conflagrauit autem illud poſt primam extructionem annis circiter CL. & inſtauratum fuit ab Othone præſule viro religioſo ac pio. Prodigium.

Interea Cæſar conuentum ſe habiturum Francofurti perſcribere, & Ordines vniuerſos Imperii illuc euocare, polliceri ſe cogniturum de omnibus, & operam daturum, vt remotis cauſis diſſidiorum pax in Imperio conſtituatur; & edicere, *Ne quis alteri vim faceret, aut arma intentaret.* Edicto huic parere Marchioni fa-
p.463 cile eſſe credebatur, qui interea iis quibus potitus eſſet, alere copias poſſet: cum aliis & erepta ſua, & magnis impenſis exercitus retinendi eſſent. Itaque ſermones haberi libere, & omnia vndique reddi ſuſpecta, & creſcere diffidentia. Marchio arcem Pabepergi captam ſtatim inflammauit; vbi & commeatus, & argenteorum vaſorum nonnihil repertum; nam Epiſcopus defenſum iri arcem ſperauerat. Et non diſſimulauit, ſe ita eſſe animatum, vt ſi in ſuas conditiones res componi non poſſet, ipſe non ſolus periiſſe, ſed aduerſariis etiam author exitii fuiſſe videretur.

Tractatio Ægrana lente proceſſit, Memmingenſis plane euanuit. Ac putabatur Rex Ferdinandus negotiis Turcicis occupari, expectabatur tamen Princeps Plauenſis, qui a Rege cum mandatis adueniret. Affirmabatur autem Turcicam claſſem inſtructiſſimam Conſtantinopoli ſoluiſſe & Siciliam petere. Ferebatur etiam Pontificem Romanum, & Regem Angliæ, pacificationem tentare inter Cæſarem & Galliæ Regem; quam multi perfectum iri arbitrabantur; & hoc eius rei cauſa Cardinalis in Germaniam veniſſe, & ad Cæſarem contendere ferebatur.

Capta Pabeperga, Hocheſtadium tradi ſibi Marchio iuſſit. Cum præſidium peterent tutam deceſſionem, & Marchio Wurcepurgenſes exciperet, noctu confertim oppido egreſſi, Vorchemium vel inde euocati, vel vltro omnes ſe contulerunt.

Silesii equites. Cum Marchio Albertus Pabepergam occupasset, & plerasque Canonicorum ædes ac domunculas alias Sacerdotum diripiendas tradidisset equitibus, ciues autem exactionibus compilaret: cognoscit Norimbergensibus adduci equites Silesios, quorum illi opera ad excursiones vsuri essent. Itaque vna parte missis aliquot turmis suorum, altera cum reliquis copiis ipse profectus, equites Silesios qui intra oppidulum quoddam Norimberga distans M. Pass. XXIIII. se receperant, eo adegit, vt se cum suis omnibus traderent. Hoc successu magis ille metui, & confirmari eorum animi qui cum eo se coniunxerant, & aduersarii reddi timidiores, & de illa ipsa oppressione equitum varii sermones haberi: cum alius aliud accusaret, reprehenderet, notaret, quemadmodum fieri consueuit rebus non satis exploratis, & non similiter affectis animis. Mihi quidem consilium nunquam fuit vt historiam scriberem, sed quæ accidisse cognouissem, ea initio placuit notare. Quod si ea esset facultas nostra, quæ in eo debet esse, qui ita litteris mandaturus sit res in bello aut pace publice gestas, vt expositio digna sit prudentum & doctorum lectione; tamen opus hoc aggredi non liberet; quod non sperare auderem mihi eam cognitionem rerum posse contingere quam copia narrationis desideraret. *Temporum iniquitas.* Primum enim ea calliditate, & versutia, & ita tecte, calculum, occulte cum consulta tum acta omnia esse & nunc fieri constat, vt ea quæ forte euulgentur, dubia & incerta esse omnia necesse sit. Cum enim de industria, tum interdum fortuito plerumque falsissima fama dispersa fuit, quam sequentes turpiter errarent. Iam proferuntur de secretis illis deliberationibus omnia propemodum ita insidiose & astute, vt rumores nunquam fere cum actionibus consentiant. Etiam hæc negocia ita & ipsa mirabiliter inuolui & conturbari vidimus, vt credibile sit, ne eos quidem qui autores sunt & administratores; liquido sæpenumero aliquid cognitum aut firmiter constitutum habere. Ex eo est factum, vt nemo quisquam alteri fidem, & vnusquisque alterum suspectum haberet, formidaret, odisset, cum interim simularet sæpe summum studium & beneuolentiam animi singularem.

Alberti sæuitia. Sed redeamus ad rem. Dissipatis illis equitum auxiliis, in territorio Norimbergensi atrociter grassatus fuit Marchio, & ferro ac igni sæuiit crudeliter: & si quibus pepercit, iis tantam imperauit pecuniam, quam si persoluerent, omnibus eos fortunis euerti necesse esset; ipse tamen vades solutionis abduxit. Constat Bamberga arreptos in Saxoniam vsque ciues honestos, annis graues, quosdam etiam effœtos ætate & viribus defectos, e quibus nonnulli in itinere mortui fuerunt. Arcem quandam cepit, traditam illam quidem a præsidio, cuius dominus erat vnus ex nobilitate autoritatis præcipuæ in ditione Pabepergensis. Homo vehemens & iracundus, eam statim inflammari iussit, & præsidiarios suspendi laqueis de proximis arboribus, matremfamilias & mulieres captiuas abduxit. Cum p. 469
autem ex illis locis discessisset, Norimbergenses comparato equitatu mediocri, similiter oppida Marchionica aliquot diripuerunt, & munitiones & arces quasdam excusserunt. Cumque eduxissent etiam pedites ex vrbe, Marchio summa celeritate cum suis copiis accurrit, & recipere illos se intra vrbem coegit, profectus spacio horarum XXI. amplius mil. pass. LX.

Interea Episcopi mittere suos, qui pecuniam conficerent, quibuscunque modis possent, & exercitus conducerent: facta autem spes illis fuerat succursionis, & a Duce Saxonum Mauricio, & Brunsuicensi Henrico. Cum autem Brunsuicensi in sua ditione nonnihil difficultatum obiiceretur, tardius suppetiæ laborantibus latæ fuerunt vt spacii satis haberet Marchio ad vastandam Franconiam. *Eisenach.* Conuenerunt tamen tandem magnæ copiæ, equitum inprimis, ad Isenacum, cum quidem Marchici excursiunculis quibusdam pedites vlterius progressos disiecissent.

Interea

Interea Francofurti de compositione deliberatum, vbi iam Electores tres Episcopi, & Palatinus Rheni conuenerant. Sed res cum negligenter, tum etiam ita acta, vt variæ tam suspiciones quam sermones quoque hominum orirentur: cum aliqui minori curæ esse tantas res conuentu, quam deberent, quererentur, alii tractationes pacis aut repressionem violentiæ callide impediri, a quibus minime oporteret, coniecturis quibusdam colligerent. Sed rebus omnibus incertis & suspensis, ille conuentus dissolutus fuit.

Cum autem in Brunsuicensi ditione turbarum non minus esset, eduxit copias equestres & pedestres haud contemnendas Philippus Magnus Hencici F. Dux Brunsuicensis, vt se cum aliis stipendiariis Franconicorum Principum, quorum ductor erat Herdeccius, coniungeret. Quo facto valido exercitu profecti fuerunt, vt opem auxiliumque ferrent Principibus Franconicis, quos Marchio Albertus grauiter & hostiliter vrgens affligebat. Qui cum animaduerteret se parem aduersariis non esse, capto derepente nouo consilio, peditatus præcipuam partem in *Sleidanus* lib.25. ineunte.
oppido imperii Romani ad Mænum, quod vi occupatum tenebat, reliquit: ipse *Sueinfurt.*
cum equitibus circiter MD. celeritate summa & maximis itineribus per Duringicam siluam recta in Saxoniam contendit. Cum autem transeundum esset Ducis Saxonum Mauritii & fratris illius Augusti territorium, neque eá de re certiores Principes reddidit, neque vbique ab iniuriis & vi temperatum fuit; Erphordensium quidem pagos multos diripuit, cum illi ingentem pecuniæ summam, quam postularat, persoluere recusassent. *Erford.*

Auditum etiam postea fuit, ad Iohannem Fridericum venisse Marchionem Albertum, & secreto cum eo locutum, atque obtulisse illi operam suam & exercitum quem haberet, ad recuperanda erepta a Cæsare, & occupata a Duce Mauritio. Sed Iohannes Fridericus Princeps pius & sapiens, fortunæ etiam experientia tum redditus doctior, vel indignum se negocium neque satis honestum ratus, vel audaciam conatus improbans respondit; *se statuisse, omnia se in posterum æterno Deo permissurum, neque vnquam iterum bellum suscepturum, neque gerentem adiuturum esse.*

In Saxonia habuit statim socium & adiutorem consiliorum atque actionum suarum Ericum Ducem, cum quo nupta esset soror Ducis Mauricii: & omni studio copias vndique colligere, & ciuitatem Brunsuicensem ad communitatem belli adducere conatus fuit. In quam receptus ille quidem non putabatur, consecutus ea, quæ sperauerat; etsi & honorifice habitus, & armis instructus fuisse perhibebatur. Cum postea tamen compertum fuerit, & allectum eum ab hac ciuitate, & omni ope adiutum fuisse: quod metu & odio Ducis Henrici, quem sibi sciret esse infensissimum, factum fuisse credebatur.

Quæ cum adhuc gererentur, cumque mirifici & contumeliosi atque minaces sermones spargerentur in vulgus, de Duce Saxonum Mauricio, contraque ditionem Misnicam, Dux Mauricius faciendum neutiquam ratus, vt eas res ita procedere videret atque pateretur, cum suo quoque & suorum periculo; etiam misericordia motus communis patriæ, quam tam crudeliter nefaria vi diripi, vastari, euerti cerneret; monuit Marchionem literis, vt tandem violentiæ intolerabilis modum statueret, aut plane declararet de illo bello voluntatem suam. Ad has
p.470 literas ita respondit Marchio, vt quid sibi vellet ac quæreret, cognosci non posset, neque ea explicaret, de quibus ad eum scripserat Dux Mauricius. Rex etiam Ferdinandus multis signis perspexit, illius belli pericula ad se quoque & suum regnum pertinere. Ideo tandem ambobus exercitum contra Marchionem educere placuit. Ac magnis equestribus copiis & mediocri peditatu contracto, Dux *Diffidatio.*
Mauricius in expeditionem profectus, & denunciatio belli necessarii perscripta *Sleidanus* libr. 25. pag. 796.
literis, solenni militiæ more, Marchioni in castra transmissa fuit. Quibus lectis nonnihil illum quidem perturbatum fuisse ferunt, sed rem tamen dictis mordacibus

cibus elusit, & puerum nobilem qui literas illas attulerat, donatum aureis paucis cum superbo responso dimisit: *Se illo loco expectaturum eos, quibuscunque placuisset rei secum negotiique aliquid habere.* Sed admouente castra propius Duce Mauricio, & acie instructa se ad conferendum manus paratum esse demonstrante, Marchio quod sustinere sese vim illius posse non confideret, cessit aliquo vsque retro, ita vt videretur opportunitatem petere eorum locorum, per quæ cum equitatu expedito recipere sese in Misnicas Duringicasque & inde in Franconicas regiones posset. Quo animaduerso Dux Mauricius equitum aliquot turmas, qui præoccuparent angustias quasdam locorum, qua exeundum esset Marchioni abituro, ablegauit. Ille itaque cernens propositum se suum persequi non posse, aliis modis tergiuersando bellum trahere instituit, & se cum exercitu ad vrbem Brunsuigam recipere. Sed cum die nona mensis Quintilis iam a meridie declinante velitationes quædam fieri cœptæ fuissent, ita tum subito vtrinque aliquibus succurrentibus suis, & animi exacerbati & copiæ auctæ fuerunt, vt res ad iustum conflictum contra deliberata perueniret, & collatis signis decertaretur horis circiter V. Quo in prælio principis Mauricii & turmarum aulicarum præcipua virtus fuit, quæ & grauissime afflictæ sunt, multis inclitæ & nobilis conditionis equitibus interfectis, & ipso Duce ictu bombardæ manuariæ vulnerato, delata pila ad ilia supra coxam sinistri femoris: qui in castris postera die placido & religioso ac sancto fine vitam suam in terris clausit.

VII. Id. Iul.

Brunsuicensium etiam equitum impressio vehemens fuisse narratur. Carolus quidem Victor Henrici F. Dux Brunsuicensis tum cecidit, & frater Philippus vna, circum patrem Henricum fortissime hostes adorti. Marchionem qui secuti fuerant, partim cæsi, partim capti. Ex ductoribus quidem euasisse perpaucos, qui non vel in prælio occubuerint, vel in hostium potestatem venerint, satis constat. Mauriciani vexilla pedestri a XL. & X. equestria retulerunt. Ipse Marchio Albertus fuga elapsus, recollectis aliquot turmis qui conflictui non interfuerant, Hanobram primum Erici Ducis vrbem petiit, & inde in arcem munitam Neostadium sese recepit. Inde literas misit superbe & contumeliose scriptas ad Ducem Henricum Brunsuicensem, quibus & calamitatem ipsi propriam exprobraret, & læte atque insolenter ferret interitum Principum. Sed nihil tum rescriptum illi fuit.

Mauricii obitus. Sleidanus lib. 25. p. 802. Stenius vita Mauritii.

Hanouer. Neustad.

Magna & atrox hæc clades fuit, quæ non paruam partem roboris equestris absumsit: vt autores conflatoresque huius belli Germaniæ acerrimi hostes fuisse videantur. Neque nostra memoria Germanici exercitus inter sese acrius depugnarunt, aut mutuis cædibus immanius sæuierunt, aut magis deplorandam stragem ediderunt. Etsi in Mauriciano exercitu pedites pene nulli, equites autem in comparatione perpauci desiderati fuere, victoribus tamen flebilis hic successus audacia aduersariorum contigit. Tanta fuit rabies acerbitatis & alienatorum animorum, & peruicacia in persequendis inceptis. Hoc tamen constat, nisi magnitudo animi & virtus Ducis Mauricii grassanti violentiæ sese opposuisset, futurum breue fuisset, vt totius Germaniæ reliquæ adhuc vires conficerentur, & spes omnis salutis in posterum eriperetur. Quas tamen adhuc esse quantulascumque magnanima Ducis Mauricii virtus declarauit: vt iam nisi ipsa sibi Germania turpiter deesse velit bona spes concipi possit, quantumuis accisam rem vel instaurari, vel saltem sustentari posse. Id quod votis omnes patriæ amantes piarum precum petere, & quicunque possint, consiliis dictisque & factis adiuuare debent. Etsi Duce sublato e medio etiam præsidium miseræ Germaniæ ereptum videtur, vt hanc iam fata interius tangere, & mutatio summa rerum p. 471
omnium impendere videatur.

Ante

Ante hoc prælium constat diu & multum obscœnos vlulatus canum in oppidis auditos, & lacerationes fœdas deprehensas esse. Constat & in agro Misniaco non vno in loco sanguinem pluisse, guttis & super linteis & arborum foliis & ædificiorum materia dilapsis & visis. De statua Mauriciana Berlinii posita caput ante aliquot menses dilapsum: & in arce Wittenbergensi columnæ noctu ardere visæ. Quo loco prælium commissum fuit, eo cum aliis temporibus tum præcedente diem conflictus nocte, horribiles fremitus tanquam equestrium & pedestrium copiarum manus conserentium auditi: & priore die tabernaculum Ducis, in quo cibum capere solebat, vento euersum & scissum, vna cum altero culinæ, nullo alio afflicto aut læso. *Stenius Vita Mauritii pag. 531.*

Profligato exercitu Marchionis, ex literæ deprehensæ fuerunt, de quibus cognosceretur iniquissima voluntas perfidiæ multorum & cognatione coniunctorum cum Principe Mauricio, & qui singularem amicitiæ necessitudinem in familiaritatis præcipuæ vsu simulauerant. In quibus & muliebria scripta reperta: quæ omnia eam turpitudinem & tantum dedecus complectuntur, vt posse obliuione sempiterna illa obrui optem. Quid miseriæ quidem & tam publicæ quam priuatæ calamitatis allatura sint, de similibus veterum historiarum expositionibus facile colligi atque constitui potest. Nunquam enim prodita communis salus sine priuata pernicie reperitur: & perpetuo vera est vel oraculi vel Hesiodi versus sententia, *Ipsum sibi vnumquemque malum struere, qui struat alteri.* Sed cupiditatis & odii & audaciæ infinita est improbitas, & cæcus semper impetus, & tanta amentia, vt præsens pestis sæpe non consideretur, neque quid cogitatum & actum sit prius intelligatur, quam sentitur damnum: id quod sero fit plerumque & rebus perditis, vt nihil postea autoribus tam aliorum quam sui interitus & afflictionis relinquatur, quam immensa perturbatio in pænitendo, sempiternaque vel mortuos infamia & dedecus turpitudinis maximæ consequatur.

Marchio Albertus post cladem illam prælii, cum ad suos literas eas misit, quibus eleuaret vel potius eluderet verbis acceptum detrimentum, tum bellum ciuitati Erphordiensi atque Molhusensi indixit. Quod eo consilio factum putabatur, vt terrore aggressionis & his minis pecuniæ ab illis aliquid exculperet, qua magnopere carere existimabatur. *Erford. Mulhausini*

Nota, prædictum fuisse bellum Cæsarianum in Germania, cuius initium duceretur ab eo tempore quo confœderati in expeditionem profecti fuere, qui est annus Christi M D XLVII. hoc igitur duraturum esse prædictum fuit annis VIII. & grauiter afflictum iri Germaniæ præcipua loca, & opulentas vrbes, aliquarum etiam statum mutatum iri. Sed Noribergam extra mænia grauissimas clades perpessuram esse, statu tamen illius saluo & conseruata forma reipublicæ. Post tempus autem octo annorum Cæsarem in Germania non magis potentem fore.

Nota, fuisse consilium expectare hostium aggressionem; id si prosecuti fuissent, potuissent hostes in illas difficultates adduci, cum quibus Mauritiani conflictati fuere. Sed Princeps Mauricius animaduersa exultatione, & conspecta impressione hostium tanquam equus generosus ad tubæ sonitum (vt ait Maro) *stare loco nescit*, ita oblitus deliberationum & consulationum omnium in hostes agmen statim duxit. Præsertim cum periculum esset, ne hostes locorum opportunitate prærepta elaberentur, & vrbem Brunsuigam, quo tendere illos apparebat, apprehenderent: quo si peruenissent, Mauricianis magna rei gerendæ erepta fuisset opportunitas. Hoc nunciauit Henrico Brunsuicensi Philippus filius, qui primum admiratus non id fieri de quo conuenisset, deinde *Pergamus*, inquit, *& nos in hostes.* Erat via plana angustior inter duas vtrinque salebras palustres: Cumque peterentur hostes, forte fortuna euenit, vt Dux Henricus cum filiis illo deferretur ac pergeret, cæteri qui sequi eos & stipare deberent, in paludibus hæserunt, ita distractis ordinibus

& ictibus temere delatis, Mauriciani non tam ab hostibus quam a se ipsis afflicti fuerunt.

Peini. Quoniam autem prælium commissum ad Painium ab aliis aliter narratum esse scimus, studui de iis qui interfuere negocio, rem certo cognoscere, quæ ita p.472
gesta fuit. Princeps Mauricius pridie eius diei quo pugnatum est, literis allatis a Cæsare humaniter & cum significatione singularis beneuolentiæ scriptis statuit finem cœptis imponere, & postero die propius hostes castra mouere. Mane igitur statim ipse sua arma induit, & aliis hortator fuit vt & ipsi induerent, quod diceret, *sibi in animo esse, eo die prælium commissum iri*, id quod tum alius nemo fuit opinatus. Sed productis copiis, nunciatur statim aduentare exercitum hostium. Ibi Dux Mauricius ordines mox instruere, animo alacri & confidente. Sed hostes freti robore exercitus & equitum virtute, ita audacter inuecti fuere, vt cum ab Occasu pergentes & ventum, qui tum procellosus obortus, puluerem densum excitabat, & Solem a tergo haberent, magno incommodo Mauriciani afficerentur, neque a se hoc vlla ratione vlloue conatu possent auertere. Pedites Mauriciani initio conflictus non adhaere. Itaque equites impressione in hostium peditatum facta, illum fuderant, multis trucidatis, pluribus captis. Inter hæc aliquot equestres turmæ Mauricianorum terga vertere hostibus visæ: quam coniecturam de vexillorum metu illi fecerant. Per eos igitur transuersos a quibus peditatus dissipabatur, hostium equites cum tribus quatuorue vexillis perruperunt, vt protinus iis quos fugere suspicabantur, se in alios conuerterent. Hoc animaduerso is qui vltimo loco curabat, quamuis hostium tria quatuorue vexilla cerneret, tamen cum vno illis obuiam prouectus fuit, & suos inclamans maximo animo adortus hostes cecidit & strauit. Hoc momento rerum victoria confirmata fuit. Sed per Mauricianos illis (vt diximus) perrumpentibus alia etiam turma hoc compicata hostium se conuertit. In hanc Dux Mauricius inuectus, cum demum ordines propter celeres mutationes prælii, & loci difficultatem seruari non possent, a tergo vulneratus est. Sed simul vniuersus exercitus hostium aut fusus cæsusque, aut in fugam datus fuerat.

Hoc anno & in Anglia noui motus extiterunt, morte Eduardi nati annos
Anglica. tum XVI. cum non abesset suspicio veneno illum lento necatum esse. Sed res
Sleidanus lib. 25. eum habuit exitum, vt Regina renunciaretur Maria consobrina Cæsaris Caroli; &
p. [illegible] *Thuanus* de illis qui illam remouere a gubernatione conati fuerant, quorum princeps Dud-
lib. [illegible] *pr.* [illegible] *tr.* [illegible] *lib.* 8. leus Northumbrius, supplicium sumeretur.
pag. 468. Tomo II. P. V. narratio historica vicissitudinis rerum, quæ in magnæ Britanniæ regno anno 1553. acciderunt *in Schardii* *Burnetus hist. reform. Angl.* Tom. 2. Part. 2. pag. 147.

Georgius Pr. Anhaltinus. Ioachimi Camerarii vita Georgii. Hoc etiam anno obiit diem suum Georgius Princeps Anhaltinus, sapientia, virtute, fide, religione præstans. Qui & veritati cælesti consentaneos ritus cum induxit, tum conseruauit, iis etiam in locis vbi antea non vera ratione res administrata fuerat. Quod autem esset ingenio miti & natura clemente, quamuis animus & constantia & fortitudine non deficeretur, a quibusdam turbulentis contumeliis exagitatus fuit, cum illorum dedecore qui sanctissimi Principis famam arroserunt, & Principis ad bonos laude sempiterna.

Sleidanus libr. 25. pag. 803. Victoria ad Painium cruenta parta, Marchio Albertus qui fuga elapsus in ditionem Ducis Erici peruenerat, inde Brunsuigam se recepit. Et rursum equitatu peditatuque contracto, Henrico Duci infestus imminere. Casu autem fratris in-
Dania. dicato Duci Augusto, qui in Chersoneso Cymbrica tum aberat, ille paucis post diebus vna cum coniuge in Misniam venit, cum quidem in itinere (vt ferebatur) structas sibi insidias vitasset. Is bello se immiscere inconsultum ratus, ab externa tantum vi vt tutus esset, aliquantulum copiarum earum quas Dux Mauricius coegerat, retinuit: cæteras persolutis stipendiis dimisit. Cum Marchione vtrum reconciliatus esset, an non esset in vulgus ignorabatur. Sed neuter aduersus alte-

rum

rum hostiliter se gessit: & postea cognitum de transactione fuit, quæ neque necessaria, & nimis a Duce [illegible] fratris properata fuisse multis videbatur. Cum Duce autem Iohanne Friderico tractationes habebantur. Sed Marchio Albertus qui resciuisset in exercitu Ducis Henrici seditiones fieri, quod stipendia non soluerentur, propius accessit cum suis ad hostium castra, cum multo quidem ille paucioribus, sed & imprimis audacibus, & spe occasionem [illegible] rei bene gerendæ nancisci posse. Verum de improuiso rebus admodum [illegible], vt illa nocte pecunia afferretur & stipendia exoluerentur, [illegible]. Qui minus sibi prospicientes ita denuo fusi fugatique sunt, inter [illegible] præcipuis ductoribus. Cecidit hoc prælio Clusius Bernerus (hic [illegible]) iu- Sleidanus libr. 25. pag. 858. Chytræus libr. 18. pag. 465. Hortleder Tomo 2. lib. 6. cap. 11 12. 13. Ch. Ferner.

p. 473 ratus Brunsuicensis hostis, rei equestris peritissimus, & quo nemo vtiliorem operam præstitit in contrahendis equitibus Marchioni. Hic proiectus in hostium ordines, cum se euadere non posse cerneret, petiit a proximo aduersario, *vt se captiuum suum esse pateretur*; oblaturus annulum pignus fidei, priusquam ille traderetur, ab altero confossus fuit, traiectus [illegible] hastæ cuspide: nam armis munitus non fuerat. Hoc enim factum fuisse narrabatur, quod superiore prælio & ipse captus fidem seruasse negaretur.

Interea exercitus Fœderis, cum quo princeps Planensis esset, vastare non sine magnis suis detrimentis montanam regionem Marchionicam: & receptis quibusdam oppidulis Pabebergensis ditionis, quæ Marchionici occuparant, tandem oppido Curiæ per deditionem & pactionem, vt præsidio discedere armato liceret, [illegible] potiti. Cumque alterum oppidum, in quo & ipso præsidium erat, aggredi vellent, nunciatur aduentare Marchionem cum exercitu, ad nuncium autem incertum tanta trepidatio orta fuit, vt copiæ omnes congregarentur Pabepergæ: quæ res illam ciuitatem maximis damnis affecit, exercitu & ciues compilante, & vicinos pagos spoliante, vt multi occupationem Marchionicam clementiorem fuisse plane loquerentur. Marchionici autem Curiam & alia oppida facile receperunt, Marchionica etiam præsidia ad Mœnum cum aucta tum confirmata. Wurcepurgensem grauiter affligere, & omnia vbique plena esse formidinis & trepidationis. Nobilitate etiam cum sua pernicie diffidente; & conuentus tum agente. Sleidanus lib. 25. pag. 859. Thuanus lib. 12. pag. 359. Haus.

Quo tempore rebus in Saxonia compositis, cum & Duces Henricus atque Ericus inter se, & Henricus cum ciuitate Brunsuicensi reconciliatus fuisset, ita adducere Henricus suum exercitum in Franconiam cœpit, stipendiis quidem Fœderis. Et proficiscens per ditionem Copurgensem, minaces literas misit ad Ducem Iohannem Fridericum cum quo tamen & ipso postea de certis capitibus conuenit, vt neuter erga alterum hostili deinceps animo esse deberet. Milites Brunsuicenses rapinis tamen postea in illa vicinia aliquantulum grassati fuerunt. Aduentu Marchionis Alberti peditatus & equitatus [illegible] conturbati: & quædam copiæ accedere ad hostes propius, a quibus occupatum fuit nemine defendente oppidum vnum ditionis Pabepergensis. Eo statim illa manus quam Pabepergæ congregatam fuisse narrauimus, expedita accurrit, & deprehensos tam equites quam pedites extra oppidum partim profligauit atque dissipauit, partim in oppidum repulit. Eo receperunt se vexilla nouem, equitibus plerisque fuga dilapsis. Quibus ad hunc modum gestis Brunsuicensis superuenit, & tormentis admotis hostiliter adoriri oppidum. Ibi præsidium territum suppliciter precari, vt in deditionem acciperentur. Itaque postero die omnes in potestatem Ducis Henrici venerunt. Tunc duobus in vincula coniectis, alii tribuni & centuriones in libera custodia habiti, miles gregarius inermis more militari iure iurando dato, dimissus fuit. Sleidanus lib. 25. pag. 859. Coburg.

Marchio Albertus cum ad illum locum, vbi res gesta fuerat, appropinquaret, ex equitibus fugientibus cognitis iis quæ acciderant, in montanam regionem

iter conuertit; atque ibi collectis equitibus circiter ducentis magna celeritate in Franconiam contendit, nocte dieque pergens, & oppressit illo itinere quosdam in sibi ereptis locis, & illorum nonnulla, sed & alia inflammauit. In Franconia autem & arces nobilium quasdam occupauit, & rursum augere equitatum conatus fuit, confluentibus ad eum vndique aliquibus. Quod eo tempore & Albertus Rosepurgius hostis esset Palatini principis & illis in locis expeditiones equestres plurimæ fierent. Aduentu copiarum quas in montana ductas esse retulimus, terror magnus omnibus incussus fuit. Paiereutum statim qui traderent oppidum, obuiam venerunt. Sed Dux Henricus ad Plassepurgam tendere, impediente quidem iter ipsius inopia commeatus: cum pagis circumquaque plerisque omnibus incensis ab ipsis Marchionicis (vt ferebatur) ob hanc etiam ipsam causam maxime stramentorum & pabuli penuria laboraretur, Plauensis Paiereuto occupato, cum nemo oppidum iam defenderet, neque præsidium in illo esset, vt creditum fuerat, recepit Curiam vacuam defensoribus & ipsam. Marchionici autem in Franconia totum fere tractum Rænanum (ita regio vocatur quæ versus siluam Duringicam extenditur) tenebant, & vastantes & occupantes atque deprædantes omnia. Dux autem Brunsuicensis missis aliquot turmis equitum in Franconiam, & relicto peditatu ad Blasseburgum, cui subiectum oppidum incensum illud quidem a præsidio ita flagrans in potestatem iam Brunosuicensis peruenerat, restincta nonnulla ex parte flamma fuisse perhibebatur ab occupantibus, scilicet vt obsidio arcis esset ipsis commodior. Cumque resciuisset Dux in Saxonia rursum exercitum conflari, & hoc conari atque Marchionem Albertum, vt a suis fautoribus immitterentur populatores ditioni Brunosuicensis, ita Dux cum equitibus circiter CC. per Duringiam ad suos redit.

Alb. de Rasenberg. Bayreut. Plasseburg.

p. 474

Albertus bannitus. Sleidanus l. 25. p. 813. Thuanus lib. 12. pag. 361. Hortleder Tomo 2. lib. 6. c. 16. 17. 18.

Interea nihilominus & Plassepurgi obsidio vrgebatur, & in Franconia copiæ continebantur, quo tempore tandem sententia Imperatorii iudicii lata *hostem Marchionem esse* pronunciauit, recipi adiuuarique vetuit. Ipsum tamen ferebant in Franconia Iudæos passim de illius regionis oppidis, in castra munita ad Mœnum oppido ibi occupato (vt supra indicauimus) captos complures perduxisse, & magnam summam pecuniæ his indixisse. Fama etiam erat quod a familia Foggeriana mutuum pecuniæ grandis petiisset, quo denegato bellum illis esse denuntiatum. Nemo tamen certo affirmare poterat, ipse ne quoque apud eas copias versaretur, cum alio sese contulisset. Suspiciones autem diuulgabantur aliorum, esse eum ad Cæsarem profectum; aliorum, petiisse Saxoniam, vt nouum equitatum colligeret. Tunc & Palatini nomine equitatus narrabatur contrahi, & fuit hiems peracris.

M D LIV.

Sleidanus l. 25. p. 819. Hortleder Tom. 2. lib. 6. c. 45.

POstea a Cæsare mandatum fuit iis qui oppidum occuparant ad Mœnum, vt inde recederent, & vicinis Principibus ne vacuam occuparent. Marchionici responderunt, nisi dimissis ab aduersariis copiis se decedere non posse. Rotepurgi autem ad Tuberin de pace tractatum fuit, missis illo a certis principibus legatis. Etiam conuentus Imperii, constitutis qui vice Cæsaris illum haberent, inprimis Rege Ferdinando, procedere debebat. Cæsar quidem filio suo desponsa consobrina sua Maria Britanniæ regina, aduenturus ad conuentum non putabatur, quod negocium haberet vicinius & maius.

R. Maria Britannica. Sleidanus l. 25. pag. 814. Chytræus lib. 18. pag. 472.

Huic Reginæ cum populares, propterea quod Hispanorum dominationem perpeti nollent, cœpissent repugnare, ipsa superior fuit, & postea atrociter sæuiit in contrariam partem, restituta imprimis Papæ Romani veneratione, & obseruatione religionis eius quæ Eduardo regnante mutata fuerat sublatis erroribus falsitatis. Nulli tum generi, conditioni, ætati, sexui pepercit crudelitas arripientium

pro

pro seditiosis omnes quacunque de re dissentientes. De D. Iohanna de Suffolcide supplicium capitis sumtum: quæ heroica quadam constantia sanctissimo fine vitam suam clausit: Cantuariensis Episcopus Crammerus, & alii multi sapientes, docti & religiosi viri in carcerem coniecti: Episcopo Vintoniense Stephano Gardinicio omnia administrante, quæ ad restituendum statum Ecclesiasticæ potentiæ pertinerent: quem vt omnes qui norant, callidum & ingeniosum esse fatebantur, ita malitiæ & superbiæ vitio præ cæteris laborare aiebant. De Maria autem ferebatur, incredibili illam cupiditate gubernationis ardere & concipere iam animo, quod maritum habituram se esse speraret filium Cæsaris Caroli, totius orbis imperium. Prudentiores autem præuidentes multiplices occasiones mutationum, longe alios euentus expectabant, quam Cæsarianos sibi polliceri apparebat.

Thuanus l. 13. p. 396. Burnetus Histor. reform. Angl. Tom. 2. P. 2. pag. 175.

Agebatur annus Christi MDLIV. Marchio Albertus in occupatum ad Mœnum oppidum, cum alii aliter de ipsius consiliis & itineribus loquerentur, ad suos venit & cum illis valde hilariter Germanica consuetudine aliquantisper versatus fuit, etiam de stipendiis nonnihil persoluit. Postea cum pollicitis magnificis discedens, in Saxoniam se recepit, ac contulit primum ad consanguineos Marchionis. In Salinis etiam apud Episcopum suo more conuiuando delicias fecit. Quod autem publicata esset Cæsarei iudicii proscriptio, ne hoc noceret, proferebat literas ab ipso Cæsare scriptas, quibus & compellabatur Marchio, vt is qui non modo communiter, sed singularem in modum tanquam princeps Imperii Cæsari esset adiunctus; & proscriptionem editam esse sciente Cæsare negabatur. Cohortationes tamen additæ erant, vt Marchio permitteret fidei Cæsaris decisionem controuersiarum omnium, cum promissis, præstiturum Cæsarem vt ea permissio Marchioni detrimento non esset. Marchiones consanguinei considerantes, & quan-
75 tum calamitatis iam concitatum, & quid in posterum miseriæ metuendum esset, statuerunt pacificationem vrgere: profectique sunt Roteburgum Marchio Iohannes frater Ioachimi Principis electoris, & Iohannes Georgius filius. Ac ferebatur Marchio Albertus promisisse, illorum arbitrio se stare velle, præstareque quidquid recipissent. Sed postea litteræ narrabantur interceptæ, mirifice & veteratorie scriptæ, vt omnes omnia callide geri suspicarentur. Illi tamen Principes, qui compositionem in manus acceperant, studere eam perficere, & mittere legatos ea de re ad Cæsarem.

Salinæ Sax.

Interea & Norimbergæ Herendegeni duo, qui inseruientes Marchioni opera sua capti fuerant, corrupto custode elapsi minari omnibus Norinbergensibus mutilationes corporum, & vitæ interemtionem, & bonorum direptiones. Sed hi non multum damni dederunt, atque paulo post ambo interierunt. Et fœderis copiæ arce in Franconia Hohelandes purgo per deditionem potiti fuere, præsidiariis militibus cum ensibus dimissis, ductoribus captis & abductis: machinarum magna copia ibi reperta, & multæ merces illic deprædationibus conuectæ.

Herdegen.

Hohenlandsberg. Sleidanus lib. 25. p. 809. Hortleder Tomo 2. lib. 6. c. 24.

Marchio autem Albertus in Saxonia nouum militem contrahere, & accersere Franconicos equites, qui adducente Heliseo Grumbachio (quem Hesselum vocabant) aduenere circiter CCCC. In Saxonicis autem regionibus collecti fuerant ad DC. Hi coniuncti traiecto flumine Albi, versus Marchiam & Lusatiam tendere. Dux Henricus re cognita statim mittere qui illos persequerentur. Ipse in sua ditione de necessariis rebus ad bellum consilium rationemque inire: retineri etiam aduersa valetudine, cum quidem Marchionicos ad ripam vsque Albidos fuisset secutus. Ac fuit vbique magna trepidatio, præsertim in Lusatia & Silesia. Narrabatur etiam spe seditionis Bohemicæ propius illas copias fuisse adductas a Marchione Alberto, apud quem exules quidem essent gentis illius.

In

Ioan. Friderici Sax. obitus. Sleidanus lib. 25. pag. 816. Chytraus l. 18. p. 477. Thuanus l. 13. p. 402.

In Misnia quies tum fuit, & Dux Augustus cum gentili Iohanne Friderico in gratiam redierat adhuc viuente, inque illa reconciliatione filii illius permanebant. Ipse etiam Dux Augustus cum Ferdinando Ferdinandi Regis F. coram collocutus fuerat, vt omnes de tranquillitate harum regionum bene sperarent. Iohannis Friderici mors placida fuerat, perseuerante illo in confessione veritatis, & inuocatione Iesu Christi: cum ante octiduum amisisset coniugem, quæ cum efferretur, præsagiens ipse imminentem exitum e vita, valedixit illi, iussitque ita ipsam sepeliri, vt suum etiam sepulcrum seruaretur, quod breui se secuturum illam esse intelligeret. Id dictum euentus comprobauit: post dies enim octo V. Nonas Martii & ipse mortem obiit & propter coniugem sepultus fuit.

3. Martii 1554.

Mansfeld.

Dux Henricus traducturus exercitum per Mansfeldensem ditionem postulauit, si vellent ita transire suos, ne cuiquam hostiliter noceretur, vt Albertus comes deprecaretur offensas. Id recusatum fuit.

Spargebanttur etiam non modo rumores, sed scripta quoque, quibus ferebatur, qualibus conditionibus Marchio Albertus reconciliatus Regi Galliæ suam illi operam denuo addixisset. Quæ erant eiusmodi, vt incredibilia illa quidem viderentur plerisque omnibus: sed si vera essent, nouo scelere & recente metu terribilia & nefaria essent.

Marchio Albertus collegerat rursum (vt diximus) equitatum numero neutiquam contemnendum. Sed Brunosuicenses copiæ magna celeritate vrgentes, illum nusquam consistere & (vt dicitur) respirare passi sunt. Cumque etiam Marchio ipse neque suis neque hostibus se ostenderet, Equites illi metu insequentis hostis & desperatione a conductore dilapsi fuere. Tum pars Brunosuicensis exercitus duce Achimo Riba in ditionem Megalopurgensem perrexit. Erant controuersiæ inter fratres, & alterum studere partibus Marchionicis satis constabat. Sed nonnihil copiarum etiam ad Hamburgensem ciuitatem adductum fuit. Interea ii qui in Franconia pacificationi operam dederunt, infecta re discesserunt, cum oppugnati a Marchione ordines pecuniam grandem persoluere recusassent, quam Marchio peti voluerat.

Rumores tum sparsi fuere de apparatu belli Gallici, & constabat Cæsaris pecunia & nomine exercitus conflari diuersis in locis, & Heluetiorum auxilia in Galliam venisse. Etiam tum ad Rhenum equites in armis fuere, quasi qui præsidio essent regionibus illis. Aduenerunt & Bohemici equites numero M D. qui (vt credebatur) contracti fuissent ad metum irruptionum Marchionicorum in Silesiam. p.476 Hi circum Lucam in Lusatia substiterunt. Multi tum narrabant Marchionis Ioannis territorio ab his periculum impendere. Sed semper fit hoc, vt quod quisque suspicatur, aut cupit, aut etiam metuit id turbatis rebus memorare, non etiam nunquam affirmare ausit. Itaque nihil tam absurdum esse potest, quin reperiatur qui narrationis autor & assertor esse velit. Sunt autem plerique eo ingenio nati, vt pro laude ducant facultatem & acrimoniam callida suspicione aliquid comminiscendi & verisimili expositione tegendi conficta. Quorum improbitate fit, vt vel falsa rumoribus dissipentur omnia, vel vera etiam aliqua mendacii appendice deprauentur.

Seestet.

Exercitus Brunosuicensis instructo & armato (vt ferebatur) Vlricho Megalopurgensi contra fratrem Iohannem Albertum, in ditione Hamburgensium castra habebat, & instruebatur ad Marchionem Albertum persequendum. Sed & Iohannes Albertus, & ciuitates Oceanitides, vastationem territorii & agrorum suorum data pecunia auerterunt. Interea Marchio Albertus, qui debilitatus & fractus esse perhiberetur, recollectis equitibus & pedite contracto satis copioso vrbem Francicam ad Mœnum, vbi præsidium diutius anno habuerat, & quam extructionibus magnis munierat, petiit: & inde suos omnes vna cum præda & machinis & impedimentis vniuersis eduxit. Rursum autem editæ litteræ Cæsarianæ fuerunt,

quibus

quibus mandaretur, *Ne illam vrbem, quæ ad corpus Romani imperii pertineret, vllus occupare tenereue auderet.* Sed eductis ex vrbe copiis Marchionicis, cum reliqui ciues numero perpauci portas clausissent, hostes Marchionis vrbem quæ illi hospitium præbuisset, vt hostilem adorti ceperunt, & direptam inflammarunt: non considerantes ad illam necessitatem impressione hostili ciuitatem eam adactam fuisse, neque perpendentes quod tam longo tempore miseriæ pati ac videre fuisset coacta. Magister incendiarius ita tam atrox facinus conatus est defendere, vt diceret ac scriberet, aliter ab vrbe abduci militem auidum prædæ non potuisse, & insequendi tum hostem celeritate opus fuisse. Hoc modo vrbs antiqua euersa & deleta miserabiliter, non minima infamia istius calamitosi belli autoribus & gestoribus adiuncta cum multorum etiam externorum detrimento, conflagrauit prid. Id. Iunii Anno 1554.

Francofurti clades.

d. 2. Iunii.

Marchio Albertus exercitum ad vrbem trans fluuium traduxerat, & aduersum illum processit in ditionem Papebergensem tendens; famaque erat sparsa hoc eum agere & conari, vt reliquis vastatis ac spoliatis transiret ad Gallum. Existimabatur in exercitu habere equites mille, peditum vexilla XX. Sed cum non longe a nemore quod Stagerium vocant, abesset, ostenderunt se cohortes aliquod equitum, ad quas ille instructa acie cum suis recta perrexit. Sed cum propius accessisset, cognouit longe se copiis aduersariorum superari. Itaque statim equitatum abduxit, qui dilapsus huc illuc, cum ipse Mœnum transiisset, facile euasit. Sed pedites omnes, non paucis interfectis, vna cum machinis & impedimentis in potestatem hostium venerunt.

Staiger-VVald.

His gestis post paucos dies arx Blasseburgum Regi Romanorum tradita fuit, cum defensores iampridem penuria necessariorum ad victum laborare cœpissent. Puteus profundissimus est in arce: hunc placuisse aiebant iniecto aggere & materia corrumpi, vt occupatoribus hoc nomine minus vtilis esset arcis possessio. Et milites quidem rem aggressos esse, sed non perfecisse.

Blasseburg. Sleidanus l. 25. pag. 823. Hortleder Tomo 2. lib. 6. c. 25.

Eodem tempore etiam Cæsaris Caroli declaratio & assertio proscriptionis publicata fuit, hostis Marchio sine omni ambiguitate appellatus, & adiuncta mandata ad ordines Imperii, *Ne quis illum reciperet, & vt vicini persequerentur:* At ille elapsus vt diximus (nihilosecius nouos delectus habere, & locum vbi conueniretur assignare. Brunsuicensis autem Dux suis copiis imminere illi vndique, & conturbare consilia & impedire conatus. A quibus etiam ferebatur Comiti Alberto, non desinenti dissidiorum causas serere, nonnihil damni fuisse inflictum, cum propius adductæ in Magdeburgensis Præsulis territorio illæ versarentur. Ac erant qui Salinis etiam ab his periculum esse suspicarentur. Ferebatur autem Marchio apud gentiles Principes delitescere, & occultis machinationibus instaurare bellum. Interea Cæsaris nomine Lassarus Suendius hoc agebat, vt copias quas Brunsuicensis coegerat, Cæsar in sua potestate haberet: a quo iam apparatu ingente exercitus complures contracti, aduersus Regem Galliæ duci; & res violenter geri.

Hall.

p. 477 In Franconia autem fœdere coniuncti, qui rebus asperis & duris coniunctionis fidem mutuam præstitissent, irasci vicinis, quibus similiter vt ipsis pacis publicæ conseruatio & defensio vicinorum fuisset mandata, quod a communitate belli se separauissent. Mortuo enim Præsule Eystetensi Mauricio, successor ipsius Eberhardus gente Hurnheimensis, bellum cui ille se immiscuisset, pro sua parte prosequi noluit. Magister autem Ordinis Teutonicæ militiæ aliis modis elabi, & negotiorum difficilium atque periculosorum societatem fugere. Vrbs autem Roteberga ad Tuberim, quod aliquando Marchionem Albertum patronum more & iure adoptasset, credebatur illius rebus fauere, & ferebatur commeatus interceptus, quem ad illum deportari iussissent. Ab his igitur Franconici confœderati multas desertio-

Roteburg an der Tauber.

desertiones sane graues exigere, & nisi illæ persoluerentur, vastationem agrorum minari. Ac Rotenburgenses quidem numerasse pecuniam non paruam aiebant: Eystatensi autem a Duce Bauariæ Alberto pendere aliquid, interdictum fuisse. Prudentes quidem inter eos qui vincere iam videbantur, hoc successu non nimium lætari, quod animaduerterent ex his euentis maiorem dissipationem Reipublicæ existere necesse esse, & aliter fieri non posse, quin omnibus modis lacerata illa aut seditionum perpetuis motibus iactaretur & mutuis iniuriis ac viribus conficeretur, aut in vnius tandem potestatem deferretur. Cum autem tanta esset & animorum acerbitas & voluntatum alienatio, neque quisquam rebus laborantibus subuenire posset, & illa iactata libertatis assertio iam dudum in seruitutem & exitiosam oppressionem deferretur; optandum interdum videbatur, vt non inclementissimum dominum Germania tandem sortiretur, cui adhuc incolumi vtrumque aliqua parte pareret, & a quo salus ipsius conseruaretur. Sed redeamus ad rem. Victores in fœdere tandem iis a quibus destituti viderentur, multatis & coniunctione renouata, iis qui Marchioni Alberto inseruiissent diem dixerunt, ad quem Vorchemii apparerent, & se purgarent. Etsi autem sine querela hoc negotium geri non potuit, tamen clementiam vsurpatam esse constabat, quod & ipsum erant, qui reprehenderent: præsertim cum Blassepurgum non destrueretur, vicinis quoque optantibus remoueri metum arcis illius. Ea res differebatur, quod arx quam familia Marchionum ad illius domus principatum ante alias pertinere affirmaret, nisi re deliberata accurate, non videretur esse demolienda. Albertum Marchionem non quiescere, satis constabat, ipse quidem latebat, & modo in Germania conspectus esse, modo ad Regem Galliæ transiisse ferebatur. Sed factio illius aperte ei fauere: alii quidam occulte fouere parteis ipsius odio & inuidia aduersariorum, qui non aliter quam per contumeliam *Sacrificuli* & *Mercatores* appellabantur, quasi non ordines Imperii & ipsi, aut ita mutilari Teutonici nominis veluti corpus parua res & contemnenda esset.

Forcheim.

Pfaffen-Kauffleut.

A Fœdere tum aliquid copiarum dimissum fuit. Sed & Cæsari placuerat, & pericula ipsis adhuc impendentia monebant, vt præsidiarium exercitum retinerent. Nam sollicitari indies rescisebant equites & pedites diuersis in regionibus, & iam adeo quosdam aliquid recentium copiarum conflare. Equorum numero Talbiccius quidam Bestualos & Hessos excitans, a Philippo Lantgrauio repressus fuit. Cum autem exhausti essent fœdere coniuncti immodicis sumtibus diuturni belli, authoritate & nomine Cæsaris postulatum fuit, vt Teutonici Imperii tribus illa præsidia collata pecunia alerent. Eam ob rem in Saxonia Guterbocci & ad Rhenum in Vangionibus conuentus haberi.

Guterbock VVorms. *Sleidanus* libr. 25. pag. 819.

Interea Rex Galliæ infestus imminere Belgico. Quapropter Carolus Cæsar exercitum contra illum educere coactus, Namurcam ad Mosam castra posuit. Ceperant autem Galli oppidula quædam & munitiones in illa vicinia. Sed cum Philippus Caroli filius princeps Hispaniarum in Angliam classe viris & pecunia instructa delatus heredem (vt tum habebatur) regni Mariam duxisset vxorem, & Hispani militis maximam partem Carolo transmisisset, Galli retro cessere omnibus ferro & igne qua iter facerent, vastatis. Eos Cæsar Valentinam vsque insecutus, si occasio se offerret, prælium commissurus esse credebatur. Detrimenta ab vtrisque accepta esse constabat. Sed paulo gloriosius ambo de suis rebus locuti fuere. Carolus in finibus territorii sui & Galli veteres quasdam munitiones instaurauit, & equestres copias Germanicas retinuit, cæteris partim dimissis, partim in Angliam transmissis.

Sleidanus libr. 25. pag. 826.

Iulii die 19. 25.

Valentiennis.

Prodigia.

Multa prodigia rursum hoc anno nunciata sunt. Conflictus in aere visi, & strepitus auditi in Norico multis locis. In Silesia cælum ardere nauigii specie & arcus cælestis conspectus inuersus. Teterrimum autem id, quod constabat sanguine pluisse copioso in vicinia Sueuiæ. In Italia etiam res a Cæsarianis feliciter p.478

 gestæ

gestæ fuerunt, funditus deletis copiis iis quas Petrus Stroza ad liberandos obsidione Senenses contraxerat. Fertur re nunciata Pontificem, cum forte apud illum diuersarum partium Cardinales essent, aliquantisper conticuisse: mox composito ad seueritatem vultu dixisse; *se dolere cum dolentibus & lætari cum lætantibus: aliis enim gratulari victoriæ successum, aliorum infortunii cladem deplorare.* Qua simulatione & ioco non tempestiuo admodum neque vrbano vsus esse putabatur. Sed Turcica classis eodem tempore populata fuit oram Appuliæ, & in Pannoniam excursionibus sæuitum. *Italica.*

Marchio Albertus, qui iam nusquam tuto consistere auderet, quamuis & consanguineos multos in Imperio haberet, & plurimorum fauore subleuari videretur, quod nemini confideret, ita vagabundus in loca vicina Galliæ peruenit; Lotharingiam iam vocant: olim fuisse *Tulingi* putantur. Interea actum a Fœdere fuit de contributione ad pacem publicam tuendam; quod cum proscriptus esset Marchio Albertus defensionem iam communem & impensas pares fieri ab ordinibus existimarent. De hoc cum a conuentibus regionum, in quas Imperii corpus diuisum est, deliberationes susceptæ essent, placuit Francofurti ad Mœnum principum legatos congregari, & ea de re aliquid statuere. Id cum factum fuisset Saxonicæ regionis conuentu refragante, decreta tamen contributio fuit obligatione dura confœderatorum sed necessitas - - - Misit ad conuentum Francofurtensem Marchio Albertus puerum cum litteris variis atque multiplicibus, ita audacter & confidenter atque etiam minaciter scriptis, vt vires quidem & potentiam illius fractam esse, animi ferociam & robur remanere pristinum appareret. In iis & significatio diffidentiæ manifesta inerat, & querelæ violatæ fidei & promissorum: tum conuicia & contumeliæ tam in mortuos quam viuos, atque etiam minæ admiscebantur. Nunquam autem aduersarios aliter quam cognomentis probri & conuicii appellabat. Id prudentibus & bonis tum maxime miserabile & indignum visum fuit, Principem in Imperio non postremi loci talia scribere, & ea referre quæ & turpiter facta quædam, & quorum culpa ante oculos esset. Tum ea legi, narrari, cognosci aliis applaudentibus, aliis ridentibus, aliis contemnentibus: cum tamen vniuersum nomen Germanicum & Imperii maiestas, & dignitas publici status vehementer infamaretur. Ipse Marchio præ se ferre etiam atque profiteri, in omnium vicinarum nationum linguas translata illa se esse diuulgaturum. Rex Galliæ & ipse litteras illo misit, quibus a se amoliretur suspicionem subleuati a se Marchionis, aut contra vllos in Imperio instructi: se tamen misericordia moueri narrabat afflicti indignum in modum contra pactiones & pollicita, quibus ille fidem habuisset. Quibus manifeste criminabatur illas actiones reconciliati primum ad Metas Marchionis cum Carolo. *Sleidanus lib. 25. pag. 826.* *Lotharingia.* *Circuli.*

Fuit & Blasseburgum tandem suffossum & disiectum, comperta re quod arx illa ab antiquo familiæ Marchionicæ non fuisset, sed quodam tempore & certo casu acquisita. Atque eodem tempore literis Cæsaris accersiti fuere ad solemnem conuentum Imperii omnes Ordines; & præcipui imprimis, iussique Augustam quamprimum se conferre, quo Rex Ferdinandus iam proficisci dicebatur. Hic annus Christi fuit M D LIV. & tempus Autumni. Ante quod difficultates non modicæ oblatæ fuere sociis in dimittendis copiis, quarum opera in bello Marchionico fuerant vsi: Nam & multa superbe hæ loqui, & facere insolenter & iam etiam ad vim & iniurias concurrere. Atque putabatur Dux Henricus commodi priuari procuratione non parum tunc oneris & detrimenti his imposuisse atque - - - Sed tandem solutis maxima ex parte stipendiis, & dimisso exercitu impendiis & maximis incommodis sociorum, in Germania latrocinia passim exerceri, inque præstandis itineribus tutis minus esse diligentes plerique Principes. Et Marchionem Albertum Rhenum denuo transiisse pro certo ferebatur, si quid conflare noui exer- *Sleidanus l. 25. pag. 830. 836.*

exercitus, aut saltem si conciliare peruincireque aliquos ex ductoribus sibi suisque rebus posset: in quo ipso non etiam nihil perfectum esse credebatur. In reliquis autem debitis dissoluendis vehementer laboratum fuit a sociis & intolerabilia onera tributorum imposita subditis, omnibus adhuc etiam rebus incertis, cum in Germania Marchio Albertus fuisse crederetur, & in Gallia paulo post conspectus esse perhiberetur. Conuentus autem non procedebat, ad quem Francofurtenses deliberationes de pace publica reiectæ essent. Et in Franconia passim sæuire pestilentia, & penuria esse victus, & omnia plena difficultatis maximæ: cum iam Annus. p.479

M D LV.

Anglica. Sleidanus libr. 25. pag. 828.

INciperetur & inter Cæsarem ac Regem Galliæ tractari de pace dubium non esset. In Anglia autem filius Caroli Philippus rerum iam potiri, at accersito Cardinale Polo, regnum cum Romano Pontifice reconciliatum, & rursum iuri ditionique illius subiectum fuit & cætera studiose ad restituendum vbique pristinum statum acta.

Sleidanus pag. 831. Naumburg.

Augustæ quædam capita de quibus tractaretur, fuerunt proposita. Principes eo pauci accessere. Etiam Naopurgi in Thuringia conuentum fuit de fœderibus hereditariis familiæ Saxonicæ, Marchicæ & Hassicæ. Sed eodem venerunt & alii Principes. Ferebantur autem cum alia falso quidem omnia tum quiddam strui aduersus Ducem Brunsuicensem Henricum. Ea est enim audacia hominum, vt quidquid suspicantur, vel metuentes vel sperantes, id loqui etiam non dubitent.

Antuerpiæ.

Etiam Antuerpiæ fuit tumultuatum, & introductæ a Lazaro copiæ sedarunt turbas, deque aliquibus supplicium sumtum, & magnæ pecuniæ exactæ fuere. Ex conuentu Naopurgum litteræ missæ sunt accuratæ ad Cæsarem & Regem, cum significatione quod ad dissipationem maiorem prohibendam in scriptum Confessionis Augustanæ consensum esset. Omnibus autem in rebus opera subiectissime offerebatur Cæsari & Regi.

Sleidanus pag. 838.

Interea Rex Gallorum omnia moliri, quibus Cæsari noceretur, & in regione Pedomontii occupare quædam loca quæ a Cæsarianis præsidiis tenerentur: & capto Como Mediolanensibus metum incutere. Et tum vrbem munitam esse constat, quod ante factum non esset. De pace aut induciis nihil potuit perfici inter Cæsarem & Gallum.

Sleidan. p. 840. Thuanus libr. 15. p. 458.

Cum Augustanus Conuentus lentus haberetur, & consultaretur tum de pace in Germania constituenda, nuntiata fuit Iulii III. mors & post hanc Sebastiani Moguntini Episcopi. Venerat autem Augustam legatus Cardinalis Moronus, qui statim nuntio de morte Iulii accepto, Romam properauit reuerti. Eodem excurrit & Cardinalis Augustanus, testatus solenniter se nullam tractationem de Religione contrariam iis, quæ iuratus esset Papæ & Cæsari, approbare approbaturumue esse.

Chasteau Thierry.

Marchio autem Albertus, qui ad Castellum Diterichi visus esset, Parisios ferebatur perrexisse, & cum Rege collocutus, inprimis iussus esse nullum ordinem Imperii oppugnare, sed vni Cæsari hostem se fore perpetuo promittere. Atque in Italiam cum copiis eum missum iri plerique suspicabantur, quod minus confideret Rex Alberto, si in Germania exercitum ductare pateretur. Repudiaret autem insolenter & superbe omnes conditiones pacis Marchio omnibus temporibus: vt appareret eum in pace & quiete viuere non posse: cuius maxima vel vnica potius esset voluptas, tam se quam alios affligere belligerando. Cumque Ducem

Alberti animus & mores.

se esse & haberi cuperet, neque exercitus vnde aleretur pecunia suppeteret, semper quærenda erat belli alicuius occasio; quam animo auidissimo arripere solebat, simul etiam indulgens odiis erga aliquos, aut gratificans beneuolentiæ cupiditati. Erat autem Albertus is qui spem spe inuolueret, & successu quidem efferretur, detri-

detrimenta autem sarcire nouis semper conatibus studeret. Itaque & vincendo pergebat, & victus non sciebat quiescere, sed vnus hic erat ardor animi, nocere aliis & turbare, nil curans si ipse quoque damnum faceret & exagitaretur. Nemo enim hoc vnquam vel minus interrito animo bella gessisse (ideoque & militibus carus erat) vel minus consulto quidquam egisse facile reperietur. Erant autem eo tempore in Anglia res non turbulentæ illæ quidem, sed nondum prorsus certæ: quod quia Regina grauida esse diceretur, Cæsaris filio non placeret imponi coronam Regni, donec coniux peperisset.

His temporibus fama sparsa Ducem Henricum se pro electore Saxonico gerere, & titulos illos vsurpare, venit ipse ad Augustum Dorgauiam, & illi hoc nomine satisfecit excusatione sua: cum quidem non esset ignotum Augusto, quod Dux Henricus religionis nouæ crimen intenderet Augusto, & huius quasi caput eum appellando inuidiam conflare conaretur. Sed familiariter Dorgauiæ collocutos inter se hos esse constabat, & hilariter ibi peractum ab Henrico diem vnum. *Torgau.*

p.480 In Saxonia apparatus fuere rursum maximi, cum Cæsariani Duces equitem & peditem contraherent: Atque fama diuulgabatur, contra Regem Gallorum illo exercitu Cæsarem esse vsurum. De cuius tamen valetudine ita loquebantur, vt neque corpore illum neque animo satis firmum esse plerique affirmarent. Augustæ autem & mors Papæ, & Moguntini decessio, inchoata negotia repressit, cum quidem in dissensione Ordinum illa satis impedita & difficilia viderentur: præsertim Rege Ferdinando tum id agente, vt ea de quibus aliquando cum Mauritio Electore ad Danubium tractatum esset atque conuenisset, rescinderentur, tum referente de aliis nonnullis suspiciose, præsertim iis quæ ad cultum religionis pertinerent. De quibus quasi præiudicia facta in regno Bohemico, eiectione de multis locis sacerdotum coniugum, non parum terrebant aliorum principum animos: & videbatur sane prudentibus illa res alieno tempore suscepta atque gesta: Et Maximilianum Ferdinandi F. significasse ferebatur, sibi illa non probari. Itaque ea vndique confusio atque implicatio consultationum & deliberationum se ostendebat, vt non appareret non modo prosperi euentus spes, sed ne ratio quidem exitus vlla, vtque metuerent prudentiores, ne erumperent illa dissidia & eæ alienationes, quibus Imperii Germanici & status Reipublicæ quasi nauis adhuc procellarum & fluctuum sæuissimos impetus sustinens, tandem disiecta & fracta interiret. De cuius calamitatis tempore vetera memorabantur vaticinia, cum quasi corpus Imperii destitutum veluti capite, diffluere atque vacillare cerneretur. Eaque cum minarentur externorum vim & dominationem, qui animum negotiis intenderent, ii magnopere perturbabantur formidine irruptionum Turcicarum, quorum maxima potentia tam vicina & irritari & allici videretur: tantum abesse intelligebatur, vt ad resistendum grassationi illi consilia inirentur. *Bohemica.* *Turca formidabilis.*

Sed actiones Augustanas magis collusiones esse contra communem vtilitatem, & de priuata potentia, vel etiam elusiones consiliorum & rationum de pace & tranquillitate publica, quam fideles atque sinceras tractationes de salute & incolumitate patriæ tuenda, & instauranda dignitate atque existimatione antiqua, declararunt, ea ipsa quæ relata, proposita gestaque fuerunt; omnia respectu eius quod quisque sibi promitteret commodi, moderante aut commouente odio erga alios aut cupiditate vindictæ incitante, aut impellente dolore, aut agitante inuidia atque malitia. Quo autem scilicet impedimentum inferretur progressioni ad aliquem in consensu euentum prosperum, Georgius Fridericus Marchionis Georgii optimi principis F. confœderatos Franciscos acerba oratione coram Rege primum, deinde palam coram Ordinibus Imperii accusauit, quasi ab illis vim & iniuriam perpessus esset. *Augustana actiones. Sleidanus pag. 848.* *V. Id. April.*

Hoc anno & Coloniæ Agrippinæ, propter libertatem concionum quarundam, res turbulentæ & commota ciuitas fuit. Sed & repentinus & temerarius tumultus magis muliebri sexu quam virili concitato, & sedata omnia statim fuere.

Marchio Albertus cum audiisset aliquos Augustæ conuenisse, illuc statim litteras misit satis minaciter scriptas, quibus expostulauit cum Ordinibus Imperii de neglecta responsione ad litteras suas missas Francofurtum. Cum autem aliæ tractationes non procederent, illa negotia de bello Marchionico in manus sumta & tentata compositio fuit. Cum quidem fœdus ad accusationem Marchionicam grauiter & copiose respondisset, & falso in se pleraque conferri demonstrasset, denique cognitionem & decisionem vniuersam permisisset ordinibus Imperii, venerunt tum quidam fide publica Augustam, quorum opera præcipua in bello Marchio Albertus vsus fuerat: Atque id agebatur, vt ira Marchionis Alberti pecunia placaretur. Quod prudentes (quamuis omnes fere Alberto propter indolem virtutis bene cuperent, & illam aliis rebus elucere optarent) exempli tamen causa quorsum euasurum esset verebantur, si mercedes seditionibus & vastationi patriæ tribuerentur, quibus in posterum periculum esset, ne cuiusuis audacia & improbitas euocaretur, & hæc via demonstraretur sceleri atque furori turbulentorum & inquietorum, quorum indies numerus augeretur. Sed præponebatur omnibus honestis consiliis & veris cupiditas pacis & tranquillitatis in præsentia, tametsi prudentiores firmi nihil aut certi sibi pollicerentur. Erant autem res difficiles vbique. Nam & Cæsar cum Gallo durissimo bello conflictabatur, & quia illud trahebatur, detrimenta accipiebantur vtrinque maiora, terra simul atque mari. Magis tamen p.481

Fortuna Cæsaris.

comperiebatur victoria quasi fauere Cæsari, & fama Gallicæ coniunctionis cum Turcis erat inuidiosa. Receptis autem Senis magnopere existimatio Gallici nominis in Italia fuit diminuta. Non tamen parum odii exactionum asperitate & inclementia aliis in partibus, gubernationi Cæsarianæ contrahebatur. Et in Britannia status is non erat, cui posset aliquis confidere: præsertim falso rumoribus sparsis de Reginæ partu, quam ne grauidam quidem fuisse vnquam perhiberetur. De Cæsare autem ea ferebantur, vt neque nulla, neque præclara spes de actionibus illius in posterum conciperetur. Sed ita res erat, vt sapientes neque felices successus de longiore vita Cæsaris promittere Reipublicæ auderent, & ad cogitationem mortis illius vehementissime animo perturbarentur: quod omnes calamitates quasi impetu facto deinceps erupturas esse metuerent, vel potius præuiderent. In Germania autem tanta erat animorum alienatio, tanta occultatio callidorum consiliorum, & ea cupiditatum indulgentia, & neglectus rerum communium, studium priuatarum, ut nemo in illa quæ & agi & moueri cerneret intuens, non imminentis exitii ruinam horribilem pertimescere cogeretur.

Sleidanus pag. 840. Thuanus lib. 15. p. 462.

In mortui autem Iulii locum surrogatus fuit Marcellus secundus, qui pontificatu functus dies XXI. decessit & ipse, cum medicamento vsus fuisset, de quo plurimorum spes bona fuerat, qui & doctum virum & amantem veritatis esse arbitrabantur. Huic successit Theatinus Cardinalis familia Caraffa patria Neapolitanus, appellatus Paulus IV. ætate senex, magis superstitionum quam religionis studiosus: a quo familiam inprimis magni fieri ferebatur quorundam qui Iesuitæ vocari vellent, quasi Christianum nomen parum esset insigne. Atque hæc secta eos habuit, qui in Germania turbas graues commouerunt, & patefactos errores defendendo aut pingendo impediuerunt correctionem, & vastarunt multis in locis Ecclesias. Hic Augustam misit Episcopum Veronensem, primum ad regem Ferdinandum, & vt cognosceret quid ibi gereretur. Qui postea tendens ad Regem Poloniæ, literas ex itinere ad certos principes misit, quibus vehementer questus de consiliis & actionibus conuentus Augustani, quod ea ad euertendam pontificiam

Paulus IV. Pp. Iesuitæ.

potentiam

potentiam atque dignitatem suscepta essent. Sed Augustæ nihil (vt diximus) constituebatur, & iam dimitti qui conuenerant, & indici alter dies nouo conuentui, qui haberetur proximo anno Ratisbonæ. Incurrebat autem in dicta facetorum Calendarum dies, vt iocantes *ad Calendas Græcas conuentum habitum iri* dicerent: *Cal. Martii.* quod sæpenumero dies conuentuum Calendæ præfinitæ essent, & nihil fere vnquam deliberatum, quo miseriæ & laborantibus rebus patriæ subueniretur.

Hoc anno nupsit Iohanni Friderico Iohannis Friderici F. Saxonum Duci vidua Mauriciana, Philippi Lantgrafii F. quæ illo in matrimonio non diu superstes vixit. *Sleidanus pag. 842.* Et multa portenta atque prodigia nuntiata fuerunt: atque erupisse in lacu ad Vinariam cruentas aquas constabat. Etiam stillæ cruentæ in foliis arborum, & *Prodigia.* super recente materia visæ, & pluisse sanguinem in Bauaria nuntiabatur: & partus monstrosi hominum & pecudum editi. Inter quos cognitum in Duringia ignem ardentem cum sonitu expulisse fœtum muliebrem ex vtero matris, fœtu ita adusto vt exanimum obstetrix acciperet, & ipsa quoque flamma erumpente læderetur. Qua re testata plerique omnes singularem in modum fuerunt perturbati, cum nihil simile audisse aut legisse recordarentur, atque ideo euentus mirificos & prius incognitos consecuturos esse ominarentur.

Marchionem Albertum in Gallia ad Regem venisse, non ignorabatur: etiam quid ab hoc illi penderetur, narrari. Nonnulli quoque ab eo profecti ita se dimissos esse aiebant, vt quos diutius alere ob tenuitatem stipendii non posse[illegible] Sed nihilominus paulo post tamen dictum, in Germania eum versari, & [illegible] apud cognatos Marchicos diuerti. In Saxonia autem tum non tam bellum apparabatur, quam comparabantur copiæ, & concursabant ductores & loca vbi milites conuenirent, designabantur. Denique quasi in corpore parum sano, turgida res erat. Hominum autem sermones erant liberrimi, vel petulantes potius & effrenati: cum quibus & vita atque mores consentiebant, disciplina vniuersa labefactata atque dissoluta. Odium vero ingens premebat fœdus Francicum, & in his
p.481 maxime ciuitatem Norimbergensem: vt audiuerim sæpe mirantes quosdam, quæ caussa esse videretur, vt cum in aliis nefaria scelera quæ essent ita atrocia & manifesta, vt neque inficiando negari, neque excusando defendi possent, vel inuenirent *Noribergæ Fortuna.* tamen approbatores, vel carerent certe iis qui odissent & execrarentur; sola illa ciuitas neque in veris & minime dubiis vllorum fauore subleuaretur, neque in ambiguis & obscuris beneuolentiam, neque omnino in maximis calamitatibus & indignissima fortuna misericordiam & humanitatem, debitam communi conditioni non modo gentis & nationis, sed naturæ & generis experiretur. Atque animaduertebatur, quam esset nocens & mala atque plane cæca res, Inuidiam & Odium. *Inuidiæ malum.* Non studio affligendi illam ciuitatem compertum est neque suæ famæ aliquos pepercisse, neque facultates respexisse, & suam salutem, dignitatem, fortunas non dubitasse proiicere, opinione concepta, posse aliquo se detrimento ciuitatem illam afficere; & lædere incolentes. Hæc alii cernentes vt non augerent adiuuando, tamen dissimulando & conniuendo alienam insolentiam confirmabant ac fouebant. Etsi autem videbant quidam, ad quæ incommoda via aperiretur, tam audacia quam incuria ista, & quid in re esset miseriæ atque mali; tamen indigne hoc maxime ferebant, non admoneri singulos de iis, quæ aliis gentibus atque nationibus accidisse scimus, quid ab huiusmodi consiliis & actionibus sibi quisque sperare aut metuere deberet. Sed nimirum vera est sententia veterum; *Fatales euentus euitare, non esse in hominis potestate.* *Fatum.* Quos autem nos qui Christiani perhiberi cupimus, fatales euentus esse sentiamus, de eo nunc differendum non est. Non enim ita loquuntur de his, vt quidam veteres docti illi quidem, sed expertes cognitionis veritatis cœlestis, cuius interpres est filius Dei. Sed ea, quorum caussæ studio & opere humano collectæ fuerunt, cum Deus euenire vult atque iubet, explicari oportere

oportere scimus, & in eo sibi plerunque aliqui qui corripiuntur, autores malorum esse cernuntur; cum nihilominus ira Dei & vindicta Iustitiæ deprecando & resipiscendo vel auerti vel certe leniri posset. Sed ista (vt aiebam) in præsentia disputando exquiri alienum. *Disciplinæ labes.* Ea quidem erat corruptio vel exterminatio disciplinæ militaris & antiquæ seueritatis, vt quacunque copiæ ducerentur, ea latronum sæuitia grassaretur: neque interérat quidquam, pacatæ essent regiones an turbulentæ, & eodem loco habebantur hostes, & qui defendi deberent, quem morem adducti externi milites in Germaniam introduxerant. Sed hæc ipsa licentia totam vitam corrupit, vt iam omnibus in rebus & partibus homo nil putaretur, qui aliquid clementiæ & humanitatis vsurparet: vtque is ignauus, futilis, nihili perhiberetur, qui non & verbis ferox, obscenus, maledicus, & factis audax, iniustus, crudelis esset. Omnibus etiam partibus educatio puerilis inter hæc deprauabatur, vt & ornatu & victu & reliquo vitæ cultu tenera ætas ad leuitatem & turpitudinem, ad scelera atque impietatem præpararetur.

Hoc anno & Albertus Mansfeldius cum Henrico Brunosuicensi in gratiam rediit: cumque ad illum accessisset, perhumaniter acceptus fuit. De quo plerique coniecturam faciebant, spem instaurandi belli fuisse ereptam inquietis, fœdus autem Francicum promisit, se traditurum esse omnia loca erepta Marchioni Alberto, in potestatem & manum Cæsaris, deque sua possessione abiturum Calend. Decembris: ac deliberatum fuit de Præfecto, cui illa gubernanda committerentur. Marchioni autem ipsi copia facta est fide publica apparendi coram conuentu Imperii ad diem huius, ita quidem & proscriptio nihilominus duraret, nisi transactum fuisset. Atque tum Fœdus equites quosdam externos bene onustos stipendiis & rapinis dimisit: & nonnulli securis animis iam esse, & ad superbiam atque fastidia pristina reuerti: neque fere illi quærere aut consulere, quo pacto vel ad Deum bonam spem habere, vel hominum studia sibi conciliare possent. Hoc modo agebatur, vt repertis nouis nominibus pecuniæ conflaretur aliquid; quod onus cum in mediocres deuolueretur (vt fit) & afflictæ ciuitates, grauissimæ & variæ querelæ commotæ fuerunt. *Exactiones.* Semper autem accidit, vt tributa quæ singulariter exiguntur, neque summis & opulentissimis neque infimis & inopibus magnopere molesta sint. Illi enim a se detrimenta amoliuntur, aut hæc non sentiunt: hi quid conferant, aut quid ipsis adimatur, non habent. Ita quemadmodum in Homerico prælio, qui inter hos medii sunt, omnem acerbitatem & miseriam compilationum perpetiuntur atque sustinent. p.483

Augustæ quemadmodum diximus, ita fuit conclusus conuentus, vt indiceretur dies alterius. Rex Ferdinandus festinauit tum discedere, cum ad Pontem Oeni ditioni suæ illis in locis subiectos conuocasset: atque putabatur inde in Austriam perrecturus esse. Discessum autem ita fuit Augusta, vt de quibusdam inter Ordines conueniret, de quibusdam minus, partes quidem vt his aliquot annis, erant præcipuæ duæ; vna quæ antiquam (vt vocabant) religionem se tueri dictitarent & vellent appellari Catholici: *Catholici.* Altera aduersatrix quædam errorum superstitionisque, & emendatrix. Hæc ante bellum, quo Cæsar Carolus Germaniam domuit, aliud nomen habuerat ab eo quod decretis conuentuum se non assentiri publice & solenniter testarentur. *Protestantes confessionistæ.* Tunc *Augustanæ confessionis approbatores* nominabantur. Ita igitur tum conuenit, vt vtraque pars tuta esset, *Ne qui alteris posthac quidquam eriperent: vtque in eo statu quo iam essent, omnia conseruarentur. Si qui confessionem Augustanam amplecti vellent, ne id famæ ipsorum maculam inureret: ecclesiastica tamen dignitate & opulentia, si qua forte præditi forent, hoc facto vt priuarentur.* *Pax religionis.* De hoc alii aliter & loqui, & sentire, & sperare quoque. Nam erant qui sibi hinc quietem pollicerentur, alii hæc nouorum dissidiorum causas complecti verebantur. Mirum autem nonnullis videbatur, nunc quodammodo permitti neque improbari eius vitæ & persuasionis professionem, propter quam

&

& maximæ turbæ excitatæ, & grauissimæ simultates susceptæ, & atrocia facinora perpetrata essent: cum nunc quoque multis in locis illa damnaretur & in ea perseuerantes horribilibus suppliciis afficerentur. Neque aliter arbitrabantur, quam maiores motus breui consecuturos esse, & imminere Reipublicæ repentinam mutationem.

Inter Cæsarem & Gallum non quidem bellum esse desierat, sed minus acriter gerebatur; cum quidem de pace tractationes non intermitti dicerentur. Albanus copiis in Italia præfectus, ad Taurinos Gallis appetentibus Insubriam obstabat. Florentinus autem copias habebat in Hetruria: Ac Paulus Pontifex propter quædam pericula & ipse exercitum conscripserat. Itaque Italia bellis tum & apparatu bellorum, iisque quæ comitari consueuerunt, fame & pestilentia miserabiliter vastari. Cum ne Turcica quidem classis cessaret tentare littora Apuliæ, & in Corsica duæ adhuc vrbes maritimæ tantam vim & impressionem illorum tolerarant. A portu Herculis recesserant, detrimento accepto virtute militum Germanorum, quos in itinere paucos pluribus resistendo in naues Turcicas copias repulisse constabat. Atque affirmabatur fœdus ictum esse inter Turcam & Gallum, cuius & hoc caput memorabatur; *Munitiones occupatæ vt in potestate Galli essent: præda tam hominum quam aliarum rerum Turcis cederet.* Aliqui narrabant, Paulum etiam Pontificem esse conscium atque participem huius conuentionis. Nam & familia huius exul, & ipse esse patria pulsus ferebatur, vt odisse Cæsarem eum nemo dubitaret. Se autem Gallo fauere tum declarauit, afflictis quibusdam qui Cæsariani essent, & inter eos Cardinalibus quoque. Fratris autem filium educatum in castris, & qui vitam militarem ad eum vsque diem duceret, Cardinalem creauit, & sibi legatum Bononiæ præfecit.

Italica. Thuanus lib. 15. fin.

Venit sub Autumni tempus ad Carolum in Belgas Philippus Princeps Hispaniarum, relicta Anglia, & hac coniuge, quam partus spes frustrata esset. Spargebaturque fama, tympanitide illam laborare, quem morbum de medicationibus contraxisse multi suspicabantur. Sermones etiam diuulgabantur, vel Carolum vel nepotem in Hispanias reuersurum esse. Magnam autem vim auri ex Indicis insulis aduectam: cum tamen nihilominus Belgæ compilarentur exactionibus variis & multiplicibus. Quæ omnia cumulari credebant prudentiores ad celerem rerum conuersionem, & aliquam subitam munitionem præsentis status.

Sleidanus pag. 842. Burnetus Hist. Reform. Tom. 2. p. 208.

In Anglia perrexerunt suppliciis afficere desertores Papisticæ religionis. Et combusti fuerunt duo viri ætate & dignitate venerandi: Vnus Latemerus, doctrinæ, & eruditionis literarum quoque nomine celebris, alter Londinensis Episcopus. Cum hi in confessione & defensione sententiæ suæ & dogmatum perseuerarent, adductum fuisse accepimus Thomam Crammerum archiepiscopum Cantuariensem, quem spectaculi horrore sperarent territum, de religione persuasionem suam
p. 484 esse mutaturum. Sed illum supplice gestu orauisse narrant, vt sibi mors cum illis sanctissimis viris communis decerneretur. Itaque qui arbitrati fuerant metum incuti posse Cramero, cum viderent animum redditum esse firmiorem, hunc in carcerem reducendum, illos vt instituerant cremandos curauerunt.

Anglica. Sleidanus pag. 842. *Chytræus* lib. 15. pag. 482. *Burneti historia reform.* Tom. 2 Part. 1. pag. 215.

In Belgico Carolus Cæsar cum statuisset reuerti in Hispaniam, VIII. Calend. Nouemb. Brussellæ accersitis ordinibus regionum illarum, ipse in solio residens, & astante ad dextram filio Philippo, & ad sinistram sorore Maria, longam habuit orationem, qua cum alia commemorauit, tum recensuit de scripto seriem bellorum quæ suscepisset, gessisset, consiliaque & occasiones illorum exposuit. Atque ita ostendit sibi in animo esse in Hispaniam reuerti: *Et nunc carissimo filio huic,* inquit, *meo, omnem horum locorum ditionem atque possessionem trado, & committo gubernationem.* simulque eum complexus hortatus est, vt sibi in illa parte strenue succederet, & religionem Catholicam tueretur. Filius ante patrem in genua mox

Sleidanus 847.

procubuit, & egit gratias, & diligentiam operæ studiique a se omnem est pollicitus. Tum de more ordines suo quique loco sacramentum dixerunt. Stetit tum post Philippum Episcopus Atrebatensis, cuius summam administrationem in Belgico affirmabant futuram esse, vices quidem gerente Philippi fratre patruele Ferdinandi Regis F. Naues ad traiiciendum tum instrui, & parari discessio. Erant qui in Anglia hibernaturum esse Carolum arbitrarentur. Atque in Hispania esse in solitudine ædes cænobii familiæ cuiusdam Iohanniticæ extructas ferebatur, quo Cæsar commigraturus esset, & reliquum vitæ tempus quietum in cultu diuino transacturus. Mariam quidem sororem adduci ab illo, erant qui mirarentur. Voluisse autem Cæsarem illi nauem instrui peculiarem, quod diceret sibi ingratos futuros esse eiulatus fœmineos si forte inter nauigandum tempestas coorta esset. Sed res dilata fuit.

(Hanc migrationem in scheda adiecta aliis verbis Auctor in hunc modum descripsit:)

Ita igitur ille annus abire incipiebat, cum Cæsar aduocatis præcipuis in Belgico & conuentu habito, ad dextram assistente filio Philippo ad sinistram sorore Maria, longa oratione verbis Gallicis commemorauit curam laboresque in Republica suos & bella gesta enumerans, tandem se moli tantorum negotiorum sustinendæ imparem confessus, se dixit gubernationis ius tradere vniuersum filio, quem ingenio sciret esse bono, idque si forte per ætatem nondum potuisset perspici, se sperare postmodo fore manifestum omnibus. Inprimis illum commendauit a fideli custodia veteris & catholicæ religionis. Cætera Vigilius prosecutus fuit. Cæsar filium in conspectu omnium amanter complexus fuit, filius ad pedes patris se abiecit. Post hæc præ se tulit Cæsar, se mare esse transiturum. Et missi fuere legati ad Principes Germaniæ a Philippo, conciliandarum voluntatum gratia. Cumque propter anni tempus nauigari non posset, & Cæsaris transmissio necessario perhiberetur differri, fama fuit sparsa ad conuentum Ratisbonæ indictum Cæsarem ipsum venturum, & inde in Italiam transiturum esse. Erat autem ad res turbandas & animos hominum alienandos aptissimum, quod si quid in aula Cæsaris diceretur, id plerique in contrarium interpretarentur, aut certe aliud cogitari agique suspicarentur. Itaque diffidentia & calliditate & occultis cum consiliis tum machinationibus omnia plena erant.

Hactenus scheda.)

Senarum clades. Thuanus lib. 15. fin. In Italia Senæ receptæ a Cæsarianis ita afflictæ fuere, vt de maxima ciuium copia vix D. relicti esse putarentur: cætera fœda dictu & relatu indigna, non putaui exponenda. Atque ita antiqua vrbs, in Imperatores Rom. semper officiosissimæ fidei, cupiditate dominationis in Italiæ discordia, vastata fuit.

Exitu huius anni sæuæ tempestates fuerunt, & multa templa de cœlo tacta. Ignis etiam de cœlo labi visus: & species igneæ conspectæ quasi vagantes in agris. Adhæc alii alia portenta comminiscendo attribuebant, quemadmodum fit, vt figmenta etiam ipsa opinionem portenti haberent.

M D LVI.

Sleidanus libr. 26. pag. 864. Thuanus lib. 17. pag. 514. ANnitente Pontifice Romano vel pacem vel inducias fecerunt Cæsar & Rex p.485
Galliæ. Etsi enim Insubribus Galli infesti erant, tamen in Belgico Cæsariani illos satis acriter exercebant. Hæc fama varie commouit Germaniam. Itaque rursum in hac vbique fere trepidari & apparari necessaria ad bellum; præsertim cum rumores etiam existerent, Nassouium in eam ditionem restitutum iri quæ a Landgrauio occupata ad Nassouium pertineret. Ferdinandus autem Rex ab Austriacis & Tyrolensibus pecuniam ad bellum Turcicum postulabat. De quo Vngari præclare atque prolixe fuerant polliciti, definito equite, pedite, stipendiis ad illud bellum. Sed Austriaci petebant, vt veræ religionis liberior vsus sibi conce-

deretur, & abrogarentur quidam ritus non consentanei cum doctrina veritatis: putabaturque de ea re missurus aliquos ad Romanum Pontificem Rex Ferdinandus, id quod & Poloniæ Regem fecisse ferebatur. Interea indictus in Boemia conuentus differebatur, & hæc mora Ratisponensibus actionibus obstabat, quibus tempus tum protrahebatur.

Hoc anno deduxit Marchiacam Henricus Plauensis, & Geræ magno apparatu hospites accepti, sed nuptiæ hæ parum felices propter vtriusque morbum fuere.

Hoc anno mense Februario adducta fuit ad D. Henricum Brunosuicensem sponsa Polonica, Regis soror, ætas tum Ducis fuit annorum LXVI.

Fulsit mense Martio Cometes flamma tenui quasi capillo eminente, Græci *Pogonias* hoc genus nominant, transiit a spica ad Cephæum per anguem, ibique propter nubium obscuritatem & deinde splendorem Lunæ, quod eo tempore orbis compleretur, desiit apparere: animaduertebatur autem tendere ad Solem. In Pomerania eodem tempore noctu Piscatores vidisse se narrarunt in aere igneos exercitus, quasi instructa acie prælium committentes. *Cometa.*

Antuerpiæ cum vario ludorum apparatu, & maximæ eiaculationis ignium noctu ingredientem Philippum ciuitas exciperet, Genuenses Mercatores, qui in illo genere singulare & eximium quoddam edituros se sperassent, cippos æreos proposuerunt de quibus flamma mirabiliter erumperet, iisque disiectis vi ignium inclusorum illam pompam reddidere luctuosam. Austriacus Dynasta vnus decusso crure postea mortuus fuit. *Sleidanus lib. 25. pag. 819.*

Mortui sunt hoc anno de Septemuiris, quorum ius est comitiorum creando Cæsari, duo; Palatinus Fridericus, & Isenbergius Episcopus Treuirensis. Palatino successit fratris filius Otho Henricus, Isebergio Layus Iohannes quæ familia est Treuirensis plagæ antiqua & nobilis. Cum autem Marchioni Alberto potestas facta esset veniendi ad conuentum Ratisbonensem, affuit ille in Germania mense Martio. Copergi cum alii Principes ad ipsum accesserunt, cum patrui filius Georgius Fridericus, & hilariter atque iucunde vna versati fuere. Marchio ad vitricum inde Ottonem Henricum putabatur discessisse. *Sleidanus pag. 864. Thuanus lib. 17. p. 537.*

Pogonias rursum conspectus fuit mane ante solis ortum, & in Andromedæ catenis diu hæsit. Cœptum est agi de compositione inter M. Albertum & Francicum fœdus. Postulata Alberti cum alia, tum pecuniæ fuit octogies centies millium aureorum, fœdus sexagies postulauerat. Nemo putabat transactum iri, plurimorum autem studia in Albertum erant propensa. *Sleidanus pag. 864. Thuanus lib. 17. p. 540.*

Conuentus Ratisbonensis ad Cal. Iunii denuo indictus, & petitum vt Theologi a Principibus adducerentur. *Sleidanus pag. 871. Thuanus lib. 17. [illegible]*

Marchionis Alberti ferebatur magna esse confidentia, neque vllius periculi formido. Cum Cæsar adhuc in Belgico moraretur, accersiuit Maximilianum Ferdinandi Regis F. cum filia sua, quasi salutaturus eos ante discessum. In Anglia narrabantur res esse turbulentæ. Cantuariensis autem Episcopus Crammerus vir optimus & veritatis constantissimus, in confessione religiosa perseuerans, vltimo supplicio affectus, & viuus combustus fuit. Crammerum narrarunt primum cupiditate vitæ & commoditate sermonis quorundam impulsum, vt quibusdam capitibus de religione propositis, quæ contraria viderentur puriori doctrinæ & sententiæ ipsius, subscriberet nomen suum. Sed cum nihilominus ad supplicium raperetur, illustri confessione denuo vsum execrantem etiam manum dextram administram nefariæ subscriptionis. Sed & de aliis crudeliter supplicia sumta tam in Anglia, quam Gallia & Belgico, si qui deprehenderentur improbatores veterum errorum. Interea in Pannonia Transyluani in potestatem Stephani Iohannis filii venerunt, occupantibus quibusdam adductis Walachis. Deditio facta fuit, cuius postea plurimos pœnituit. Cibinium tum conflagrauit. Beglerbeius etiam Græciæ, cuius virtus & prudentia prædicabatur, adducere exercitum in Pannoniam *Anglica. Sleidanus pag. 816. Thuanus lib. 17. p. 515.* *p.486* *Sleidanus p. 871*

noniam ferebatur: cum nihilominus de induciis impetrandis legatos mitteret Ferdinandus.

Casp. Brusch Cat. Episcop. Bamberg. n. XXXIX. XL. In Germania autem vbique apparatus erant occulti XIII. Calend. Iunii obiit mortem Wigandus gente Rebicius episcopus Papebergensis senex mane in lecto mortuus repertus, cum gubernationi præfuisset annis XXXIV. Successerat optimo & laudatissimo Principi Georgio Limpergensi, & misere atque indignis modis afflicta omnia fuere subdita ditioni & iuri ipsius, tam in Franconia quam Carinthia. Ipso mortuo gubernationem suscepit Georgius gente Fuxius, qui adhuc viuente Wigando designatus episcopus fuerat.

Erphord. Hoc anno & Erphordensis ciuitas a vicinis Principibus Saxoniæ & nobilitate multipliciter vexata fuit, in primis negantibus Principibus copiam lignorum, quæ ex syluis ditioni Principum subiectis in vrbem deportaretur.

Interea compositionis formula edita fuit de annorum sex induciis inter Cæsarem & Regem Galliæ, quam aliqui Papæ probari, aliqui improbari suspicabantur: Quin etiam fama spargebatur, has firmas non esse, atque mense Iunio rumores dissiparunt violationem illarum. Poloniam autem religionis causa inquietam esse constabat, atque Cracouiæ tumultum excitari cœptum.

Confluebant autem in Germaniæ diuersa loca exules, Angli, Galli, Itali: & inter hos aliqui & genere nobiles & olim honorati viri, omnibus viribus Pontificiam potestatem oppugnabant, & religionis studium prætendentes nonnulli, illum statum euertere & nouum quendam alterum fundare quærebant. Ipsasque etiam seditiones excusabat religionis species, cum interim & disciplina omnis funditus extingueretur, & vitiorum licentia in vitam introduceretur, & mores essent corruptissimi: hæcque Pietas & vocabatur & habebatur sola, aduersari & maledicere Papisticæ potentiæ, & iis omnibus quæ autoritati illius niterentur. In quæ prudentes cum intuerentur & respicerent similia tempora antiquitatis, expectare euentus alios non poterant, quam quales easdem causas olim secutos esse competissent. Itaque erat horum desperatio omnium rerum maxima, alii aut cupide mutationem vrgentes nouis rebus studebant, aut voluptatibus suis indulgentes, tanquam in meridie (vt dicitur) poti accubantes ita quid fieret futurumue esset, parum curabant.

Zeller-Bad. Hoc tempore nunciatum fuit, Marchionem Albertum valetudinis caussa in Cellensia balnea ditionis Badensis se contulisse: quod erant qui consilium non ad valetudinem, sed alio pertinere atque spectare arbitrarentur. Interea tum compositio tentari non intermittebatur, Marchionicis rerum asperitatem etiam verborum atrocitate augentibus. Atque affirmabatur, non omnino firmissima valetudine M. Albertum vti, ipsi autem pendebantur a Rege Galliæ annis singulis millia XII. coronatorum.

Rex Maximilianus ad patruum cum coniuge mense Iunio proficiscens, iter fuit ingressus. Cum autem res Anglicæ essent turbulentæ, & in multos Regina sæuiret, multi in Galliam exulatum abiere, & illam in Insulam Cæsar traiecturus credebatur, quem narrabant iam etiam corporis custodes dimisisse, simulariqué plerique nauigationem in Hispaniam suspicabantur, vt de improuiso in Angliam veniret: Prudenter quoque arbitrabantur, hanc caussam fore vt induciæ quinquennii rumperentur, præsertim cum iam mutuæ expostulationes fierent superbæ.

Liuonica. Chytræus libr. 18. pag. 83. Ratisbonam autem cum Rex Ferdinandus nondum venisset, cæteri etiam suos mittere differebant. In Liuonia Wilhelmo Archiepiscopo Rigensi volente designare successorem Christophorum Ducem Megalopurgensem, communi voluntate Collegii conspirasse hi cum equitum Teutonicorum illis in locis ordine nunciabantur ad resistendum actioni designationis, & obsideri ipse cum Megalopurgensi.

purgensi. Itaque Albertum Ducem Prussiæ vndique copias contrahere & habere promissa auxilia a Rege Poloniæ, & accersi Albertum fratris filium qui bellum illud administraret.

Sed hunc in vicinia thermarum Cellensium valetudini operam dare ferebatur, qua non firmissima vti eum narrabatur. Interea ea loca quæ ditioni ipsius p.487 subiecta fœdus Francicum occuparunt, tradita sunt in potestatem & ius administrationis Comitis Ioachimi Schliggii: vix enim tandem repertus fuit, qui illam quasi prouinciam capere vellet. Interea Rex occupatus negotiis Pannonicis, cum ipse conuentum habere præsens non posset, cum mandatis generum suum Albertum Ducem Bauariæ præfecit, & actiones inchoare iussit. A quo proposita hæc fere fuere. I. De Religionis negotio. II. De moneta. III. De pace publica conseruanda. IV. De bello aduersus Turcas.

In Saxonia autem vbique exercitus confici, quod in Liuonia Marchio Wilhelmus cum Duce Megalopurgensi Christophoro a Collegio Rigensi & ordine Teutonico in libera custodia iam teneri perhiberentur, quod Archiepiscopus Wilhelmus contra voluntatem Collegii successorem designare D. Christophorum conatus fuisset. Multa rursus prodigia nunciata. In nubibus species mirifice & terribiles visæ. Alicubi sanguinem pluit, alicubi grando cecidit quadri libris. Constantinopolim terræ motus grauiter afflixit, multis mortalibus obrutis, & labefactatis vbique muris, & cæteris plerisque ædificiis. *Prodigia.*

In Italia Pontifex manifestum se hostem Cæsaris profiteri, & in familiam Columnensium, tanquam Cæsareanarum partium, sæuire atrociter. Ferebatur etiam hunc conatum per proditionem Neapolim occupare, cognita re nihil effecisse, & de indicatis quibusdam supplicia crudeliter sumta. Etiam inter Cæsarem & Regem Galliæ discordias gliscere, & instaurari bellum nuntiabatur.

Moguntiæ hoc anno conuenerunt Electores Principes ad Rhenum, adducente Palatino priuignum suum March. Albertum. Sed opinio erat, non cum optima gratia discessum esse.

Administrationi Præpositus Monasterii Waldsassensis Rupertus, cum suspicio esset eum præsidia regia quærere, Ambergam abductus fuit. Sed deinde restitutus, Palatini de religione constitutiones seruare iussus est. Mox vir sapiens & doctus, & quid quæreretur, & in quo versaretur periculo intelligens, illa administratione certis conditionibus cessit Illustrissimo Principi Richardo Palatino. Tractationes inter Fœdus Francicum & Marchionem Albertum cum lente procederent, mox intermissæ fuerunt, vt appareret plerosque a pace abhorrere. Id fiebat partim odio aduersariorum, partim spe in bello sarciri accepta damna posse.

Ferebantur ad Ferdinandum Regem Turcicam legationem venisse, & re infecta discesisse. Venisse & Persicam cum pollicitis belli communiter aduersus Turcas administrandi. Atque erant qui Ferdinando victoriam pollicerentur: prudentioribus autem multiplex metus incutiebatur, quod vt maxime Turcicæ vires debilitarentur, vel etiam vt regnum illi genti a Persis eriperetur (nam ut a nostris id fieret, spes nulla ostendebatur) nihilo meliore in loco res Christianorum futuras esse viderent.

De Liuonia nunciatum falso fuit, mortuum esse Archiepiscopum Wilhelmum, & de componendis controuersiis susceptos tractatus, offerentibus ducenta millia ad bellum auertendum equitibus Teutonicis. Nuntiabatur & velitationibus quibusdam superiores fuisse aduersus Polonos equites Liuonicos. Copiæ autem quæ in Germania cœperunt contrahi, partim pergere, partim dimitti; vt de consiliis autorum belli huius suspiciones essent variæ, de euentu autem statui nihil posset. *Liuonica.*

In Styria & Vngaria a Regiis copiis res mediocri cum successu geri ferebatur.

Albertum Marchionem constabat in ditione vitrici Electoris Palatini cum hilaritate degere. Ratisbonæ negotia differebantur, quod de propositis ad deliberandum plerique legati non satis se esse instructos suorum Principum mandatis dicerent.

Induciæ inter Cæsarem & Regem Galliæ esse infirmæ putabantur, atque erant qui violatas iam esse affirmarent. Galliæ Rex legatos ad Principes Germaniæ mittebat, cum querelis & accusatione aduersus Cæsarem.

Caroli abitus in Hispaniam *Thuanus* libr. 17. pag. 541.

Cum tum Carolus transiturum se esse in Hispanias constituisset, nauesque sub Autumni tempus conscendisset in Belgico, ferebatur omnibus portubus & locis ditioni Gallicæ subiectis fuisse a Rege mandatum, vt comiter acciperetur Carolus, si in illa fuisset delatus. Peruenit autem, vsus satis prospero cursu, in Hispaniam vna cum sororibus duabus.

Camerarii vita Melanchthonis [illegible]

Hoc anno mortuus est Marianus Socinus Senensis, qui annos amplius L. Iura publice docuisset, exhæredato filio Lælio ob suspicionem Luteranismi; ne si ille pro hærede gereret, bona confiscarentur.

[illegible] p. 530.

In Italia Pontificii adiuti factione Gallica infeliciter rem gessere. Hostia amissa fuit. De conditionibus pacis non potuit conuenire, etsi Regem Galliæ fe- p.488
rebatur hortatorem fuisse Pontifici, vt quoscunque admitteret tam imparatos ad bellum Heluetiorum VI. millia in Pedemontium adducti, & inde priora præsidia in Italiam deducti, & erat opinio Pontificios exercitus firmos esse habituros, neque Albano cessuros.

VVolffgangi Lazii rei contra Turcas gestæ 1556. breuis descriptio.

In Hungaria vtrimque in hiberna discessum, abducente copias Ferdinando Ferdinandi Regis F. sed res eo loci plerisque visæ, vt irritato tam potente hoste Vngaria pro amissa iam habenda esset, pertinente periculo ad proxima illa in Germania loca.

Interea ad Danubium, cum eo Rex mense Decembri venisset, deliberando quid explicaretur, non apparebat, festinanter omnia Rege agente. Cum autem in Germania varii essent rumores bellicorum apparatuum, Gallicaque pecunia versaretur in medio, audirenturque narrationes mirificæ de quorundam cum Rege Galliæ coniunctione, & plurimi inceptis illis nihil obstare, nisi quod ductor Marchio Albertus valetudine aduersa impediretur, quo minus rei aliquid gerere posset. Tractatione etiam de pace inter hunc & Francicum fœdus pendente, initio anni secuti LVII. Marchio Albertus VI. Idus Ianuarii Phorcæ moritur cum inter cruciatus vehementes morbi putrescere, & vermiculos ebullire corpus animaduerteretur.

M. Alberti obitus. *Chytræus* lib. 19. p. 496. *Thuanus* libr. 19. pag. 570.

Constabat conductum hunc fuisse stipendio Gallico, cumque & Rex Angliæ paulo post studuisset sibi conciliari operam Alberti, eam conditionem quæ esset lautior, non maturius oblatam fuisse, grauiter ipsum tulisse ferebatur. Sed morbo impeditus, & mox morte sublatus (vt diximus) tam adiuuare quam lædere alios destitit. Controuersiæ quidem inter hunc & Francicos socios non simul etiam penitus extinctæ sunt: Nam eam partem Marchionicæ ditionis, quæ subiecta ditioni Alberti & a Francicis sociis occupata fuerat, conuenit restitui oportere fratri ipsius patrueli Georgio Friderico Georgii F. Mandata pace partibus, & interdicta vi armorum, & reiectis postulationibus, ad cognitionem legitimam & explicationem iuris publici Marchioni Georgio Friderico mense Martio reddita fuere omnia loca, quæ Francici socii tenuerant. Editum fuerat, non diu ante mortem Alberti M. longum scriptum & mirificum, plenum disputationibus Iurisconsultorum de caussa sua, sed contumeliis plenius in plurimos. Huic socii Francici copiose responderunt, & conati fuerunt paria facere. Atque in his contentionibus & rixis verbo-

verborum desitum est ferro & igni vastari patriam, aspersis notis infamiæ compluribus, & odio inter populares confirmato : quo quidem in primis Ciuitas Norica laborauit, neque quisquam potuit sperare reconciliationem gratiæ præsertim Marchione Georgio Friderico, quamuis adolescente, tam infenso ciuitati viciuæ : qui quibus modis concedebatur, declarare non desisteret, quam inimicus illis esset, neque in ista animi incitatione & ferocia tegere hostilem voluntatem potuit.

Ratisbonæ consenserunt ordines cum Rege de contribuenda pecunia in sumtus belli Turcici. Hanc & accipere, & colligere, & distribuere ac expendere oportebat ab ordinibus Imperii designatos.

M D LVII.

ITaque Anno statim sequente conflari copiæ tam equestres quam pedestres, & certa loca indicari, ad quæ ab vnoquoque pecunia tributi mitteretur. Et equites vere medio congregari : cum quidem tributum a quibusdam negligenter, a quibusdam penitus non penderetur. Delectu tamen habito copiæ perrexerunt, & in Vngariam peruenerunt.

Illyrici qui Regi Ferdinando adhuc parebant, ferebantur de improuiso Turcica aliquot illis in locis oppida cepisse & diruisse, & fecisse cædes crudeliter. Sed copiæ Regiæ ad Presburgum venere, vbi laborari pecuniæ penuria iam dicebatur.

In Italia procedente bello inter Pontificem & Albanum Ducem Philippi Regis Angliæ, cum Pontifex Columnenses afflixisset, & aduersarios deuouisset, tum igitur Hostia deserente hanc Albano recepta fuit. Sed aliis locis res minus feliciter gesta a Pontificiis : atque putabatur Cæsareana factio esse in Italia superior. Cosmus Medices Florentinus Cæsareanas partes strenue defendit: Ferrariensis non obscure Gallicos fouit : Venetis & Mantuano medios se probantibus, neque illis certaminibus se admiscentibus. *Italica.*

p.489 De bello autem Liuonico tractabatur, & ferebantur conditiones, Archiepiscopus Rigensis vna cum Christophoro Duce Megalopyrgensi, custodiebantur illi quidem, sed ita vt quo vellent animi caussa, eo conferre se possent. Cum autem fuissent a Liuonicis interfecti legati Polonici de pace missi, Poloni vlcisci armis iniuriam illatam suis decreuerunt, & cogebatur exercitus, & bellum expediebatur. Sed hoc pene deditionem facientibus Liuonicis, Polonici Regis arbitrio compositum mox fuit. Magna dicta tributa imposita Liuonicis, & alias conditiones difficiles ab illis acceptæ. Fuerat autem ita instructus Rex, vt si perrexisset, bello subiugare totam Liuoniam potuisse crederetur. Etsi hæc leuiora fuisse compertum, Rex Magistrum admisit, pactum mutuum iureiurando confirmatum, *ne cum Moschis Rex aut Liuonici societatem iungerent.* *Liuonica. Chytræus libro 19. pag. 495.*

Gallicum autem bellum manifeste mouebatur. Cum autem Rex Philippus magnas copias equestres ductoribus Comitibus & Principibus quibusdam coegisset ; nihilo tamen minus & ad Regem Galliæ plurimi se contulere, tam equites quam pedites, etiam turmatim per Heluetios in Galliam profecti, id quod ante id tempus factum non fuerat. Atque constabat e Germania educta esse vno hoc anno ad Turcicum & Gallicum bellum ad XIII. millia equitum ; quod superioribus temporibus Ordines Imperii non fieri permisissent. Non autem magnopere, vt in præsentia fieri consueuit, hæc & his similia vel curabantur vulgo, vel etiam animaduertebantur : sed prudentiores & virorum ope & pecuniæ copia nudari Germaniam, periculosum esse intelligebant, & prouidebant instare articulum mutationis Reipublicæ de qua & veterum sapientum & vaticiniorum oracula prædictiones extarent.

Comment. de Statu Religion. in Gallia f. 2.

In Gallia crudeliter necare non desierunt eos, qui religionis veritatem exquirendam confitendamque censerent. Magna multitudo non frequentantium cætus Ecclesiasticos vsitatos, sed occulte conuenientium, vt veram doctrinam audirent & ritus religiosos seruarent, capta fuit. In qua repertæ & fœminæ potentum virorum. Venerunt quidam ad Principes Germaniæ Geneua, cumque his Varellus, petentes intercessionum literas, & ediderunt confessionem fidei suæ congruentem cum Augustana per omnia, excepto articulo de Cœna Domini de qua obtulerunt se rationem reddituros, & veritati neutiquam refragaturos re explicata.

Geneuenses,

Paris. Academia.

Parisiis hoc anno scholastici perniciose tumultuati fuere, cum enim ambulationum prata, quibus liberis ab antiquo ordo scholasticus vsus esset, cœpisset occupare ædificiis vicini Monasterii Abbas, questi fuere scholastici iniuriam, & suum ius demonstrarunt. Sed non succurrente Magistratu, ipsi manu violenta ædificia disiicere & inflammare. Ea res intolerabilis visa; itaque Magistratus armatis copiis contractis audaciam illorum repressit, quibusdam male mulctatis, neque sine cædibus res dicitur abiisse. Rex autem atrocibus accusationibus inflammatus, omnibus Professoribus suis, qui soli Parisiis bonas literas & artes atque Philosophiam docent, mercedes ademit, & studiorum hunc cursum eruditionemque ingenii remouit. Dicebatur autem minus hunc esse æquum doctrinæ studiis quam pater fuisset, qui incredibili fauore doctos & eruditos prosequeretur. Idem tamen cum Legati ab Academia ad ipsum missi negotium totum certius & verius explicuissent, facile obtineri passus fuit, vt decretum quod seuerissime fuerat factum mitigaretur. Edidit orationem de ea Legatione Petrus Ramus.

24. Augusti. Chytræus libro 19. pag. 495. Thuanus libro 19. pag. 571. Philipp. Melanchthon. Camerarii vita Melanchtonis num. 106.

Colloquio quod de religione haberetur decreto Ratisbonæ, & dicto die IX. Calend. Septemb. cœperunt ii de quibus conuenerat vndique se illo conferre. Hoc autem tempore proficiscente Duce Augusto ad Regem Danicum socerum, vt de nuptiis fratris filiæ ageretur, quæ desponderetur (vt rumores erant) Regis filio, iussus fuit Philippus Melanchthon differre suum iter, donec Consiliarius Principis D. Mordysen ad eum venisset. Rex autem Danicus & ipse Synodum Theologorum conflabat, & quæstionem studebat explicari de Cœna Dominica, de qua leuius verba facere viderentur quidam, quam probaretur Saxonum vehementiæ, & hoc nomine D. Albertum doctorem ecclesiæ Bremensis damnaturi videbantur. Atque istud certamen indies crescebat, quibusdam cupidissime accipientibus hanc occasionem reddendi inuisum ad vulgus Philippum quoque Melanchthonem, quem scirent in loquendo proprietatem seruare, neque admittere inexplicatas orationis figuras seu Phrases. Pii autem & religiosi incredibili metu & dolore afficiebantur, cum viderent aliter fieri non posse, quam inter contentiones vt sanctissima actio Christianorum profanaretur.

Interea nuntiatum fuit, magnis copiis congredi Reges duos, Anglicum atque p. 490
Gallicum, cum quidem in exercitu Anglici multi etiam insulæ illius incolæ essent. Classem autem Turcicam præclare instructam appulisse, & in Apulia portum occupasse: eam autem esse sociam partium Gallicarum & Pontificiarum.

Hoc anno cum ea caritas annonæ & frumenti penuria fuisset in Belgico, homines vt porcorum pabulis & aliis etiam fœdioribus cibis vescerentur, & multi mortales famæ interirent, naues aliquot æstate aduenerunt Hispanicæ, quæ non modo magnam vim frumenti, sed auri etiam copiam aduexerunt, cum paulo tamen ante nonnihil calamitas illa fuisset alleuata.

S. Quentin. Chytræus l. 19. p. 495. Thuanus l. 19. p. 585.

Bello Gallico suscepto, Rex Philippus copias firmas equitatu inprimis Germanico Quintinum versus adducere, quo constaret vndique e vicinia omnium opes tanquam loco tuto congestas atque depositas. Atque hanc vrbem semper Reges

Reges Gallici opportunam habuere ad inuadendum Belgium. Minime autem hoc suspicati fuerant Gallici. Itaque consilio isto perspecto, operam dare cœperunt, vt vrbs illa defenderetur, quæ modico præsidio tum tenebatur. Primum igitur Amiraldus in eam cum non magna manu peruasit. Sed Conestabulus Annas Momerantius vndique contractis copiis pedestribus ad XVI. millia, in quibus XI. millia Germanici nominis ductore Rheingrauio fuere, & equestribus ad IV. millia, in quibus Germani ad DCC. sperauit, non modo vrbem a se defendi, sed hostium etiam copias profligari posse. Vrbis situs est ad palustrem vna ex parte planiciem, vnde fluuius Sona profluit. Hanc veterem *Samarobrinam* aliqui esse existimarunt. Cum autem introducere conati fuissent Galli præsidium copiosius, prohibiti fuere vigilantia & industria hostium, & nonnullam cladem acceperunt. Momerantius qui modis omnibus tuendam conseruandamque vrbem statuebat, propter loci opportunitatem, & Gallicam nobilitatem quæ cum Amiraldo intrauerat, & quia tota vicinia facultates incolarum in eam fuerant deportatæ, contractis igitur (vt diximus) copiis propius ad hostes accessit. Cum quidem vel falsis indiciis cognouisset, vel incertas coniecturas secutus, suspicaretur hostium copias esse exiles. Sed equitum Germanorum tanta fuit confidentia, vt transgressi flumen nondum subsecuto peditatu impetum se facturos esse in Gallicas copias præ se ferrent. Tum cedere Momerantius, & accliuia loca petere, & properare ad castra propter fera posita. Itaque vniuersis copiis Præfectus Allobrogum Dux Emanuel Philibertus Caroli F. animaduersa Germanorum pugnandi cupiditate, & inprimis Ernesti Ericique Brunosuicensium generosa animi incitatione quodque hostes iniquiore loco constitissent & arma expediissent; audendum, neque illam occasionem amittendam, & hosti receptum in castra concedendum ratus, equitatum dilatatis ordinibus immisit in Gallicos equites, quibus profligatis sine negocio & pedites dissipati fuere. Tum fuga facta fæda & miserabilis, neque Galli vspiam perfugium habuerunt. Victoribus igitur res hominesque prædæ fuerunt; multi interfecti, capti plures, totusque exercitus ille deletus est. Neque quicquam tormentorum pecuniæue aut cæterorum instrumentorum belli conseruatum, inque hostium potestatem venerunt omnia. Princeps Momerantius vna cum filio captus. Itemque Rheingrafius, & alii ductores præcipui copiarum Gallicarum. E victoribus non multi ceciderunt. Iohannes Ernestus, qui superioribus annis captus a Gallis fuerat, ictus in prælio periculose, mortem tamen euasit. Philippus Rex eo in prælio non fuit, sed postero die aduenit. Quidam in illius conspectu commissum prælium tradidere. Postea oppugnari vrbs Quintinum cœpta, & defendentibus iis qui non multi numero in præsidio cum Amiraldo erant, VI. Calend. Septembris vi capta est XVII. die post prælium. Irrumpente milite, omnes obuii tam armati quam inermes trucidati fuere. Postea tamen cæteris parcere sunt iussi, multæ nobiles matronæ ac virgines in vrbe deprehensæ. Præda autem immensa, de qua & victores inter se decertantes non nullo detrimento se ipsos affecerunt. *Samarobrina.*

Paulo ante hos in Belgico successus, etiam in Italia ad Paleanum Pontificiæ copiæ fusæ victæ fuerunt. Littori autem Calabriæ infesta imminebat Turcica classis. Neque obscure ferebatur, coniunctos esse Pontificem Romanum Galliæque Regem cum Turcico Imperatore aduersus Cæsarianos. *Thuanus* libr. 18. pag 651.

p. 491 In Italia & Roma ipsa sæua fames fuit, multaque millia ædium a profugientibus vasta sunt relicta.

Albanus eo adegit Pontificem, vt pacem peteret. Ea pax cum hoc Regis Philippi nomine facta est; multis improbantibus, quod existimaretur paulo seue- *Thuanus* libr. 19. pag. 566.

rius tractandus fuisse Pontifex, qui illud tantum bellum excitasset, & ab Albano fieri potuisse quæcunque voluisset. In ista compositione factus Cardinalis ferebatur filius Albani: Ferrariensi Duci imposita grandis multa nunciabatur. Erantqe in Insubria adhuc tam Philippicæ quam Gallicæ copiæ.

Thuanus libr. 19. pag. 588. Et in Belgico muniebatur Sanquintinum & vastabantur loca vicina. Quidam etiam Polbeilerus nomine aliquid copiarum tumultuario itinere ad Lugdunum adduxerat, & ita terruerat incolas vt multi ex vrbe profugerent. Et si celeritate vsus fuisset, putabatur vrbem illam primo impetu potuisse capi. Sed asperitate viæ impeditus potuisse exercitus progredi negabatur: ita reductæ copiæ illæ fuere. Postea nescio quid prælii factum esse narrabatur & rursum victi Galli, sed falso. Et copiæ Polbeileranæ Allobroges frustra tentarunt, cumque pecunia deficeret, ductor clam copias deseruit, quæ ita dissipatæ fuerunt. Dictum etiam fuit in Belgico excursiones factas vsque ad S. Dyonisium, & ibi sepulcra Regum diruta: falso

De Carolo nihil dignum memoria nunciabatur.

Card. Moronus. Hieron. Morenus. Iosephus Ripamontius Hist. Mediolan. lib. 9. p. 709. 710. A Pontifice captum fuisse Cardinalem Moronum constabat, quod aduersatus fuisset furori senis in mouendo temere tanto bello. Hic est Moronus Hieronymi F. Hieronymus autem pater summus vir habitus, primo loco apud Franciscum Sphortiam Mediolani Ducem fuerat. De hoc accepi, illo tempore quo victo ad Ticinum Francisco Rege Galliæ, quanquam Cæsarianas res Dux iuuisset omnibus viribus, tamen fuisse in periculo, vel non iniusto, saltem metu periculi, a ductoribus copiarum, quæ negotia ab aliis sunt copiose enarrata. Fuit deliberatum tunc de profectione Ducis ipsius, & de accessione in Castra Cæsariana. Id cum fieri non oportere iudicaretur; placuit tamen præcipuos aliquos consiliarios illuc mitti. Inter eos principe loco designatus fuit Hieronymus Moronus. Opinio de hoc erat, admoneri ipsum de iis quæ euentura essent occulta voce sibi familiaris Spiritus, quæ de annulo applicato auri sonaret. Cogitans igitur hic de itinere illo, & quasi cogitabundus de ea re, ita assedit imposito capite manui intentus cubito, & anuulum auri admouit. Ibi audisse sermone Italico fertur hæc verba: *ibis, redibis; Non capieris.* Ipse vero lætus, id arripiens quod cupiebat, & complectens verba blandimentis voluntatis suæ, & reuersaturum & non fore captum sperauit, & alacri animo legationem obiit; captusque & crudeliter excruciatus fuit.

Italica. Quo tempore pax inter Pontificem Romanorum & Regem Philippum publicata fuit, eo imbribus & Tiberis exundatione horribiliter fuit afflicta Roma, & tantum damnum datum vt hostilis direptio vix peius nocere potuisset. Circum Florentiam etiam similiter strages datæ, & factæ labes. Et in Sicilia ad Panormum mons vicinus tantam vim aquæ effudit, vt in vrbe multa ædificia euerterentur, & in aquis homines interirent, & in agris innumerabilia pecora & stirpes delerentur.

5. Ianuar. 1558. Interea conuentus Principum septem, qui Electores vocantur, a Rege Romanorum indictus fuit ad nonas Ianuarii Anno LVIII. Vlmæ sed quibusdam & de tempore & de loco commodiore interpellantibus, quid futurum esset, nondum sciebatur. Fama autem erat, velle Carolum Imperatorem vniuersa administratione, iure & titulo Imperii cedere, & se Imperio abdicare. Verum putabatur hoc agi, vt Ferdinandus quidem Rex Imperator fieret, designaretur autem Cæsar, id est successor, Philippus Caroli filius. Hoc neque admissurum Ferdinandum, neque permissuros Principes Electores plerique suspicabantur.

Callidi

Callidi quoque & prudentes animaduertebant nouas dissipationes quæri, quod priora vulnera non sanata, & vtile esse externæ potentiæ cernerent dissensione mu-
p.492 tua & certaminibus intestinis frangi vires Germaniæ. Inter se enim commissis Germanis, quicunque superiores fuissent, eos facile vel adiungi vel opprimi etiam posse. Sed hæc ipsa discrimina non intelligebantur, vel contemnebantur, a plerisque excæcatis odio aut ambitione. Principes Saxoniæ rebus omnibus compositis, non verbis illi quidem dissidebant, sed animis & voluntatibus non concordare eos multa iudicia notabant. Edita fuerant scripta contumeliose & petulanter maledica, in viuos & mortuos eius partis, cui successerat mortuo fratre Augustus. Horum compertum autorem curauerat indicandum Augustus, & petendum vt in eum debita pœna statueretur. Compererunt autem autorem illum, qui scelerata dissimulatione nomen falsum præscripserat, inquirendo in eum qui imprimendo scripta illa ediderat: quo Francofurti ad Mœnum comprehenso, omnia fuerunt patefacta. Atque postulante Principe Augusto, vt illa petulantia coerceretur, & animaduerteretur in Autorem, Autor indicatus negauit se eius facinoris conscium esse, & se iuri sistere velle, vades dedit. Ita re dilata indicatus autor periculose ægrotare cœpit.

In Vangionibus Borbedomagi indictus conuentus, vt de religionis controuersis capitibus colloquium institueretur, procedere; conuenireque ibi vtriusque partis delecti & iam designati: loco quidem Regis Ferdinandi, cum ille propter bellum Vngaricum adesse non posset, præsidere debuerat Episcopus Spirensis. Sed cum hic correptus morbo obire illud munus non valeret, mandata curatio ista fuit Iulio Episcopo Naoburgensi. Mersburgensis autem quem Sidonium nominabant, Princeps erat sui gregis. Augustanam autem confessionem defendendum quasi caput Philippus Melanchthon. Aderat a principe Augusto Legatus Ludouicus Comes Neogardiensis, virtute & sapientia & singulari humanitate excellens. Omnino negari non poterat, Pontificias partes & doctrinæ & rituum & vitæ vitiis laborare, & necessario errores quosdam notari. Hi initio statim petierunt vt disputationes non colloquendo, sed scribendo peragerentur. Id facile obtinuerunt, cum non minus scribendo quam loquendo valerent Augustanæ confessionis defensores. Sed cum hi præclare starent, ab Electoris Principis aliquando Iohannis Friderici filiis missi ad eum conuentum sua peruicacia totum negotium corruperunt. Hi a loco vbi illorum Principum aula sedem habebat, Vinarienses vocabantur. Et rem optatissimam aduersariis, dissensionem inter ipsos commouerunt. Postulare enim ante omnia, vt condemnationes pronuntiarentur eorum quos ipsi nominibus Adiaphoristarum & Maioristarum & Zvvinglianorum infamabant: nisi enim hoc fieret, non fore inter ipsos firmam consensionem. Nihil erat inter cæteros harum partium controuersiæ aut dissensionis de dogmate. Itaque amanter ab ipsis petebatur, ne esse vellent autores perniciosi dissidii. Quinetiam damnationes promittebantur, sed suo loco, & rebus explicatis. Cumque Philippus Melanchthon etiam tum illas damnationes agitare cœpisset, a sociis & collegis reclamatum, & hoc consilium Philippi, ipso non aduersante illis, impeditum fuit. Philippus autem omnino studuerat omnem occasionem amoliri, qua susceptis actionibus mora aliqua obiiceretur. Rursum igitur petitum fuit, vt concorditer caussam non controuersam tuerentur, de cæteris capitibus differrent cognitionem. Nihil horum illi admittere, sed vrgere postulationem. Ibi illis dictum fuit, licere initio & esse melius discedere, quam impedire actiones bonas & vtiles. Tum igitur illi demum & assensi sunt, & promiserunt se vno ore & animo defensuros doctrinam secundum capita Augustana. Itaque scriptis mutuis disputationes illæ agitatæ atque frequentatæ fuerunt. Cum mox incertum qua noua caussa, aut cogitatione impulsi Vinarienses, se nisi condemnationes præmitterentur, non posse coniungi cum cæteris, vociferari; & vbique etiam apud aduersarios hoc testari, & turbare

VVormatiense colloquium. *Camerarii* vita Melanchthonis pag. 106.

Iulius Pflug.

Μετενέχθη εἰς τὰ περὶ Φιλίππου.

VVinarienses.

inchoatas disputationes. De hoc alii tum aliter. Quidam ad impotentiam animi, & vetera partium odia illam discessionem referebant. Quidam non dubitabant suspicione illos onerare, quod aliis non probabatur, quibus nota esset hominum vehementia. Sed ita tum omnia mirabiliter miscebantur, vt nihil non credibile videretur. Solenniter igitur illi testati, quamobrem coniungi cum suarum partium cæteris non possent, ita discesserunt. Atque in itinere aliqui horum rumusculos sparserunt futiles & varios. Hoc cum aliis delectationi fuit, & doctrinæ quam p.493 Euangelicam perhiberent, obtrectauit, cum præberetur occasio tam execrationibus quam ridiculis quibusdam dictis. Tum accidit aduersariis peropportune, qui iamdudum certamen illud animaduerterent iniquius esse comparatum. Nam se neque doctrina neque vsu rerum iis, quibus opponerentur, pares esse sentiebant. Sed præses loco Regis Ferdinandi Iulius, vir prudens & doctus, quod pro altero præsideret, ostendit se necesse habere rem perscribere Regi. Dum autem expectatur responsum, omnia fuere interim quieta & summum otium Borbetomagi.

Regis responso allato, quo iubebatur primum, si fieri posset, vt integra ab vtraque parte & concors disputatio instauraretur: si minus, vt in eorum qui discessissent locum alii surrogarentur, & continuaretur negotium: quod congruere cum decreto Ratisbonensi videbatur. Tum igitur Pontificii sane perculsi, negare sibi hoc faciendum, neque aduersariis dissidentibus disputationem producendam esse. Quid enim hoc profecturum esse, cum ignoraretur ad quas sententias respicere deberent? Cur enim non prius conuenirent aduersarii inter se, vt sciri posset quid defenderetur? Postularunt & condemnationes quasdam nominatim, imitantes Vinariensium actiones. Sed fuit diserte responsum, totam rem decreto Ratisbonensi & secundum hoc responso Regis esse explicatam. Et Augustanæ confessionis defensores præsto esse atque in medio, neque defugere aut recusare vllos legitimos congressus, & testari, si abrumperetur disputatio, sua id culpa non fieri. Ibi Præsidi molestiæ oblatum fuit & solicitudinis plurimum. Sed cum Pontificii nullo modo prosequi disputationes vellent, ita conuentus solutus fuit. Qui ibi remanserant ex defensoribus Augustanæ confessionis, Præsidis etiam testimonio laudati sunt. Et ipsi inter se cum priore necessitudine confirmata, tum noua societate coniuncti, domum suam quisque reuersi fuerunt.

Fr. Staphylus. Camerarii vita Melanchthonis pag. 368.

Postea Fridericus Staphylus, qui se in aulam Ferdinandi Regis insinuarat, edidit scriptum tam futile, vt contemni; tam vero improbum & malum, vt animaduersionem effugere non debere videatur. Mirabanturque prudentes, tantum licentiæ concedi furori leuitatis, neque intelligi quæ stabiliri isti vellent, ea vehementius labefactare; præsertim cum similis vesaniæ & ab hac infelicium euentuum exempla essent in medio. Quidam Auoes etiam nescio quid effutiuit scribendo. Philippus Melanchthon breuiter ille quidem ambobus, sed grauiter & luculente respondit.

In Vngaria nihil omnino rerum est gestum. Pecunia debita ex decreto, neque vniuersa & sero soluta fuit. Etiam alia sic administrata, vt non conspecto hoste iam Autumno desinente copiæ omnes reducerentur, solutis quidem stipendiis, sed cum querela multorum, qui se ad diuturnius bellum instruxerant.

Constabat tum in Croatia alicubi aduersus latrocinia Turcica a paucis Regiis aduersus magnam multitudinem hostium rem bene & feliciter gestam, & multis cæsis prædam arreptam hominum & pecorum vi ademptam fuisse. Id quod solum laudabiliter toto illo bello gestum narrabatur. De Turcicis rebus nunciabatur, graues & intolerabiles ferri conditiones Ferdinando Regi, vt Segetium

Segetium.

demoliretur (hæc munitio ad illud tempus irruptionibus Barbarorum Styriam &

Austriam

Austriam versus sola obstitisse putabatur) vtque mitteret biennii munera. Ita enim demum passurum Imperatorem Turcicum de pace aut induciis agi.

M D LVIII.

Chytræus libro 19. pag. 500. *Thuan.* libro 20. pag. 603.

IN Belgico, cum eo venisset Cardinalis Carafa, sperabatur rem inter Reges vicinos compositam iri. Constabat autem & perbenigne acceptum illum a Rege Philippo, & prolixe ac munifice tractatum esse. Sed dimissis a Philippo Rege copiis magna ex parte, Galli de improuiso Caletum oppugnare cœperunt. Ex Italia autem reuocatæ copiæ Gallicæ, equis & viris languentibus ac debilitatis, sine pecunia & nudæ reuersæ, non magnopere vtiles ad bellum Regi futuræ esse existimabantur. Affirmabatur & legatos esse Gallicos ad Turcarum Regem missos, & ex Italia euocatum Ducem Albanum Pontifice penitus cum Philippo Rege in gratiam reuerso. Ferdinandus Gonzaga autem dum ex Insubribus in Belgicum contendit, Patauii ægrotare cœpit, ibique inter curandum mortem obiit.

Cales capitur.

Interea Caletum & vehementer oppugnatum, & fraudulentis consiliis tentatum, interque hostiles machinarum impetus patefacta parua porta arcis, & irrum-
p. 494 pentibus hostibus captum fuit. Quo successu detrimenta omnia a Gallis superiore anno facta, abunde compensata fuisse creditum.

(Non fuit præsidio munitum Caletum; & sperauerat Regina, Regem Philippum occasione vsurum & vrbem occupaturum esse, cum aliter tradi ei non posset. Vt tamen captum dicunt, detecta arce veteri.)

Inter eos autem qui assertores defensoresque veræ & sanæ atque salutaris doctrinæ videri volebant, fœde contumeliosis scriptis dimicabatur. Quæ res multorum animos grauiter perturbabat. Hoc illi nihili pendere, quasi caput esset Religionis, dissensionum & discordiæ acerbitas. Etsi vt ingenia atque natura & institutio, sic consilia voluntatesque & actiones dissimiles animaduertebantur: neque enim probabantur omnibus ea quæ a suis fiebant. Et non dubitabant quidam aperte tam suorum conatus quosdam reprehendere, quam aliorum facta laudare. Quo ipso quasi impelli res iamdudum procliues ad ruinam, & accelerari euersio a prudentibus existimabatur.

Caleti occupati Rex Philippus nuncio accepto, statim quantas maximas copias potuit, contractas ad obsidendum illud misit, quod spes esset non esse eorum quæ ad victum necessaria sunt, præparatam copiam.

Augustus Elector Lipsiam venit V. Febr. & eodem Dux Brunsuicensis Henricus, & deinde Marchio Elector. Hi cum familiariter collocuti conuiuatique essent, rediit ad suos Brunsvvicensis, & Marchio Augustum præcedentem, vnum adhuc diem Lipsiæ commoratus, deinde fuit secutus. Iter autem institutum erat Francofurtum, vt ad conuentum abdicandi Imperii caussa indictum proficiscerentur.

Hoc tempore nunciatum fuit, Regem Galliæ motum literis quorundam Germaniæ Principum, deprecantibus salutem & incolumitatem in regno ipsius religionis causa coniectorum in vincula, edixisse, *Ne in vllos deinde Religionis nomine inquireretur.* Eos rumores alii callide dissipari eo tempore opinabantur, vt studia Germanorum retineret. Sed si verum esset, pietatis amantes, quacunque occasione hoc fieret, lætabantur Galliæ hanc qualemcunque quietem contingere, & intermitti crudelitatem suppliciorum in eos, quibus nullum crimen præter odium superstitionum & fuga errorum inferretur. Sed celeriter compertum est, famam illam non nuntiasse id quod fieret: præsertim Regis literis, quibus respondebat, defendentibus factum, & petentibus, ne tales deinceps intercessiones fierent.

Galliæ autem Rex, occupato Caleto, non cessabat augere copias, & confirmare vires suas. Et versabantur in Germania passim absque non modo occultatione, sed omnino dissimulatione negotii, planeque manifesto, conductores equitum in primis. Quibus stipendia promittebantur hactenus vsitatis sesqui-

 maiora.

majora. Nam cum XII. aurei prius consueuissent pendi mense vno equiti, conductores Gallici XVIII. fuere polliciti: & existimabatur breui futurus Rex Galliæ turmis Germanicis instructissimus, vt de compositione belli spes nulla esset. Franciscus etiam Guisius reuersus ex Italia, quo Gallicas auxiliares copias Pontifici adduxerat, quod bellator esse existimaretur, animos suorum erexerat. Et hoc duce omnes sibi victoriam promittebant. Quæ opinio confirmata fuit successu Caletis, quod negotium Guisius administrasse credebatur. Dicebatur etiam Pontifex omnino esse ad Gallicas partes propensior.

21. Februar. *Chytræus* libr. 19. pag. 499. *Thuanus* libr. 21. pag. 628. *VVilh. Godelevæi* Hist. abdic. Caroli.

X. Calend. Martii venit Francofortum Rex Ferdinandus, comitatu equitum bis mille, IX. Palatinus Elector cum equitibus D. VIII. Archiepiscopus Moguntinensis cum CC. Augustus Princeps Elector cum D. Marchio Ioachimus Elector cum CCL.

VI. Cal. aduenit Treuirensis Elector cum equitibus CC. Coloniensis V. Cal. cum equitibus CCL. Araniæ autem Princeps legatus Caroli Cæsaris cum centum equitibus

IV. Cal. mandata Cæsaris Doctor Seldius exposuit coram Rege Ferdinando & Electoribus. Ea fuerunt abdicare se Carolum Imperio simpliciter, & absque omni pactione aut conditione, & tradere fratri, atque ipsis sceptrum & coronam Imperii, cui hactenus præfuisset, neque præesse diutius posset. Tum deliberatum fuit, quid in re inusitata & noua agendum videretur, & de iurisiurandi formula, qua obligaretur nouus Imperator, consultatum.

Carolus abdicat Imperium.

Constabat ante annos pene XXX. eadem consilia agitasse Carolum, & abdicare se gubernatione illa voluisse, vt totum se bellis gerendis addiceret. Sed ipsius fratris & aliorum precibus & monitis victum, ab incepto destitisse. Omnibus autem temporibus, nunquam vllis hic rumoribus bellicis territus fuit, neque occasiones bellorum fugit. In gerendis animosus mirabiliter, cæteris rebus callidior, & ab iis virtutibus, quæ leniores sunt & vocantur, quibuscunque conciliari in primis studia hominum solent, alienior. Magisque metu excitabatur quædam veneratio hominum, quam amore obsequium conciliabatur. p. 495

Ferebatur Romani Pontificis cum Gallo coniunctionem animo iniquissimo tulisse Carolum, quod diceret, studio erga ipsum & ob defensionem status Ecclesiastici se quatuor detrimenta accepisse, quorum tria essent irrecuperabilia. Impensas thesaurorum, *hoc posset fortasse damnum sarciri*, inquit. *Sed amissa existimatio nominis, afflicta valetudo, etiam spes erepta conciliandi Imperium filio, omnino periit.*

FERDINANDVS Imp.

De conditionibus quibus iureiurando obligatus esset Ferdinandus, ferebatur inprimis hoc, *ne quicquam machinaretur aut faceret, quo propter religionem læderetur dignitas aut status vllius Principis in Imperio.* Ipsum Cæsarem Ferdinandum properare in Austriam narrabatur. Atque dissipabantur rumores, Pannoniæ nouos exercitus Turcicos imminere, & Tartaros Liuoniam versus incursionem fecisse, & magnas strages dedisse. Hæc falso spargi erant qui suspicarentur, & tributi alterius nomen confingi. Sed plurimi vera illa esse affirmabant, & dolebant tam lente agi negotia Reipublicæ, & de similibus negotiis euentus minus prosperos expectabant.

Tartarica.

De Tartaricis quidem irruptionibus hoc comperiebatur, brumæ illos tempore densissima niue, cum præsidia ibi nulla essent, neque metueretur hostis, subito magno equitatu Rutanos esse adortos, qui regni Polonici limites sunt. Atque multis vulgo obtruncatis, magnam prædam abrepisse pecudum & hominum inter quos vtriusque sexus ingens numerus nobilitatis fuerit, ad ducenta oppida atque pagos incendisse. Sed reuertentes esse afflictos, aliquot millibus cæsis ab insequentibus Polonis, & nonnihil prædæ ereptum. Præcipua autem pars præmissa a Tar-

a Tartaris recuperari non potuit. Hi sunt Scythæ, Hamaxobii, cum familiis crebro mutantes sedes, & sequentes vberiora pascua.

Ad Regem Galliæ sine dissimulatione atque palam magnus numerus equitum se conferebat. Colligebantur & equites, qui adducerentur Regi Philippo: Sed procliues erant fere omnes magis in Gallicas partes, quod a Rege Philippo male soluta fuisse stipendia narrarent. Affirmabatur peruenisse ad Gallum V. millia Germanorum equitum, & ad Regem Philippum totidem. Ducem etiam Iohannem Wilhelmum Iohannis Friderici filium, ferebatur magnas copias contrahere, quas multi in Galliam abducturum suspicabantur, aliis affirmantibus Regi Philippo operam nauari, neque deerant qui loquerentur pro certo. In Hassia congregari dicebantur, & delectúm fore ad Metas Lotaringicas, quam vrbem occupatam Rex Galliæ adhuc tenebat. Hassia quidem patebat equitibus Gallicis.

Chytræus libr. 19. pag. 500. Thuanus libr. 19 pag. 619. Schardii epit. ad ann. 1556.

Metz.

Hoc anno XV. die April. Melchior ex nobilitatis Francicæ gente Zobelia, Episcopus Wirceburgensis, cum ex vrbe vt arcem ascenderet equo proueheretur, ad pontem Mœni, quem transierat, interfectus fuit, globorum duorum ictibus, & cum eo ex nobilitate duo, sauciis aliis quoque, ex quibus mox tres & ipsi decesserunt. Episcopus ictus non statim de equo cecidit, sed prouectus aliquo vsque, si forte durare posset dum in arcem perueniret, relinquentibus eum viribus, ita ex equo sublatus ibi vitam finiuit in semita. Huius facinoris autores ignorabantur, sed suspicio fuit de Grumbachiis, quibus ipsorum bona erepta essent, quod Episcopum superioribus annis hostiliter oppugnassent, socii & adiutores consiliorum & actionum Marchionis Alberti. Cædis huius autoribus nihil periculi imminuit, sed facile euaserunt; constabatque in vrbe eos pernoctasse, tunc quando mane facinus aggressi fuerunt. Etiam alibi in quosdam * impetus similes facti sunt, vt tota Francica regio ditionis Wirceburgensis esset inquieta & turbulenta partim formidine, partim indignatione, partim etiam audacia grassatorum, collocarant illi ad extremum pontem, ne fuga pateret ad conspectum ipsorum Episcopo territo & in vrbem recipienti se, pedites duos: eos imposuerunt in duos equos interfectorum. Narrabatur & hoc, * vnum accessisse ad Episcopum, & tradidisse literas, quibus more gentis hostem ipsius se profiteretur Grunpachius, & inter legendum cædem de improuiso esse factam.

Thuanus libr. 21. pag. 610. Petri Lotichii Hist. narratio de cæde Zobelii in Schardii Tom 3. Sim. Schardii epit. rer. sub Ferdinando gestar. ad an. 1558.

** In Iohannem Zobel, quem & spoliarunt.*

** Falso.*

Cum fuisset demonstratum Ducibus Saxoniæ Iohannis Friderici filiis, de quibus conuenisset in Vangionibus, & petitum vt illa approbarent, & sequerentur: Responderunt *Rem indigere deliberatione.* Et conuocarunt suos atque Saxonicos Theologos Magdeburgi die XVI. Maii, Magdepurgenses petierunt vt ratione habita difficultatis temporum illorum, suæ vrbi parceretur, & alibi indiceretur conuentus. Accersiuerunt autem vndique alios ad conscribendum aliquid contra edita Francofurti, de quibus inter Principes conuenerat. Ipsorum autem Theologi cum Vinariæ diu fuissent collocuti, tandem discrepantibus sententiis discessum fuit. Interque hæc & Dux Ioannis Friderici vxorem duxit filiam Friderici Palatini, Iohannis neptem. Fridericus autem designatus erat, patre mortuo, successor Otto-Heinrici. Sed Dux Iohannes Wilhelmus conducta opera ipsius a Rege Galliæ, ad illum equestres copias duxit, in quibus præcipui fuere ii qui Marchionico bello ordines duxerant, & consiliarii fuerant.

p.496

Heinricum autem Ducem Brunsuicensem aiebant copias contrahere ad resistendum confluentibus Gallicarum partium copiis, & eas dissipandum. Inter quæ filius Iulius ab eo clam discessisse, & ad affinem Ioannem Marchionem Brandeburgensem se contulisse dicebatur. Sed nemine magnopere impediente, copiæ Germanicæ in Galliam peruenerunt, quin etiam in itinere alicubi interdum

Theodonis villa. Chytræus lib. 19. p. 500. Thuanus libro 20. pag. 615. Schardii epit. ad ann. 1558.

dum diuersarum partium turmæ vna versatæ sunt, neque hostiliter quicquam actum. Rex Galliæ cum Germanicum equitatum haberet magnum, adortus munitum oppidum tam operibus quam præsidio Diedenhofen cepit, multis in oppugnatione interfectis, & cum his Petro Stroza: cum aliquantisper defensum, tandemque deditio facta fuisset. Inde Luceburgum contendit. Interea ad X. millia Gallorum Caleti in Flandriam grassatura de improuiso Regis Philippi copiarum ductoribus primis, Allobrogum Principe & Lasaro Suendio, inclusa, circumuenta, fusa, deleta sunt, captis magni nominis viris, neque potuit Rex Galliæ suis subuenire, & eos periculo eripere. Hæc res gesta est III. Idus Iulii.

13. Iulii.

Thuanus libro 20. pag. 608.

Classem Turcicam appulisse ad Corsicam, instructam & magnam, nuntiatum fuit, & Præfectum classi professum se auspiciis Regis Galliæ militare, & illius hostes prosequi. Fuere hoc tempore negotia eiusmodi, vt animaduertentes facile intelligerent ingentes esse secuturas distractiones, id etiam de sermonibus notabatur. Vt enim inimicitiæ aut maleuolentia inter aliquos fuerat, ita detrimentis gaudebatur eius partis cui aliqui se addixerunt.

XVI. Calend. rursum confluxere exercitus Regum, & fuerunt superiores Gallici, ferebanturque in Regis Philippi exercitu desiderata esse ad M D. equites. *Falsum.*

Hac æstate Cæsar Ferdinandus in periculosam febrim incidit. Quamuis autem significabatur morbum medicando remoueri, tamen periculo liberatum esse non existimabatur. Nonnihil etiam non tam simultatis quam disputationis vehementioris intercesserat inter Cæsarem Ferdinandum & Regem Maximilianum de religionis doctrina. Sed Maximilianum Regem constabat omnibus officiis summæ pietatis lenire studuisse commotum aliorum incitatione animum patris.

Germanorum mores.

Bellum Gallicum trahebatur, & magnis sumptibus alebantur exercitus ociosi, qui insuper prædas non cessabant agere in iis locis, ad quæ defendenda conducti fuerant. Atque Regem Galliæ dixisse ferunt: *Germanos nationem esse illam quidem militarem & fortem, sed præterquam quod igne & ferro non vastent suorum regiones, non videre quid hostes detrimenti amplius dare possent.*

Memorancius. Thuanus libro 20. pag. 612.

Induciæ tum tentatæ fuerunt, & certis conditionibus Momorancius liberatus, qui compositionem studeret efficere. Cum in Gallico concilio res ea acta esset, deliberatione finita narrant iussisse Regem remanere proceres conuocatos, iam surgentes vt discederent. Qui cum paruissent, Regem dixisse: *Videtis præsentem meum compatrem Momorantium. De quo absente alii aliud locuti sunt. Postulo coram me & ipso exponi, quocunque nomine accusandus esse videatur. Quod si quis nunc tacuerit, is sciat si quid postea audeat contra ipsum proferre, me pro falso esse habiturum.* Sed cum nemo quicquam commemoraret, ita esse concilium solutum. Summam trecentorum M. pro redemtione Momorancius numerare debebat: Sed remissum iri vel totam vel partem præcipuam, si pax fieret, existimabatur; fore etiam pacem credebatur, præsertim tantis iam impensis factis, & dimissis copiis externis, & vi iniuriisque illarum liberatis ambobus regnis: & tam Carolo Philippi patre, quam coniuge Philippi Regina Angliæ mortua. Decessit autem Carolus die vigesima prima Septembris hoc anno M D LVIII. in Hispaniæ secessu, non procul ab ea quam Vallem doleti nunc appellant, quæ olim fuisse Pintia putatur. Pecuniæ numeratæ VIII. M. aureorum reliquisse ferebatur, iussisseque pauperibus diuidi. Vixit annos LVIII. menses VI. dies XXVII. quæ ætas fere fuit & Maximiliani aui. Febre extinctum constabat, sed rumusculi spargebantur etiam φθειριάσεως. Postea mense Octobr.

Caroli V. obitus. Chytræus lib. 19. pag. 501. Thuanus l. 21. p. 642. Io Frid. Mayer de morte Caroli V. euangelico.

P 497

Octobri mortua eſt ſoror ipſius Maria Regina Vngariæ. Et Decembri Maria Angliæ Regina, cui nobilitate & omni populo conſentiente ſuffecta fuit Eliſabeta Heinrici filia, & Annæ, quam ille dimiſſa Mariæ matre Catarina duxerat, & poſtea iuſſerat interfici. Eodem fere tempore & Polum Cardinalem mortem obiiſſe ſignificabatur, cum non defuiſſet ſuſpicio ſimulari exitum e vita, quod rebus mutatis ille in periculo futurus eſſet, & ſibi metueret. Funeris exequiæ magno apparatu deductæ fuerunt, & familiares ad rem certo cognoſcendam cuſtodiæ mandati.

Polus Cardin. *Thuanus* libro 20. pag. 622. *Schardii* epit. ad ann. 1558. *Camdenus* Annal. Angl. p. 1. in. *Burnetus* hiſtor. reform tom. 2. lib. 2. fin. *Chytræus* lib. 19. pag. 514. *Burnetus* p. 2. libr. 3. ineunte.

Regina Maria ſororem Eliſabetham oderat, & non modo regnum, ſed vitam (ſi potuiſſet) exiſtimabatur illi ereptura fuiſſe. Papiſticam religionem Eliſabeta improbabat. Itaque ſtatim ad eam ſumma rerum delata, mutationem fore apparebat, vel omnino iam incipiebat fieri. Miſſa tamen eſt ad Regem Philippum Anglica legatio, regni illius nomine, ſignificans quid accidiſſet, & petens vt erga Angliam voluntatem propitiam Philippus retineret, ſeque ope conſilioque iuuare vellet, deque coniugio etiam Reginæ ipſius ſententiam cognoſcere ſe eſſe iuſſos. Neque deerant qui dicerent id agi, vt Eliſabeta nuberet Ferdinando Ferdinandi Cæſaris filio.

Eliſabetha Angl. Reg.

In Pannonia vrbes metallicæ Turcicis irruptionibus grauiter fuerunt afflictæ, & alibi etiam a Turcicis vicinorum locorum præſidiis cum caſtella occupata, tum prædæ actæ ſunt. Regina ſoror Regis Polonici in eos, quorum opera factioneque fuerat una cum filio in regni partem inſtituta contra Ferdinandum Regem, ſæuitiam crudelem exercuit, atque rumores falſo ſparſi fuerant, eam ab his comprehenſam & per cruciatus occiſam fuiſſe: Hoc conſtabat accuſationes & querelas de ejus cum inhoneſta vita, tum iniuſtitia regni ad Turcarum Imperatorem eſſe graviſſimas delatas.

VVolfgangi Lazii & Baſili Io. Heroldi Hiſtoria b. Turcici in Schardii Tom. 3.

Alicubi tamen & Turcicæ excurſiones repreſſæ, & copiæ conciſæ fuerunt ab equitatu populari Regis Ferdinandi. Interea fames Pannoniam horribiliter afflixit, fuitque fama ſparſa de apparatu Turcici belli, quod inferretur Ungariæ. Sed hunc propter Perſicam quandam victoriam fuiſſe repreſſum ferebatur. Immiſiſſe enim Turcam Perſæ ingentem manum Tartarorum, cum eſſent induciæ inter Perſas atque Turcas. Quibus ſuperatis & magna cæſa multitudine, fuiſſe in metu Turcam, quouſque progreſſuri Turcæ eſſent. Diſſidio etiam duorum filiorum impediri ipſius conatus nunciabatur.

Turcica.

Copiæ Germanorum a Gallorum Rege dimiſſæ, ſtipendio perſoluto, magna ex parte ſub ſignis remanſerunt; cum Wilhelmus Grunbachius a ductoribus impetraſſet, ut adducerentur contra fœdus Franconicum, a quo ius ſuum hac occaſione armis poſſet obtinere. Invitabat ſpes prædæ pleroſque. Itaque magnæ equitum & peditum copiæ proceſſerunt itinere directo ad Rhenum. Sed priuſquam transirent, Electores Principes vicini Rheno, polliciti ſunt ſe daturos operam, ut ſine vi & armis Grunpachius, quod æquum juſtumque eſſet, conſequeretur.

Ita illæ copiæ fuerunt dilapſæ, fœdere admodum perculſo ad famam tanti exercitus, & contrahente ipſo quoque equitum aliquid. III. autem Calend. Januar. Norinbergæ ſumtum eſt ſupplicium de Heliſæo ſeu Heſſelo Grunpachio, ex Franconica quidem nobilitate, & Wilhelmi gentili, ſed cuius pater in Phryſia ſedem habuiſſet: & caput amputatum illius eſt eo loco quo ſontes plecti conſueuere. Deprecationes pro illo fuere maximæ & plurimæ, ſed non admiſſæ, præſertim ſimiliter iam ſupplicio ſumto Viennæ de Siluestro Raita. Nobilitas indigniſſime factum tulit, & minaciter locuta fuit adverſus ciuitatem. Ciuitatis hoc facto odium magnopere auctum, & Nobilitas indignationem ſuam non tegere, & minari vltionem habereque in animo & ore cædes ciuium Noricorum, & direptiones mercium in vecturis. Quæ cum tam imprudens hæc nulli videretur, quin proſpiceret

Heſſ. Grunpachii ſupplicium

& euentura esse intelligeret, omnes maximam & grauissimam causam fuisse statuebant supplicii istius: cum quidam essent, qui dicerent, Cæsaris Ferdinandi iussu mandatoque illud tandem post longam interpositam moram sumtum fuisse.

Ferdinandus Rex cum Ratisbonæ substitisset, feriis natalis Jesu Christi, Augustam venit. p.428

Dux Saxoniæ princeps Elector Augustus cum constituisset eodem proficisci, & XVI. Calend. Februarii iter ingredi, distulit profectionem, quod accepisset ante Martium mensem neminem sui ordinis futurum Augustæ.

Misnica. Interea in Misnia ortæ quædam dissensiones grauissimæ inter Principem Augustum & Episcopum Misnensem gente Haubitium, cum ex nobilitate tum forte quadam gente Carolouicius, quod sibi deberi arbitrabatur, non obtineret ab Episcopo, & bellum Episcopo indixisset, impune ei licuit grassari & prædas agere & diripere præfecturas Episcopi, donec & sedes Episcopi Stolpa occuparetur. Ita tandem & quibusdam interfectis, & Episcopo maximis detrimentis affecto, res composita & omnia certis conditionibus transacta fuerunt. Quæ ad talem modum geri prudentibus, non placebat, deque iis metuebant euentus minime felices.

Cum autem Electores principes, Palatinus, Saxonicus & Brandepurgensis inter se & cum aliis quibusdam Principibus consensissent de quadam forma doctrinæ, qua sperabant non necessarias contentiones & superuacaneas rixas sopiri posse; Et hæc consensio descripta penitus a principibus Saxoniæ, quorum Wimariæ aula esset, improbaretur, & infamiæ nominibus deformaretur, visum fuit conueniri iterum, & principes Wimarienses adhibere, & de tota re denuo consultari. Ei rei locus designatus Fulda, sed Saxonicus & Brandeburgicus id fieri non oportere censuit, vt separatim conuentus haberetur, cum publicus Imperii esset indictus. Et Augustæ posse commodissime talia disputari atque agi iudicarunt. Sed venire principes Augustam minime properabant, cum ibi Imperator ad diem indictum præsto fuisset, præmittebantque Consiliarios, vt sibi morari diutius liceret. Saxonici autem Wimarienses Principis nomine & autoritate præscripta, cuius erat gubernatio, liber edebatur de dogmatis, in quo & assererentur vera secundum ipsius sententiam, & contraria iis damnarentur, indicatis notatisque expresse rebus & personis. Hoc cum manifeste pertineret ad separationem, & odium vicinarum Ecclesiarum; prudentiores animaduertebant quam fœda dissipatio impenderet, & dolebant atque querebantur tantas res nemini magnopere esse curæ, & paucissimos intelligere imminentia pericula.

VVimariensis liber.

Pontifex quid ad electionem Ferdinandi? Thuanus lib. 21 pag. 628.

Pontifex Romanus, cuius tum non longe ætas abesset ab anno LXXXII. ex illis difficultatibus, quibus bello Neapolitano pene obrutus fuerat, emersus, alia movere atque conari. Nam simpliciter improbabat Electionem Ferdinandi, quod neque fuisset in potestate Caroli abdicare se Imperio ignorante Pontifice Romano, cuius autoritate confirmatum illud Carolo fuisset. Nam Reges eligi, sed Imperatoris excellentiam consecratione a Romano Pontifice adiungi. Non igitur fuisse tum vacuum locum Imperatoris, neque Electores principes habuisse potestatem creandi successorem Carolo, qui non ab ipsis, sed a Romano Pontifice Imperator factus esset. Neque enim ius habere Electores eum qui Pontificia consecratione Imperatoris appellationem adeptus esset, sua sponte priuare imperio. Quod liceret in illo, qui consecrationem non esset consecutus. Præterea Electores tres defectione sua ab ecclesiæ Romanæ principatu, sibi ipsis potestatem eligendi Regem Romanorum ademisse. Quod autem consensissent Electores Episcopi, id grauissime & iniquissimo animo tulisse ferebatur Pontifex, & deliberationem instituisse de illis citandis, ut Romæ causam dicerent. In quo ne perseueraret, vnius traditur oratione motus fuisse, qui ostenderet præsens esse periculum si illi Romam cogerentur venire, & constaret quam ob rem citati essent, ne ditionis ipsorum loca interea alii occuparent.

In

p.499

In Liuonia irruptio Moschobitarum maximam cladem intulit vbique. Terbetinam ditionem vna cum vrbe cepit. Episcopo placuerat, suæ ditioni subiecta loca illi tradere, quod defensionem non posset sperare. Id qui suaserant, tanquam proditores arrepti sunt. Episcopus capta vrbe contra promissa, aut saltem spem suam, cum splendido vestitu fuit abductus & dono missus cuidam Tartarico Regi, cum elogio, cum Principem esse Germanici Imperii hominum, de quibus opinio fuisset esse genus inuictum. Miserat autem Moschobitarum Princeps Tartarorum aliquot millia in Liuoniam, non tam quod confideret occupari illam posse, quam vt prædæ in finibus maximæ agerentur. Sed fortuna fuit melior expectatione ipsius. Irritauerat eum Magister Teutonicus, qui vt Archiepiscopum Rigensem Wilhelmum Marchionem opprimeret, certis conditionibus atque pactis ferebatur pacem cum Moschobita fecisse. Cum autem rebus inter ipsum & Episcopum compositis illa neque posset neque vellet seruare de quibus conuenerat, ita illa irruptio est secuta. Conflixere sæpe Liuonienses cum Tartaris, non etiam nunquam superiores fuere. Sed copia & multitudine ingente Tartarorum factum est, vt defendere sua non possent.

Lisen [illegible] *Chytr.* [illegible] 19. pag. [illegible] [illegible] *ad ann.* [illegible]

Constat in exercitu Tartarorum fœminas bellatrices fuisse, quarum aliquæ ipsæ equites essent, aliquæ tergis equorum quos viri agitarent insidentes, in prælia proueherentur, magna ex parte ætate prouectæ. Et has crudelissime & sæuissime cædes fecisse compertum est. Cum Liuoniensibus non succurreretur, progressæ copiæ hostiles Rigam obsederunt. Ipsum Moschobitarum Principem in exercitu nunquam fuisse perhibetur. Postea induciæ narrantur esse factæ: Moscho tamen occupata loca retinente & muniente.

Huic cui nomen Ioanni Basilio, viro forti (vt aiebant) & bellatori, Rex Daniæ cum legatis dono inter alia misit horologium præclari operis: quæ quoniam machinatione quadam aliquantisper ita conuertuntur, vt horas & progressiones Solis, Lunæ, atque etiam aliarum stellarum quas Errantes vocant, demonstrari videantur nullius ope, ideo αὐτόματα vocarunt. Moschus cum Solis & Lunæ imagines atque notas expressas vidisset, munus accipere noluit, iussitque illud legatos referre ad suum Regem, & nuntiare, *se esse Christianum*. Accepit tamen indicem horarum quod pulueris quasi fluxu fit, vt κλεψίκονιν sicut κλεψύδραν fortasse nominare liceat.

Ioan. Basilius Moschus.

Horologium [illegible]

Sand. libr.

Cum Marchiones Brandeburgenses bello cum Alberto gesto a fœdere Francico se quoque esse detrimento affectos contenderent, factum tandem est Ferdinandi Cæsaris autoritate, vt de omnibus transigeretur, & fœdus aliquot annis certam pecuniam persolueret. De quo diuersorum erant iudicia diuersa. Cur enim impetiti afflictique aliquid numerarent? Sed rem negotiumque aliter potuisse geri dicebant, alii prudentes tamen statuebant transactionem istam fœderi pro statu & ratione temporis minime fuisse defugiendam.

Chytræus libr. 19. *pag.* [illegible]

M D LIX.

CÆsar Ferdinandus Augustæ ad diem affuerat, quo iusserat ibi ordines Imperii conuenire. Eo legatos plerique miserunt. Cum autem putaretur Palatinus Elector illuc venturus, & Saxonicus quoque, nuntiata mors est Palatini Othonis Henrici, quam obiit ille prid. Id. Februarii. Quo nuntio accepto ne Saxonicus quidem se commouit. Moguntinus tamen & Treuirensis eo se contulerunt. Referri curauit Cæsar ad Ordines III. Non. Martii I. de dissidiis Religionis. II. de periculis & calamitate belli & impressionum Turcicarum, & ad propulsandam vim hostilem petita sunt auxilia pecuniæ duplicis, quantum contribui in profectionem Romanam Cæsari consueuisset, & indicatum est si tributa illa conferantur, Maximilianum Regem ad exercitum eum ducendum se benigne obtulisse.

Chytræus libro 20. *pag.* [illegible] *Thuanus libro* 22. *pag.* [illegible] *Schardius* [illegible] *ad ann.* [illegible]

tuliſſe. III. Tertium caput fuit de pace in Imperio conſeruanda. IV. de æquali & ſimili numo percutiendo. Poſtulatumque eſt, daretur opera ut res celeriter explicaretur.

Thuanus libro 22. pag. 670. *Camdenus* Annal. Angl. P. I. p. 32. *Schardii* epit. ad a. 1559.

In Germania conduci equites conſtabat magno numero, famaque erat bellum inter Reges, Hiſpanicum atque Gallicum procedere. Sed multi alia ſuſpicabantur atque metuebant. Cum allatum fuit certis nuntiis, pacem inter Reges XII. die Martii eſſe factam, præcipuis conditionibus his: Caletem vt Galli annis octo in ſua poteſtate retinerent, poſt reſtituerent, ita vt munitus locus eſſet Anglis, vna cum certo machinarum ſeu tormentorum bellicorum magnorum numero. Corſicam vt reciperent Genuenſes. Niſi Calete poſt annos VIII. reſtitutum eſſet, vt obligarent ſe certi mercatores perſolutum iri Anglis quingenta M. coronatorum & Galli nihilominus obligatione reſtituendi loci (vt dictum eſt) tenerentur. Inter capita & coniugia tractari ferebantur. Id quod poſt omnia bella ab antiquo fieri ſolitum animaduertitur. p.500

Chytræus. libr. 20. pag. 518.

Cæſar Ferdinandus coram Electoribus præſentibus Auguſtæ queſtus fuit, Romanorum Pontificem nolle adhuc ſe rite creatum Imperatorem agnoſcere. Et ea de re Iurisconſultorum ſententiæ ferebantur exquiri, cum non dubitarent quidam dignitate præſtantes, & in conſiliis Principum non poſtremi, affirmare de quodam fœdere inter Pontificem Romanum, Cæſarem & Regem Galliæ tractari.

Chytræus libr. 20. pag. 517. *Thuanus* libr. 22. pag. 683. *Christ. Olienus* de Bello Dithmarſico. *Schardis* epit. ad annum 1559.

Hoc anno mortuus eſt Chriſtianus Rex Danorum, cui ſucceſſit filius Fridericus. Et Chriſtiernus admodum ſenex, qui in libera cuſtodia multis annis fuerat, cum regno Daniæ prius fuiſſet eiectus, obiit mortem. Cum autem pax inter Regem Philippum & Henricum facta eſſet, & Adolfus Dux Holſatiæ frater Chriſtiani Regis nonnihil copiarum, quas ad Regem Philippum adduceret, contrahere ſtuduiſſet, occaſione vſus bellum inopinatum intulit Dietmarienſibus, & Regis Chriſtiani filius Fridericus cum eo ſe coniunxit, & communiter bellum gerendum ſuſcepit. Eſt regio Dietmarienſium pars Cherſoneſi Cimbrici, ſpectans mare quo & alluitur a latere vergente ad occaſum. Non illa quidem ſpatioſa, ſed cuius incolæ viri fortes ſemper habiti ſunt. Qui quoniam elegantiam & ſplendorem vitæ non ſectati fuere, & agros colendo & paſcendo pecora victum quæſiuere primum, deinde & quæſtum inſtituere, & ex eo locupletati fuerunt, ideo Ruſticos vicini illos appellarunt. A Ducibus Holſatiæ eos aliquando defeciſſe traditur, & cum hos tum Danos hoſtiliter ſe inuadentes aliquoties magnis cladibus affectos repuliſſe. Itaque multis annis in libertate vixerunt: qua tandem elati animis ſuperbire etiam cœperunt, & in opulentia priſtinæ virtutis obliuiſci. Atque tum neque ipſi inter ſe concordes, cum diffidentia quadam alienatis animis ne externa quidem auxilia vlla accerſere voluiſſent, ſperaſſentque munitiones quique eas quas tenebant facile defendi poſſe, & aquis paſſim per foſſas immiſſas loca inula hoſtibus reddi: ita victi oppreſſique & in extremam ſeruitutem redacti fuere. Tria munita loca, & præclare inſtructa machinis & viris habuerunt. Fuit autem maxima illo tempore ſiccitas, & ingens æſtus. Venti etiam perpetuo Aquilones & apeliotæ, quibus vndæ maris reiicerentur, vt nihil incommodi ab aquarum inundatione hoſtibus afferretur. Ipſi tamen fortiſſime pro patria & libertate propugnarunt, armatæque atque obtruncatæ mulieres inter viros ſunt repertæ. Sed ſuſtinere vim & impreſſionem tantam non potuere, præſertim ſine equitatu, quo penitus caruerunt. Nonnulli ex nobilitate Holſatica & Danica in hoc bello ceciderunt, & Dux Adolfus graue vulnus accepit, fuitque victoria cruenta, plurimis tamen cæſis Dietmarienſibus. Victis grauiſſimæ leges ſunt impoſitæ, nihil iuris ipſis in regione ſua relictum, externi magiſtratus dati, denique ſeruilia omnia imperata. Hanc gentem ſunt, qui ex Marſis populis Teutonicis in ea loca migraſſe exiſtimant, & ex eo *Dietmarſos* appellatos. Alii placet *Dietmarios* eſſe, a multitudine ſeu copiis agreſtium.

Dietmarſi.

Diet-mayr.

agreſtium. Nam principium nominis ſignificat veteri vſu linguæ Germanicæ multitudinem & copias, & finis, agricolas ſeu ruſticos.

In Anglia regnante Eliſabetha mutatæ res erant. Et defendebantur ii qui paulo ante exagitati fuerant multipliciter & varie. Perſuaſio enim de religione erat Eliſabethæ diuerſa. In Scotia etiam ſeditio extitit; & oppugnata fuit factio Papiſtica. Filia autem regia in Gallia iam nupſerat Franciſco Henrici filio. Rumorque ſpargebatur matrem regiam in Scotia obſideri. Hanc certis conditionibus dimiſſam, & in Galliam auectam poſtea nuntiatum eſt, Guiſianæ familiæ principem fœminam. *Anglica. Camdenus* Ann. Angl. P. 1. p. 45.

Menſe etiam Octobri literis quibusdam ſignificatum fuit, ægrotare Eliſabetham Angliæ reginam: cuius nuptias peti ferebatur, a Ferdinando Ferdinandi Cæſaris F. a filio regis Suetiæ, & Duce Iohanne Wilhelmo conſtaban

Facta pace inter Regem Hiſp. Philippum & Galliæ Henricum, cum aliis conditionibus, tum vt nuberet Philippo Regis Heinrici filia; & ſoror Margarita Philiberto Sabaudiæ Duci: inter apparatus nuptiarum Sabaudienſium, iam deſponſa abſenti Regi Philippo filia Regis Henrici, agente & perficiente nomine Regis Philippi illam rem Duce Albano: Rex Henricus dum ludis equeſtribus operam dat, p. 501 prid. Cal. Iulii cuſpide haſtæ ictus, oculo dextro pertuſo, & ruptis temporum venis, decimo poſtea die mortem obiit, Rex animo excelſo, firmoque corpore, & bellator. *Thuanus* libro 20. fin. *Schardii* epit. ad a. 1559. *Varillas* Hiſtoire de Henry II. Comment. de ſtatu relig. in Gallia fol. 18. *Vlt. Iunii 1559.*

Ferunt per quietem oblata Reginæ ſpecie cruenti Regis, magnopere eam oraſſe, ne Rex quidquam inſtitui pateretur, quo vulnerari aliquis ſoleret aut facile poſſet. Sed fata nimirum impediri noluerunt. Nam & hoc narratur, cum videretur Rex nimis ſe defatigare, moneretúrque ut finem faceret ludorum, dixiſſe eum, *Vnum adhuc concurſum ſe dare velle ſponſo affini.* concurrendum tunc fuit cum nobili iuuene Gallicæ gentis familiæ Iorchiæ. Is cum videretur Regi non aduerſaturus totis viribus, Rex ei dici iuſſit, *facere quæ poſſet, ſe ipſi non velle parcere.* Sed ſic tamen vertente illo haſtam, vt directior eſſet Regius ictus, procumbens Rex, & caput vertens, cupiditate per indignationem illum deiiciendi. Ita tempus dextrum obiecit cuſpidi, & id accidit quod retulimus. Moriens accerſitum filium (vt aiunt) promittere coegit, primum ne quid ei a quo afflictus eſſet, noceri pateretur. Secundo vt pacem factam pro ſua parte ſeruaret, & præſtaret dictas conditiones. Tertio ne ſtatum religionis in regno Gallico mutari ſineret. Multi tum in cuſtodia, eque iis aliqui genere & opibus atque autoritate præcipui viri, de multis crudeliter ſumtum etiam ſupplicium fuerat. Atque ferunt patrem eius, quo congrediente ictus Rex fuit, præfectum fuiſſe ſumendis ſuppliciis de iis, qui propter errores improbatos in religione in vincula coniecti fuerant; quorum aliquos illum congreſſum & vulnus eſſe inflictum Regi vidiſſe. Similiter in Hiſpania abſente Rege Philippo, Carolo filio ipſius & ſorore huius adhibitis, inquiſitum in eos qui ab erroribus vulgatis abhorrerent, quos *Lutheranos* vocare, & pro hæreticis habere plerique conſueuere. *Mongomery.* *Lutherani.*

De multis etiam ad priorem ſententiam conuerſis ſumptum ſupplicium. Horum ſtrangulatorum corpora combuſta. Vnus qui conſtanter in ſententia perſeuerauerat, viuus crematus. Cuiusdam mulieris mortuæ oſſa de ſepulchro eruta. Horribilis actio illa fuit, & non modo indigna profeſſione religionis ac nomine Chriſtiano, ſed ab omni humanitate aliena. De his conſiliis & rebus hæ inter Reges miſſæ ferebantur, quibus vterque quod apud alterum gereretur, admodum probaret. Sed diu ſæuitiam in hoc genere exercere Henrico non licuit. Comment. de Statu relig. in Gallia f. 19.

Hoc tempore menſe Auguſto Rex Philippus e Germania diſceſſit, nauibus rediturus in Hiſpaniam. Et ferebatur claſſis cogi in Sicilia ad Meſſanam, qua mare aduerſus Turcas tutum præſtaretur, & noceretur hoſtibus. *Chytræus* libro 20. pag. 519.

Ferdinandus autem Cæſar inducias & pacem fecit cum Solymanno Turcarum Imperatore, quas neque neceſſarias, neque tempeſtiuas, & indecoras eſſe, *Thuanus* libr. 23. pag. 703.

 erant

erant qui non vererentur dicere. Sed nimirum suæ cuique res sunt notæ inprimis, & sentiunt omnes quo affligantur, & sæpe ille hostis irritatus maxima damna dedit, raro aliqua accepit. Conditiones igitur quamuis duræ & graues, quas Solymanus tulerat, repudiandæ non sunt visæ. In quibus & tributum pendi iubebatur, & neque Iohannem Vngariæ Regem, neque Henricum Galliæ lædere. Pacem legatos Gallicos magnopere studuisse impedire enuntiabatur. Sed Solymanum in sententia permansisse, cum quod sibi expediret non negligendum esse censeret.

Turcica. Thuanus libro 24. pag. 717. Constabat tum res Turcicas esse difficiles & perturbatas, Solymano senescente valetudineque aduersa laborante, & filiis tribus dissidentibus: quorum vnus Solymanus & ipse nomine maior natu apud Patrem ad spem successionis educeretur. Contra hunc alter Baiasseta vna cum minimo fratre conspirans quod esset iuuenis ferox atque bellicosus, Duces complures sibi dicebatur conciliasse, nec non allexisse e robore exercitus Turcici quosdam qui Ianissari nominantur: contractasque copias contra fratrem duxisse, & eum pene profligasse: de improuiso enim aduenisse narrant præfectum Græciæ cum integris copiis, & victores perculisse. Ita cedentem Baysetum se ad Persarum Regem contulisse, alterum in Syriæ Ægypto vicinis locis residentem, moliri res nouas.

Literæ Turcicæ ad Cæsarem Ferdinandum scriptæ in Senatu Imperii recitatæ sunt. In quibus & hoc fuit licere Regi etiam Philippo legatos ad se mittere.

In deliberationibus autem de religione in Germania constituenda nihil est p. 502
tum explicatum, & res ad Synodi Oecumenicæ cognitionem reiecta, interea decreto communi pax inter ordines Imperii sancita.

Fridericus III. Elector Palat. Adlzreiter Boi. P. 2. lib. 1. n. 14. *Geweldus* de Septemuiratu cap. 10. *Thuanus* libr. 23. p. 705 *Chytræus* lib. 19. p. 513. Cumque controuersia esset inter Palatinum Fridericum, Electorem, & Albertum Bauarum, de munere Septemuirali, illique magnopere dissiderent, adeo vt bellum metueretur, res intercedente Palatino Wolffgango & Duce Wirtebergensi composita fuit.

Cum soluto conuentu Cæsar Ferdinandus mense Augusto in Bauariam vicinam transiisset, inde in Austriam descendit, nuntiatumque fuit XV. Cal. Septemb. Papam Romanum Paulum IV. esse mortuum. Cæsar etsi illum erga se inimico animo fuisse diceret, tamen honoris causa quem haberet sedi Romanæ, iussisse ferebatur apparari ea quibus mortui memoria tanquam exequiarum celebraretur.

Hoc conuentu tentata fuit reconciliatio inter fedus Francicum & quosdam ex nobilitate potissimum Francica detrimentis affectos bello Marchionico; quorum caput nominabatur & erat Wilhelmus a Grunbach. Hic comitatu magno affuit, & aduocatos habuit plurimos, etiam Principum multorum legatos. Audita caussa pronunciatum fuit partes iure disceptare controuersiam eam debere. Ita petitores occupatorum bonorum ab aliis, & vt sarcirentur pecunia data damna, infecta re, nihil territi aut de pristina animi elatione remittentes discessere.

Publicata tum fuit etiam proscriptio Cretseri illius qui autor fuisset interficiendi Episcopi Herbipolensis.

Saxonica. Mulleri Stat. Saxon. ad ann. 1559. Hac æstate Principibus Saxoniæ in Duringia improbantibus ea de quibus Wormaciæ inter certos ordines conuenerat, illustriss. Pr. Ioannis Friderici & fratrum nomine editus liber fuit complectens definitionem doctrinæ puræ, & damnationem dogmatum & hominum quorundam nominatim. Hæc cum vera ratione non fieri, & quædam illo libro exposita diligentiore consideratione viderentur indigere, nonnihil nouæ turbulæ datum est: præsertim cum iussissent in omnibus locis suæ ditioni subiectis a pastoribus eum librum populo recitari, & ad assentiendum perscriptis & probandum mandata suadendo inducere. Iamque apud ipsos quoque de his aliqui loqui liberius, suspectusque vt improbans consilia actionesque illas *Victorinus Strigelius.* Victorinus Strigelius & Andreas pastor, noctu admissis qui illos comprehenderent, inhumanissime intra domos ipsorum capti, & in essedum coniecti atque abducti fuere. Victorinus nudus e lecto effractis foribus ædium arreptus fuit, & alia fœde facta perhibebantur.

bantur. Diu in custodia cum fuissent, tandem mense Augusto Victorinus remissus
domum est cum promisisset obligatione legitima, se extra ædes nusquam discessu-
rum, antequam ad accusationes respondisset. Reuersus ille domum febri laborare
cœpit, & animo perturbari, ferebatur autem insimulari a Principe quod ea repre-
hendisset culpassetque quæ prius non modo laudasset, sed quorum etiam autor & *Mulichius.*
adiutor fuisset. Fuit & in vincula coniectus Mulichius, maxima potentia & au-
toritate in Vimariensi aula præditus. Spargebaturque fama, quod capitale de eo
iudicium futurum esset. Multi tamen quibus & negotia & homines nota erant,
quid ageretur, non poterant decernere, neque statuere seria ne res ageretur, an si-
mulatio illa aliqua esset. Hic cum Gothæ in custodia aliquantisper fuisset, postea
traductus est in arcem Leuchtebergensem ad Calam Duringicam.

In Daniam Illustrissimus Princeps Elector Augustus cum coniuge profectus,
ornauit præsentia sua festiuitatem coronationis Regis affinis sui, & rediit saluis re-
bus mense Septembri.

In Liuonia factis induciis (vt diximus) miseranda quies fuit. In conuentu *Liuonica.* *Chytræus* lib.
autem Augustano subsidii nomine placuerat contribui millia C. aureorum, qua pe- 20. pag. 519.
cunia Liuonienses adiuuarentur. Sed fama spargebatur, necessarium & propius *Thuanus* libr.
auxilium ab illis Regis Poloni implorari, & existimabantur sub ditionem illius ven- 22. pag. 666.
turi esse, vt prius venissent Prussiaci. Inter hæc tamen Moschobitam bello Tarta-
rico implicatum ferebatur, atque eo nonnihil afflictum esse.

Cum Turcarum Imperatore, pace per aliquot annorum inducias facta, ni- *Nic. Isthuanfi*
hilominus præsidia quæ limites tuebantur non quiescere, vere illa quidem consue- histor. Vng. lib. 20.
p.503 tudine quod exercitationes tales esse vellent rei militaris, neque pacta conuenta mi-
nus seruari, quod nulli iusti exercitus educantur. Tentata fuit proditio arcis
Segeti ad Drauum munitissimæ. Sed proditore indicio pueri comprehenso, al- *Segethum.*
lectus quidem Turcicus Bassa, qui illum pecunia corruperat, traditur aduenisse,
sed re prouisa, cæsis multis & omnibus impedimentis amissis reiectus esse. Alibi
etiam prædæ actæ & incursiones factæ sunt. Sed præsidiario equite Pannoniæ
vbique hostes adhuc quidem profligante & sternente, & recuperante prædam, Bassa
Budensis moribundus, omnes Christianos captiuos interfici iussit, & istas inferias
sibi fieri.

In Germania diu vagata diuersis in locis mulier quædam, quæ se pro Regina *Pseudoregina.*
Angliæ sorore Ducis Iuliacensis gereret, cum a Principibus quibusdam honorifice
accepta fuisset, tandem peruenit hoc anno ad Ducem Saxoniæ Vinariam: a quo
& cognata appellata, & eo qui illustrem fœminam deceret omnibus in rebus re-
spectu est tractata. Narrare illa magnam vim auri & argenti & pretiosæ supellecti-
lis ex Anglia se aduexisse: sed arcis quibusdam deportatis Vinariam, & fraude de-
prehensa in vincula coniecta est, & quæstio habita. Multa temere in congressibus
& colloquiis cum illa gesta narrabantur, quæ in multorum dicta incurrebant. Hæc
tandem ad perpetuos carceres fuit condemnata.

Eodem hoc anno horribiles imbrium & fulminum tempestates fuerunt diuer-
sis in locis, & alicubi insitati terræ motus. Friberga, vbi metallica antiquissima
sunt in Misnia, grauissime labefactata est. In Marchia corruisse ædificia quædam
perhibentur, & multos homines obruisse. Fulmina in aquas etiam delata illas in-
fecerunt, & pisces deinde mortui fuere.

Hoc anno reuersus est in Germaniam Iohannes Wilhelmus Dux Saxoniæ, *Mulleri* Ann.
Iohannis Friderici Principis Electoris filius: cum aliquantisper in Gallia post bel- Sax. ad a. 1559.
lum confectum inter duos Reges restitisset. Fuerat autem ad Regem Galliæ pro-
fectus militatum.

Ad Rhenum vina satis bene prouenerunt, & fuerunt in Palatinatu res
quietæ.

Brouweri Ann. Treuir. Tom. 2. lib. 2. p.287. Treuiri, cum quidam ibi natus diu abfuiſſet domo ſtudiorum cauſſa, reuerſus ad ſuos primum ſcholas habere cœpit, & pueritiam accuratius quam prius inſtituere cum literis, tum cognitione religionis. Ea re multorum fauorem ſibi conciliauit. Atque tandem docere ipſe cœpit grandioribus argumentis veritatem rerum diuinarum. Cum audire quamplurimi cuperent, factum tandem eſt hoc labores recuſante vt accerſeretur conciliante Principe Wolffgango Palatino - - - Chulmanni. Epiſcopus Treuirenſis, cum diſſimulare rem diutius non poſſet, tales cœtus haberi a ſuis vetuit. Sed ciuitas nihilominus retinere & fouere atque defendere doctores ſuos. Donec Epiſcopus pro hoſtibus habere eos inſtituit, & ciuium mercibus onuſtas primum naues aliquot intercepit, deinde itinera omnia infeſta ciuibus facere, denique parare ſe ad vim & bellum. Ciuitas ad vicinos principes legatos miſit, & quæ cauſſa quodque negotium eſſet ſignificauit, & illorum reſpectum ad ſe petiit.

Similes motus animaduerſi ſunt in Moguntiaca regione. Et Aquis multitudo flagitare cœpit emendationem doctrinæ & rituum ſacrorum.

Schardii epit. ad ann. 1559. Thuanus libro 23. pag. 705. Romæ cum Paulus IV. P. M. ætate admodum graui ægrotare cœpiſſet, & de improuiſo febris acceſſiſſet acerrima: ita mortem ille obiit XIV. Cal. Septemb. cum vixiſſet annos - - . Cum adhuc viuus decumberet, ſparſa fama mortis ipſius multitudo (vt talibus temporibus ſolet) commota multa deſignauit turbulentiſſime, carceres omnes effregit, & captiuos liberauit. Cuſtodia eorum qui delati religionis nomine detinebantur repugnantibus iis qui armati in illis ædibus ſeruabantur, tandem multitudo & ipſa armata non modo aperuit, ſed ædes ipſas etiam incendit. Narrant monumentum ſepulcri Pontificii, quod iam poſitum eſſet præclarum ſignis a multitudine diſiectum, & ſtatuam quæ Pontificis effigiem præferret mutilatam, & fractam eſſe ignominioſe. Plurimos magnopere lætatos aiunt morte iſta. Eſt & Cardinalis Moronus liberatus, qui longo tempore in arce Sancti Angeli captiuus fuerat. Tumultus iſti celeriter ſedati fuere, & capita gubernationum conſtituta. Romæ gubernatio commiſſa Carolo Craſſo Epiſcopo Montisflaſconis. Et X. Cal. cœptæ exequiæ celebrari mortui. Et tandem poſtridie Non. Septemb. incoata deliberatio de creando nouo Pontifice cum intraſſent in conclaue ſolenne Cardinales quadraginta vnus. Medici. Creatus Cardinalis Medicinus Mediolanenſis, & appellatus p.504 Pius IV. qui fratrem habebat Iacobum Mediceum Marchionem Muſſiæ. Horum auus fuiſſe Medicinæ Profeſſor dicebatur, & ex ea arte ingentes opes collegiſſe, & poſſeſſiones terrarum quarundam titulumque nobilitatis paraſſe, reliquiſſeque poſteris.

Danica. Mortuo Chriſtiano Rege Daniæ filius illius Fridericus coronatus Rex fuit XIII. Calend. Septemb. ad cuius pompæ feſtiuitatem vna cum coniuge ſorore Regis acceſſit Princeps Elector Auguſtus; *Idem eſt ſupra narratum.*

Thuanus libr. 23. in eunte. In Gallia cum ſuffectus eſſet Regi mortuo filius Franciſcus Secundus, cum quo nupta eſſet filia Regis Scotiæ, nato annos nondum XVIII. gubernatio regni fuit penes familiam Guiſianam, in primis Cardinalem Carolum & fratrem huius. Quorum ille doctrina & ſapientia præſtare exiſtimabatur, hic virtute bellica celebris erat. Cardinalis regiam gazam & iuris vniuerſi ditionem habebat in manibus, frater rem totam militarem & copias.

M D LX.

MAgna autem ſæuitia vſurpabatur tam inquirendo quam animaduertendo in eos, qui ſimulabantur deſeruiſſe religionis antiquæ ſanctitatem, & amplexi eſſe nouam doctrinam autore M. Luthero: cuius nomine omnium abhorrentes atque alienæ ab uſitatis obſeruationibus ſententiæ, prauæ etiam & pernicioſæ iudicabantur, Lutheraniſmus vt nullum eſſet atrocius crimen quam Lutheranum appellari. Atque ferunt cum

cum quodam tempore supplicio simul afficerentur quidam, qui latrocinando cædes fecissent, & qui religionis veterem pietatem mutasse perhiberentur, & vocarentur Lutherani; latrones iam imminente morte testatos fuisse, se pœnas dare latrocinii non Lutheranismi causa. Vsque adeo immane scelus esse Lutheri doctrinam sequi inculcatum fuit vulgo, & cum in æternum Deum contumeliosus ille, & omnibus rebus deprauator esse Christianæ religionis crederetur. Viuente adhuc Rege Henrico coniectus in carcerem fuit vnus per quam celebris Iurisconsultus Annas Burgius seu de Burgo, quod crudelitatem illam animaduersionum suppliciorumque non probaret. De eo cognitione dilata, cum morte Regis Henrici tum aliis de causis supplicium sumptum postea: fuit & ille viuus crematus. Alii etiam, interque eos vtriusque sexus genere & opibus primarii, partim correpti fuerunt, partim in discrimen extremum venerunt vitæ fortunarumque omnium. Quæ cum ad hunc modum gererentur, magnis & perniciosis motibus causas dederunt. Varia etiam & multiplicia scripta in Gallia clanculum fere edebantur, in quibus grauissime accusabantur Guisiani. Erat autem præcipua querela Rege nondum eam ætatem habente, quæ sufficeret gubernationi regni prætexi illius nomen & maiestatem a Guisianis, suo arbitrio facientibus quæcunque liberet: cum de sententia Ordinum in regno legitimi curatores constitui deberent, secundum scriptas leges, & more maiorum. Hæc a Guisianis defendebantur, commemoratis exemplis compluribus annorum superiorum, quibus Reges minore etiam ætate sibi consilium asciuissent sua voluntate. Et probatis copiose actionibus omnibus quæ in primis reprehendebantur, coierunt tum nonnulli, inque his ex nobilitate quidam non postremi: satisque magnæ copiæ cogi cœptæ. Rex tum Amboisiæ erat. Qui coierunt, nullo modo se contra Regem arma cepisse affirmabant, sed pro illius salute & incolumitate, cui Guisiani insidiarentur, quod dicerent eum posteritatem esse Capeti, seu Caroli Magni ad quos legitima successio regni pertineret. Fuerat deliberatum, & pene constitutum viuente adhuc Henrico II. *Ne religionis nomine in quemquam animaduerteretur ante decreta concilii Oecumenici.* Hæc ne firma rataque essent, per Cardinalem Carolum Lotaringum stetisse aliqui criminabantur. Quorum caput quidem ex nobilitate Rainaldus (quem sui valde laudarunt, aduersarii vehementer vituperarunt) copias contractas collegit adduxitque Amboisium; vbi cum Rege Cardinalis & frater ipsius Franciscus Guisius tunc fuit. Prætendebant hi motui metum solicitudinemque suam de Rege, cui a Guisianis impenderet periculum, pertinens ad totius regni cladem: & inuidiosissime commemorabantur cum alia crudeliter, auare, superbe a Guisianis gesta tum supplicium Dn. Burgii, qui Cardinale procurante esset combustus, propterea quod illius voluntati refragaretur, & non appro-
p.505 baret assentando errores in doctrina & vsu religionis manifestas. Sed his copiis siue vi seu fraude dissipatis, & Rainaldo aliisque conspirationis eius principibus interfectis, ita aliquantulum ocii fuit. Nihilo tamen minus intestina odia remanserunt, neque seditionis quasi ignis penitus fuit extinctus. Horum consiliorum plerique conscium esse aiebant Regem Nauarræ. Congregati etiam quidam fuere ad inuadendam & occupandam vrbem Lugduni, qui sacerdotum bona diriperent si processisset conatus. Sed hi sunt detecta re, partim oppressi, partim repulsi.

An. Burgius. *Thuanus* libro 22. pag. 677. & lib. 23. p. 699. Comment. de statu relig. in Gallia fol. 18. *Schardii* epit. ad ann. 1559.

Guisiani.

Nominabantur per contumeliam desertores errorum veterum non modo Lutherani, sed etiam Hugenoti. Hoc a Guisianis nomen in seditiosos & turbulentos, a quodam Hugenoto seditioso confictum, inimici illorum etiam ad Regis contumeliam interpretabantur, quem ab Hugone Capetio genus ducere constaret. Regem etiam Henricum II. iocantem rythmo populari prædixisse ferebatur in Guisianos, *Eos purpuratos se mortuo populum Gallicum vero camisiatum fore.*

Thuanus libro 24. pag. 741. *Hugenotj.*

Cum Tripolis in Affrica oppugnaretur Hispanica classe, admodum instructa nauibus & viris, multo maiore classe Turcica oppugnatores circumuenti, & classis illa

Africana. *Schardii* epit. ad ann 1560. *Thuanus* libr. 1. pag. 799.

illa disiecta fuit multis captis, etsi plerasque euasisse periculum plurimi postea scripserunt, & acceptum damnum eleuare fuere conati. Itaque creditum est tantam illam cladem non esse quantam rumores sparsissent, cum quidem magnum detrimentum acceptum esse constaret. Turcica classis fortuna vsi fugientes insecuta est, qui fere petierunt munitam insulam Gerbinam. Meninga hanc a veteribus appellatam fuisse perhibent. Peruenisse tamen eo dicebantur omnes triremes ad Tripolim fuga elapsæ præter vnam segniorem. Gerbina & loco opportuno habuit vrbem arcemque bene munitam, & præsidium firmum ad V. millia Germanorum, Italicorum, Hispanorum militum, quorum ductor seu Præfectus Hispanus Donalfarus nominabatur. Hi fortiter se gerere, in velitationibus hostem facile repellere, & esse superiores, cum aqua in vrbe non sit, altero quoque die armata manu eam aduehere & deportare, sed deficere etiam eos necessaria cætera ad victum cum inciperent, captos ita demum restituerunt, si pro illis certa copia commeatus penderetur. Præfectus Præsidio, postulanti ductori classis Turcicæ, vt deditionem faceret, respondit; *se eum non esse qui, vt alii, munita loca traderet hosti. Et hoc facientes dignos esse suspendio, quod ipse simili in facinore supplicium in se quoque statuat.*

Gerbina Insula · *Don Alfaro.*

Interea ferebatur duas triremes Florentinas potitas esse tribus Turcicis appulsis ad nescio quod littus. Itaque homines fere effugisse, multos tamen captiuos, & nonnihil pecuniæ in nauibus inuentum.

Turcica.

Ferebatur & hoc, Genuam venisse legatum Regis Persici, promittente Turcicum bellum, quod Persa summis viribus gesturum se esse affirmaret, si Christianitas quoque Turcas aggredi velit. Dicebanturque eadem de re Legati missi ad Cæsarem & Regem Hispaniarum. Erant tum res Turcicæ non prorsus quietæ: dissidio enim inter fratres orto minor natu Baiasseta transfugerat ad Persas. Et reposcebatur ille enixe a patre, sed reddi nondum constabat. Significabatur autem decreta legatio eximia, cum præciosissimis muneribus a Solymanno ad Persam iter breui ingressura, vt de Baiasseta restituendo cum Persa ageret. Constantinopoli etiam pestilentia sæua fuit.

Obitus Philippi 18. Febr. 1560. Ioach Camerarii vita Melanchthonis p. 385 Thuanus lib. 26. p 809. Schardii epit. ad ann. 1560.

Hoc anno XIII. Cal. Martii mortuus est Wittenbergæ Philippus Melanchthon, cum vixisset annos LXIII. & totidem pene dies, quem luxerunt boni omnes mortuum, mali & petulantes quidam insectati sunt. Et controuersiæ Ecclesiasticæ fieri cœperunt maiores & importuniores, renouantibus quibusdam contentionem de Sacramento Cœnæ Domini, & rem actionemque sanctissimam profanis disputationibus contaminantibus.

Liuonica.

Liuonienses metu hostis potentissimi & immanis, omnium opem auxiliumque implorare. Ferebatur hic captis iubere manus & pedes præcidi. Teutonici quidam numero CXXIX. adorti illo bello Moschobitas DC. profligarunt hos, sed cum finem insequendi non facerent, circumuenti interfectique sunt vniuersi præter XXX. qui grauiter vulnerati in manus hostium peruenerunt cæteri occumbere quam capi maluerunt. Immissi in mare fuerunt aliquot triremes piraticæ hominum audacium & improborum qui interciperent ea qua aduehi Moschis perhibebantur inprimis instructiones armorum. Fueruntque ciuitates quædam suspectæ quod Moschobitas variarum rerum commeatu adiuuarent & hoc nomine Lubecca male audit inprimis. p. 596

His temporibus circumferebatur exemplum epistolæ quam scripsisset Cardinalis Lotaringius ad Papam. Continebat hoc querelam grauem de iis quæ nouari inciperent in Gallia, & implicari significabatur negotio magnos quosdam viros, & rem esse periculosam. Addebaturque petitio, vt mitteretur cum autoritate Apostolica & mandatis in Galliam Cardinalis Turnonius Collegii Cardinalium Decanus.

Conuentus autem fuerat habitus Principum in regno Galliæ;

& huc vsque autographum.

IVLII

IVLII PFLVGKII
ET
IO. ANTONII VIPERANI
ORATIONES
IN MORTEM
CAROLI V. IMPER.

LECTORI BENEVOLO

S. D.

BURCARD GOTTHELF STRUVE.

*Ix Imperatorem esse credimus, cuius in mortem tot orationes laudationesque funebres vel habitæ fuerunt, vel publicatæ, quam post Caroli V. mortem factum hoc fuisse constat. Testatur de eo Schardius** Funus eius variis Doctorum Orationibus omnium fere nationum cohonestatum est. Inter quos in Italia, Bononiæ, Franciscus Robortellus, Florentiæ, Io. Baptista Adrianus. In Germania Viennæ, Georgius Ederus, & Andreas Rapicius Cæsaris Consiliarii, & Paulus Fabricius Mathematicus, Friburgi Brisgoiæ Ioannes Artopœus Iureconsultus. Denique in exequiis Augustanis Ludouicus Madrutius ita virtutes eius celebrarunt, vt certamen laudum ipsius suscepisse videantur. *Præter hæc scripta exequiæ Caroli V. quas Ferdinandus fratri suo fecit fieri, sigillatim describuntur Augustæ Vindelicorum 1559. 4. Habemus alias præter* Ioan. Baptistæ Adriani *Orationem* Antonii Bendenellæ *Orationem in funere Caroli V, Luciæ 1559. 4. Anatolii des Burnes* Immortalitatem Caroli V. *Georgii Amerpachii* Threnodiam in mortem Caroli V. *Inter has binas orationes alias hic cum Frebero exhibemus. Harum priorem equidem incerti esse auctoris in Syllabo Auctorum indicauerat iste. Ast, possideo eiusdem Orationis exemplum Dilingæ apud Sebaldum Mayer 1559. 4. excusum, cuius titulo, istius æui scriptura, insertum est* authore Iulio Episcopo Numburgensi. *Tacent equidem Scriptores, qui Iulii scripta recensent, de hac oratione, facile tamen adsentior,** ex eo, quod Pflugkius iste Carolo V admodum fuerit familiaris, ab eodemque variis beneficiis ornatus. Altera, quæ hunc Tomum Tertium claudit, Oratio est* Ioannis Antonii Viperani, *Messanæ 1558. habita. Hic Messanensis erat Siculus Iuuenatensium Episcopus, Philosophus suæ gentis atque Theologus dictus eruditissimus,*** qui præter alia ingenii monumenta, hanc publicauit orationem, quæ tamen inter ipsius scripta, quæ Toppius prolixe recenset,**** haut memoratur.*

ORATIO


---

* *Epit. rer. gest. ad annum 1558.*

** Petrus Albinus, qui in Meisn. Chronic. p. 358. Iulii Pflugkii mentionem summo cum honore facit, eiusdem saltim scriptum de Rep. Germaniæ & orationem de funere Mosellani Præceptoris refert.

*** Sic enim Toppius Bibl. Neapol. pag. 128. *Gio. Antonio Viperano, Napolitano, altri lo fanno Messinese, Filosofo, e Teologo eruditissimo, Vescovo di Giovinazzo.*

**** Ista scripta non in Bibliotheca solum, sed etiam additionibus p. 109. prolixe recensentur, nihil tamen ibi de hac oratione reperire licet.



p.507

ORATIO FVNEBRIS DE MORTE CAROLI V ROM. IMPERATORIS, HISPANIARVM REGIS.



ETſi, Principes populique Germani, Caroli V. Imperatoris noſtri mortem ſine graui animi dolore commemorare nequeo, tamen cum de nobis atque vniuerſa Republ. Chriſtiana tam bene meritus fuerit, quam qui optime, facere non ſane poſſum, quin ego eundem in hoc publico luctu memoria grata proſequar: & quæ de eo tacitus cogitare ſoleo, eadem proferam, & vobiſcum quodammodo communicem. Non quod putem vobis non meliora in mentem venire poſſe, ſed quia ſpero eo minus repudiaturos eſſe vos hanc noſtram tenuem orationem, quod memoria eius quem diligitis iure, nec vobis poſſit non eſſe grata. Ac primo quidem, vt intelligi poſſit, quantum damnum morte eiuſdem Principis noſtri fecerimus, cogitemus nihil eorum, quæ vel fortunæ vel animi ſunt bonorum huic defuiſſe, & Deum ita eum donis ſuis ornauiſſe, vt videretur ad res maximas, atque ipſum adeo Imperium orbis terræ natus eſſe. Ortus quidem erat e gente Auſtriaca, vnde tanquam ex equo Troiano tot Reges, Romanorum Imperatores prodierunt, a quibus ad eum tantum bonorum permanauit, vt ſimul ac in hanc lucem æditus fuit, ampliſſimorum Populorum atque Regnorum iam hæres foret. Fuit enim (quod quidem vos minime ignoratis) Maximiliani Imperatoris, e filio Philippo Hiſpaniarum Rege, nepos. Et quanquam hæc in eo genere ſunt, quod non virtus cuique ſua parit, ſed fortuna quodammodo adiungit, tamen ita vſuuenit, vt cum e bonis boni naſcantur, horum virtuti ille honoris ſplendor, quem a Parentibus atque maioribus ſuis trahunt, iure deberi videatur. Quod ſi vlli ante hac Regi contigit, certe Carolo noſtro contigiſſe videtur. Nam tot ac tantis virtutibus præditus fuit, vt non ſolum ſplendorem a maioribus acceptum, tueretur cum laude, ſed nouis etiam acceſſionibus augeret atque cumularet: Ac ſi non aliena, hoc eſt, maiorum virtute niteretur, dignus tamen eſſet, qui ſummis honoribus ornaretur. Temperanter ſane vixit, luxum omnem fugit, & poſtquam ad Rempublicam acceſſit, præclara dedit ſigna ſingularis cuiusdam iuſtitiæ. Quippe qui ius ſuum cuique tribueret æquabiliter, & mallet propulſare ab iis quos in poteſtate ſua habebat, iniuriam, quam, ſi quam ipſe acceperat, perſequi. Cum qua virtute ſua, tantum fortitudinis coniunxerat, quanta in hominem illum cadere poteſt. Cuius pars illa, quæ in perpeſſione malorum conſiſtit, e moribus eius mirabiliter eluxit: Etſi enim eo morbi genere, quod acerbiſſimum dolorem facere ſolet, ſæpe affectus fuit, hoc tamen non paſſus fuit ſe ita frangi, vt quoties opus eſſet, munera militaria in Caſtris non ipſe obiret. Verum vt ita ſeipſum vicit, ſic hoſtes ſuos, quotieſcunque poteſtatem facerent pugnandi, fortiſſime ſuperauit, & pro magnitudine animi ſui res maximas, non ſolum in Europa, ſed etiam in Aphrica geſſit. Neque enim vllum in locum victrices copias ſuas duxit, in quo non impreſſæ virtutis ſuæ veſtigia relinqueret. Acceſſit huc prudentiæ tantum, quantum Imperatores ſummi ad procurationem Rerumpublicarum ſuarum afferre debent. Nam quoties legatis reſpondit, aut de maximis rebus conſultauit, vox eius quoddam veluti oraculum Reipublicæ eſſe viſa


viſa eſt. Artem autem rei militaris non minus bene tenuit, quam peritisſimus quisque legatorum eius: Imo tam bene, vt hoſtes etiam primas ipſi in hoc genere tribuere non dubitarent. Et quanquam erat tam ſtrenuus, vt cum hoſtibus quotiescunque res poſtularet, manus ipſe conſereret fortiter, eoque ipſo documenta ſtatueret, quantum in ſe eſſet fortitudinis, tamen nihil faciebat iracunde, ac ſi vllus vnquam, Imperatorum, hic certe viſus fuit affectiones animi ſui in poteſtate habere, & nullo prorſus impetu ferri. Etſi autem Carolus noſter his virtutibus plane Imperatoriis præditus fuit, & ad bonam bonorum omnium exiſtimationem ita profluxit, vt Traianis atque Antoninis Romanorum Imperatoribus laudatisſimis, in quorum ſede collocatus fuerat, iure conferri poſſet, tamen vt pro dignitate Chriſtiani nominis his etiam longo interuallo antecelleret, ad eum tantum delatum fuit diuinitus, vt Conſtantinorum, Theodoſiorum, Carolorum, Othonum eſſet quam ſimillimus. Qui cum Chriſtum Dominum atque Seruatorem noſtrum colerent recte ac pie, e fonte eius ſalutari, multo vberiores hauſerunt virtutes, quam quæ humanitus comparari poſſunt: Itaque vt Princeps ille noſter non minore, quam illi virtute ornaretur, tantum fide, tantum ſpe, tantum charitate, tantum denique omni pietatis genere excelluit, vt ſanctisſimi illi atque optimi Principes, deque re Chriſtiana optime meriti, in eo reuixiſſe viderentur. Quippe cum hic ſe rebus ſecundis non minus efferri, quam aduerſis frangi paſſus vnquam fuerit, tantumque abfuerit, vt moueretur cupiditate gloriæ, quæ alias magnis atque excelſis animis ineſſe ſolet, vt in ea ipſa contemnenda, ſe ipſum quodammodo vincere videretur. Nec alium e victoriis ſuis repetiuit fructum, quam vt haberet, quo vel orbi Chriſtiano benignius facere, vel Deo, cui quicquid harum rerum erat, acceptum referebat, gratias agere & beneficentiam eius ſingulari pietate laudare poſſet. Nam tantum in eo modeſtiæ erat, nihil vt ſumeret ſibi, ſed omnia potius benignitati diuinæ tribueret, nec de hoſtibus victis, vllum ageret ipſe Triumphum, quaſi a ſe partæ eſſent victoriæ: ſed in Templis beneficentiam Dei immortalis exquiſitisſimo laudationis genere celebraret. Adde, quod tanta cum pietate preces ſuas quotidie adhibuerit, vt facile appareret, non ſua eum virtute, ſed tantum benignitate Dei, ad ſpem bonam niti, in bello autem periculoſisſimo, ſi quam populus atque milites eius forte contraxiſſent culpam, eam ita deprecatus fuit a Deo, vt pœnæ quas ipſi luere deberent, in ſe transferrentur, ac telis, quibus ipſi conficiendi eſſent, ipſe ſolus obrueretur. Quin etiam ita ſe geſſit perpetuo, vt Chriſtianis parceret libenter, nec minus in eos clemens eſſet, quos vicerat, quam eos, qui vim inferrent, frangeret fortiter. Poſſem hoc loco commemorare multos, quibus victis atque compresſis, iniurias ab eis illatas, facile donauit: Et non modo non in eos durius ſtatuit quicquam, ſed multum etiam beneficiorum contulit. Hæc clementia tanto propius acceſſit ad ſimilitudinem diuinæ benignitatis, quanto maior eſt omni humana benignitate. Ex eodem fonte fluxerunt illa præclara Principis noſtri, quod ſemper maiorem habuerit iuſtitiæ atque clementiæ, quam potentiæ atque dominationis rationem, malueritque de iure ſuo decedere, quam aliquid de alieno ſui commodi cauſa detrahere, nec vllum ſuſceperit bellum, de quo non ante religioſisſimos, ſapientisſimosque viros in Conſilium adhibuiſſet, deque ſententia horum ſtatuiſſet, idem iure ſuſcipi poſſe: abhorruit ab omni contra Chriſtianos bello, & quamquam gentibus immanitate barbaris, & a religione Chriſtiana auerſis, aliquanto libentius bella intulit, id tamen fecit magis, vt Chriſti quam ſuum regnum amplificaret. Hinc ad rem Chriſtianam quanta facta eſt acceſſio? Cui nihil aliud ſi adiunxiſſet, quam nouum illum quaſi orbem, qui noua Hiſpania appellatur, eumque e ſuperſtitione pernicioſa ad verum Dei cultum traducendum curaſſet, bene tamen de Chriſtiano orbe meritus eſſet. Quippe cum hic multo, quam ante, latius pateat, & damna illa, quæ a Sarracenis accepit, acceſſione tanta ſarciri quodammodo videantur. Ac cum controuerſia de religione Dei immortalis in tempora eius incidiſſet, eaque

talis,

talis, vt in errorem pernicioſum coniicere poſſet multos, in hac dirimenda, quantum ipſe operæ poſuit? Quæ non conſilia captauit? Quibus ſi euentus bonus reſpondiſſet, nec tempora ocio inimica pacis conſilia excluſiſſent, certe non minus quam Conſtantinus, vel Theodoſius, Eccleſiæ Chriſtianæ profuiſſet. Videtis iam Principes populique Germani, videtis quantum virtutis Carolus V Imperator noſter ad Rempublicam attulerit. Ac cum idem nos atque Patriam noſtram tueri atque ornare & poſſet, & vellet, tantum in eo nobis fuit præſidii & opis, vt quotquot in
p.509 ipſius poteſtate eſſemus, beate & cum honore viuere poſſemus. Imperium autem ipſum, quod & commiſſum erat, propter ſummam eius moderationem, æquitatem, atque pietatem, non tam imperium, quam quoddam Orbis terræ quaſi Patrocinium eſſe videbatur. Quod quanto ſe magis accommodaret legibus Chriſtianorum, tanto minus dubitandum erat Deum ei propitium eſſe atque benignum: Poſteaquam igitur Carolus noſter ex hac vita ceſſit, omnibus nationibus populisque, quibus imperauit, & tantum beneficiorum dedit, triſtiſſimum ſui deſiderium, vt quicunque hominum noſtrorum Principem hunc ſuum, Principem dico? Imo patrem patriæ non lugeant, ab omni humanitatis ſenſu ſint prorſus remoti. Quanquam autem mors ſummi illius, atque optimi Principis nobis ſane luctuoſa & eſt & eſſe debet, tamen quia ſpiritus ſanctus in ſcripturis promiſit, beatos eſſe, qui in domino moriuntur, habemus, quo nos ipſos hoc tempore noſtro conſolari poſſimus. Neque enim, ſi eundem ſpiritum per Paulum Apoſtolum loquentem audimus, lugere debemus, vt ii, qui neque vitæ æternæ, neque reſurrectionis mortuorum ſpem vllam habent. Eſt quidem humanum, capere dolorem e morte eorum, quos diligimus: At Chriſtianorum cauere, ne in hoc genere ſimus nimii. Hi namque intelligunt præclare mortem non extinguere homines ſanctos, ſed e vita caduca in æternam, e miſera in beatam plane transferre; & mortem horum eo minus perhorreſcendam eſſe, quod ſpiritus ipſorum, quibus durum eſt peregrinari a Domino, ſoluitur vinculis corporum, vt cernere Deum ſicuti eſt, eoque æuo ſempiterno perfrui tandem poſſint. Quo ipſo quid melius? quid ſuauius? quid denique ad ſummam fœlicitatem aptius vel eſſe vel excogitari poteſt? Quominus dolere debemus, quaſi amiſerimus eosdem, ſed potius benignitatem Dei immortalis, qui eos ex hoc mundo ereptos in patriam illam æternam transtulit, nos bene ac pie interpretari conuenit. Quare etſi non poſſumus non Carolum Imperatorem de nobis optime meritum lugere, tamen ſi conſiderauerimus, quo genere mortis ex hac vita migrauerit, dolorem noſtrum leniri neceſſe eſt. Audite igitur, audite Germani, quomodo optimus hic Princeps diem ſuum obierit. Conſtat eundem anno ſuperiore Imperio atque Regnis ſuis omnibus ſe ipſum vltro abdicaſſe. Sed quia ex attenuatione corporis ſui atque infirmitate agnoſcebat, non ita longe poſt futurum, vt vita hac cederet, ad quod ipſum vt accingeretur in ocium non iners illud quidem, ſed cum vera pietate plane coniunctum, & Chriſto ſe tradidit totum, vt in eo conquieſcere, & quod reliquum eſſet ætatis ſuæ, conſumere poſſet. Ab eo igitur tempore Deum aſſidue coluit, & animo atque cogitatione in cœlum raptus æterna illa & quæ ſurſum ſunt cogitauit, & quæſiuit tantum, nec paſſus eſt ſe ab his vitæ officiis vllo negotio diuelli. Sed cum tandem Deus pater ille miſericordiarum atque totius conſolationis virum hunc, qui iam mundo mortuus, Chriſto tantum viueret, penetrare vellet, quo cogitatione atque cupiditate iam aſcenderat, vt ſolidum illum atque vberem pietatis fructum in æterna patria percipere tandem poſſet, ita quidem euenit, vt in febrem incideret. Qui morbus cum ingraueſceret, & Archiepiſcopus Toletanus vir ſapientiſſimus Principem officii cauſa ſalutaſſet, hic multa cum eo de Deo, deque Chriſto, & iis quæ ad æternam ſalutem pertinent, locutus eſt, & hoc quaſi pabulo ſuauiſſimo ſaluberrimoque animum ſuum pauit. Deinde ſacris myſteriis, quorum magna vis eſt, adhibitis, per ea quodammodo conſecratus eſt Deo, & magnam animi conſolationem hauſit, nec ita multo poſt, cum ſentiret, tempus mortis

mortis instare, ad Deum supplices tendens manus, misericordiam eius implorauit, ac tum magna ac pia animi alacritate, vt non mortem adire, sed in cœlum potius proficisci videretur: Spiritum suum in manus Domini euocantis commendauit, & cum voce eadem extrema extremum edidit spiritum, & se in ipsum quasi complexum Dei obtulit. Hæc cum Principi nostro euenerint, videtur mors eius talis fuisse, qualem procul dubio semper expetiuit, & Paulus ipse sanctissime exoptauit tum cuperet dissolui, & esse cum Christo. Quod si cui contigit, ei bona tanta adiunguntur, quanta nec oculus vllus vidit, nec auris vnquam audiuit. Itaque quod ille desiderium sui reliquit, id tanto facilius leniri potest, quanto melius cum eo actum est, quod ex hac vita in illas æternas sedes haud dubie migrauit: Vt si ipsius causa lugeamus vehementius, non ita vt debemus, ipsum diligere videamur. Nostra autem causa ne acerbiorem dolorem susciperemus, ipse prudentissime cauit. Nam cum abdicaret seipsum Imperio atque Regnis suis amplissimis, id p. 510 egit, vt non tam nobis atque adeo eisdem Regnis eripi, quam per fratrem Ferdinandum Regem Romanorum Augustum, & Philippum filium, Principes summos atque coniunctissimos, præesse non desineret. Quippe cum alterum horum gubernaculis Imperii Romani admouisset, alteri vero Regna alia hæreditario iure reliquisset, neque id iniuria, cum præsertim ita se gereret vterque, vt in illo fraternæ, in hoc autem paternæ virtutis spem omnes boni iure collocarent. Itaque nihilo magis deseruit nos Imperator noster Carolus, quam bonus Paterfamilias domum suam, si forte peregre profecturus, eam aut fratri suo, aut filio, viris bonis & sui quam similimis committat. Quæ cum ita sint omnia, etsi non possumus non lugere hoc tempore eundem Principem nostrum, tamen cum idem ipse cauerit, ne vel sua vel nostra causa vehementius perturbemur, non est profecto quamobrem hoc tempore recta ratio dolorem nostrum non mitiget. Et quia hic nos minime deseruit, cum reliquerit Imperium ei, quem esse alterum ipsum omnes boni iudicant, profecto nisi illius non tam mortem, quam discessum, quo ipsi nihil melius contingere potuit, æqui bonique fecerimus, officium rectum nos deserere videbimur. Quare ad eam pietatis rationem excitemus nos ipsos, vt memoriam Principis sanctissimi, & de nobis quam optime meriti ex animis nostris effluere minime patiamur, sed eam potius gratis animis in perpetuum prosequamur, & optemus maxime, vt exhaustis huius mundi laboribus atque ærumnis, nunc quiete æterna ac longe fœlicissima perfruatur, & in æternis illis tabernaculis cum eo tandem omnes sempiterno æuo quam beatissime viuere queamus. Atque vt idem Deus noster Principes optimos Ferdinandum Imperatorem atque Philippum Hispaniarum Regem perbenigne adiuuet, eisque tantum fœlicitatis adiungat, vt nostris atque aliorum Christianorum rebus præsidium afferant, Turcas communes nostros hostes a ceruicibus Christianorum arceant, & Rempublicam Christianam consiliis dissidentium partium perturbatam constituant fœliciter, vt omnes & societatem Dei sanctissimi tandem aliquando celebrare possimus.

IOAN-



p. 511 IOANNIS ANTONII VIPERANI LAVDATIO FVNEBRIS CAROLI V. IMPERAT.

HABITA MESSANÆ, MDLVIII.

REGI PHILIPPO CAROLI V. IMP. F.

IO. ANTONIVS VIPERANVS.



Ictores simulachrum patris tui Rex Philippe, fortissimi, & clarissimi Imperatoris penicillo adumbrarunt, non eius animi mores atque virtutes oratione exprimere, & factorum gloriam in hominum memoriam disseminare studuimus, illis certe non minori præmio vel laude digni, quo difficilius est animi lineamenta quam corporis effingere, & diuturniora sunt scriptorum monumenta quam pictorum tabellæ: quæ a paucis cerni possunt, & quauis temporis vetustate & iniuria facile corrumperentur. Ac quidem res a Carolo V. Imperatore gestæ, quod maxime illustres & egregiæ, atque omni virtutum genere distinctæ essent, ad scribendum eius vitam multorum ingenia & studia excitarunt: me vero etiam patriæ, quæ mihi charissima est, pietas, ne iusta a meis ciuibus regi facta laudatione carerent, & tui, in cuius tanquam in Dei potestate sum, ratio mouit, vt eam orationem componerem, in qua patris tui expressam imaginem intuereris quæ in te vera laudis & gloriæ cupiditatem magis ac magis incenderet. Quamobrem si sensero eam tibi probari, non parum mihi ipse gaudebo, & quodammodo leuiter blandiar, quod labores mei, cui potissime optabam, potentissimo & benignissimo regi non omnino iniucundi fuerint.

IOH. ANTONII VIPERANI IN FVNERE CAROLI V. IMPERATORIS AD MAMERTINOS ORATIO.



EGI nostro & Imperatori CAROLO in supremi eius diei celebritate merito a vobis, Mamertini, maximi & amplissimi honores fiunt: quandoquidem maiores vita functis, quam viuentibus sacro quodam pietatis iure debentur. Neque aliud est honor, quam cultus, qui vel dignitate, vel virtute aliqua præstantibus viris exhibetur: regia vero dignitas & imperii eximia est, illiusque virtus singularis ac prope diuina. Nec mihi quisquam obiiciat huiusmodi honores aut mortuos non videre, aut quam minimum curare. nam vt ad mortuos nihil pertineant, ad viuentes certe pertinent, ne aut obliteratæ beneuolentiæ, aut spretæ venerationis, aut neglectæ pietatis, aut prætermissi officii culpa aliqua teneantur: ne dicam funerum exequias & consolationem quandam habere huius vitæ miseriarum, & stimulos ad æmulationem imitationemque bonorum, siquidem ab omni labore vacationem & ab omni metu securitatem in his prosequendis sperare videmur, & iisdem nos olim cohonestandos ornamentis gaudemus, quibus studiosi homines post mortem afficiuntur, si illorum mores vita nostra & factis expresserimus, tum quos oculis non cernimus his, quibus eos decoramus, honoribus intuemur. Quis hunc solemnem apparatum & illustrem pompam inspectans, ac tot faces, titulos, imagines, tot ornamenta honoris, tot laudis insignia, tantam speciem funeris & dignitatem, non præsentem Carolum videre se cogitat, & tanquam numen hoc ingenti honorum splendore & amplitudine illum venerari? Mihi vero latissimum campum, in quo decenter & tuto exultare possit oratio, dat inuictissimi Imperatoris virtus, quæ in huius vitæ curriculo diuina quadam sorte longissime excurrere & cognosci clarissime potuit. Non enim intra columnas Herculeas conclusa, sed plus vltra digressa, neque terrarum terminis coercita, sed cœli regionibus factorum eius gloria terminata est. Et mortalium quidem nemo, dum spiritu aerem ducit, beati laudem habere potest; quoniam dum viuimus, variis & incertis casibus subiecti sumus, ita vt, qui vitæ cursum absque vlla offensione secundum habuerint, contingat his sæpe acerbissimorum incommodorum plenus exitus; & voluntas, quæ nostrarum actionum est positum in nostra potestate principium, sic volubilis & inconstans est, vt sæpe leui aliqua voluptatis illecebra a sensu; & appetitu de proposita ratione flectatur. Quin neque bonam voluntatem suscipere, nisi Deo immortali duce, neque optatam metam attingere, nisi eodem adiutore possumus. Qua de gratia, diuinæ inquam bonitatis & lucis communicatione quis, licet nullius culpæ sibi conscius sit, in huius vitæ vsura sibi quicquam audeat polliceri? Quo circa per viam quempiam salutare IESV CHRISTI verbo cautum est: nec male poeta ille ex Solonis sententia dici *beatus*,

Ante obitum, inquit, *nemo postremaque funera debet.*

Atqui Regis & Imperatoris nostri obitus ac vitæ finis pietatis nitore est, quam victoriis & triumphis cursus vitæ fuit, illustrior. Hanc benemeritos de rep. ciues cum vitæ munere functi sunt, laudandi consuetudinem præ cæteris gentibus olim Græci & Romani moribus cultæ liberaliumque doctrinarum studiis, ac bellicis artibus florentissimæ nationes diligentissime seruarunt, qui cum omnes claros viros laudari, tum eos maxime voluerunt, qui pugnando pro patria mortem fortiter oppetiissent. At quanto magis CAROLVS prædicandus est, qui non inter cæsorum aceruos occubuit,

quod

quod alienæ gloriæ inuidi homines illi vitio fortaſſe dediſſent, ſed ex periculis pene p. 515 infinitis, & ex media ipſa morte ad Chriſtiani populi libertatem & ſalutem defendendam diuino beneficio reſeruatus eſt? quique incredibili virtute imperii dignitatem retinuit, & ſumma felicitate remp. Chriſtianam amplificauit? Viuent memoria ſeculorum omnium res eius geſtæ atque virtutes claræ & egregiæ ampliſſimisque apud omnes honoribus celebratæ, illuſtratæ triumphis, in marmoribus literis inciſæ, ſcriptorum monumentis ab omni temporis iniuria & obliuione vindicatæ, ac ſimul iisdem regionibus contentæ, per quas ſol ille mundi lumen & temperatio curſum quadrigasque conuertit: quodque idem nobis maximopere optandum & expetendum eſt, cuiusque gratia tantis vigiliis & laboribus in hac lacrymarum valle exercemur, diuinarum rerum intuitu mens eius inter cœleſtes angelorum choros ſplendidisſima cum gloria in æternum tempus aletur. Quamobrem mihi non tam copia, quam modus indicendo quærendus eſt, ne multitudine rerum perturbata oratio tanquam in denſa ſylua errans reperire exitum non poſſit. Ac primum de imperatoria dignitate, tum de perfecto imperatore pauca mihi dicenda videntur, vt ex ipſa rerum geſtarum commemoratione perſpicuum fiat quanta prudentia, & animi magnitudine illam CAROLVS ſuſtinuerit, præclarum inuictæ virtutis, ac ſingularis iuſtitiæ, & pietatis exemplar. Eſt autem imperatoria dignitas poſt pontificiam, quæ vere diuina eſt a Dei filio, & hominis inter ſui cultores inſtituta, ſine vlla controuerſia prima, a Iulii Cæſaris temporibus vsque in hunc diem ſumma. Nam ille omnium rerum potitus non regis nomine, quod Romanis odioſum erat, ſed Imperatoris militari iucundo, & graui appellari voluit, a quo deinde Imperatores non tantum bellorum duces, ſed omnium quoque rerum domini, & moderatores dicti ſunt. Cuius honoris ſedes primum Romæ fuit collocata; mox a Conſtantino Imp. qui tum Chriſti cultum & puram religionem ſuſceperat, vt Romam mundi caput & dominam orbis terrarum Chriſti vicario concederet, in eam vrbem deportata, quam de ſuo nomine vocauit; poſtremo a Græcis, quod Romanæ Eccleſiæ ſanctiſſimum grauiſſimumque conſilium deſpicatui ducerent repetita, & ad Latinos translata Pontificis maximi auctoritate penes Germanos in hæc vsque tempora permanſit. Habet Chriſtianorum cœtus, quæ Eccleſia dicitur, arma tum ad animi tum ad corporis tuitionem & ſalutem idonea, duos nimirum gladios, quorum alter cœleſtis eſt in manu ſummi Pontificis a diuino numine illi traditus, altero Pontifex Imperatorem accingit, quem ei muneri atque officio præponit, vt remp. Chriſtianam ab externis, ac domeſticis aduerſariis corporeis armis aſpectabilibusque cuſtodiat & quia in tuenda maieſtate Imperii ceteris fortitudine, integritate, ſapientia, præſtare debet, triplici corona ferrea, argentea, aurea donatur. Quam maieſtatem Imperii cum tot annos Auſtriæ principes diuino nutu & conſilio tenuerint, coniicere poſſumus, quantum Deus immortalis auream iſtam familiam dilexerit & caram habuerit, ſi ea curat, quæ ad ſalutem hominum in ſe credentium pertinent: quorum culpas proprio ſanguine redimere factus homo non dubitauit. Atque hic, ad cuius exequias cohoneſtandas conuenimus, ſeptimus eſt a Rudolpho Habspurgi comite, qui Boemiæ rege Ottocaro perduelle deuicto Auſtriam iure belli adeptus eſt: quem duo Alberti, duo itidem Federici, ac Maximilianus ornati eadem dignitate ſubſequuti ſunt, quos quidem omnes CAROLVS virtute, & opibus ſuperauit. Nam vna cum patrimonio paternæ familiæ adiit hæreditatem Hiſpaniarum, Hiſpaniisque ſubiectorum regnorum: quæ ab auunculi Ioannis morte, & Mariæ quatuor regis Ferdinandi filiarum natu maximæ Ioannæ matri ſuæ hæreditario iure obuenerunt. Quæ relicta a parentibus bona non ſolum eximia prudentia conſeruauit, ſed etiam diuina virtute, & felicitate auxit, vel ignoti quondam orbis terrarum multas magnasque regiones ad ditionem ſuam & imperium adiungens. Iam qui formam Imperatoris ſcriptis ſuis tanquam in tabellis effingunt hanc dant operam, vt multis virtutum ornamentis & vario honeſtatis ſplendore decora cernatur, ſed Homerus poetarum facile princeps, atque omnis eruditionis fons & magiſter Agamemnonem ducem maximi

illius contra Troianos coacti exercitus a sapientia, & fortitudine commemorat, quoniam prudentiæ coniunctam esse magnitudinem animi necesse est, vt & intelligendo quæ ratio fieri velit, & gerendo quæ tempus postulet his præstet Imperator, quos dignitate & imperio anteit, quibus quoque laudibus doctissimus & eloquentissimus Xenophon Cyrum suum quem nobis tanquam perfecti regis ideam proposuit, exornat. Quod si prudens esse debet Imperator, ergo illi fugienda temeritas est, quæ regione p. 516 contra prudentiam pugnat inimica consilii & rationis; fugienda etiam intemperantia, quæ cupiditatum facibus hominem ad turpitudinem accendens inflammato impetu rationem a sua sede disturbat. Et quonam pacto quis alios voluntati suæ potest obedientes reddere, a quibus ipse intelligentia vincitur? aut ad ea pericula quempiam inducere, quæ ipse declinat? Ex animi vero præstantia, & intelligendi prudentia in ipsa dignitate maxima Imperatori autoritas paratur, vt a milite suo non minus quam ab hoste obseruetur: quandoquidem sublata obedientia, quæ conuenientem rerum connexionem fouet, exercitus seipse dissoluit, quo nihil potest esse peruersius. Alii fortunatum Imperatorem præterea volunt: & nos quoque non vt propriam illius quærimus, quippe quam de se præstare nemo potest, sed illi a Deo, in cuius potestate est, secundam fortunam precamur, quæ nisi diuinitus hominum studiis velut comes addatur, ad amplitudinem nominis, & gloriam per se ipsa virtus parum valere videtur. Fortunam autem intelligo cœlestem quandam auram humanis rebus, quæ extra nos positæ sunt, secundam vel aduersam a diuina voluntate effluentem homini occulta & ignota, cuius nulla ratio a nobis reddi potest, non aliquod per se numen a diuina summi illius rectoris prouidentia separatum res humanas inconsulto & temere administrans, quod a corde, & ab ore ciuis Christiani abesse debet, qui vnum & verum Deum opificem, ac moderatorem mundi colit ab æterno tempore vniuersa prouidentem, & sapientissime gubernantem non solum diuina, verum etiam humana. Atque hæc omnia quæ in formando perfecto Imperatore dicti homines afferunt, in nostro CAROLO, quantum fert humanæ naturæ conditio, summa fuere. Cuius res gestæ maximam scientiam, & virtutem declarant exceptas & educatas secundis euentibus. Itaque cum clarissimis, & fortissimis Imperatoribus est quibusuis rebus merito conferendus. Nam præterquam quod excellente fuit ingenio, & ad arma nato & apto, tam variis & innumeris bellorum hostiumque generibus a prima adolescentia exercitus fuit, vt non solum natura, & præceptis, sed etiam vsu, & experientia in scientissimum ducem euaserit. Neque enim inertiæ & voluptatibus sese dedit, quas ætas florens appetebat, & fortunarum copia suppeditabat, sed vigiliis, & laboribus omne tempus ætatis transmittendum putauit, sine quibus gloria parari non potest: quæ virtutis quædam est vmbra, & non quidem par, sed certe magnum & amplum & illustre præmium benefactorum. Quam bellicarum rerum scientiam magni animi præstantia & fortitudine roborauit: qua præditus neque laborem vllum perferre, vt mollis, neque periculum adire, vt ignauus recusauit honestam mortem desidiosæ vitæ præponens, quod vita naturæ, virtus hominis propria esset. Præbuit se mirificam vtrique sapientiæ, inquam, & fortitudini sociam prosperitas tanta, quantam a Deo vir impudens non auderet optare. Nullum enim bellum suscepit, quod non prospere administrarit; nullum prælium commisit, quo non victor extiterit; nullam rem obiit, quam non fauste feliciterque perfecerit. Vnam calamitatem excipio, quam ad Algerium nullo suo vitio solum aduersa cœli tempestate accepit: sed quæ animi excelsi robur incredibile, & diuinam eius virtutem aperte coarguit. Sed ne horum fides aliunde petatur, ipsa rerum gestarum explicatio faciet quæ dicimus clariora. Placet autem orationem ab eius ortu proficisci, vnde principium vitæ ducitur, ex quo solent omnium reliquum vitæ cursum notare. Natus est porro Gandaui Flandriæ nobili & illustri oppido a natali die IESV CHRISTI anno M D VI. Kal. Martii, qui dies Apostoli Matthiæ festus illi bonus faustusque fuit, ad salutem, & memoriam nominis Christiani fatalis, nobis posterisque nostris in honore habendus. Nam eodem die Imperator creatus, &

corona insigni imperii donatus, & gloriosas de hoste victorias consequutus est. At VI. ætatis anno Philippum patrem amisit, ac X. post annos mortuo Ferdinando materno auo, cui vehementer charus & ob ingenium indolemque diuinam vnice dilectus fuerat, ex Flandria in Hispaniam nauigauit, mox tribus annis elapsis in Maximiliani paterni aui demortui locum a Germaniæ principibus, ad quos spectat Imperatorem creare, omnium suffragiis Imperator est absens declaratus. Tanta generis claritas & amplitudo, tanta in eo indoles specimenque virtutis inerat, vt grauissimos alioquin competitores adolescens in supremi honoris & dignitatis certamine vicerit. Et quoniam imbecilles & ægros animos nec castis moribus ornatos, nec præclaris virtutibus instructos inuidentia facile occupat, dum ex aliorum secundis rebus & gloria minui res suas, & obscurari famam propter vehementem sui amorem existimant, ob prælatum in petitione Imperii Carolum quorundam male sanorum principum mentes acer liuor inuasit, atque animos in diuersas partes abripiens, tandem manus ad pugnas armauit; quorum iniuriam a se Carolus diuina virtute & consilio propulsauit. Operæ precium est autem primum eorum bellorum causas recensere, quæ cum Francisco Galliarum rege in tuendo iure suo & dignitate gessit; tum victorias, quas a Christianæ religionis aduersariis reportauit: vnde omnium malorum quibus resp. Christiana affecta est, culpam ab eo abfuisse cognoscetis, & Christianorum pariter vicem dolebitis, quod tantus Imperator fuerit a tam præclaris, & necessariis cœptis contra nostræ salutis, & religionis infensissimos hostes non humanis, sed diabolicis artibus consultisque distractus: quem sperare erat vniuersam Græciam & sacrum IESV CHRISTI Domini nostri sepulchrum quod a barbaris nostro cum dedecore tenetur, aliquando recuperaturum esse, nisi variis, & importunissimis Gallorum armis distentus fuisset. Vita functo Maximiliano Imp. Carolus Maximiliani nepos, & Rex Gallorum Franciscus in petitione dignitatis Imperatoriæ inter se concurrerunt: sed propter summum generis splendorem, & diuinam ingenii præstantiam, ac maximam opum facultatem (vt ante dixi) CAROLVS prælatus fuit. Quare Franciscus, qui seipsum sine riuali amabat, in eum graue odium concepit; atque ad eius spiritus reprimendos, quos magnos esse sentiebat, ne alienæ virtutis lumen suæ gloriæ officeret, aliquot Germaniæ principes, qui in eodem dignitatis certamine victi fuerant, ac potissime Henricum Angliæ Regem in sui amicitiam pellicere conatus est; ortisque in Hispania dissensionibus ex CAROLI in Germaniam discessu, quo ad Imperii sedem accersitus fuerat, satis idoneam occasionem ad occupandam Nauarram sibi oblatam esse putauit, verum Hispanienses tumultus Adriani S. R. E. Cardinalis consilio, & diligentia sedati sunt, & Henrici amicitiam CAROLVS solertissime præoccupauit. Et cum primum ex Hispania in Germaniam eundum ei fuit, quo tutum ab insidiis Gallorum iter haberet, qui non dicam a natura, sed armorum, & opinionum varietate sempiternas gerunt cum Hispanis inimicitias, Francisco promiserat, pro ea, quam in Neapolis regnum habere se actionem dictitabat, singulis annis aureorum C. M. soluturum, & Nauarram Henrico Regis Ioannis filio redditurum: sed ad hæc promissa facienda adduci deinde non potuit, ne eorum regnorum ius imprudenter amitteret, quæ ab auo legitime acceperat; quod ea, quæ pollicitus fuerat, non sua sponte, & voluntate, sed coactus ab ipsa rerum necessitate recepisset, vt illis stare a nulla lege iuberetur. Tum ægre ferebat, Maximilianum Sfortiam vectigalem Imperii a Francisco vi armisque fuisse Mediolano priuatum, reputans secum ipse, quot pericula regnis suis conflarentur, si Gallos in Italia foueret gentem leuem ingenio, & arrogantem, studentemque semper rebus nouis, ac regnandi maxime cupidam. Verum interea dum regnorum suorum statum componit a Leone X. Pontifice maximo ad recuperandum a Gallis Mediolanum communibus copiis inuitatur. Nam eorum insolentiam Pontifex nullo modo perferre amplius poterat, quæ Ecclesiæ iura iniuria sibi vendicarent, & Apostolicæ sedis auctoritatem nullo cultu dignarentur, & effecti iam essent omnibus nihilominus quam olim Siculis odiosiores. Itaque adducto exercitu a Prospero Co-

lumna, Francisco Daualo Marchione Pischariæ, & Antonio a Leua Mediolanum recuperatur, & Francisco Sfortiæ Maximiliani filio restituitur. Ex quo Rex inflammatus furore, maximis ipse cum copiis alpes transscendit, Mediolanum obsidet, ac paucis diebus in suam ditionem, & potestatem redigit, munitoque præsidiis ad delendas Imperatoris copias, quæ Papiæ sunt, exercitus aciem dirigit. nec detrectant nostri certamen, quanquam numero inferiores, sed ingente animorum ardore & armorum pugnam suscipiunt. Stat paulisper anceps prima conflictione fortuna, tum ad nostros se inclinat, tandem Rex maxima suorum cum strage vincitur capiturque VI. Kal. Martii, ipso Imperatoris natali die. Quo secundo euentu CAROLVS nihilum elatus neque pro iuuentutis natura, quæ inflatior est, neque pro victoriæ conditione, quæ insolentiores homines reddit, adductum ante se in Hispania Regem licet potentissimum, & acerrimum hostem pro diuina quadam sapientia, & animi magnitudine non modo nullis incommodis affecit, sed maximis beneficiis ornauit, certisque pactis ad seruandam pacem conditionibus liberum in Galliam dimisit, & abeuntem munificentissime p. 518 prosequutus est. Ita gloriosus adolescens animum ab omni lætitia gestiente & insolentia cohibens, atque in tanta fortuna tantam obtinens lenitatem prudentiæ, & fortitudinis armis victoriæ conditionem, & seipsum vicit. Hæc reconciliatio gratiæ regis perculit non tenui metu animos Italiæ Principum, cum etiam nunc impensius a Francisco Sfortia Franciscus Daualus Mediolani arcem repeteret, quod parum in illo firmæ fidei suspicione moueretur. Igitur Clemens VII. Pontifex maximus, qui tum Adriano successerat, qui post Leonem paulo plus anno Romanam Ecclesiam gubernarat, & Veneti, & Franciscus Sfortia contra CAROLUM perinde, ac communem hostem ducti vana quadam fortitudine societatem, & arma coniungunt, in quam societatem etiam ægrum animum Francisci Gallorum Regis alliciunt. Sed in omnibus præliis fortuna, quæ fortes adiuuat, Imperatoris partibus, & gloriæ fauit. In his bellorum procellis Romæ aliqua detrimenta per Cæsarianos insciente CAROLO importata sunt. Nam prorex Neapolis, quo Pontificem a Gallorum societate diuelleret, in illius damna Columnenses immisit, quod facinus Imperator grauiter improbans per literas Pontifici seipsum excusauit, & damnum factum recepit: tum Borbonus prædæ studio cum exercitu Romam inuasit ad eius defensionem languidissimo studio incumbente Pontifice. ad cuius rei nuncium Imperator, qui tunc in Hispania natalem diem Philippi filii celebrabat, incredibilem dolorem accepit, & apud Pontificem iusta ignorantiæ excusatione vsus est, & mandata ad suos dedit, vt obsessum in arce Sancti Angeli Pontificem quam certissime liberarent, & omnibus modis ex vrbe milites educerent: quos tamen a præda nullius oratio, aut vis poterat amouere. Et res quidem ipsa (vt grauissimorum hominum sententias omittam) eum ab istius mali culpa absoluit: quoniam nullum hoc facinus inconsideratius, & maiore a quoquam temeritate susceptum, aut ipsi vidimus, aut ab aliis vnquam audiuimus. Nam quæ ratio in spem occupandæ Romæ potuit Borbonum impellere, qui collectum ex diuersis gentibus exercitum, & sine stipendio militem longis itineribus fessum fractumque intra inimicorum vires ducebat, vbi neque commeatum, neque pecuniam belli neruos alicunde sperasset, quin etiam haud longe post terga hostili exercitu imminente? Cui si diem vnum qui Romæ erant obstitissent, altero die coactus fuisset omnium rerum inopia discedere. Sed habuit temeritas ex alterius ignauia, & formidine volente Deo, cuius sunt occulta iudicia, secundum exitum: ex quo vulgares, & imprudentes homines res, non rerum consilia iudicant. Tamne igitur temerarium, & iniquum facinus subitum, atque insperatum prudentissimi, & sanctissimi Imperatoris consilio factum esse quis autumet? Quod si Italiæ dominatum appetebat, si regnandi causa Iulii Cæsaris exemplo peccandum putabat, cur vrbem non retinuit? cur milites euocauit? cur Pontifici damni facti recepit? quanquam obtrectatoribus nulla vnquam deest calumniandi ansa; quorum mens inuidia, os maledictione plenum est. Ita affectum Pontificis animum, & exulceratum Rex Gallorum appositis sententiis contra Imperatorem alit: & in idem fœdus

venit

venit Rex Angliæ cum Venetis; qui in tanta Italiæ perturbatione, & tumultu quiescendum sibi non esse arbitrantur, quosque vt afflictam Pontificis conditionem misereantur, humanitatis aliqua ratio, & a Cæsarianorum armis, vt timeant, monet felicitatis cursus, & falsa quædam de victoris ambitione cum secundo rerum euentu crescens opinio. Quorum tamen conspiratio minus CAROLI animum permouit, quam non seruata a Francisco fides, quam in Hispania dederat, cum solutus, & in libertatem vindicatus fuit. Ideo quo tantum in vniuerso terrarum orbe suis dissensionibus excitatum incendium vna ipsi pugna restinguerent, illum ad singulare certamen prouocauit ductus Petri Terraconensis, & Caroli Andegauensium Ducis auctoritate, qui singulare certamen inter se olim instituisse feruntur, quo de Siciliæ possessione litem dirimerent, quæ multis populis maximas calamitates attulerat. In quam pugnam renuit Franciscus descendere: immo iterum cupiit CAROLO reconciliari, quem in gratiam cum Pontifice rediisse comperiebat, & rem suam in Italia male geri, siquidem clarissimos duces a se desciuisse, & præter alia incommoda Lotreccum, quem maximo cum exercitu ad expugnandum Neapolim miserat, in ipsa obsidione maxima cum exercitus parte morbo consumptum acceperat. Agnouitque aperte in facienda pace CAROLI non speratam facilitatem. Et quid Deus bone a CA-
P. 519 ROLO aut humanitatis, aut caritatis, aut pietatis omissum est, quo Franciscum in officio contineret, quando Heleonoram sororem suam illi in vxorem commiserit? Verum non multo post tempore Franciscum Massiliæ Pontifex conuenit, eiusque filio Henrico Catharinam neptem suam in matrimonium dedit. Quæ affinitatis coniunctio grauem suspicionem initæ contra se societatis CAROLO mouit, cum manifestam Pontificis inconstantiam videret, & de Francisci erga se voluntate dubitaret, qui animum semper armatum gerens, tum maxime ad turbandam pacem Ligures e Gallia expulerat, & Genuam nescio quo iure repetebat. Et quidem Gallorum ingenium, & infirmitas multorum scriptis reprehensa est, quod leues sint, & in capiendis consiliis mobiles, in suscipiendis bellis alacres, in resistendo imbecilli, ac molles. Tunc Imperator summos Italiæ Principes maximis beneficiis, & honoribus sibi deuinxit, & Francisco Sfortiæ Mediolanum libere concessit, vt omnem appetitæ Italiæ dominationis suspicionem a se remoueret, qui omne cum Christianis bellum oderat, & ad debellandos amentia deprauatos hæreticos, ac Turcarum audaciam reprimendam animum a pueris intenderat, vnde Religioni fides, imperio dignitas, sibi gloria, Christianæ reipublicæ salus, omnibus pax, ocium & tranquillitas pareretur. Interea Franciscus Sfortia correptus morbo discedit e vita, & Franciscus Rex Gallorum auito quodam iure Mediolanum ad se pertinere dicit, & Sabaudiam, cuius dominus Imperatorem affinitate attingebat, iniquissime ac tumultuosissime aggreditur. Qua de re certior factus Imperator in ipso itinere, cum victor Rex Tunethe rediret, grauissimam orationem aduersus Francisci mutabilitatem, & peruersitatem Romæ apud Paulum III. Pontificem maximum in Clementis demortui locum ab vniuerso Cardinalium senatu suffectum in amplissimo patrum consessu habuit omnesque testatus est non sponte, sed lacessitum, non dominatus cupiditate, sed defendendi sui suorumque causa arma se capere; postremo ad singulare certamen sese obtulit, ne duorum culpa Christianæ regiones suorum cæde, & cruore plus plusque fœdentur. tum confecto exercitu Galliam braccatam, quam nunc Prouinciam vocamus, petere contendit: sed propter immanem frigorum, & hyemis vim in hyberna Genuam rediit. Hoc interim Pontificis maximi studio, & industria X. annorum induciæ inter reges fiunt. Nihilominus Franciscus quanquam arma deposuit, voluntatem bellandi non exuit: & cum se penitus deiectum e spe recipiendi Mediolanum videt, aliquot Germaniæ principes Austrio generi priuatis quibusdam odiis inimicos atque in primis Cleuis ducem contra CAROLVM solicitat, & inuadere cum exercitu in Flandriam suadet eo scil. tempore, quo Imperator ad expugnandum Algerium nauigarat; ipse etiam multis copiis diuersas partes, quæ in CAROLI ditione sunt, vexat;

vexat; atque o nefandum & impium ſcelus ad Chriſtianorum cædes, & incendia religionis noſtræ crudeliſſimos hoſtes pollicitationibus, ac præmiis inducit. Quorum malorum nos ipſi teſtes ſumus, qui ſpectatores magna ex parte fuimus. Nos enim ipſi vidimus e tectis noſtris Calabriæ oras ſæuiſſima depopulatione vaſtari, & fœdiſſima flamma vrbes, & agros incendi. Quid referam virorum crudeliſſimam cædem? quid mulierum acerbiſſimam vexationem? quid captiuorum miſerrimam ſeruitutem? quorum lamentationes hic ipſi nos ingenti noſtro cum dolore, & commiſeratione exaudiuimus, cum ſociorum miſerandam calamitatem inſpectantes nullum afflictis auxilium, & opem ferre poſſemus. In quam eandem calamitatem permulta aliarum regionum maritima oppida, & aliquot Mediterraneo mari circumfuſæ inſulæ inciderunt in Chriſtianorum ſtrage, & ſanguine ardentius bacchante Barbarorum furore. Quæ ora? quis ſinus? qui portus? quis toto mari locus a Turcarum claſſe, & direptione tutus fuit? quæ ciuitas ſocia non ingemuit? quæ non indoluit tam tetram, tam horribilem, tam fœdam, & infeſtam peſtem a Chriſtianiſſimo quondam rege fuiſſe, tam impie, tam ſcelerate, tam nefarie in Chriſtianorum regiones, & vrbes immiſſam? At vero Deus optimus, qui impios odit, & religioſos amplectitur, ex Maurorum telis Imperatorem defendit, & ex vndarum procellis eripuit, & incolumem regnis ſuis reddidit. Qui vſus eadem cæleſti aura temeritatem Cleuis ducis facile domuit; mox ad contundendam regis audaciam Lutetiam Pariſiorum maximo cum exercitu petiit expugnaturus eam vrbem, in cuius expugnatione vniuerſum Galliæ regnum occupatum iri videbat: tantusque Pariſinorum animos terror ſubiit, vt omnes manifeſtam fugam meditarentur. It obuiam Franciſcus maximis cum copiis & totius Galliæ nobiliſſimis ducibus non pro gloria, ſed pro ſalute dimicaturus. Iamque duo potentiſſimi exercitus duo- p.520
bus clariſſimis regibus præſentia ſua & oratione milites ad certamen hortantibus prope aderant ſumma cum virium contentione pugnam inituri, in qua totius belli moles & omnium rerum ſumma vertebatur, cum Sanctæ Eccleſiæ caput IESVS CHRISTVS dominus noſter Chriſtianorum labores, & clades e cœlo miſeratus mirum in modum regum animos inter ſe reconciliauit, & rem quaſi ex magna & nebuloſa tempeſtate in ſerenam tranquillitatem reduxit. Sed eam paulo poſt Franciſci mors perturbauit. Nam Henricus regno ſuccedens acer iuuenis, & ardens ſtudio belli ad renouanda Martis certamina ſtatim animum adiecit. itaque oppida munire, & primarios Germaniæ viros aduerſum Imperatorem clam inſtigare & occulte cum Heluetiis ſocietatem inire cœpit. Nec prudentem Imperatorem iuueniles animi ardores, & aſtus latuere. quare aduerſus Henrici ſtudium & audaciam ſe ipſe quoque inſtruxit; & inuito diſtractus ab eo bello, quod contra Germaniæ ciuitates, quæ hæreticorum partes ſequebantur, parauerat, Lotharingiam verſus caſtra mouit, ac iuuenilem animum & conatus conſilio, & virtute cohibuit. Nunc ad ea bella transeo, quæ contra hæreticos pro veritatis defenſione, & contra veræ pietatis hoſtes pro Chriſtianorum ſalute & incolumitate geſſit: ex quibus intelligetis quanta pacis ornamenta & belli ſubſidia Chriſtianæ reipublicæ comparaſſet, ni Gallorum aut leuitas aut inuidia illum in magnis & diuturnis contentionibus habuiſſet. Equidem Ioannes Federicus Saxonum Dux & Philippus Landgrauius hæreticorum Principes & fautores, dum Imperator armis in Gallia diſtineretur, pacto in Schemelcaldo Saxoniæ oppido cum pleriſque Germaniæ principibus inter ſe fœdere Branſoicchi ducem contra fas omne poſſeſſione ſua diſturbauerant; & ad Imperatorem Langrauius audacter adierat, atque arrogantius eum monuerat, ne quid contra ea, quæ ipſi geſſiſſent, moliretur, vnde permultorum principum odia in ſe conuerteret. Quod facinus placuerat Imperatori ad concilium deferri, & cum ſemel atque iterum citati adeſſe neglexiſſent, dux Saxoniæ & Langrauius perduellionis damnati fuerant. Et Martinus quidam Luther homo omnium ſceleſtiſſimus nuper in imperitum vulgus prauas quaſdam opiniones &

ſententias contra Eccleſiæ Romanæ dogmata & inſtituta ſpargere cœperat, & nactus ſocium amentiæ ſuæ Oecolampadium diſſolutum, perditum, & nequam hominem, atque etiam adeptus ſectæ ſuæ fautores maximos Germaniæ principes, Saxoniæ ducem, & Langrauium breui qui ſub agnina pelle animum gerebat lupinum, multis Germaniæ ciuitatibus malum venenum infuderat. Non enim vlla peſtis eſt, quæ latius manet, quam hæreſis, præſertim ea, quæ felicitatem nulla noſtra cura, labore comparandam proponit, cum ingenium ſit omnium hominum (vt Comicus poeta loquitur) ad libidinem a labore procliue; hoc autem magis, ſi principum auctoritate confirmetur: quorum mores, & vitæ rationes in populis ſubito ſequuntur. Ad quod peſtiferæ, & funeſtæ doctrinæ ſemen extinguendum omnem diligentiam CAROLVS adhibuerat: & quoniam, in popularium ſenſibus quod fibris inhæreret, facile extirpari non poterat, edicto cauerat, ne quid de religione innouaretur, niſi ex decreto Sancti, & Oecumenici Concilii a Pontifice Romano conuocandi. Tunc igitur ſuſcepto bello a Catholico Imperatore contra Principes hæreticos vndique ad eos copiæ ſubſidiaque venerunt: LXXX. M. peditum, equitum XV. breui tempore collecta ſunt, muralia tormenta CXX. currus ad ferenda onera DCCC. naues ad transmittendum flumina CCC. Doleam Mamertini contagionem mali tam breui, tam late diffuſam? an tantam Germanorum potentiam non periculoſiſſimis temporibus contra Mauros Turcasque conuerſam? Ceterum, qui non in hominum multitudine, & robore, ſed in Dei maximi dextera, & virtute ſpem omnem victoriæ collocauerat, CAROLVS maiore animo ſe bello contra ſceleratiſſimos, & nefarios duces accingit; & dum Langrauius in oppugnandis, & ad fidem ſuam adigendis vicinorum oppidis tempus terit, quam maximas poteſt copias armat: cumque adhuc militum numero inferior longe ſit quam vt cum hoſte congredi poſſit, nullam pugnandi copiam illi facit, ſed inſolentem iuueniliter exercitum prudente cunctatione debilitat, qui quoniam compoſitus eſt ex variis hominibus, & horum laborum minime patientibus, qui bella comitari ſolent, deficiente ipſum commeatu, & frigidiore tempeſtate adueniente dilabitur. Interea quoque Dux Mauritius Ferdinandi Caroli fratris legatus cum exercitu inimicorum regiones
p. 511 ingreſſus hoſtiliter omnia populatur & vaſtat. Quæ incommoda Lantgrauius animo agitans ſtuduit cum Imperatore paciſci: ſed cum nihil impetraſſet (nam indignum Imperatoria dignitate, & abhorrens ab æquitate CAROLO videbatur tantam inſolentiam, & temeritatem impunitam relinqui) noctu contento itinere in Haidamum oppidum confugit, exercitumque dimiſit. Vnde finitimæ ciuitates in CAROLI poteſtatem venere, & qui inimicis fauerant viri primarii, & Schemelcaldicæ conſpirationis adiutores & ſocii veniam ſuppliciter ab eo poſtularunt. At Dux Saxoniæ validioribus copiis ad omnem ſe euentum munit: contra quem Imperator ſigna conuertit, & victricem aquilam in Saxoniæ fines inferens ad certamen hoſtem quamuis numero militum priorem trahit, & momento proſternit & capit. Quæ omnia tanta induſtria diligentia celeritate adminiſtrata ſunt, vt diuino nutu & conſilio geſta fuiſſe viſa ſint. Quare religioſiſſimus Imperator non vt Cæſar in Ponto veni, vidi, vici; ſed totam victoriam ad diuini nominis prouidentiam & virtutem referens dixiſſe fertur, veni, vidi, ſed Deus vicit. Et Dux Saxoniæ licet iudicum ſententiis capite damnatus fuerit, tamen ab humaniſſimo victore benigniſſime liberaliſſimeque tractatus eſt. Lantgrauius quoque tum in Imperatoris fidem & poteſtatem ſeſe dedit. In hac rerum quaſi malacia & tranquillitate ſubita quædam tempeſtas exorta maximo periculo Imperatorem obiecit. Nam Mauritius ægre ferens Langrauium ſocerum ſuum diutius in cuſtodia teneri, atque hæreticorum ſtimulis incitatus deleta tot tantorumque beneficiorum memoria, quibus ab Imperatore ornatus fuerat, clam cum Henrico Galliæ Rege & Ducis Saxoniæ & Langrauii liberis contra eum ſocietatem coiuerat; & poſtquam ſatis copiarum collegit, repentina vi & validiſſimo impetu Cluſam, qua Harspurgum ad Imperatorem

torem transitus erat, occupauit vsus incredibili festinatione, ita vt Carolo nocte media effluente imbre cum aulicis & his tantum militibus, quos ad custodiam sui corporis habebat, Vilaccum fugere necesse fuerit. Verum vt ilex e ferro vires ducit, sic CAROLVS e periculis animosior emergit: & interea, dum subsidia ex Italia & Hispania expectat, per Ferdinandum fratrem simulate cum Mauricio de pace agit: ille vero animo, & lætitia inflatus, ac si de Cæsare triumpharet, exultat, & cum cæteris hæreticorum principibus cuncta miscet, & turbat. Quem insolentem vtique dux Bransoicchi magis diuina ope fretus quam humana cum his copiis, quas Imperatoris nomine coegerat, adoritur, & pugnantem debellat, & cedentem grauiter ferit, ex quo vulnere post triduum animam amisit. Vt omnem hæreticorum vim, & ardorem concidisse vidit Imperator, ne quam crudelitatis notam sustineret, Lantgrauium e custodia liberauit, & filiis Saxoniæ ducis, qui his ipsis diebus mortem obierat, vniuersa patris bona & familiæ insignia & dignitatem restituit. Neque enim perduelles sæuius puniendos censuit ne male affectos cæterorum principum animos acrius exulceraret; neque remissius agendum putauit, ne quem Imperii contemptum lenitas afferret, & impunitatis spes vlla posthac improborum hominum audaciam educaret, seruans singulari cum prudentia iustitiæ modum & æquitatem, sic vt illi a cœlesti quodam numine dictum fuisse videatur:

Hæ tibi erunt artes, pacique imponere morem,
Parcere subiectis & debellare superbos.

Hinc me res gestæ contra Turcas & Mauros ad se vocant: quæ satis omnibus declarant Imperatoris non vulgarem in tuenda religione voluntatem & industriam; quippe cui semper in animo propositum fuit pro vera religione, ac suæ dignitatis officio Christiani nominis hostes profligare, & gestientem Turcarum audaciam furoremque comprimere. Porro Solimannus Turcarum dominus ad totius Europæ dominationem aspirans iam secundo Hungariam ingressus cum CCC. M. delectorum militum exercitu maximum Christianis metum, & terrorem incusserat. contra quem CAROLVS inuicto animo cum XC. M. hominum profectus iuxta Viennam castra locauit, & admirabili arte copias ad pugnandum disposuit. Cum vero erectus spe certa victoriæ diuina quadam præsentia pugnæ diem expectaret, Solimannus victus præstantia CAROLI, quod in eius opinor galea, cœleste atque inextinguibile lumen conspexisset, quale in suis ducibus poetæ sæpius elucere confingunt, nocte socia castra mouit, seque ex eius conspectu quam longissime proripuit. Ergo potentissimus & clarissimus Turcarum Imperator neque militum multitudine, neque famæ pudore ad pugnandum induci potuit, nec prælio victoriam, sed fuga salutem quæsiuit. Et non liceat acclamare egregiam, & ante hoc tempus p. 522
inauditam, & inopinatam sine vllo telo solum ipsa præsentia partam de tanto exercitu & Turcarum Imperatore victoriam? Per id quoque tempus Andreas Auria cum aliquot rostratarum nauium classe in Peloponesum missus præclara facinora edidit: quibus ingentem occupandæ Græciæ pauorem Turcis iniecit. Solimanno igitur ex Hungaria non prælio, sed metu pulso, atque ita pulso vt nunquam amplius ausus sit incolumi CAROLO redire, ad expugnandum Guletham arcem prope Timethem Imperator animum aduertit: quod inde maximum periculum Christianorum nauigationibus & maritimis oris a prædonibus immineret. Nam Hariadenus Ænobarba, quem Barbarossam vulgo nominamus, vir multis victoriis & bellicis ornamentis clarus, qui grauibus sententiis Solimanni animum ad vniuersum terrarum orbis imperium excitauerat, ex Tunethe Muleasem expulerat, & Mulirosetto fratri regnum addixerat, at Guletham Solimanni nomine muniera ea nimirum spe, vt aliquando sub Turcarum Imperium & fidem vniuersa Africa

redigere-

redigeretur. Quamuis ergo a Gallorum odiis non iniuria timendum sibi esset, tamen in Deo spem ponens rerum suarum, quod iustum & Christianæ reipublicæ vtile, ac necessarium bellum moueret, magna cum classe in Africam profectus est, ac secundo vento Vticam tenuit quem portum Farinæ hodie vocant. Eius appulsu Barbarossa grauiter perturbatus maiore præsidio Guletham firmauit, & classem in stagnum, quod facit inter Tunethem & Guletham influens mare, subduxit. Imperator ex Vtica legens oram antiquæ Carthaginis vbi in conspectum Guletha venit, milites in terram exponi iussit, & hostem a littore tormentis arceri, tum opportunis ad feriendum arcem locis tormenta disposuit: postremo terra marique Guletham inuadens, quæ natura loci & artis opere inexpugnabilis videbatur, incredibili virtute, ac felicitate cœpit, simulque tota Barbarossæ classe potitus est. Sed dum reficit propugnacula captæ arcis Barbarossa cum XX. M. militum Christianas aliquot cohortes adoritur, fit ad pugnam concursus, pugnaturque vtrinque fortissime atque acerrime: Sed Hispanienses equites cum barbarorum equitum vim sustentare diutius non possent, & circumfunderentur vndique hostes, Imperator ipse, non aliter atque olim Cæsar cedentes suos Neruiis, primus in hostem factus exemplo suo ad pugnam retraxit, inter primos armatus procursat, & ad prælium omnes cohortatus ad acclamationem Sancti Iacobi, qui ab Hispanis religiosissime colitur, stringit in hostes gladium; reliqui tanti ducis exemplo animosiores effecti barbaros prosternunt, feriunt, occidunt. Quo in prælio CAROLVS præter cæteras victoriæ laudes ciuicam coronam meruit, quoniam Andream quendam Pontium equitem Bæticum ex hostium manibus vulneratum seruauit. Tum contra multorum sententiam decreuit Barbarossam persequi, & ex Africa Turcas omnino depellere. Quamobrem instructo exercitu castra Tunethem propius mouentur, ordines ducente Alfonso Daualo Marchione Vasti egregio, bono, & forti duce. Occurrit cum suis Barbarossa accessum ad vrbem quoquo modo inhibiturus, verum commisso certamine inferior discedit, atque intra oppidi mœnia sese recipit. Et quamuis C. M. hominum in armis haberet, tamen artibus CAROLI præuentum se videns & industria circumclusum in maximam desperationem venit; Et extra omnem rerum meliorum expectationem positus, in captiuos Christianos, qui in custodiam coniecti fuerant numero VI. M. ferro & igne sæuire statuit animo ad crudelitatem præcipite. Sed dum in concilio est, captiuorum aliqui se primum, tum alios occulte ex catenis soluunt, vel ex ipsis custodibus aliquot a tanta crudelitate ad misericordiam commotis, postremo facto in custodes impetu arce potiuntur: intra quam subito fumo, signis, nutu, & clamore sublato Imperatorem aduocant. Vnde Barbarossa cum videt se neque pollicitationibus, neque precibus, neque vi posse arcem recipere, cum VII. M. Turcarum in Hipponam, quam modo Bonam dicimus, fugam arripuit; atque inde loci mox cum XIII. triremium classe, quam illic ante ad omnem euentum collocauerat, Algerium, quod oppidum Mauritaniæ veteres Romani Iuliam Cæsaream vocauerunt, ne in Imperatoris manus veniret, celerrime profugit. Cuius fuga Tunethes sine vlla concertatione in Imperatoris potestatem venit. eam Imperator Muleasemi, qui a fratre pulsus e regno prius ad se confugerat, imposito paruo tributo restituit. collaudatisque captiuis Christianis & auctoribus facinoris dignis muneri-
p. 513 bus affectis ad nos de Africa triumphans perlatus est: atque a vobis summis honoribus & pompa exceptus. At vero tantam felicitatem aliquot post annis graui iactura permiscuit cœli turbulentissima, & formidolosissima tempestas, quæ classem ad Algerium fœdissime vexauit. Nam cum statuisset Algerium piratarum vnicum post captam Tunethem receptaculum euertere, vt ex omnibus oris Christianorum nauigationibus & mercibus mare liberum tutumque pateret, eo cum ingente classe profectus fuerat: & nondum erant omnes homines, equi, commeatus, tela, tormenta, & ad oppugnandum pertinens materia in terram exposita,

cum prima noctis vigilia magnis tempestatibus subito mare concitari, & vehementis imbris, & nimborum & procellarum & turbinum ruina, cum fulminum & tonitruum horrore cœlum vndique misceri cœpit. Quæ tempestas cum biduum continenter sæuisset, nauium aliæ collabefactatis lateribus submersæ, aliæ vndarum æstu ad littus illisæ & perfractæ sunt, paucæ ad anchoras deligatæ vim ventorum & fluctuum sustinere potuerunt: & hominum alii cum ipsis nauibus salo obruti, alii, qui ad littus nando euaserant, ab hostibus immanissime cæsi: quanquam hoc ab hoste periculum deinde qua potuit Imperator celeritate summouit. Spectaculum non modo hominibus sed vndis ipsis, & littoribus luctuosum. At qui in terram ante descenderant maximo imbre madefacti & crudelissima tempestate deterriti, neque arma tenere neque se miseros sustentare valebant; augebatque dolorem commeatus iactura: nam tegumenta in nauibus reliquerant, & cibaria solum in duos aut ad summum tres dies secum asportauerant. Nihilominus Imperator obiens egregii ducis, & militis munus humanissimis verbis acerbitatem omnium solatur, & primus in acie obuersans dextera, & virtute suos ab ingruentium barbarorum armis defendit: nec quicquam vnquam. O mirabilem viri constantiam & firmitatem, in tot tantisque rerum asperitatibus, aut desperatione deiecisse, aut formidine contraxisse animum visus est, alacri & semper eadem fronte, pluuiæ, frigoris, famis patiens, atque interdiu & noctu suis in acie præsens; vt eius virtutem admirati hostes CAROLVM Deo cuipiam similem esse, nec iam amplius mortalem, sed de cœlo lapsum aliquem ad salutem, & nomen populi Christiani propagandum crediderint, & elatos a rerum euentu spiritus alienæ virtutis admiratione represserint. Sedatis iam fluctibus, & tempestate commutata aliquot aliis discriminibus vi quoque superatis milites in naues ascendere iussit; ipse vltimus conscendit, qui primus in terram descenderat. Quod si virtus aduersæ fortunæ telis velut aurum fornacis flamma probatur, certe in his grauissimis periculosissimisque procellis Imperatoris perfectæ virtutis laus maxima enituit. Iam Draguthem archipiratam acerrimum & communem omnium hostem ab Ioanne Vega prorege nostro ex Aphrodisio pulsum, & oppidum natura & arte munitissimum breui temporis spacio paruis copiis vix LX nostrorum interitu expugnatum, quid opus est me vobis, Mamertini, recensere, qui eius belli participes & socii fuistis? Ex quo non minor ad omnes vtilitas quam ad ducem gloria peruenit. Enimuero plerique magis secunda fortuna in his rebus vsi sunt, quas ipsi gesserunt, quam in his, quas aliorum fidei commendarunt, contra aliis vicariorum opera felicior & fortunatior fuit, quibusdam vero summis Imperatoribus iidem vbique prosperitatis venti vsque ad extremum vitæ tempus afflarunt: cuiusmodi CAROLVM habuisse videmus. Nam quantam per Ioannem Vegam? quantam per Bransoicchi ducem? quantas per Andream Auriam? quantas per Franciscum & Alfonsum Daualos? quantas per Prosperum Columnam, Ferdinandum Gonzagam & eos duces, quos Italiæ rebus præposuerat? quantas per eos, quos ad Indos miserat, victorias est felicissime consequutus? In cuius equidem felicitate hoc maxime ponendum arbitror, quod eius auspiciis deuictæ, & a ferino cultu & vana religione ad veram, & ciuilem reuocatæ sint regiones ab hoc nostro terrarum orbe disiunctæ, & priscis illis Romanis, qui se terrarum dominos adpellabant, ignotæ. Quamobrem merito nunc regina volucrum aquila Imperii, & Austriæ stirpis insigne ostium Oceani, quod vtpote nulli hominum natura peruium, domitor ille ferarum & mundi Hercules duabus columnis tanquam habitabilium regionum terminis præsepsisse dicitur, secundo volatu transmisisse se gloriatur. Quæ quidem ego non solum CAROLI fortunæ, sed etiam prudentiæ tribuenda existimo: e cuius, vt ita dicam, ludo & palæstra plures quam ex illo Troiano equo strenui duces p.524
prodiere, non quales sunt ficti illi Gallorum heroes, quos vulgus Palatinos appellat, sed quales Imperatorum mater Roma produxit. Nec profecto isti tanti fuissent, nisi

nisi CAROLVS ingenio & virtute præstantissimus extitisset. Quapropter eius ætatem soleo vere auream prædicare, & Christiani populi felicitatem simul attendere, quod in grauissimis temporibus, & turbulentissima tempestate is Imperator diuinitus nobis datus sit, qui potentissimi & sæuissimi hostis Terrarum inquam domini conatus effringeret, ac non modo Christianorum fortunis imminentem, sed etiam ex infimo pectore crudelitatem insatiabilem anhelantem belluam consilio & vi longe e nostris regionibus expelleret atque eiiceret. Imperator vere pius, felix, inclytus, victor, triumphator augustus, & quod recte dixerim, pater patriæ, quoniam rempublicam Christianam labentem fulsit, afflictam erexit, perditam refecit, angustam explicuit, & coarctatam quam longissime dilatauit. Porro sapientes viri docent, neminem in vllo vitæ & studiorum genere perfectum esse posse, qui non & ingenii dotibus ornatus, & doctrinæ præceptis instructus, & meditationis vsu perpolitus fuerit: quibus quasi numeris expletum & omni laude cumulatum Imperatorem nostrum videmus; qui a natura sagacem vim ingenii, ac motus celerrimos adeptus, totam ætatem in imperatoriis artibus consumpsit non modo excellentium virorum disciplinis imbutus, sed magnorum ducum ipse magister. Igitur hoc ingenio natum hominem & assiduo rerum vsu & exercitatione doctum credendum est, neque per ignauiam quicquam omisisse neque per audaciam aggressum esse, quod intelligentia & ratio aut obire postulasset, aut aggredi prohibuisset; quorum alterum inertiæ, alterum temeritatis est vitium, vtrumque Imperatoris virtuti, & laudi summæ contrarium: & qui tot victorias, & triumphos a grauissimis hostibus reportauit, necesse est illum semper laborauisse, nunquam non vigilasse, vbique præsentem fuisse, nec copiarum multitudine, sed militum virtute confisum, nec impetu quodam animi, sed pleno prudentiæ consilio, disciplina & ordine cuncta, quæ ad rem bene gerendam requiruntur, perfecisse. Neque vero in quo tot egregiæ virtutes emicuerunt, desiderata sunt ea, quæ virtutem maxime significant, dignitas inquam oris, generisque nobilitas. Nam regia stirpe prognatus, & in ea familia educatus fuit, in qua excellentissimorum Imperatorum permultæ imagines ad æternam factorum memoriam illum dies & noctes excitabant; oris vero forma digna pulchra, & virilis, quæ ipsam imperii maiestatem non mediocriter exornabat. Maxime autem eius animi excelsitas in laudis & gloriæ studiis apparuit, quæ in altioribus animis vehementiora esse solent: qui eum regem miserrimum esse aiebat, vtpote præstantis ingenii & virtutis expertem, qui res dignas prædicatione vel ignauus ipse per se facere nesciret, vel otiosus & voluptuarius negligeret. Veruntamen qui Christi fide illustratus supra virtutem & gloriam aliud videbat, quo diuina gratia liceret ascendere, non in honorum splendore, ac nominis prædicatione beatam vitam posuit, atque ii, quibus dies Christianæ veritatis nondum illuxerat, sed ad sempiternam illam felicitatem comparandam omnes suas cogitationes viresque conuertit. Vnde quibusdam illi obiectantibus scire quidem eum vincere, sed nescire more Cæsaris expedite victoria vti, quam Christiane, hoc est, vere & sapienter respondit, Cæsari vnicum vitæ finem fuisse propositum nominis prædicationem; sibi vero cælestis gloriæ adeptionem; cuius gratia multa non facienda, multa etiam ferenda sunt, quam qui consequi neglexerunt, multa contra ius fasque patrarunt. Quis ne tota Italia potiretur, ne cunctam Germaniam occuparet, ne vniuersam Galliam diriperet, quis vllis obsecro decretis aut copiis restitisset? At tantum valuit apud eum religio, vt pietatem & iustitiam cuiusuis rei dominatione potiorem habuerit. Quoties vox illa Caroli audita est, si vniuersam Galliam deuinceret, vniuersa se tamen illa Francisco lubentissime cessurum, modo per eum sibi etiam liceret tuto sua possidere? Et de Germanorum, qui deuicti sunt, bonis quid vnquam sibi assumpsit, cum multa sibi iure belli vendicare potuisset? aut quam crudelitatem in Franciscum licet aduersum virtuti inuidum gloriæ inimicum salutis suæ, cum captiuum haberet, exercuit? quam in

Germanici belli duces? quamuis multa ex illorum incolumitate sibi metuenda, ex interitu non pauca speranda videret? Non Andegauensium ducem Carolum regis Gallorum filium imitandum sibi duxit, qui regi Conradino in bello capto Neapoli, spectante non sine lacrymis populo, in foro caput e ceruicibus abscindi p. 528 ab humili, & abiecto lictore mandauit. In nullius non dicam corpus sed ne fortunas quidem sæuitum est: solum his pœna inflicta, qui fœdissimis obstricti sceleribus omnes impetrandæ veniæ & misericordiæ terminos modumque transierant. Quin illius grata, lenis & modesta nullisque odiis inflammata victoria fuit, qui non intulit arma, sed illatam vim repulit solum tuendi iuris & dignitatis suæ gratia. Et quidem ius suum, & dignitatem tueri lex omnis diuina & humana, ciuilis & gentium concedit. Atque ita se vbique gessit, ita ius suum prudenter fortiterque seruauit, vt neque ob inertiam minui dignitatem suam permiserit, neque ob improbitatem iustitiam violarit, & inuictum semper animi robur ostenderit, & omnem auaritiæ suspicionem ambitionisque vitauerit. Vtinam Rex Franciscus nunquam his temporibus fuisset, quibus CAROLVS Imperium Christianorum tenuit, non sane tot molestiis rempublicam Christianam tanto cum omnium malo implicuisset, neque optimum Imperatorem a gloriosissimis cœptis contra nostræ fidei communes hostes sua cum ignominia & dedecore abstraxisset: quem vniuersi non modo e Græcia, sed etiam ex Asia Turcas expulsurum fore, & sanctam Hierusalem, in qua IESV CHRISTI Domini nostri religione venerandum monimentum est, e manibus barbarorum aliquando redempturum sperabamus. Quas ob res illum ausim cum summis Imperatoribus & ingenii præstantia, & animi magnitudine, & Imperatoriis artibus comparare. Græci laudibus vnum præ cæteris extollunt Alexandrum, Philippi Regis Macedoniæ filium, a magnitudine rerum gestarum magnum cognominatum. Is enim Asiam bello euicit & Darium regno Persiæ spoliauit, ac per vastas Indorum regiones victor excurrit. Atque istas tantasque res (quod certe mirabilius est, nec modo re, verum etiam dictu inopinatum) florente ætate confecit, quarum minimam partem id ætatis nondum ceteri attigissent. Sed tantorum factorum gloriæ grauia quædam, & odiosa in rege vitia quasi tenebras offuderunt superstitio anilis, superbia non ferenda, iracundia vsque ad manifestam insaniam ebrietatis in quouis homine detestabilis, ac sane tanta, vt tandem vna cum vino turpissime animam exhalauerit. Quocirca in eo magis animi quandam excelsitatem & felicem temeritatem nonnulli admirati sunt quam prudentiam & grauitatem. Nonnulli quoque hanc rerum gestarum magnitudinem ex eorum, quibus cum bellauit, ingenio attenuare conantur. Nam cum Asianis effæminatis & mollibus contendit armis, ex quorum ignauia & mollitie maior Alexandri virtus emicuit, contra Annibalem in cœlum efferunt, quod in Italia cum Romanis bellicosissima gente aliasque victrice XVIII annos feliciter bellum administrarit; ac tot consules, tot consulares, tot senatorii, tot equestris ordinis viros vicerit, tot exercitus fuderit, tot oppida ceperit, tot populos in fidem suam receperit, vt Romanis, qui de deserenda vrbe consilium ceperant, is qui ab Annibale victus non fuit, Maximus Imperator visus sit, e quibus Alexander, si in Italiam exercitum illum suum traiecisset, non profecto magnam gloriam deportasset, si non vti Rex Epiratorum Pyrrhus victus cessisset. Omitto Græcorum hominum in scribendis historiis vanitatem, qui non modo res illius gestas contra historiæ leges pluribus ornamentis amplificarunt, adulantes principem nimio sui ipsius amore laborantem, sed etiam ea litteris mandare ausi sunt impudenter, quæ nunquam gesta fuissent, ab ipsomet Alexandro repudiati, ne res suæ gestæ illorum mendaciis inuolutæ veritatis fidem amitterent. Multa etiam omitto non hominum opera, sed malorum dæmonum arte perfecta: qui nempe tum huius mundi principes & tenebrarum rectores in mortalium animis grauissime dominabantur. Cum Alexandro Romani Cæsarem æquant: quem equidem dissimilitudine bellorum, magnitudine contentionum numero pugnarum,


varietate,

varietate locorum, asperitatibus rerum, celeritate conficiendi, arte militari & Annibali & Alexandro præferre non dubito: qui post hominum memoriam domitiferis & immanibus nationibus profligatisque summorum ducum maximis exercitibus solus de vniuersa Europa, Africa, Asia triumphasse videtur. Verum & is quoque tantam factorum celebritatem dominationis cupiditate tanquam veneno infecit, & cum totius Romanæ reipublicæ euersione turpissimis maculis clarissimum nominis splendorem aspersit. Laudabilior certe virtus Scipionis illius Africani, qui de Annibale & Carthagine victoriam non ad proprias vtilitates sed reip. commoda, non ad suam libidinem sed patriæ conseruationem, non ad priuatam tyrannidem,
P. 526 sed Romani Imperii maiestatem contulit, vir cum liberalitate, comitate, clementia, tum maxime continentia celebrandus. Pompeium sciens prætereo. nam vitæ infelicissimus exitus totam eius famam denigrauit, ac simul domum & fortunas euertit. At Galli regem suum Carolum magnum his ducibus parem faciunt, procul dubio omni laude & celebratione dignum, ac de republica Christiana benemerentissimum Imperatorem. Siquidem Longobardorum regem Desiderium bello subegit, & Italiam grauissimo barbarorum dominatu liberauit, & Saxones, Pannones, Dacas, Istros edomuit, atque Aquitaniam, Vasconiam multasque alias patrio regno finitimas regiones in ditionem suam & potestatem redegit. In horum numero nostrum Regem & Imperatorem CAROLVM summo nos iure ponemus, qui Imperatoriis artibus a pueris deditus maiorem suis Imperiis quam aliorum præceptis bellicarum rerum cognitionem & scientiam comparauit; quem nullus vnquam labor negotiorum; nullus periculorum metus ab honestatis, & honoris studiis retardauit; cui non in prouidendo consilium, non in agendo industria, non in conficiendo celeritas defuit; addiditque semper spiritus maiores secunda fortuna, quæ illius cœptis & conatibus lenissimo vento aspirauit. Ipse Solimannum Turcarum Tyrannum licet copiarum numero superiorem, tamen excellente virtute perterruit, perterritumque ex Christianorum finibus longius extrusit. idem Gulethani munitissimam arcem, atque vna Tunethem paucis diebus cepit, & Barbarossam stipatum innumeris armatorum caterius ex Africa expulit. idem duobus potentissimis ducibus deuictis de vniuersa Germania, quæ intra Danubium Alpes & Rhenum posita est, triumphum maxime insignem egit, quod ante ipsum contigit Imperatorum nemini: idem Mediolanum vrbem vectigalem Imperii ex faucibus Gallicæ dominationis eripuit; & clarissimum ac potentissimum Galliæ regem bella sæpius renouantem, bello sæpius profligauit: quem ne vita & regno priuaret vna Christi religio prohibuit. Sed cum bellica laude ciuilem quoque coniunxit, qui quantum in bellorum administratione bonus & fortis, tantum in gubernatione ciuitatum sapiens & iustus fuit, nihilque minus in conseruando prudens, quam in amplificando imperio felix, quod equidem paucis datum fuisse videmus. Ipse enim præditus eximia vitæ integritate & intelligentia iustitiam præstantissime coluit animo ad æquitatem magis propenso, quam ad summum illud ius, quod est vnicum tyrannidis tegumentum, in audiendo facilis, in respondendo gratus, vbique comis atque humanus dignitati conuenientem retinens grauitatem: quem bonis artibus informatum, nec de quibusuis rebus, sed de præclaris & magnis delibantem honores grauia dumtaxat studia delectarunt; & hominem suis non alienis virtutibus florentem nulla vnquam inuidiæ vis, nulla maleuolentiæ affectio morbusque corripuit: qui cum omnibus tum maxime pauperibus Christi beneficentissimus fuit, quæ diuina caritate proficiscens virtus solam diuinam mercedem, nullam hominum laudem splendoremue desiderat. Sed quæ in Imperatore Christiano plurimum habet laudis, frugalitatem, modestiam, temperantiam maxime coluit, atque imprimis religionem & pietatem, quæ fundamentum omnium virtutum est, qui (vt hoc vnum dicam) singulis diebus mane post somnum quamprimum e lecto surgebat Deum obsecrabat, vt omnes suos labores, motus & conatus in ipsius honorem, in Christianorum commoda, in animæ suæ inco-

incolumitatem cœlestis gratia conferret. Quare non modo Scipioni illi Africano, qui templum Capitolini Iouis quotidie solus adibat, cum vanam & impiam religionem coleret; verum etiam his, qui veteris testamenti sacris paginis commendati sunt, hoc magis excelluit, quod perfectione, lege & documentis institutus fuit. Hanc pietatem toto quidem vitæ tempore magnam, sed maximam in extremo curriculo, cum incitatior est ad metam cursus, ostendit. Itaque in animo mihi est illius e vita migrationem non minus quam victorias explicare: qua sola mores & vniuersa vita decoratur. Cum in Flandria esset annum agens LVI. & grauius e pedibus laboraret, statuit regnorum habenas Philippo filio tradere, & Imperium Ferdinando fratri concedere; non quo ipse genio liberius ab omni forensi & militari strepitu remotus indulgeret, similiter ac fertur Diocletianus imperium deposuisse, sed quo reliquum vitæ tempus diuinis studiis impenderet, vt ad omnem summi illius domini & rectoris vocem, si ex hac luce seu potius statione migrandum esset, vigilans ac paratus offenderetur; ac VI. Kalend. Martii suo natali die post longam orationem, qua ex suo discessu dolorem suorum lenire conabatur, cum idonea classe in Hispaniam nauigauit, & ad Liaredi portum eam applicuit. Vt in terram descendit, gratias immortali Deo pansis ad cœlum manibus egit, quod incolumis in eam regionem appulsus esset, quam tantopere amasset; tum in tellurem oculos defigens eam benignissime tanquam parentem salutauit, addiditque verba illa: Nudus a te egressus sum, nudus ad te reuertar. deinde in Valleoletum lectica delatus, & factum obuiam sibi nepotem suum Carolum ad colendum pie numen diuinum, & præstanter insequendum maiorum vestigia grauissimis verbis & sententiis cohortatus est. Hinc in religiosorum hominum, qui Sancti Hieronymi fratres vulgo nuncupantur, ab vrbe remotas ædes cum paucis concessit; Vbi cum multos menses diuinis rebus vacasset, morbo vehementius opprimi cœpit, tanti viri mortem e cœlo terris prænuntiante cometa. Ac VI. Kal. Octobris D. Matthæi profesto die confessionis & Eucharistiæ diuinis sacramentis, quemadmodum Christianum decuit, sese ad discedendum ex hac mortali in immortalem illam vitam muniuit: & cum festo die iam plane mors instaret, præcatus est eos, qui adstabant, vt sibi adessent Deum pro se orando contra malorum dæmonum dolos & conatus, qui hominis calcaneo potissime insidiari solent, ipse IESV CHRISTI Domini nostri suffixi cruci imaginem sinistra tenens, hæc cum lacrymis verba pronunciauit: Magnas tibi gratias habeo & ago sancte Deus, quod me nationum multarum Principem & Imperatorem crearis, sed maximas, quod in ouile tuum adduxeris, atque ex huius seculi molestiis & insanis honorum studiis hoc postremo vitæ meæ tempore semoueris, quo tibi venienti paratus occurrerem. Verum oro, vt delicta mea multa & grauia tuo sanguine deleas, quem factus homo in cruce pro humani generis redemptione, & salute effudisti: ne si me chirographo, in quo illa scripta sunt, ante tribunal iustitiæ tuæ salutis meæ hostis conuincat, damnationem euitare non possim, neque alia est ad cœlum via nisi per crucem. Nouissime cum dixisset: In manus tuas Domine commendo spiritum meum, declinans ad dextrum humerum caput, extremum diem LVIII. ætatis suæ anno, placide & tranquille clausit, tanto cum animi robore & præstantia, vt demum etiam mortem ipsam omnium terribilium rerum terribilissimam deuicisse visus sit. Ex hoc genere mortis & certis quasi animi notis admirandam eius integritatem & pietatem licet aperte perspicere, ac simul pro nostræ fidei ratione cœlestem illi & sempiternam gloriam augurari. Ac profecto ipsius vitam & obitum qui recto animo contemplatur, & humanis & diuinis honoribus CAROLVM V. Imp. afficiendum indicat. Cuius tantis virtutibus equidem ipse non video parem orationem posse inueniri: sed tantum omnibus illum præferendum censeo, quantum dignitate, prudentia, virtute, fortuna antecelluit.

FINIS.





Mowa Mik. Fr. we Fryburgu.

Skoro związek krwi położył wstęp wzajemnej życzliwości
jw. Wasz Majestat i najj. mego pana króla Polski (i uczynił
ich sobie wzajemnie związanymi) tak że (król Polski) we
wszystkich swoich potrzebach i niebezpieczeństwach uznał
że stosowne uciekać się do rady i pomocy Waszego Majestatu,
co także zawsze było pilnie przestrzegane przez przodków
(rodziców) Waszych Majestatów i nie zostało to zaiste
przerwane przez Majestaty Wasze. Wszelako teraz większa
i pilniejsza jest przyczyna dla umocnienia i zaprowa=
dzenia w życie wzajemnej miłości i porozumienia: miano=
wicie wspólne niebezpieczeństwo grożące Republice Chrześcijań=
skiej, która w tych dniach od najzawziętszego wroga
imienia chrześcijańskiego, tureckiego, zewsząd jest napa=
dana rozdzierana i okupowana, i należy obawiać się
że jeśli nie zapobiegnie się temu wspólnymi radami
i wysiłkami chrześcijan, powszechność bez wstrzymania
na dniach będzie niedługo albo gwałtownie
zburzoną. Nie są nieznane woli najchwalebniejszej św.
Waszemu Majestatowi usiłowania tego najgroźniejszego i
najpotężniejszego wroga, który o nic innego bardziej nie
troszczy się i nie stara, do niczego z większym zapałem
nie tęskni, jak aby rzecz Chrześcijańską obalić, aby
mógłby wygnać i bezbożną sektę swoją i ponownie...
Do czego aby łatwiej mógł dojść, chytrze i przemyślnie
używa: rozejmy i zawieszenia broni z niektórymi pojedyn=
czymi książętami zawarł, aby obrócić swój impet
i potęgę swoją na jednego z książąt, jego posiłki
okupować i kraj za krajem (podbitych) mógł pozbawić
tych chrześcijańskich książąt łatwiej opanować i panowaniu
swojemu poddać: Właśnie z tym zamysłem, wykorzystał
początek szczęśliwego wstąpienia na tron i na królestwo
Majestatu Królewskiego, gdy wysłał do niego swojego
posła mającego całkowite pełnomocnictwo zawarcia i
utwierdzenia rozejmu na taki okres czasu, jaki pod=
obałby się jego Majestatowi. Majestatowi królewskiemu
[illegible] z pewnych racji, względów i powodów nie wydawało
się słusznym, czynić go długim, a szczególnie aby ta
sprawa nie była niezgodną Królestwom i Księstwom
najjaśniejszych jego braci i pozostałych pobratymczych
(książąt) I należycie uwzględniając charakter czasów

zgodził się na kompletne rozwiązanie broni, aby w międzyczasie lepiej się mógł przygotować do prowadzenia wojny. Który to rozejm tak przez dowódców pogranicznych imperium tureckiego jak również przez Tatarów, którzy łakomi do [illegible] łupieżenia [illegible], nie jeden raz został złamany.

UNIWERSYTET JAGIELLOŃSKI
INSTYTUT HISTORII
ul. Gołębia 13 31-007 Kraków
tel. 210-33 w. 242

Kraków, dnia .... 19...... r

Tych właśnie Tatarów zamieszkujących Chersonez Taurydzki (~~[illegible]~~) swojemu podporządkował władztwu, po zajęciu Turek wielkiej wagi miast Kaffy i Teodozji. O czym gdy dowiedział się Majestat najjaśniejszego pana mego króla jak różny się między wzrok, ~~[illegible]~~ poruszony słusznymi i koniecznymi przyczynami, że gdy rozejm ten się zakończy, nie należy zwlekać, aby nie spodziewającego się postępu i nieprzygotowanego korzystając co dawno nie napastował, sądził że będzie korzystniej na zewnątrz i wojny prowadzić, jak do dawna jemu się wdzierającego odpierać. A najbardziej (podjął tę decyzję) na skutek starań o to i kolegom wojewody mołdawskiego podobnego swego, któremu się niegdyś najjaśniejszy ojciec, błogosławionej pamięci książę zobowiązał i obiecał twierdze niegdyś przez Turków zajęte Białogród i Kilię, przyjęte od niego prawem lenna i przyrzeczenia odzyskać. I kiedy dlań jego starał się to urzeczywistnić, zgromadziwszy najpotężniejsze i najbardziej wyćwiczone wojsko, ten sam wojewoda wołoski nieprzyjaciel [illegible] wezwawszy [illegible] który z dawien dawna na mocy przysięgi (prawnie) winien być lud poddany Polakom, odstąpił od poddaństwa jego Majestatowi zbuntował się, bez bojarów poruszony wspomnianą polityką turecką, spowodowany zyski dla tego wrodzonego [illegible] perfidią i w ten sposób przewidziany i zwodzący jego Majestatowi wojnę na [illegible] konieczną na siebie obrócił. Sądzę że nie jest niewiadomym Waszemu Świętemu Majestatowi jaki był obrót fortuny w czasie tej wojny dla Majestatu jego królewskiego, i ~~[illegible]~~ i jak liczne wojska pomocowe skierowane przeciw jego Majestatowi i jak w tej sprawie pomocy był postulatem i życzeniem braterskiego Majestatu najjaśniejszego pana króla Węgier i do jakiego czasu końca dopasował wspomniany Wojewoda Mołdawii perfidię swoją wobec Majestatu królewskiego, złamawszy zawarty rozejm i przymierza. Bez i tej perfidii nie był

jeszcze zadowolony, aż nie doszedł do niej ostatnio jeszcze 13
większej i niebezpieczniejszej, podburzające ogromne masy
(wojska) Turków i Tatarów, którym także zapewnił bezpieczne
przejście przez swoje prowincje i wyżywienie: którzy przeto
najgorsi wrogowie poruszające się z niewiarygodną szybkością
którą przewyższają wszystkie inne ludy w porze roku im
do wojowania niezwykłej, w której wszelkie inne wojsko nie
zwykło występować, niespodziewanie przybywające w państwa
Jego Majestatu się wdarli, to jest w ziemię ruską, najwa=
żniejszą część królestwa, licznych sąsiednich prowincji
żywicielkę, której tak wielkie klęski zadali, że nie sły=
szano, ani czytano by kiedykolwiek jakaś prowincja
również okrutnie była dotknięta. Ponieważ mordowali
i wzięli okrutnie ludzi wszelkiego wieku, płci i
pochodzenia, bez wyboru w sposób najgorszy starców
i wiekowych, chłopców i dzieci, matrony sędziwe, ducho=
wnych i ktokolwiek wyznawał wiarę chrześcijańską, pozostali
których siły i wiek były mocniejsze, Tatarzy wzięli
w ciężką i pożałowania godną niewolę są uprowadzeni
wywierali srogość ponad zwykłą Polski nad wszystkim
co żyje łącznie z trzodami z których w ogóle nie przy życiu
nie pozostawili i co należało zniszczyć nie zdołał, ogniem
zniszczył. Po zniszczeniu następnie większej części najzboga=
tniejszej prowincji, obciążeni wszelkiego rodzaju łupami do
Wołoszczyzny jak najspieszniej powrócili skąd wzmocnione
wielkimi oddziałami wojska spodziewali się znowu powrócić
jak o tym najjaśniejszy pan król Węgier i Czech zawiado=
mił listownie bratersko, [illegible] w chwili wyjazdu mego
z Polski jak się tureckiego imperatora wzmocniony trzecie=
dziesięcioma tysiącami wojowników przybywających z Azji,
czyli Anatolii już przedsięwziął przekroczyć Dunaj, ~~by~~
~~spustoszyć~~ na Ruś wkroczył i [illegible]
jej wspomagany posiłkami wojewodów obydwu Wołoszczyzn.
Doniósł także w tym czasie [illegible], Książę, Aleksander W. ks.
Litwy, brat brat jego Majestatu podobną wiadomość mało
przyjemną i wesołą, jak z podburzenia i nakłonienia
Tureckiego Cesarza, obaj albo może trzej imperatorowie
tatarscy z niezliczonymi wojskami ruszając z swoich
siedzib zbliżyli się do ziemi Rusi i już rozbili obozy
na brzegach rzeki Dniepru, przeciwko którym –

zgromadziwszy całą swoją i swoich potęgę, pomieniony /4
Książę Litwy udał się dla stawienia oporu. Tymi
tak wielkimi i tak niebezpiecznymi wieściami, Majestat
najdostojniejszego Pana mego poruszony, zgromadziwszy
[illegible] ~~[illegible]~~ ...ch swoją i swoich potęgę dla zapobie-
żenia temu niebezpieczeństwu

UNIWERSYTET JAGIELLOŃSKI
INSTYTUT HISTORII
ul. Gołębia 13 31-007 Kraków
Kraków, dnia .... 19 ...... r
tel. 210-33 w. 242

w pole wyruszył do Czerwonej Rusi, polegając na Bogu,
wyczekując najmilszej i niezawodnej Majestatu Brater=
skiego pomocy, którą z obojga swoich królestw i ziemi
i przez posłów poważnych obiecał być wsparciem jego
Majestatowi, i wszelkimi sposobami pomóc jego Maje=
statowi w jego potrzebach. Gdy przeto Majestat jego jego
przyczynę tak wielkich niebezpieczeństw i jakie zgoła wojny
wynikłyby niedogodności pilnie rozważył i poznał że wynik
wojny zawsze jest wątpliwy; rozumiejąc że nie sprawą jednego
królestwa ~~byłoby~~ i jego sił byłoby sprostanie tak długo
~~tak~~ wielkiej i niebezpiecznej wojnie, uznał za rzecz
słuszną i konieczną, sprawę wspólnie zagrażającego
niebezpieczeństwa podać do wiadomości Św. Majestatu
wanego, jako pierwszego księcia Chrześcijańskiej Rzeczypo=
spolitej, a jednocześnie wszystkich św. Cesarstwa i Niemiec
najdostojniejszych książąt, których wydaje się być właściwie
ze względu na stan i godność, zgadzając i błagając w tak
wielkiej konieczności rady i pomocy Św. Majestatu waszego
i powszechności, jako że impet i atak tak wielkich i tak
połączonych wrogów może być powstrzymany wspólnymi wy=
siłkami i za wspólną pomocą chrześcijan, aby to królestwo
które zawsze stanowiło szczególne przedmurze chrześcijaństwa
nadwątlone ustawiczną wojną, nie zostało jakimś sposobem
zburzone, albo zniszczone. Która to sprawa jakie niebezpieczeń=
stwo mogłaby przynieść powszechnej Republice chrześcijańskiej,
łatwo jest rozważyć. Nie ulega bowiem wątpliwości, że
znane jest waszemu Świętemu Majestatowi doskonale
jak niegdyś Goci, Hunnowie, Tatarzy i pozostałe niezna=
ne ludy Scytyjskie nie wcześniej mogli wedrzeć się do
Pannonii, Germanii i Italii a następnie do innych po=
granicznych prowincji, jak dopiero po złamaniu i zniszcze=
niu części (regionów) królestwa polskiego, aby tak Tatarów
stał im otworem dostęp do [illegible] innych
regionów. Z tego powodu króla najdostojniejszego my, [illegible]

i koniecznym jest i sposób (styl) postępowania i szybkość rad
aby środki zapobiegawcze nie były za małe ani za późne
w stosunku do wagi sprawy i ran, które uzdrowić najbardziej
wypada świętemu Waszemu Majestatowi i wydaje się potrzeba
uzdrowienia zdrowia publicznego Chrześcijaństwu, to jest wszystkim
i potrzebującym, co od niego ~~wydobyć się~~ w największym stopniu
oczekuje ~~Tolerancja~~ uwzględniającej szczególny jego urząd i obowiązki;
niechaj okaże świetlność ducha, umysłu i rad swoich
i niech tej sprawy tylko na już dotkniętej klęskami nie
uważa za straconą, wstępując w ślady najjaśniejszych
przodków i poprzedników swoich, którzy okrąg świata
szeroko napełnili chwałą swojego imienia i których cnota
szczególnie rozbłysła i aż do gwiazd się podniosła. Których
tak wielka była cnota i wspaniałość ducha, że poruszeni
zapałem religii świętej, pełni najlepszych nadziei, nie wahali
się podjąć chwalebnego i zbawiennego wysiłku, którym nie
tylko zwiększyli potęgę i państwo Piastów, lecz także wyrwali
z rąk Saracenów całą Syrię i królestwo Jerozolimskie ze
świętym miastem. Tak przeto prosimy, niechaj Św. Majestat Wasz
dziedzica chwały najj. swoich przodków, nie będzie
niegodnym ich następcą. Zaistniała bowiem sprawa
doniosła i materia nie do pogardzenia; ofiaruje się
bowiem sposobność jaka się żadnemu z przodków nie
trafiła wypowiedzenia i urzeczywistnienia wspaniałości
ducha i umysłu, która w tak koniecznym i ~~niebezpie~~ pełnym
niebezpieczeństw czasie może zobrazować w sposób najdobitniej-
szy to najobszerniejsze władanie jego godności.
Ponieważ (dzięki boskiej pomocy) za autorytetem rozwagą i szczę-
ściem Waszej Jasności wydaje się być uspokojone całe Niemcy
ulegające zawsze jego skinieniu i za nim idące. Łączy się
ze sprawą gorliwa i pospieszna gotowość najj. książąt
jego królów Węgier i Polski i dlatego należy zacząć
dzieło, urzeczywistniające rozpoczętą sprawę. I niech tym nie
zraża się Św. Wasz Maj. że liczni książęta chrześcijańscy próbowali
niegdyś lud ten przeklęty ~~[illegible]~~ zbrojnie uciskać
których wysiłek poszedł na marne (za którym [illegible] może nie zastosowana
moc z rządzeniem boskim), ponieważ może ani właściwych środków
w tych sprawach słusznej rzeczy [illegible]
jakkolwiek raz było nie należy wątpić że Bóg litościwie
przyjdzie z pomocą sprawie swojej, gdy przystąpi się

C6

do tej sprawy ze szczerym afektem, wielką pobożnością, wspólnie złączonymi umysłami i siłami ci, w którym sam Wszechmocny zechciał złożyć największą potęgę obecznną na ziemi. Błogie się uczenie królu zwycięzcy, stuleci nami; ~~po uczynieniu tego wszystkiego unię jego~~ i unię jego po najsławniejszym i najpożyteczniejszym uczynieniu tego wszystkiego z czego samego wynikną jak się zdaje zdrowie i niezmierzone pożytki dla Republiki Chrześcijańskiej; za co zaiste bez wątpienia wiele jemu winien będzie wiek nasz, więcej jeszcze potomność najwięcej zaś gdy tę Republikę Chrześcijańską tak bardzo dotkniętą i chwiejącą się z ostatecznej desperacji do nadziei lepszej przywróci, tak że można będzie wszem gratulować Św. Maj. Waszemu jako twórcy upragnionej spokojności. Nic bowiem w tym życiu doczesnym ani wznioślejszego ani wspanialszego nie może dokonać ani osiągnąć Wasz Majestat, jak jak ochraniać bronić i wspomagać oraz tworzyć pożytki ojczyzny i powszechnej Rzeczypospolitej Chrześcijańskiej, pamiętając o obowiązkach urzędu swego. Ponieważ w tym pierwszym i przodującym władztwie, jak w zwierciadle odbija się obowiązek by oddać wszystką pieczę i troskę ludowi swemu; tak wielkie zasługi jego znajdą u Boga należną zapłatę jak także ci Etnici niewierni prawdy uważali że za męstwo nabyła im się pewna zasługa, wierzę że dla wszystkich którzy ojczyznę powiększają, bronią, zachowują zabezpieczone jest z pewnością miejsce w niebie gdzie błogosławieni używają życia nieśmiertelnego. Te są krótkie najważniejsze rzeczy które mi były polecone do przedstawienia W. Św. Majestatowi imieniem mój pana mego najłaskawszego króla polski. Którego Majestat wiąże i więcej prosi aby Wasza Jasność zechciała rozważyć racje i wzajemnych konieczności i wspólnego niebezpieczeństwa które już czyha, aby Majestat jego, pomocy chrześcijan pozbawiony, nie próbował inaczej zapewnić sobie i królestwu swemu pokoju, jak to wypada jego honorowi i godności. Raczej, bardziej wypadałoby za wspólnym porozumieniem z najjaśniejszymi św. cesarstwa książętami zgodnie zaradzić tak wielkim przeszkodom i niebezpieczeństwom i [illegible] ~~[illegible]~~ i dobrowolnie pomóc, aby tak rzesz. chrześcijańska i całe Niemcy zachowując całość tego królestwa Polski, także zaradziły swemu zbawieniu